

THEOPHILUS  
RENOVATUS,  
S I V E Pf XVIII-26  
LEVIS AC SIMPLEX VIA  
AD INSTITUTIONES  
JURIS CIVILIS.  
CUM DUPLICI INDICE.

PRIOR CONTINET PRINCIPIA  
*Juris, suis auctoritatibus fulta.*

ALTER VERÒ EST RERUM NOTABILIUM,  
quæ in hoc opere continentur.

Auctore DANIELE DE GALTIER Bitterrensi, Utriusque Juris  
Professore in Academia Tolosana.

Editio novissima, prioribus multò correctior, & textibus  
locupletior.



T O L O S Æ,  
Impensis JOANNIS GUILLEMETTE, Typographi & Bibliopolæ,  
è regione Ecclesiæ S. Romani, sub Palladio Tolosano.

M. D C C. X X V I.

Cum Privilegio Regis, & Approbatione Doctorum.

23  
23  
23  
23  
23

23  
23  
23  
23  
23

23  
23  
23  
23  
23

23  
23  
23  
23  
23

23  
23  
23  
23  
23

23  
23  
23  
23  
23

23  
23  
23  
23  
23

23  
23  
23  
23  
23

23  
23  
23  
23  
23

23  
23  
23  
23  
23

23  
23  
23  
23  
23

23  
23  
23  
23  
23

23  
23  
23  
23  
23



23  
23  
23  
23  
23

23  
23  
23  
23  
23

23  
23  
23  
23  
23

PRIVILEGE DU ROI.

**L**OUIS, PAR LA GRACE DE DIEU,  
ROI DE FRANCE ET DE NAVARRE; à nos amés &  
feaux Conseillers les Gens tenans nos Cours de Parlement,  
Maîtres des Requêtes ordinaires de notre Hôtel, Grand Conseil,  
Prévôt de Paris, Baillijs, Senéchaux, leurs Lieutenans Civils, &  
autres nos Justiciers qu'il appartiendra, Salut. Notre bien-amé le  
sieur J. GUILLEMETTE Libraire à Toulouse, Nous ayant fait  
exposer qu'il souhaiteroit faire imprimer & donner au Public un  
Ouvrage qui a pour titre, *Theophilus renovatus, & Arnoldi Vinnii*  
*J. C. note in quatuor Libros Institutionum, sive elementorum*  
*Juris Justiniani*, s'il Nous plaïsoit lui accorder nos Lettres de  
Privilege sur ce nécessaires: A ces causes, voulant favorablement  
traiter l'Exposant, Nous lui avons permis & permettons par ces  
Présentes, de faire imprimer ledit Livre en telle forme, marge,  
caractere, en un ou plusieurs volumes, conjointement ou séparé-  
ment, & autant de fois que bon lui semblera; & de le vendre,  
faire vendre & debiter par tout notre Royaume pendant le temps  
de huit années consecutives, à compter du jour de la date desdi-  
tes Présentes. Faisons deffenses à toutes sortes de Personnes de  
quelque qualité & condition qu'elles soient, d'en introduire d'im-  
pression étrangere dans aucun lieu de notre obéissance; Comme  
aussi à tous Libraires, Imprimeurs & autres, d'imprimer, faire im-  
primer, vendre, faire vendre, debiter, ni contrefaire ledit Livre  
en tout ni en partie, ni d'en faire aucun extrait sous quelque pré-  
texte que ce soit, d'augmentation, correction, changement de titre  
ou autrement, sans la permission expresse & par écrit dudit Exposant  
ou de ceux qui auront droit de lui, à peine de confiscation des  
exemplaires contrefaçis, de quinze cent livres d'amende contre  
chacun des Contrevanans, dont un tiers à Nous, un tiers à l'Hôtel-  
Dieu de Paris, l'autre tiers audit Exposant; & de tous dépens,  
dommages & intérêts: à la charge que ces Présentes seront enre-  
gistrées tout au long sur le registre de la Communauté des Libraires  
& Imprimeurs de Paris, & ce dans trois mois de la date d'icelles;  
que l'impression dudit Livre sera faite dans notre Royaume & non

ailleurs , en bon papier & en beaux caractères , conformément aux Reglemens de la Librairie ; & qu'avant de l'exposer en vente , il en sera mis deux exemplaires dans notre Bibliotheque publique , un dans celle de notre Château du Louvre , & un dans celle de notre très-cher & feal Chevalier , Garde des Sceaux de France , le Sieur Dargenson ; le tout à peine de nullité des Présentes : Du contenu desquelles vous mandons & enjoignons de faire joüir l'Exposant ou ses ayans cause , pleinement & paisiblement , sans souffrir qu'il leur soit fait aucun trouble ou empêchement. Voulons que la copie desdites Présentes , qui sera imprimée au commencement ou à la fin dudit Livre , soit tenué pour dûment signifiée ; & qu'aux copies collationnées par l'un de nos amés & feaux Conseillers & Secrétaires , foi soit ajoutée comme à l'original. Commandons au premier notre Huissier ou Sergent de faire pour l'execution d'icelles , tous actes requis & nécessaires , sans demander autre permission , & nonobstant clamour de Haro , Charte Normande , & Lettres à ce contraires. Cat tel est notre plaisir. Donné à Paris le septième jour du mois d'Avril , l'an de grace m. d c c . x v i i i . & de notre Regne le troisième. Par le Roi en son Conseil ,

D E S . H I L A I R E , signé.

*Registré sur le Registre IV. de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris , page 296. n° 335. conformément aux Reglemens , & notamment à l'Arrêt du Conseil , du 13. Août 1703. A Paris le 13. Avril 1718. Delaulne Syndic , signé.*

PRÆMONITIO



# P R A E M O N I T I O

A D

## NOVOS JUSTINIANÆOS.

**S**ISTITE, quæso; paulisper in primo limine (*EGREGII JURIS CANDIDATI*) & scopum hujus operis, methodum, atque usum summatim intelligite. Scopum & methodum iunxit sola nominis inscriptio; usus vero breviter mox aperietur.

Inscribitur hic liber *THEOPHILUS RENOVATUS*; quia Erudiendis eum scripsi, non Eruditis; non ut in juris apicibus difimendis, meum commendem ingenium, & vestrum torqueam; sed ut possim prima vobis legum fundamenta perspicuè tradere; & ut Horatii verbis utar,

*Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem.*

Uno verbo Theophilum in suo stylo simplici ac paraphrastico imitandum suscepi; qui inter Institutionum Interpretes non solum antiquitatis, sed etiam perspicuitatis ac methodi, primam laudem obtinet; nec immerito. Quis enim ex ipsis, necessarias textui intelligendo divisiones ac definitiones aptius tradidit? Quis in quæstionibus arduis & captum rudium superambibus, propolita facti specie, & depromptis ex notitia antiquitatis præviis inspectionibus, legentis animum sapientius præmunivit? Quis formulas rerum gerendarum solemnes; quis verba typica; quis singularia jura, quæ aliunde cognosci non possunt, frequentius exposuit? Quis adhibitis rationibus & principiis, æquitatem juris melius fulsit; & mentem atque efficaciam legum apertius exhibuit tironibus intuendam? Sed (quod caput omnium arbitror, & in juris Interpretæ difficultatum) tanto judicio sua ubique præcepta disponit Theophilus, ut quid sciant, quid ignorent, & quid scientiæ portare possint eorum ingenia præcognoscens, modum ac tempus docendi singula prudentissime observet.

*Et jam nunc dicat, jam nunc debentia dici,  
Pleraque differat, & præsens in tempus omittat.*

Verum fateamur necesse est, non pauca emendationem & renovationem exigere in Theophilo Paraphraste, quem constat diversum esse ab illo Theophilo, qui cum Triboniano & Dorotheo Juris Civilis Institutiones compoluit:

## P R A E M O N I T I O

Primum enim constat locos esse non paucos Institutionum, quos minimè intellexit; ita ut quædam ejus Interpretationes unicâ liturâ delenda sint; eò quod interdum meram fabulam redolent, interdum verò textui Justinianœ ex diametro adversantur. Dictionum insuper Latinarum etymologiam & significationem ( quod in homine Græco mirum non est ) nonnumquam ignoravit; putâ cùm asseruit *ad §. ult. de curat.* actorem dictum fuisse, eò quod apud acta constituantur; & cum dixit *ad §. 1. de verb. oblig.* duas illas voces *spondes*, *spondeo*, Græcè effetti non posse. Præterea legum citationes in universo libri sui decursu prætermisit; quas tamen esse necessarias juris studioso certissimum est: cùm debeat erubescere, quoties sine lege aliquid dicit, *arg. Nov. 18. de triente & semiisse, cap. 5.* Quid referam locutionem Græcæ illius paraphraseos mixobarbaram, ubi larvata passim Latinitas & Græcum idiotisimum ementita, legentibus risum aut saltem fastidium parit? Latinarum autem vocum cùm Græcis permixtio, quā sæpè uringit; Græcis quidem auditoribus Latinam Jurisprudentiam sūtientibus, quorum dumtaxat gratiâ opus illud editum fuerat, placere olim potuit & prodesse. Verum nobis, qui plerumque Græcè parùm scimus, vix potest non esse insuavis atque inutilis. Neque huic incommodo plenè meatur Latina versio variorum Interpretum, qui interdum vitiosâ exemplarium editione, interdum alijs ex causis decepti, legentem quoque incavâ decipiunt, & alienum à mente Justiniani sensum obtrudunt. His addo quod multa Theophilus reliquerit in textu Justinianœ intacta, & omni penitus expositionis adminiculo destituta: de jure autem nostris Institutionibus postiore, ne verbum quidem unicum attulerit. Id tamen jus novum vobis tradi, aut saltē *sepiissime* delibari pernecessarium est haud dubiè; ut tam aures quām animi vestri, quod in ipsis rerum obtinet argumentis, juxta mentem Justiniani accipiant, *§. cumque hoc in proœm. Inst.*

His de causis methodo Theophili, tamquam omnium facillimæ & vobis commodissimæ insistendum credidi: à Theophilo tamen ipso sæpe discessi. Multa quæ deerant ad usum pertinentia, ex Novellis, vel ex aliis Juris libris supplere conatus sum. Locos ejus reprehensioni obnoxios, addito ad marginem asterisco\* notavi: quia metuendum visum est, ne tanti viri auctoritas multos traheret in erroris consortium. Citationes denique legum non prætermisi; et ex puris Juris fontibus, ad quos digitum intendo, pliores suo tempore, ac puriores Juris latices hauriatissimum etiam quia licet in primis legum cunabulis necesse non sit ea quæ asserimus textuum auctoritate firmare, magno tamen nobis probro futurum est, si in illa imperitia perseveremus, & auctoritates juris scribere, aut legere nesciamus: idèque necessarium est, ut ab initio legendis juris siglis ac citationibus; tum deinde etiam adhibendis paulatim assuefcamus. An nimia tamen citationum mole abstinui; & malui in earum locum decerpitos è Philologia flosculos sparsim è re nata immiscere; ut vobis facilius contingat Jurisprudentiam appetere, quām timere; & lenitè ( quantum fieri potuit ) radicum amaritudine, fructus ejus suaviores lubentius degustare.

Ex his patet, cur libro huic, *THEOPHILI RENOVATI* nomen adscriptum sit. Si quis autem quæsierit cur *LEVIS AC SIMPLEX VI A* appelletur, sciat me Justiniani præceptis morem gerere in *§. 2. de just. & jur.* cuius verba hæc sunt: *His igitur generaliter cognitis, & incipienti-*

## AD NOVOS JUSTINIANEOS.

bus nobis exponere jura Populi Romani , ita videntur posse tradi commodissime ; si primò LEVI AC SIMPLICI VIA , post deinde diligentissimè atque exactissimè interpretatione singula tradantur. Alioqui , si statim ab initio rudem adhuc & insirmum animum studiost , multitudine ac varietate rerum oneraverimus ; duorum alterum , aut deseriorem studiorum efficiemus , aut cum magno labore ; sepe etiam cum diffidenzia ( quæ plerunque juvenes avertit ) serius ad id perducemus , ad quod leviore via datus , sine magno labore & sine ulla diffidenzia maturius perduci potuisset. Duo itaque exigit Justinianus ab eo , qui jura Populi Romani exponit ; videlicet , ut levi primùm ac simplici viâ ; tum deinde diligentissimè atque exactissimè interpretatione tradat singula. Levis esse maxime videtur ac simplex via , quam in hoc opere amplexus sum. Divisiones ac definitiones suis quibusque locis adhibui ; ut rerum natura , species ac partes , enucleatiūs intelligantur. Vocum Latinarum origines ac varias notiones distinxī ; quia alioquin legentium animus eo lumine carens , haret in salebra ; & quia nihil magis esse utile videtur aut necessarium juris studiosis , quā illa verborum notitia : ideoque A. Gellius libro 13. cap. 10. post multas laudes Antistii-Labeonis J. C. celeberrimi , qui Princeps fuit Proculeianorum familiae , l. 2. §. post hunc , ff de or. jur. ita subiungit : Latinarum vacum origines rationesque percaluerat ; cāque precipue scientiā ad enodandos juris civilis laqueos utebatur. Remotis insuper antynomiarum labyrinthis , Doctorum dissidiis , & aliis disgressionibus , quæ solent incipientes turbare , soli textui pleniū interpretando incubui. Ordinem à Justiniano servatum numquam derui. Titulos singulos , & maximè longiores , divisi ; ut rerum atque ordinis connexio magis cluceat. Rationes denique iuris & regulas suis locis aptavi ; ex quibus æquitas legum magis convincitur , & vis ac potestas laculentiūs demonstratur. Quamvis igitur levis hac & simplex via nuncupetur ; nemo tamen crediderit levem in ipsam atque exiguum rerum expositionem contineri. Neque enim ideo dicitur levis , quod difficultatum nodi fuerint ; in ea dissimilanter prætermisi ; sed com paratione dumtaxat habita cum longioribus commentariis , aut cum difficulti notarum subtilium brevitate.

Quisquis autem , hoc opere perlecto , diligentissimam illam atque exactissimam singulorum interpretationem optaverit , quam in d. §. 2. Justinianus requirit ; adeat , perlegat , & attente discutiat leges ac constitutiones , ex quibus singula deprompta sunt ; sed eas maximè , ad quas nos Justinianus remittit , ex quarum tenore perpenso , omnia perfectissimè accipere possibile est. Ego interim , ut progressus vestros foveam pro viribus , tres juris dissertationes ad calcem totius operis adjeci ; quibus supplentur ea , quæ obiter dicta sunt ad §. 1. de legat. ad §. penult. & ult. de pupil. subst. & ad §. item si adhuc de mandato. Quas laborum primitias , si gratas vobis atque utiles esse cognoverim , plures deinceps adjiciam Deo propitio , ut ea quæ in hoc opusculo exactè tractari Institutionum modus non patitur , uberioribus sigillatim disputationibus , diligenter exponantur.

Appendices insuper varias titulis quibusdam subjunxi , quas vobis non ingratas fore confido : sed maximè L. Cuspidii testamentum , & breves quedam annotationes , quibus loci ejus aliquot illustrantur. Unde colligi possunt quedam notata digna , quæ vel ad virtutem veterum moralem spectant ; vel ad cognoscenda testamentorum iura parum conferunt.

## P R E M O N I T I O

Hoc testamentum ; cujus verba ipsissima laudavit Cujacius ad l. 17. ff. de leg. 2. & Radulphus etiam Fornerius , lib. 4. rer. quotid. cap. 4. debo amicitia viri Nobilis Domini Guillelmi de Galetrave de Vendaloves in oppido Sancti Africani apud Rutbenos Proprætoris ; cui præter famam singulatis eruditio- nis atque integratæ , concessit Deus decus illud præ ceteris eximium , quod pro Fide Catholica , & pro tuendis Principis partibus , direptionem bonorum , castris sui eversionem , & alia non pauca passus fuerit.

Supereat , ut usum hujus libri simul ac studendi methodum , paucis consilis verbisque complectar .

Suadeo primùm , ut textus Justinianæ mentem & vim ac potestatem exactè intelligere quilibet satagat ; non perfunctorè & sicut canis ad Nilum bibens & fagiens ; sed potius festinationem ipsam effugiat , quæ non est peior progressum neverca . Nec spernat quisquam hæc initia ex quibus studiorum omnis pendet eventus . Ideoque sicut in castris Romanis præcipius locus principia dicebatur , ubi summa rerum & totius exercitus incolumitas videbatur consistere ; ita & fundamenta omnium artium ac scientiarum vocantur principia . Quo sensu M. Tullius ait lib. 3. de legib. maximè cavendum esse , ne non bene prævisa & diligenter explorata ponantur principia . Causa denique eodem sensu assertit , cujusque rei potissimum partem esse principium , l. 1. ff. de orig. jur. Laudo maximè illos qui textum ipsum memoriz mandare conantur ; atque ita vetera juvēnum Romanorum instituta imitantur , qui legem duodecim tabularum discabant memoriter . Etiam enim arte toto deinceps vita decursu facilius omnia ex principiis deducunt , clariss intelligunt , & maximè congruis vocibus elo- quuntur . Sed sibi nimium blandiuntur , qui textu non intellecto existimant se posse solâ ope memoria fieri juris peritos . Scire enim leges non est verba legum tenere , sed vim ac potestatem , l. scire leges , ff. de legib.

II. Commodissimum erit , principia juris , definitiones ac divisiones ex amissim intelligere , & memoriam retinere ; in quibus Institutionum epitome continetur : ideoque eas suis quibusque locis adjunxi , & adpietâ cruce † distingui curavi ; ut in eum usum promptius inveniantur , sicut in editione Paratit- lorum Cujacii observatum est .

III. Sicut testibus , non testimoniis credi jura præcipiant , l. 3. §. idem , ff. de testibus ; ita quoque juris studiosus debet identidem in corpore juris leges citatas perlegere , non in solis allegationibus habere fiduciam . Sic accidet ei corum , que didiscerit certitudo : in qua sola , scientiae natura consistit ; & ( quod plerisque arduum videretur ) leges citandi facilitas acquiretur . Quemadmodum enim grave aut operosum non est ædes , ubi habitant illi quos semel aut iterum inviserimus enumerare ; ita nec difficile erit leges & titulos allegare , ex quibus aliqua juris sententia depromitur , si in propriis locis ac scđibus anteā perlegatur .

IV. Neminem pigate ea quæ notatu digna audierit , sciverit , vel intelle- xerit in speciali aliquo ternione vel codice iuxta congruum ordinem adnotare ; quia divinitatis magis est quam humanitatis omnium habere memoriam , l. 2. §. si quid autem , C. de vet. jur. encl . Sicut autem ex senum rusticorum auctoritate Proculus aiebat pecuniam sine peculio fragilem esse , designans neminem divitem fieri posse , nisi prætidii causâ ab eo pecunia seponatur , l. scđ. chorus , §. 1. ff. de leg. 3. ita quoque certissimum est , neminem posse in jure fieri

*AD NOVOS JUSTINIANEOS.*


eruditum ; nisi scripturæ præsidio aliquod sibi paulatim conficiat peculium eruditionis.

V. Denique de juris quæstionibus mutuò inter se , vel cum eruditioribus colloquantur quicunque ambiant aliquos in jure progressus. Nam si bonum est studium legere & melius audire , optimum certè est docere. Docent autem non illi tantum , qui publicas aut privatas habent prælectiones , sed omnes etiam qui loquuntur. Omnis enim sermo , quo mentis nostræ cogitata profertimus , hoc proprium habet officium , ut doceat eum qui audit. Interrogantes itaque , & qui audita repetunt , vel dubia proponunt , quamquam aliud agere videantur ; hoc tamen primùm efficiunt , ut audiens sciat , quid sit illud quod scire cupiunt , quid didiscerint , aut quid sibi exponi postulent. *Rod. Agric. lib. I. de invent. dial. cap. I.*

Accipite hoc opus a quo animo ( *ADOLESCENTES EGREGII* ) vobis non exiguo labore præparatum , vestrisque dumtaxat usibus destinatum ; & Virgiliani consilii semper estote memores :

*Discite iustitiam moniti , & non temnere Divos.*





# INDEX TITULORUM.

|  |       |  |     |
|--|-------|--|-----|
| <b>P</b> rologomena;                       | j     | XIII. De tutelis;                        | 55  |
| CAP. I. De primo statu Juris ci-           | ij    | XIV. Qui testamento tutores dari pos-    |     |
| vilis sub Regibus Romanis,                 |       | sunt,                                    | 58  |
| II. De secundo statu Juris civilis sub     |       | XV. De legitima agnatorum tutela,        | 61  |
| Consulibus,                                | ibid. | XVI. De capititis diminutione,           | 63  |
| III. De tertio statu Juris civilis sub Im- |       | XVII. De legitima patronorum tute-       |     |
| peratoribus, & maximè ante Justinia-       |       | la,                                      | 66  |
| nnum,                                      | v     | XVIII. De legitima parentum tute-        |     |
| IV. De Jure à Justin. composito,           | vij   | la,                                      | 67  |
| V. De statu Juris civilis post Justinia-   | ix    | XIX. De fiduciaria tutela,               | 68  |
| nnum Imperatorem,                          |       | XX. De Attiliano tutori, & eo qui ex     |     |
| VI. De usu Juris civilis in Regno          |       | L. Julia & Titia dabatis,                | 69  |
| Gallie,                                    | ibid. | XXI. De auctoritate tutorum,             | 73  |
| VII. De libris Juris civilis, ejusque      |       | XXII. Quibus modis tutela finitur,       | 76  |
| citationibus,                              | x     | XXIII. De curatoribus,                   | 79  |
| PRO ODEM!UM Imperatoris Justinia-          |       | XXIV. De satisfactione tutorum vel cu-   |     |
| ni,  | xiii  | ratorum,                                 | 82  |
|  |       | XXV. De excusationibus tutorum vel cu-   |     |
| LIBER PRIMUS.                              |       | ratorum,                                 | 85  |
| Tit. I. De Justitia & Jure,                | i     | XXVI. De suspectis tutoribus vel cura-   |     |
| II. De Jure naturali gentium, & civi-      |       | toribus,                                 | 94  |
| li,  | 5     |  |     |
| III. De Jure personarum,                   | 13    | LIBER SECUNDUS.                          |     |
| IV. De Ingenuis,                           | 15    |  |     |
| V. De Libertinis,                          | 17    | Tit. I. De rerum divisione, & acquiren-  |     |
| VI. Qui & ex quibus causis manumitte-      | 21    | do ipsarum dominio,                      | 99  |
| re non licet,                              |       | II. De rebus corporalibus & incorporali- |     |
| VII. De Lege Fusia - Caninia tollen-       | 25    | bus,                                     | 127 |
| da,  |       | III. De servitutibus rusticorum & urba-  |     |
| VIII. De his qui sui vel alieni juris      | 26    | norum prediorum,                         | 128 |
| sunt,                                      |       | IV. De usufructu,                        | 132 |
| IX. De patria potestate,                   | 28    | V. De usu & habitatione,                 | 135 |
| X. De nuptiis,                             | 30    | VI. De usucaptionibus, & longi temporis  |     |
| XI. De adoptionibus,                       | 41    | prescriptionibus,                        | 139 |
| Appendix de diversis effectibus adoptio-   |       | VII. De damnationibus,                   | 149 |
| nibus & nature,                            | 49    | VIII. Quibus alienare licet, vel non,    | 155 |
| XII. Quibus modis jus patriæ potestatis    |       | IX. Per quas personas cuique acquiri-    |     |
| solvitur,                                  | ibid. | tur,                                     | 159 |

# INDEX TITULORUM.

|  |     |  |
|--|-----|--|
| X. De testamentis ordinandis,            | 164 | XIII. De successionibus sublatis, que sie- |
| XI. De militari testamento,              | 172 | bant per bonorum venditiones, & ex         |
| XII. Quibus non est permisum facere tes- |     | SC. Claudiano,                             |
| tamentum,                                | 177 | 348  |
| XIII. De exheredatione liberorum,        | 182 | XIV. De obligationibus,                    |
| XIV. De hereditibus instituendis,        | 189 | 349  |
| XV. De vulgari substitutione,            | 197 | XV. Quibus modis re contrahitur obliga-    |
| XVI. De pupillari substitutione,         | 201 | tio,                                       |
| XVII. Quibus modis testamenta infir-     |     | 362  |
| mentur,                                  | 207 | Appendix de his que in contractibus        |
| XVIII. De inofficiose testamento,        | 213 | prestantur,                                |
| Appendix de usu & effectu inofficiosi    |     | 357  |
| quarela, & de quantitate legitima ex     |     | XVI. De verborum obligationibus,           |
| jure Novellarum,                         | 218 | 360  |
| XIX. De heredium qualitate & diffe-      |     | XVII. De duobus reis stipulandi & pro-     |
| rentia,                                  | 221 | mittendi,                                  |
| XX. De legatis,                          | 228 | 365  |
| XXI. De ademptione legatorum,            | 259 | XVIII. De stipulatione servorum,           |
| XXII. De Lege Falcidia,                  | 261 | 367  |
| XXIII. De fideicommissariis hereditati-  |     | XIX. De divisione stipulationum,           |
| bus, & ad SC. Trebellianum,              | 265 | 370  |
| XXIV. De singulis rebus per fideicom-    |     | XX. De inutilibus stipulationibus,         |
| missum relietis,                         | 276 | 373  |
| XXV. De codicillis,                      | 279 | XXI. De fidejussionibus,                   |
| Appendix. Antiquum L. Cuspidii testa-    |     | 387  |
| mentum,                                  | 283 | XXII. De litterarum obligationibus,        |
| Annotationes ad L. Cuspidii testamen-    |     | 392  |
| tum,                                     | 286 | XXIII. De obligationibus ex conseu-        |
|  |     | 393  |
|  |     | su,  |
|  |     | XXIV. De emptione & venditione,            |
|  |     | 394  |
|  |     | XXV. De locatione & conductione,           |
|  |     | 402  |
|  |     | XXVI. De societate,                        |
|  |     | 407  |
|  |     | XXVII. De mandato,                         |
|  |     | 413  |
|  |     | XXVIII. De obligationibus, que quasi       |
|  |     | ex contractu nascuntur,                    |
|  |     | 421  |
|  |     | XXIX. Per quas personas nobis obligatio    |
|  |     | acquiritur,                                |
|  |     | 427  |
|  |     | XXX. Quibus modis tollitur obliga-         |
|  |     | 429  |
|  |     | Appendix de Moneta Romana,                 |
|  |     | 435  |

## LIBER TERTIUS.

|   |     |
|---|-----|
| Tit. I. De hereditatibus, que ab intestato defteruntur, | 293 |
| II. De legitima agnatorum successione,                  | 305 |
| III. De SC. Terrylliano,                                | 312 |
| IV. De SC. Orphytiano,                                  | 317 |
| V. De successione cognatorum,                           | 319 |
| VI. De gradibus cognitionis,                            | 321 |
| VII. De servili cognitione,                             | 324 |
| VIII. De successione libertorum,                        | 326 |
| IX. De assignatione libertorum,                         | 332 |
| X. De bonorum possessionibus,                           | 333 |
| Appendix de successionibus ab intestato,                |     |
| secundum jus novissimum,                                | 339 |
| XI. De acquisitione per adrogationem,                   | 342 |
| XII. De eo cui libertatis causa bona ad-                |     |
| dicuntur,   | 344 |

## LIBER QUARTUS.

|   |     |
|---|-----|
| Tit. I. De obligationibus que ex delicto nascuntur,                           | 438 |
| II. De vi bonorum raptorum,   | 451 |
| III. Ad Legem Aquiliam,   | 454 |
| IV. De injuriis,  | 463 |
| V. De obligationibus que quasi ex delicto nascuntur,                          | 472 |
| VI. De actionibus,  | 474 |
| Appendix de tribus aliis actionum divisionibus,                               | 510 |
| VII. Qued cum eo qui in aliena potestate est, negotium gestum esse diciuntur, | 511 |
| VIII. De noxalibus actionibus,  | 518 |
| IX. Si quadrupes pauperiem fecisse di-  |     |
| catur,  | 522 |

# INDEX TITULORUM.

|   |       |   |     |
|---|-------|---|-----|
| X. De his per quos agere possumus ,   | 524   | XVII. De officio iudicis ;  | 553 |
| XI. De satisfactionibus ,   | 526   | XVIII. De publicis iudicis ,  | 559 |
| XII. De perpetuis & temporalibus ac-<br>tionibus , & qua ad heredes , & in<br>heredes transiunt , | 531   | Appendix de prescriptionibus crimi-<br>num ,  | 566 |
| XIII. De exceptionibus ,  | 534   | Dissertatio prima. An recte adjiciantur<br>hac verba in definitione legati : ab hæ-<br>rede præstanda , | 570 |
| XIV. De replicationibus ,   | 541   | Dissertatio secunda. Ad L. precibus 8.C.<br>de impub. & aliis subst.                                    | 575 |
| Appendix de usu fori circa exceptio-<br>nes ,   | 543   | Dissertatio tertia. Ad L. Ejus 41. ff. de<br>reb. cred.   | 584 |
| XV. De interdictis ,  | ibid. |   |     |
| XVI. De pena temere litigantium ,   | 550   |   |     |

Finis Indicis.



## *Approbatio Doctorum, utriusque Juris Profes- orum in Academia Tolosana.*

**P**rodit denuò in lucem *Theophilus jam tertius renovatus*, Opus Daniëlis de Galtier, in Academia Tolosana Juris utriusque Professoris, virti virtute ac doctrinâ clarissimi. Illud alacriter accipite cupidi Legum adolescentes, certiore, ut nec laboris vestri in eo legendō, nec impensarum in emendo vos pâ-  
niteat. Continet enim præter Institutionum Justinianearum Textum, Juris studiosis assiduè legendum Commentarios, in quibus dictus Auctor singulos Titulos & Paragraphos clarissimè æquè ac solidissimè explicat. Ita censemus pridie Idus Aprilis, anno M D C C X X I I I .

**D E Z E S , in Academia  
Tolosana Juris utriusque Pro-  
fessor.**

**A S T R U C , Juris utriusque  
Romani & Gallici Professor in  
Academia Tolosana.**



A D  
INSTITUTIONES  
IMPERATORIAS  
PROLEGOMENA.

**J**URI operam daturum , historiam Juris & libros nosse oportet ; ne turpe ei videatur originem , principia , & statum Artis in qua versatur , vel armorum , quibus usurps est , nomina ignorare . Ideoque licet nolim verbosos commentarios facere , maximum tamen operaे pretium fore arbitror , si antequam Justiniani Institutiones explicandas aggrediar , totius Juris Justinianai originem , ac varios pro temporum varietate progressus prius investigem : tum deinde more Geographi in brevi quasi tabella , omnes ejus partes librosque complectar , aliquo dispendio magnitudinis , nullo veritatis : ut sicut Geographia oculus historiae vulgo dicitur , ita quoque hæc prævia Juris historia , studii nostri legitimi oculus aliquatenus esse videatur . Cum enim jura posteriora dero-  
gent prioribus , *I. ult. ff. de constit. Princ.* maximè nobis necessarium est distinguere , quæ jura prius , quæ vero posterius edita sint : juxta illud vul-  
gatum , *Distingue tempora , & conciliabis scripturas* : caque ratione spero , nos Deo propitio effecturos , ut cum ad specialem legum , constitutionum , aliarumque juris partium expositionem pervenerimus , evidentiorem omnium consequamur intellectum .

Juris Civilis , quo utimur , principia & progressus , Romanorum sapientiae & sagacitati debemus . Quocirca si quis vim ejus ac potestatem perspectam habere molitur , triplicem debet Juris & Imperii Rom. statum distinguere : Primus fuit sub Regibus : Secundus , sub Consulibus : Tertius denique , sub Imperatoribus .

( a )



## C A P U T I.

### *De primo statu Juris Civilis sub Regibus Romanis.*

**H**ÆC fuit prima ætas & quasi quædam infantia Legum atque Imperii. Urbs enim à Romulo recens condita, nullam habuit ab initio Legem certam, nullumque Jus certum, sed omnia manu à Regibus gubernabantur, *l. 2. s. 1. & 2. ff. de orig. jur.* & ut ait Justinus Historicus, *lib. 1. cap. 1.* Populus nullis Legibus tenebatur, arbitria Principum pro Legibus erant.

Verum processu temporis Reges Romani Leges quasdam tulerunt ad Populum, quæ Curiatae dictæ sunt, eò quod Curiatis Comitiis latæ fuissent, id est Populo in Curias distributo. Dictæ autem sunt Curiae, triginta partes in quas Populus Romanus fuit à Romulo distributus; quia curam Reipublicæ expediebat per sententias partium illarum.

Has Leges Sex. Papyrius in ordinem certum rediget, & in unum librum retulit, qui appellatus est Jus Civile Papyrianum. Cæterum cùm inter Leges illas, quamplurimæ essent Numæ Pompilii, pauca verò Romuli urbis conditoris; ideo in Novella 47. Justiniani, Romulus & Numa dicuntur secunda post Æneam Reip. Romanæ dedisse principia: ille quidem Civitatem ædificans; hic autem eam Legibus ordinans & exornans.



## C A P U T I I.

### *De secundo statu Juris Civilis sub Consulibus.*

**P**OSt Reges expulsos anno ab urbe condita 244. secundum Contium, subsecuta est sub Consulibus secunda ætas Imperii, & quasi quædam adolescentia, quæ viguit per ducentos annos, quibus Populus Romanus subegit Italiam, usque ad Appium Claudium & Quint. Fulvium Consules, ut testis est Florus in Prologo. Juventa verò & quasi robusta quædam maturitas ab eo tempore usque ad Augustum per ducentos quinquaginta annos emicuit, quibus totum orbem placavit; sed utrumque illud temporis spatiem soli Juris adolescentiæ tribuo, eò quod plurimis Legibus & Legum generibus, Jus civile eo tempore auctum est; non tamen ad robur perfectum & virilem omnino ætatem deductum. Adolescentiam autem appellamus ætatem illam, quam natura incremento corporis & virium addixit.

Et primò quidem habuit secundus ille status Imperii, Jus quoddam in-

certum & moribus Populi receptum, quod nihil ferè aliud fuisse videtur, quam nonnullæ Leges Regis, quas Populus Romanus non amplius more Regum, aut timore Regum; sed tatio consensu ac veluti consuetudine observavit. Et hoc est quod dicitur *in l. 2. §. exactis, ff. de orig. Jur. Populum Romanum incerto magis Jure & consuetudine uti cœpisse*, quam per latam Legem.

Secundò, in eo statu edita est à Decemviris Lex 12. tab. ex Legibus Græcis, quas tres ex eo numero Legati è Græcia Romanam attulerant, d. l. 2. §. postea, quibus etiam quædam Jura moribus recepta immisererunt, d. l. 2. §. & cum placuisset, vers. contra jus: Namque ut testis est Livius lib. 1. tres Legati missi sunt Athenas, Lacedæmonia & in alias Græciæ civitates, scilicet Sp. Postumius Albus, Aulus Manlius, & Publius Sulpitius Camerinus; ut peterent & referrent optimas Leges quibus Græci utebantur. Quibus Legatis tertio anno reversis, Decemviri creatis sunt ad Leges constitendas, videlicet duo ejus anni Coss. Appius Claudius & Titus Genitius, ut pro honore honor redderetur. His additus est Publ. Sextius alter Consulum prioris anni, quod eam rem Collega invito ad Pares retulerat. His proximi Legati tres, qui Athenas icrarent: vel ut pro legatione tam longinquæ, honos ille præmio esset; vel quia peritos peregrinarum legum, ad condenda nova jura usi sote credebant. His denique additi sunt graves alii aetate & sapientia Viæ quatuor, Sex. Veturius, Caïas Julius, Pub. Horatius, & T. Romilius; atque ita numerus Decem Virorum compleatus est, ideoque sicut omnes simul DECEMVIRI appellati sunt, ita quoque seorsim quilibet eorum DECEMVIR dictus est.

Regimen totius Magistratus penes Appium fuit favore plebis. Is anno sequenti cum diversi alii novem Decemvir iterum creatus, hoc opus iam melioratum confecit. Priore siquidem anno Decemviri decem tantum tabulas ediderant, quibus alias duas anno sequenti addiderunt: Ideoque hoc ius vocatum est LEX sive LEGES XII. TABULARUM, vel etiam simpliciter DUX. DECIM TABULE. Harum Legum serendarum auctor fuit Hermodorus Philosophus Ephesius exulans in Italia d. §. postea, cui statuam Roma positam tamquam Legum Interpreti testatur Plin. lib. 34. cap. 5. Interpres eo loco vocatur quasi totius illius operis ductor: quo sensu eriani adhibetur 4. Æneid.

Tuque harum Interpres Curarum & consuef. Iuno.

Hunc libellum 12. Tab. eleganter laudat M. Tullius lib. 1. de Oratore, num. 195. ubi sub persona Crassi disputans, Fremant (inquit) omnes, dicam quod sentio: Bibliothecas meherculè omnium Philosophorum unus nulli videretur 12. Tab. libellus (si quis Legum fontes & capita viderit) & auctoritatis pondere & utilitatis libertate superare. Hinc apparet compendio sermonis usum fuisse Pomponium, dum dixit *in d. l. 2. §. postea*, placuisse decem constitui Viros, per quos peterentur Leges à Græciæ Civitatibus, & Civitas fundaretur Legibus.

Tertium Jus in hoc secundo statu fuit Jus Civile non scriptum, quod consistebat in sola interpretatione Prudentem. Cum enim Lex 12. Tab. nimis esset

obscura & angusta ; eò quòd non potuerant omnes casus Legibus comprehendi , l. 12. ff. de legib. necessarium fuit ad Prudentes configere , ut eas Leges interpretarentur , d. l. 2. §. his legibus tatis : Jus enim constare non potest , nisi sit aliquis Juris peritus , per quem possit in melius produci , d. l. 2. §. post originem. Id Jus vocatum est Jus CIVILE nomine communii omnium Legum , deficiente scilicet proprio : atque ita ea species Juris Civilis proprium nomen non habens , proprium nomen generis sibi fecit. Dicatum est præterea hoc jus , Non SCRIPTUM , quia tacito illiteratoque populi consensu receptum est ; & in hoc differt à cæteris Juris speciebus , quæ omnes ab expresso Populi vel Legillatoris alterius consensu , suam omnem auctoritatem acceperunt.

Quartum Jus constituerunt Legis actiones , d. l. 2. §. deinde his legibus , quo nomine non tantum intelligimus solemnes formulas quibus unusquisque Jus suum in judicio tuebatur , ut fiebat in actionibus & exceptionibus ; sed modos etiam & formas rerum gerendarum ex Legis præscripto ac mente in actum deducit. Quemadmodum enim cujusvis hominis aliquid agentis est quædam mens ; & quædam itidem sunt juxta illam mentem ipsius actiones : ita quoque & Legis mens aliqua , & Legis actiones quædam esse dicuntur , quæ nostro idiomate appellari possunt (*la pratique de la Loi.*)

Hoc Jus appellatum fuit Jus Flavianum , eò quòd Cneius Flavius Appii Claudi Cæci scriba librum Legis actionum Domino subreptum Populo obtulisset. Vocatum est etiam similiter Jus Ælianum , aliud opus Legis actionum , quas Sex. Ælius prioribus adjectit.

Verùm hodie omnes illæ solemnitates verborum , constitutione Constantini abrogatae sunt , l. 1. C. de formulis. Quo nomine à Nazatio laudatur his verbis *sub finem Panagyr.* Nova Leges regendis moribus & frangendis vitiis constitutæ , Veterum calumnioræ ambages recisse , captandæ simplicitatis laqueos perdiderunt. Ideoque omnia judicia dicuntur esse hodie extraordinaria ; non quidem quòd cesseret in illis omnis ordo , aut quòd stylus judiciorum omnis abrogatus sit ; sed solummodo quòd extra antiquum illum ordinem ac formam judicia hodie peragantur , §. ult. inst. de interdict.

Quinta Juris species dicebatur LEX , quam scilicet Senatorius Magistratus , veluti Consul aut Dictator primum cum amicis suis domi expendebat , deinde ex consilio eorum ad Senatum referebat , sine cuius auctoritate nulla Lex ad Populum ferri potuit : postmodum promulgabat , hoc est publicè in charta aliqua seu tabula proponebat , ut omnibus inspiciendi potestas esset , & ut posset quilibet ad deliberandum se comparare : in Comitiis denique ad Populum ferebat , id est proponebat omnibus Civibus in Comitia convocatis : Populi enim nomine omnes Cives continentur , §. Lex est Inst. de Jure natur.

Sexto , eodem ferè tempore fieri cœperunt Plebiscita , ita dicta quasi Plebis iusta (SCISCO enim & JUBEO synonima sunt ) eò quòd à Plebe Romana fierent inconsulto Senatu : PLEBIS enim nomen ad Senatores & Patricios non pertinet , sed ad reliquos dumtaxat cives , atque ideo Senatus illes minimè tenebatur , ante Leges Horatiam , Hortensiam & Publiliam ; qui-

bus diverso tempore idem cautum est, videlicet ut non minorem Legibus obtinerent auctoritatem: unde fit ut plebiscita omnia Legum nomine plerumque insigniantur, cujusmodi sunt Lex Falcidia, & Lex Aquilia.

Septimè, in hoc secundo statu multa Senatusconsulta solo Senatu constituerent inducta sunt sine Lege, d. l. 2. §. ita in civitate. Sine Lege (inquam) id est sine consensu totius Populi; quia cum difficile plebs convenire cœpisset, populus certè multò difficultius: in tanta turba hominum, necessitas ipsa curam Reipublicæ ad Senatum deduxit. Dicuntur autem SENATUS CONSULTA, vel quod Senatus vice totius populi consulebatur, id estrogabatur, §. Senatusconsultum Institut. de jure natur. vel quia Senatus consulabat seu providebat publicæ utilitati, sicut ibidem monet Theophilus noster.

Octavum & ultimum Jus constituerunt stante Repub. Edicta Magistratum, in quibus initio anni sui proponebat quid Juris dicturi essent anno suo in unoquoque causarum genere. Quà in re duplex Populi erat utilitas: primò quia se præmunire poterat: deinde verò quia eidem Populo Prætor se edicto illo quodammodo obstringebat, ne jura detorqueret ad privatos affectus, idque maximè post L. Corneliam, sicut testis est Asconius Pædianus ad Orationem M. Tullii pro C. Cornelio; quia Lege cautum fuit ut Prætores ex edictis suis perpetuò, id est toto anno suo Jus dicarent. Verùm maxima perpetuitas edicto Prætoris concessa est temporibus Adriani Imp. cuius jussu C. Salvius Julianus Jurisconsultus Edictum perpetuum compofuit, ita dictum quod ex eo omnes deinceps Prætores jus dicere tenerentur; ad cuius perpetui Edicti normam plurima deinde juris opera edita sunt, & maximè Libri Digestorum & Codicis.

Ex his constat, octo fuisse jura in secundo statu Imperii, videlicet Jus moribus receptum, Leges 12. tabularum, Jus civile non scriptum, Legis Actiones, Leges, Plebiscita, Senatusconsulta, & Magistratum Edicta.



## C A P U T I I I.

### De tertio statu Juris Civilis sub Imperatoribus, & maxime ante Justinianum.

TERTIUS status Imperii sub Cæsaribus fuit, quorum inertia quasi consenuit atque decoxit, nisi quod sub Trajano & paucis aliis magnis Imperatoribus lacertos movere, & pristinum vigorem recipere visum est. Verùm sicut plerumque senescentibus membris, eruditorum animus industria beneficio, intus florem juventæ refinet, ut ait Valerius Maximus, libro 8. cap. 7. sed elegantiū Alexander I I I. in cap. 1. ext. de renunc. vergente deorsum conditione corporeâ, fervor spiritus in sublimiora conscendit: ita quoque languescentibus quantumvis Imperii viribus, Juris Civilis sapientia

tia sub Imperatōribus ad perfectam maturitatem pervenit , quæ maximè emicuit sub Justiniano Imperatore. Quod ut enucleatiū appareat , tripartitum hunc tractatum faciemus. Et primò quidem expendiemus , qui fuerit status Juris Civilis ante Justinianum : Secundò, quid in juris compositione ab eo Principe præstatum sit : Tertiò denique , quæ fuerint Juris fata post Justiniani interitum.

Tertius itaque ille status Imperii habuit multa Jura tam vetera quam nova. Ex veteribus quidem reuinuit Legem 12. tabularum , & plerasque Leges anteā lataś , quæ robur suum minimè amiserunt , ut fusiū infra discussiemus. Jus verò civile non scriptum , sive jus moribus receptum , eo itidem tempore perseveravit. Legis actiones vim habuerunt usque ad tempora Constantini , qui formularum Iolemnium necessitatem abrogavit , ut anteā diximus.

Prudentum Responsa , quæ eo tempore edita sunt , non fuerunt amplius Jus non scriptum , ut olim. Sed inter species Juris scripti referri cœperunt. Cùm enim constitutum fuisset ne Judici recedere licaret ab eorum responsis , necessarium fuit ut scriptis mandarentur , ad hoc ut Judices ea legere possent , & lecta observare.

Magistratum edicta maximā ex parte cessaverunt esse annua post compositionem edicti perpetui sub Adriano Imperatore , ut supra dictum est.

Leges & plebiscita anteā edita , suam vim in hoc tertio statu retinuerunt , nisi ipsi aliquatenū novo aliquo jure derogaretur. Cæterū potestas legis novæ condendæ penes Populum aliquamdiu permansit in hoc tertio statu , sicut & alia vestigia morientis libertatis , donec Tiberius Cæsar Comitia ē Campo ad Patres transtulit , id est à Populo ad Senatum , ut auctor est Tacitus lib. 1. annual. Namque , ut ait Suet. in Tiberio , hæc fuit Cæsarum astutia , ut Senatus potentiam augendo suæ servirent. Cessantibus itaque eo tempore legibus ac plebiscitis , Senatus jus facere cœpit , majore ut videbatur honoris auctoritate quam anteā , sed reverā longè minore potestate. Namque omnia plerumque ad nutum & orationes Principum constituebat. Unde fit ut idem jus dicatur sæpiissime & orationibus Principum , & decreto etiam Amplissimi Ordinis constitutum.

Habuit denique tertius ille status Imperii novam iuris speciem , videlicet constitutiones sive Principum placita ; cùm enim necesse esset Reip. per unum consuli , quia Senatus omnes provincias probè gerere non poterat , datum est summum jus Principi , ut quod constituisset ratum esset , d. l. 2. §. novissimè.

Ex his constitutionibus in unum collectis , quinque Codices fuerunt compositi , Gregorianus , Hermogenianus , Theodosianus , & duo Justiniani. Gregorianus à Gregoriano Jurisconsulto auctore sic dictus , continebat quamplurimas constitutiones Principum ab Adriano Imp. usque ad Diocletianum & Maximianum Imperatores inclusivè , sicut appetet ex ejus reliquis. Hermogenianus codex ab Hermogeniano ejus auctore similiter nuncupatus , prioris dumtaxat supplementum fuisse videtur , cùm in fragmentis ipsius quæ supersunt solius Diocletiani constitutiones reperiantur. Codex denique Theodosianus constitutiones Imperatorum à Constantino Magno usque ad Theo-

dosum Juniores auctorem ejus complectebatur; cuius magna pars superest in Breviario, iussu Alarici Regis composito. Priorum vero Codicium paucissimas habemus paginas in eodem volumine. Verum apud Licinum Rufinum, & in consultatione veteris Juriſconsulti Leges alias quasdam ex his depromptas reperire est in eodem breviario. Justinianei deinde duo Codices ultimi fuerunt à Justiniano compositi, de quibus mox agetur.



## C A P U T I V.

*De Jure à Justiniano composito.*

**S**I quando sub ullo Cæsare fuit aliquod robur aut splendor Legum atque Imperii, id sanè sæculo Justiniani totum adscribendum est. Imperator enim ille clarissimus non solum de Vandals, Gothis, aliisque Barbaris insignes victorias reportavit, & fines Imperii latissimè propagavit, sed etiam universum Jus Romanum, quod ex tot Legibus, Plebiscitis, Senatusconsultis, Responsis Prudentum, Edictis Magistratum & Principum constitutionibus in tantam molem creverat, ut jam suâ magnitudine laboraret, vixque hominum vita illi perlegendō patēsse videretur; operā Triboniani composuit, & Leges illas innumerās, quarum nimia erat & inutilis dissontia, mirabili brevitate correxit.

Ejus autem quinque fuerunt opera. Primum opus fuit Codex Justinianus primæ prælationis editus anno salutis 529. & Imperii Justinianei tertio, & in duodecim libros, tamquam in duodecim tabulas, distributus. Isque Codex intra quatuordecim mentes peractus est, ut constat ex subscriptionibus duarum constitutionum de novo Cod. faciendo, & de Justiniano Codice confirmando.

In illum Codicem retulerat Justinianus omnes constitutiones quæ erant in tribus anterioribus Codicibus, quas volebat observari, prætermis rel quis, quarum superfluitas, aut contrarietas, aut iniquitas eliminanda videbatur. Inferuerat quoque eidem operi alias quasdam constitutiones à Theodosio & aliis subsequentibus Imperatoribus, & à se ipso etiam promulgatas, quæ Novelle antea dicebantur, eò quod de novo post editionem priorum Codicum promulgatae fuerant. Hujus Codicis fit frequens mentio in libello nostrarum Institutionum, ubi nos ad legendas ipsius constitutiones Imperator remittit sæpius. Hanc tamen Codicem hodie non habemus, quippe ab ipso Justiniano post Institutiones compositas abrogatum, ut ex sequentibus constabit.

Deinde vero, (quod est secundum ejus opus) ex Libris veterum Jurif consularum P A N D E C T A S sive D I G E S T A compositus, intra spatiū

trium annorum : incepit nimis 15. Decembris anni salutis 530. & confirmavit opus illud 16. Decembris anni 533. ut constat ex subscriptionibus Constitutionum in toto tit. C. de Vet. Jur. encl. Dicuntur P A N D E C T A à Græcis Vocibus πᾶν καὶ δέκατος id est totum continere , eò quod totum Jus continet , vel saltem omnia Prudentum responsa. Dicuntur verò Digesta sive libri Digestorum , quia Responsa variorum Prudentum sunt digesta in ordinem certum , & sub communes quosdam titulos redacta. Vel fortè quia plerique Libri Jurisconsultorum quos Justinianus fecerunt est , & maximè Juliani opera , qui edictum perpetuum composuerat , Digestorum nomine appellabantur , sicut apparet ex indice librorum Pandectis praefixo.

Si quis quæsierit quare hic liber hâc notâ vel siglo ff. soleat designari ? Respondeo , hoc invaluisse videri vel propter voluntatem Notariorum , qui plerumque in notis suis effingendis ratione carent , vel etiam propter similitudinem hujus duplicitis litteræ ff. cum hoc siglo ፪ quod significat Pandectas , quâ similitudine veteres Librarii facile decipi potuerunt.

Tertium opus Justiniani fuerunt Institutiones , quas confici curavit ex omnibus antiquorum Institutionibus , & præcipue Caïi Jurisconsulti , quæ runc temporis in scholis prælegi consueverant , ut patet ex Constitutione ad Antecessores.

Quartò , compositus idem Imp. Codicem Justinianum repetitæ prælectionis quo solo nunc utimur , & confirmavit 16. Decembris anno 534. ut liquet ex constitutione de emendatione Codicis , in quem Librum Justinianus priorem suum Codicem transfudit , additis quibusdam Novellis suis constitutionibus ; & quinquaginta insuper Decisionibus , quibus veteris juris altercationes placavit , detractis insuper ex priori Codice quibusdam constitutionibus , vel immutatis.

Quinto denique , Novellas suas constitutiones Græcè edidit , in novem collationes divisas. Quæ Novellæ constitutiones à novitate dicuntur , quia post Codicem repetitæ prælectionis de novo editæ sunt ; & appellantur etiam Authenticæ , non quod illud nomen Justinianus eis tribuerit , sed quia interpretatione illa Latina prædictarum Novellarum , ita veteribus Jurisconsultis placuit præ ceteris ejus temporis interpretationibus , ut illas Novellas Latinas ; Authenticas vocarent , quasi non interpretatione , sed authenticum ipsum opus esse viderentur.

Ex his Novellis quasdam particulas Irnerius decerpit , & Codicis legibus ac titulis inseruit , quibus Jus Codicis emendatur , restringitur aut ampliatur. Novellis possumus adnumerare edicta Justiniani , quæ novissimè composita & promulgavit ; nec-non etiam Libros de usibus Feudorum , qui libri decima collatio nonnumquam ab Interpretibus nuncupantur. Quin imò ex his quædam Authenticæ depromptæ sunt , & in Codicem sparsæ.

## C A P U T V.

*De statu Juris Civilis post Justinianum Imperatorem.*

**J**us Civile Justinianum tot vigiliis collectum & tanto labore compositum, cum ipso Justiniano penè sepultum fuit. Valuit quidem aliquamdiu sub Justino, Tiberio & Mauricio proximis ejus successoribus. Sed postquam Phocas ignavus Princeps, occiso crudeliter Mauricio, suscepit Imperium, anno salutis circiter sexcentesimo, languere Leges atque arma Imperii cœperunt. Verum Basilius Makedo Imperator circa annum 867. & filius ejus Leo Sophus, nec-non etiam Constantinus Porphyrogeneta ejus nepos, libros sexaginta Basiliacum Græcè ediderunt, & editos repurgarunt. In quem librum, totum Jus à Justiniano compositum retulerunt: idque Jus in Oriente valuit usque ad finem Imperii Orientalis, & capram à Turcis Constantinopolim.

In Occidente verò Justinianæ Leges diu delituerunt penitus neglectæ propter varias Barbarorum irruptiones; donec Lothario II. imperante, qui Saxonicebatur, Vernerius seu Irnerius Justinianam Jurisprudentiam restituit, & authenticas Codici inseruit, ut supra dictum est. Ex ejus schola prodierunt magni Viri, Bulgarus, Martinus Placentinus, & Azo magni Accursii Glossatoris Praeceptor. Magnum voco Accursium; quia licet quadragenarius iuri operam data cœperit, suo tamen ingenio ac labore tantum profecit, ut perpetuas glossas in universum Juris corpus ediderit, quæ non modicam obtinent auctoritatem.

## C A P U T VI.

*De usu Juris Civilis in Regno Galliæ.*

**L**EGES Romanas Gallia nostra suscepit, propter insignem earum aequalitatem; non quidem ratione imperii, sed solo imperio rationis; quia potentissimus Galliarum Rex in temporalibus superioribus non agnoscit, *cap. per venerabilem, ext. qui filii sunt legitimi.* Distinguenda tamen sunt in Gallia Provinciarum genera duo; quarum aliae Jure civili Romanorum utuntur, & appellantur, (*Pais du Droit écrit*) quæ sunt quatuor, subditæ nimisq[ue] quatuor Parlamentis, Tolosano, Burdigalenti, Aqui-Sextiensi, & Gratianopolitano. Aliae verò jure non scripto ac municipaliter utuntur, & appellantur (*Pais des Coutumes, Pais du Droit Coutumier.*) Verum Juris notitia in his quoque regionibus est pernecessaria, non solum ad eas causas dirimendas, quæ ex Provinciis Juris scripti illuc deferuntur, sed etiam ad consuetudinum illarum interpretationem, usum & supplementum.



## C A P U T V I I .

*De libris Juris Civilis, ejusque citationibus.*

**J**UVAT hic corollarii vice libros Juris Civilis recensere, & modum in citandis eorum textibus ac locis observandum exponere. Quia cum Jurisconsulti erubescant sine *Lege* loqui, nihil est usu citationum magis frequens aut necessarium.

Libri Juris Civilis præcipui sunt, prædicti quatuor à Justiniano compositi, videlicet Pandectæ sive Digesta, Institutiones, Codex repetitæ prælectionis, & Novellæ. Pandectæ continent responsa Jurisconsultorum, quibus tanta de Jure respondendi facultas concessa fuerat, ut Judici recedere ab eorum responsis non liceret. † Institutiones sunt 1. legum cunabula totius legitimæ scientia prima elementa, quas Græci appellarunt *Iustitia*: unde factum arbitror ut aliqui Latini interpres parum Latinè eum librum appellaverint *Instituta*; quo nomine propriè sumpto significantur mores consilio & ratione sumpti, *Laur. Valla lib. 4. Eleg. cap. 1. & §. & non ineleganter Inst. de jur. nat. gent. & civil.* Tertius liber est *Codex Justinianæ repetitæ prælectionis*, Institutionibus nostris posterior, qui constitutiones Imperatorum complectitur, tam veteres illas quæ prioribus quatuor Codicibus continebantur; quam novas quasdam postmodum editas, ut antea expositum est. Quartum denique librum appellamus **N O V E L L A S**, quæ in novem collationes dividuntur. Quibus libris Justinianæ additi sunt libri de usibus Feudorum, qui decimam collationem constituunt, & Juris civilis partem faciunt, ut suprà diximus.

In allegandis textibus Digestorum, & priorum novem librorum Codicis, quæ duo opera similiter secundum ordinem editi perpetui composita sunt, cavyendum est ne designemus numerum libri, aut numerum tituli, in quo Lex citata continetur, sed numerum dumtaxat aut 1. verba legis aut paragraphi, aut utrumque simul: quod etiam servandum est cum laudantur textus Institutionum. Illud proprium est & singulare in citationibus Pandectarum, ut sapientius hæc vox **D I G E S T I S**, & ejus nota (ff.) intelligantur, licet id expressum non sit; in Codice vero & cæteris libris similis omissione vitanda est. In tribus autem posterioribus libris Codicis hoc est specialiter advertendum, quod debet allegari numerus libri ex quo locus citatus depromptus est. Cæterum & glossa & veteres Juris Interpretes solent in citationibus omittere vocem **L E G I S** & notam ejus (L.) quæ omnia ex sequentibus exemplis manifeste innotescunt.

*L. si mulier 59. §. ex aſſe, ff. de jure dot.*

*De jure dot. si mulier, §. ex aſſe.*

*L. 15. C. de patr.*

- L. Qui accusare, C. de edendo.  
L. i. C. de decur. lib. x.  
L. i. §. sexum de postulando.*

Novellæ denique Justiniani, quæ nullo ferè observato materiarum aut temporis ordine dispositæ sunt, allegantur cum sola numeri designatione, vel rubricæ: additur etiam interdum numerus collationis, v. g. hoc modo.

*Nov. 15. cap. 3. Vel  
Auth. ut cum de appell. cognoscitur, coll. 8.*

Authenticæ verò, quas Irnerius Codici inseruit, citantur sicut cæteræ leges Codicis ex primis verbis; nullo tamen addito numero, putâ.

*Auth. ex causa, Cod. de liber. preter.*

Hic non viderur omitendum Titulos sive Rubricas dividii in Leges; & Leges rursùm, quæ breves non sunt, subdividi in principium & paragraphos: ipsa denique principia & paragraphos in versiculos subdividi. In nostris quoque Institutionibus, Tituli dividuntur in principium & paragraphos.

Tituli dicuntur hoc loco inscriptiones generales quibus designatur materia quæ in contextu continetur, & dicti videntur à tuendo; quia tuentur & complectuntur omnia quæ sub illis continentur. Unde à Veteribus traditum est, Leges esse intelligendas secundum titulum sub quo posita sunt, quo sensu dicuntur congrui Tituli, qui convenienter textui, §. *Quibus specialiter in constit. de novo Cod. faciendo.* Contrà verò Leges appellantur fugitives, cum non convenienter titulo suo, cuiusmodi sunt quas Cujacius enumeravit lib. 3. obs. cap. 37.

Rubricæ nomine propriè intelligitur terra rubri coloris: invaluit tamen ut Rubricæ etiam appellantur Tituli, qui olim scribebantur rubris characteribus. Quo etiam sensu dicitur, nigrum explicandum esse secundum Rubrum, id est textus secundum titulum suum. Rubricarum quoque nomine Leges ipsas & responsa Prudentum Veteres significarunt propter rubrum illud initium: unde Pers. dixit Sat. 5. *Excepto si quid Mansuri Rubrica vetavit.*  
& Juven. Sat. 14. *Scribe puer, vigila, causas age, perlege rubras  
Majorum Leges.*

Ratio ejus coloris fuit, teste Isidoro lib. 1. Orig. cap. 3. quia ut ait Lucanus lib. 3.

*Phœnices primi (fame si creditur) ausi  
Mansuram ruidibus vocem signare figuris.*

Ideoque Scriptores ut acceptam referrent Phœnicibus inventionem litterarum, Phœniceo (id est rubro colore) titulos & præcipua rerum capita scribere consueverunt. Ex sola autem rubrica idoneum deducitur argumentum, quoties continet orationem & decisionem perfectam, v. g. *Quod quisque juris in alterum statuerit ut ipse eodemque utatur. Ne quis in sua causa judicet, vel ius sibi*

*dicat. Ut cause post pubertatem adsit tutor. Aliud dicendum est primò, si ratio rubricæ sit imperfecta, v. g. De statu hominum. 2. si dubium sine decisione contineat, v. g. An servus pro suo fatto post manumissionem teneatur. 3. Denique si careat juris auctoritate; idèque rubrica Digestorum, Codicis, & Institutionum allegari possunt in Jure civili, cum Justinianum auctorem habeant; qui Juris condendi procul dubio habuit potestatem, §. Quibus specialiter in consistit. de novo Cod. fac. quod non convenit titulis Novellarum, qui à Justiniano inventi & conficti non sunt, sed à Juris quodam studioso. Quod probari ex eo posse videtur, quod tituli editionis vulgatae, Juliani, Scrimgeri, Holoandri, & Cujacii maximè, a se invicem diversi sunt; idèque ab illis titulis Novellarum deducta argumentatio tuta non est, Cujac. lib. 20. obs. cap. 33. & ad Nov. 69.*

*Leges appellantur singula capita & centones Digestorum deprompti ex certo libro cuiusdam Jurisconsulti, Papiniani v. g. & Pauli. In Codice vero singulae constitutiones Principum Codici insertæ hoc nomine donantur; at vero Novellarum partes solo capituli vel paragraphi nomine designantur.*

Paragraphi propriè sunt certæ quædam sectionum notæ, quibus sensus unus ab altero distinguitur; ita dicti ab adscriptione notarum hujusmodi, quæ in modum literæ (P) inversæ hoc modo (¶) vel duplicitis (S) conformatur (§); quo siglo videtur sectio designari. Verum principium Legis in ff. & C. aut initium Tituli in libris Institutionum, nullâ umquam simili adscriptione munitur, quia per se aliunde satis patet. Hoc igitur paragraphi nomine intelligitur sectio aliqua vel pars Legis in ff. & C. vel pars tituli à principio distincta. Rursus principium Legis aut Tituli, & paragraphi subdividuntur in versiculos.

*Versiculi sunt singulae clausulae & partes principii vel §. longioris, (vox diminutiva quæ a Versu denominatur;) citantur autem Versus hoc modo:*

*§. Si quis agens Vers. locum de actio. ap. Justini.*

*L. I. §. sexum Vers. ne contra, ff. de postul.*

Superioribus libris Juris Civilis alios addere possumus, qui non modicam continent auctoritatem. Et 1. quidem Leges 12. tabularum tamquam fontes universi Juris publici & privati. Ab his proximus videtur Codex Theodosianus cum reliquis Veterum fragmentis, quæ supersunt in Breviario Alarici; cuiusmodi sunt, Caïi Institutionum Epitome; Ulpiani liber singularis Regularum, qui etiam appellatur fragmenta Ulpiani; Pauli receptæ sententiæ, Codices Gregorianus & Hermogenianus, Collatio Legum Judaicarum & Romanarum, quæ auctorem habet Licinium Rufinum, Consultatio veteris Jurisconsulti, & Notæ juridicæ. Ex quibus omnibus libris sèpius necessarium est haurire & expiscari verum ac legitimum sensum multorum textuum, qui in libris Justinianis continentur. Tertiò denique prætermittenda non videntur Græca volumina, quæ dicuntur Basilica, quæque ad illustrandum Jus nostrum non parùm conferunt; ita ut Græcis quibus primam debemus Legum nostrarum originem, interpretationem quoque & textus puritatem sèpissime debeamus.



# PRO O E M I U M

## IMPERATORIS JUSTINIANI.



U A M V I S Seneca non probaverit quod Platonis Legibus adjecta principia sint , nihilque frigidius ei esse videatur , nihilque ineptius , quam Lex cum prologo epist. 94. Monet ( inquit ) *dic quid me velis fecisse , non disco , sed pareo :* non est tamen arguendus Imperator noster , quod procmio usus sit in hoc suo Legum opere ; quia , *ut monet Caius l. i. de or. jur.* præfationes istæ libentius nos ad lectionem propositæ materiæ perducunt ; & cum ibi venerimus , evidenter præstant intellectum . Dissensit certè à Seneca Muretus ad d. locum . Verum æquiū melius arbitror id verum fateri , quoties agitur de Lege dumtaxat observandâ ; quæ perspicua sit ; non verò cum queritur de docenda aut interpretanda Lege , sicut accidit hoc loco . Idque videtur Seneca ipse innuere his verbis , *non disco , sed pareo .*

Hanc igitur orationem Procmium appellamus , non confirmationem , quamvis à Theophilo vocetur *η διάταξις η βεβαιωσα τα Instituta* , constitutio confirmans Institutiones ; & à summo Antecessore *ενσασις* , non *ενορθισιον* . Eaque appellatio primùm probatur auctoritate Justiniani , qui Procmii nomen ipsi tribuit , *L. 3. §. sed cum oportebat , C. de vet. jur. encl.* Præterea non potest negari , quia omnes partes & omnes artes Procmii contineat . Procmium enim seu exordium , ( ut aint Rhetores , quibus procul dubio credendum est in arte sua ) est oratio animum auditoris præparans ad reliquam dictiōnem . Quod ut fieri possit , debet animus auditoris reddi benevolus , commemorando merita nostra , & refutando præjudicia nobis opposita : debet insuper fieri attentus , proposita utilitate , dignitate & magnitudine rei de qua acturi sumus : debet denique brevi aliquā divisione & materiæ propositione fieri docilis . Quæ omnia fuisse in hac oratione servata legentibus manifestum fieri . Ex epigraphe denique & conclusione id videtur perspicuum . Epigraphe sit *cupida legum iuventuti* ; ut discat scilicet , sicut constitutio de ratione ac methodo Juris docendi ad Antecessores scribitur , ut doceant : Confirmationes verò Digestorum &

Codicis inscribuntur ad Senatum & omnes Populos ; vel ad Mennam Præfectum , Prætorio ut eas leges sequerentur , observaretur , & observari curarentur. Conclusio verò , ( ut verba ipsa docent , ) nullum ad alium scopum tendit ; quam ut juvenes attentos hujus libri lectioni ac studio efficiat. His rationibus & auctoritatibus convinci videtur , huic orationi proæmii nomen maximè convenire. Rationibus autem , quibus nititur contraria sententia , ad §. penultimum infrà respondebitur.

Tria sunt in hac oratione , quæ interpretationem exigunt , inscriptio , tex-  
tus , & subscriptio.



## IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

**I**MPEATOR Cæsar Flavius Justinianus , Alemannus , Got-  
thicus , Francicus , Germanicus , Anticus , Alanicus , Vandalicus , Africanus , pius , felix , inclytus , victor ac triumphator ,  
semper Augustus , cupidæ Legum juventuti. [ S. D. ]

### AD INSCRIPTIONEM.

Profitetur Imp. in 1. limine , se *In nomine Domini* , id est quasi procurato-  
rem ac gestorem negotii sibi à Deo mandati , Institutiones istas nobis offerre :  
unde colligere est hoc opus à nobis ita accipendum esse , quasi Deus Opt. Max.  
nobis illud offerret , arg. 1. quod meo in pr. de acqu. poss. unde constat non eum  
possidere , qui alieno nomine possidet ; sed eum cuius nomine possidetur. Nos  
itaque ( juxta elegantem illam glossæ adnotationem *ad inscriptionem similem*  
*Nov. 1. Joan. Fabri ad hunc locum* ) admoneri videmur , ut similiter , *In nomine  
Domini* , & ad gloriam ipsi tribuendam , ( qui est unicus scopus omnium ejus ac-  
tuum , ) fideliter & alacri animo , huic studio incumbamus : memores consilii  
ab Apostolo traditi *ad Coloss. cap. 3.* Omne quodcumque facitis in verbo aut in  
opere , omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi. Atque ita Deo propitio  
cum talenti nobis traditi , ac villicationis nostræ nobis reddenda erit ratio ,  
devitabimus atrocem illam summi Judicis reprehensionem ac sententiam : *Tu  
scientiam repulisti ; & ego te repellam.*

*Imperatoris* nomen assumit hoc loco Just. nec non etiam alias Imperatoriæ  
Majestatis notas , ut omni gloriæ sui pompâ circumcinctus jura nos doceat. Un-  
de erudimur quanti fieri à nobis debeat , legum scientia , quæ tanto gloriatur  
Auctore. Illi tituli , vel tribuuntur dignitati , vel victoriis , vel populi aut Senatus  
acclamationibus. Sunt autem dispositi servato ritu Romanorum , circa ordinem

prænominis; nominis; cognominis, & agnominis. Dignitati tribuendum; quod Imperator, Cæsar & Flavius appelleatur Justinianus. Imperatoris nomen non sumitur hoc loco pro Duce exercitus; ut sit in §. servi autem j. de jure person. non etiam pro cognomento ac titulo quodam honorifico, quem exercitus vel Senatus tribuebat ei, qui magnum aliquem hostium numerum profligasset, sed pro Principe Senatus ac Populi Romani. Omnes enim Julii Cæsaris in Imperio successores ita appellari voluerunt, exemplo Principis illius, cui decreto Senatus id prænomen perpetuum concessum fuerat, ut constat ex Suet. & Dione in ejus vita: ceteris autem Ducibus titulus ille in modum agnominis tribuebatur, v. g. Munatius Plancus Imperator, sicut apparet ex inscriptionibus litterarum apud M. Tull. lib. 10. & alibi passim.

Dixit præterea Justinianus se *Cæarem* communi nomine omnium Imperatorum. Cum enim quinque Imperatores, qui Julio Cæsari proximè successerunt, familia aut adoptionis jure hoc nomen obtinerent; ceteri deinceps hoc nomine usi sunt. Unde & Just. Nov. 3. Apud omnes (inquit) terræ populos, nominatissimum est Cæsaris nomen; & nos præter alias omnes Imperatoria Majestatis notas eo gloriamur. Est & alia hujus nominis notio huic loco non conveniens, quod Cæsar dicatur hæres Imperii designatus & præsumptus, qualis est hodie in Gallia Maximus Princeps Delphinus. Quo sensu Spartianus ait *Ælium Verum fuisse primum Cæarem*. Post *Ælium Verum Valerianus quoque Galieni filius*, simili sensu dictus est Cæsar, l. 15. *Cod. de pæt.*

Dicitur insuper idem Imp. noster F L A V I U S, non quod esset ex nobili Flaviorum familia, non quod esset flavi coloris, aut quod populos Flavios deviceret, ut somniavit Accursius; sed quod Imp. Constantinus novæ Romæ conditor, & Bysantii restaurator, ex gente sua ita appellaretur: cujus exemplo ceteri deinceps ejus successores id nomen quali gentilitium usurparunt, ut apparet ex Pomponio Lato.

*Justiniani* nomen ejus Imperatoris proprium fuit, non ut creditit Accurs. adscititum à Justino patre ipsius adoptivo. Constat enim ex Fastis Consularibus, Justinianum scribi Consulem cum Valerio, anno 3. Imperii Justini: cùm tamen ejus adoptio facta non fuerit, nisi anno 9. ejusdem Imperii. Præterea hic erat usus Romanorum in adoptionibus, ut filius nomen patris adoptivi integrum retineret, absque ulla omnino ipsius immutatione. Suum verò nomen adoptatus immutabat & inflectebat, si illud retinetet: Cognomen denique si retinetet, nihil ex eo mutabat. Atque ita M. Junius Brutus, postquam illum adoptasset Qu. Servilius Cœpicio Agalo, cœpit nominari Qu. Servilius Cœpicio Agalo Brutus. Octavius vero adoptatus à C. Julio Cæsare, post adoptionem appellari cœpit C. Julius Cæsar Octavianus. Pomponius vero Atticus adoptatus a Quinto Cæcilio, dictus est Quint. Cæcilius Pomponianus Atticus. Ex his sequitur Imp. nostro Justini, potius quam Justiniani nomen convenire, si ratio adoptionis habeatur; quod falsum esse nemo ambigit.

Victoriis suis debet Justinianus, quod Alemannicus, Gothicus, Francicus, Germanicus, Anticus, Alanicus, Vandalicus, & Africanus nuncupetur; renovato Veterum more, qui de vocabulis devictarum gentium nomina sumebant. Neque hoc cognomen Germanici arbitror coincidere cum nomine Germanici infra subiecto. Duplicem enim victoriam designat Imp. hoc duplicit

nomine , & duplicem populum. Alemanni certè Suevis in Germania finitimi ; cùm à Clodovæo Rege Francorum subacti fuissent , Rege amissio ad Theodoricum in Italiam confugerunt , *Cassiod. lib. 11. Ep. 41.* idque luculenter convinxit locus ille Ennodii in Panægyrico Theodorici Gothorum Regis. *Quid,* quòd à te Alemannia generalitas intra Italia terminos , sine detimento Romane possessionis inclusa est ; cui evenit habere Regem , postquam meruit perdidisse. Unde conjicere possumus eosdem Alemannos in gratiam præstiti beneficij , Gothis adversus Duces Justinianæos , in Italia prælantibus , auxiliares copias adduxisse , & simil cum ipsis fuisse devictos ; Germanos quoque Francis vicinos , qui à Theodeberto Rege Mediomaticum adversus eosdem Duces missi fuerant , pariter quoque cum ipsis fuisse profligatos conjici potest.

Gothicum se , Anticum , Alanicum , Vandalicum & Africanum appellat , nec immeritò ; cùm Gothos per Belisarium & Narsatem Ducem pluribus præliis vicerit , & de ipsis Regibus triumphaverit ; Antas verò Duce Chilidibio Thraciæ Præfecto , circa Danubium in Illyrico sæpius fuderit , *Procop. lib. 3. de bello Goth.* Vandalos denique & his mixtos Alanos Duce Belisario domuerit , & Africam ab eorum tyrannde liberatam , Imperio Romano restituerit. Sed Francicum se dicere non potuit , cùm de Francis nullam tempore conditæ hujus orationis victoram reportaverit. Quin etiam Franci duos exercitus , qui erant in procinctu , Romanorum scilicet & Gothorum , unâ die fuderunt. Non tamen diffiteor quin Narses reliquias quædam Francorum militum per Italiam vagantes oppresserit longo tempore post Institutiones compo-sitas.

Publicis denique acclamationibus debet Justinianus quòd dicatur Pius , Felix , inclytus , victor ac triumphator semper Augustus. Pii agnomen exemplo Imp. Antonini ei tributum est *Nov. 48.* qui eo Scipionis effato sæpissime utebatur. *Malo unum civem servare , quam mille hostes perdere.* Felicem verò , inclytum , victorem ac triumphatorem se appellat more cæterorum Principum , qui titulis illis venerationem apud subditos , terrorem apud hostes , & gloriam apud omnes captabant. Augustus denique appellari videtur , non ab augendo imperio , ut credidit Accursius ; sed ad exemplum dumtaxat Imp. Augusti , qui primus ex sententia Munatii Planci , hoc nomine donatus est decreto Senatus ; èo quòd hoc nomen , sacrum aliquid præ se ferat : Augusta enim dicuntur loca augurio consecrata , *test. Suet. in Augusto.* A quo Principe ad cæteros ejus successores Augusti nomen pervenit. Sed singulari omnino ratione Justiniano nostro tributum est. Cùm enim id nomen sub persona Augustuli in Italia defecisset , Imp. noster post annos septuaginta illud feliciter renovavit , ut in Leone I. Pomponius Lætus memoriæ prodidit.

Cupidæ autem Legum Juventuti idèo suum opus dicavit Imperator , quia juvenes discere debemus , quod nobis senibus prodesse possit : 2. quia Jurisprudentiam addiscere longum est opus , quòd ab ineunte adolescentia , quam primum suscipi debet. 3. Denique quia juvenes senioribus dociliiores esse creduntur.

#### A D C O N T E X T U M P R O O E M I I .

Contextus hujus Proœmii tria continet. Primo enim reddit Imp. rationem sui

sui instituti in ferendis atque ordinandis legibus. 2. Refert quomodo & quo ordine varios Juris libros & præcipue Institutiones ediderit. 3. Denique ad accuratam eorum lectionem studiosos Juris hortatur.

## Ad princ.

**I**MPEATORIAM Majestatem non solum armis decoratam ; sed etiam legibus oportet esse armatam : ut utrumque tempus , & bellorum & pacis , recte possit gubernari ; & Princeps Romanus non solum in hostilibus præliis victor existat , sed etiam per legitimos tramites calumniantium iniuitates expellat : & fiat tam juris religiosissimus , quam vicitis hostibus triumphator [ magnificus . ]

Ut instituti rationem reddat , assertit Just. officium Imperatoris esse , ut non solum armis hostes subigat , sed etiam legibus constitutis subditos suos pacis tempore moderetur ; & per legitimos tramites calumniantium iniuitates expellat , id est eorum qui litem perperam aliis inferunt , aut recte sibi illatam ingenii subtilitate deludunt . Sed si cui forte mirum videatur , quod Just. tribuat legibus , quod armorum propriam est ; & vicissim armis , quod solis legibus convenit , dum ait , *Imperatoriam Majestatem non solum armis decoratam , sed etiam legibus oportet esse armatam* ; sciat id suis rationibus & defensionibus non carere . Potuit enim sic verba disponere ad vitandum cacophaton , id est duram auribus pronunciationem ; vel ut ostenderet leges armis , & vicissim armata legum præsidio indigere , *sicut dicitur in pr. constitutionis de Just. C. confirmando* ; vel per figuram quæ dicitur chiasmos , in qua duobus verbis positis , alia duo mutuatis vicibus adjunguntur : ita ut quod uni convenit , alteri tribuantur ; & vicissim , ad similitudinem græcæ literæ ( X ) quæ est sententia summi Antecessoris ; vel denique ex metaphora receptissima apud Latinos . Miles liquidem ornatus pro armato dicitur *apud Festum in voce , ornatus , & ornamenta sumuntur pro armis apud Suet. in Tito cap. 9. & in I. I. c. depos.* Ex diverso quoque advocati dicuntur militare *I. 14. C. de advoc. divers. judic.* unde mesrito incertus auctor in Panegyrico Pisonis :

Licet exercere togata  
Munera militie ; licet & sine sanguinis haustu  
Mitia legitimo sub Judice bella movere.

Dixi per legitimos tramites , id est per vias legibus constitutas (*par les voyes de Droit* , ) qua de re agetur Deo favente *in titulo infrâ de pœna temere litigantium.*

## Ad §. I.

**Q**UORUM utramque viam cum summis vigiliis , summaque providentia , annuente Deo , perfecimus . Et bellicos quidem

( i )

sudores nostros Barbaricæ gentes sub juga nostra redactæ cognoscunt : & tam Africa , quām aliæ innumeræ Provinciæ , post tanta temporum spatio , nostris victoriis à cœlesti numine præstis , iterum ditioni Romanæ , nostroque additæ Imperio , protestantur. Omnes verò populi legibus tam à nobis promulgatis , quām compositis , reguntur.

Utroque loc munere Imperatoris se perfundum fuisse contendit Justinianus , sed non sine singulari Dei præsidio , & sine summis vigiliis. Atque ita suo exemplo nos docet , si quid nobis prosperè acciderit , divinæ clementiæ id totum esse tribuendum , nec fieri posse res arduas sine magnis laboribus ac vigiliis ; ideoque elegantes Accursii versus subjungo.

*Si quis fortè velit Jurisconsultus haberi ,  
Continuet studium , velit a quocumque doceri ;  
Invigilet , nec vineat eum tortura laboris ,  
Fortior insurgat , cunctisque recentior hori ,*

Victorias Justiniani iterū recensere , necessarium non arbitror ; quia entratiōne epigraphes satis superque fuerint expositæ.

Nec solum Barbaros profligavit Just. noster , sed etiam barbariem ipsam ; hoc est legum confusionem , adjuvantibus Triboniino , Theodoro , aliisque clarissimis viris ; ideoque meritò contendit , omnes populos orbis Romani regi legibus suis à se promulgaris , vel legibus anteriorum Imperatorum vel Jurisconsultorum à se compositis , & in ordinem digestis.

### *Ad §. Cùm sacratissimas.*

**E**T cùm sacratissimas constitutiones , anteà confusas , in luculentam ereximus consonantiam ; tunc nostram extendimus curram ad immensa veteris prudentiæ volumina ; & opus desperatum , quasi per medium profundum cuntes , cœlesti favore jam adimplivimus.

Hanc autem legum editionem ita peregit Imp. ut primò constitutiones Principum sacratissimas , anteà confusas , in Codicem i. prælectionis referret ; tum deinde Responsa Prudentum in quinquaginta libros Digestorum redigeret. Confusas appellat Principum constitutiones ; quia erant dissidentes , nec in congruum ordinem digesta. Sacratisimas autem nuncupat , quia cùm Princeps vivam in terris divini Numinis imaginem obtineat , ejus iusta pro craculis ha-

benda sunt ; atque ideo tamquam sacras , Principis leges venerari debemus. Est & altera ratio propria Imperatorum Romanorum , quod Tribunatum perpetuum obtinerent. *Tacitus lib. 1. hist. or.* Certum autem est Tribunorum plebis personam apud Romanos sacram fuisse : ideoque mons ille , in quo primum Tribuni plebis creati sunt , Mons Sacer fuit appellatus. Digestorum opus desperatum vocat propter ingentem librorum multitudinem qui fuerant a prudentibus compositi : erant enim tria millia librorum & tricies centena millia versuum ( *trois millions :* ) tum etiam quia & Julius Cæsar & Qu. M. Mutius & alii clarissimi viri hoc opus frustra tentaverant , *Suet. in Julio, & l. 2. §. post hos, ff. de or. jur.*

*Ad §. Cumque hoc.*

**C**UM QV B hoc , Deo propitio , peractum est , Triboniano viro magnifico , magistro , & exquæstore sacri palatii nostri , [ & exconsule ] nec non Theophilo & Dorotheo , viris illustribus , antecessoribus , quorum omnium soleritiam , & legum scientiam , & circa nostras iussiones fidem , jam ex multis rerum argumentis accepimus ) convocatis , mandavimus specialiter , ut ipsi nostrâ auctoritate , nostrisque suasionibus , Institutiones componerent : ut lieceat vobis prima legum cunabula non ab antiquis fabulis discere , sed ab Imperiali splendore appetere : & tam aures quam animi vestri , nihil inutile , nihilque perperam possum , sed quod in ipsis rerum obtinet argumentis , accipient : & quod priore tempore vix post quadriennium [ prioribus ] contingebat , [ ut tunc constitutiones imperatorias legerent ] hoc vos à primordio ingrediamini , digni tanto honore , tantaque reperti felicitate , ut & initium vobis & finis legum eruditionis à voce principali procedat.

Post editionem Codicis & Pandectarum , Justinianus noster Institutiones in gratiam juventutis composuit. Cùm enim agnoscet animos juvenum , qui ad primam legum audientiam veniunt , majorem aliquam doctrinam portare non posse , ut ipse ait in *leg. 3. §. 11. Cod. de vet. jur. encl.* præcepit Triboniano Quæstori suo , Theophilo Antecessori Constantinopolitano , & Dorotheo Antecessori Berytiensi , quorum fidem & sapientiam exploratam habebat ; ut prima legum cunabula & totius legitimæ scientie prima clementia componerent auctoritate ipsius : ad hoc ut juvenes principia juris disserent , non ab antiquis fabulis , sed ab ipso Principe. Antiquas fabulas appellat hoc loco ius obsoleturn & abrogatum , ut recte Theoph. noster. Quo sensu D. Paulus in *Ep. ad Titum , cap. 2.* Judaicas fabulas appellat antiquam legem Judæorum , & falsas eorum traditiones. Igitur hoc nomine omne ius antiquum intelligendum non

est, sed tantum antiquatum, sicut appareat ex §. in quibus infrà eod. Ait Imp. totius legitimæ scientie. Unde convincitur non rectè hoc opus à Theoph. appellari Institutiones Digestorum.

Addit Imp. nihil inutile nihilque perperam positum in hoc opere contineri; sed illud tantum, quod in ipsis rerum obrinet argumentis. Ideoque de jure antiquo vita & necis, quod patribus in liberos competebat, non agitur, neque de legibus Caducariis quæ jam fuerant abrogatae. Sed tamen sæpiissime necesse fuit Justiniano jus antiquatum referre, ut ex ea notitia juris, quod postea invaluit, veritas eluceret, cujusmodi sunt Lex Furia, & Lex Voconia.

Aliam insuper commendationem operis sui desumit Imp. ex eo quod juvenes possint ejus beneficio constitutiones Imperatorias legere, statim ab initio studii sui, & per lectionem earumdem constitutionum eidem studio finem imponere; ita ut Princeps eos tanti fecerit, ut voce suâ Augustâ, prima legum principia ac fundamenta, & summos etiam apices eos docere voluerit, quamvis prioribus studiosis vix post quadriennium contingenteret, ut eas constitutiones legere possent: sicut enim constat ex constitutione ad Antecessores, primo anno Caïi Institutiones legebant, & nuncupabantur Dupondii, quasi homines pretii vilissimi: anno 2. Edictales appellabantur, à Prætoris edicto, quod dicebantur nomen accipientes: anno 3. Papinianistæ dicebantur, eo quod Papiniani responsa legerent: anno 4. Lyta dicebantur, quasi solvendis jam quæstionibus idonei, & legebant per se Pauli responsa: quinto denique anno Prolytarum nomen sortiebantur, quasi Lytas eruditione superantes, & tunc demum Codicem constitutionum Imperialium per se quoque, id est sine duce & interprete intelligere conabantur. Verum Just. noster voluit studiosos anno primo vocari Justinianeos novos, abrogata prioris nominis ignominia; eisque Institutiones suas & alios quosdam libros Pandectatum tradi jussit. In reliquis deinceps annis supradicta nomina reliquit intacta, sed alium ordinem prælectionum instituit. Quæ omnia cum in præfata orat. ad Antecessores exprimantur, mirum est maximè quod Theoph. pro his verbis quibus utitur Imp. vix post quadriennium, &c. legere maluerit vix post triennium, μετὰ τριετῆ μόνις χρέον.

### Ad §. Igitur.

**I**GITUR post libros quinquaginta Digestorum seu Pandectarum, (in quibus omne jus antiquum collectum est, quod per eumdem virum excelsum Tribonianum, nec non cæteros viros illustres, & facundissimos confecimus) in quatuor libros easdem Institutiones partiri jussimus: ut sint totius legitimæ scientiæ prima elementa.

Tertiam operis laudem depromit à brevi operis divisione, quam fieri jussit in quatuor libros, quasi prima totius Legum scientiæ elementa: unde inferendum

videtur non reætè à Theophilo appellari *Institutiones Digestorum*, cùm ad unius  
versum juris corpus hæc elementa pertineant.

*Ad §. In quibus.*

**I**N quibus breviter expositum est; & quod anteà obtinebat, &  
quod postea desuetudine inumbratum, Imperiali remedio illu-  
minatum est.

Cùm autem metuendum videretur, ne legum auditores principiorum novi-  
tas deterretur, quia vetera principia exuere difficultimum & molestissimum est;  
ideò monet nos Imp. se fuisse antiqui juris conservandi maximè studiosum,  
& in his suis Institutionibus contineri jus quod anteà obtinebat, imò verò  
jus antiquissimum; cui cùm desuetudo, id est Prudentum interpretatio dero-  
gasset constitutiones Imperiales, pristinum splendorem restituerunt: cuius rei  
exemplum extat in §. ceterum infra de legit. agnat. success. & in §. ult.  
infra de libertinis.

*Ad §. pen-*

**Q**UAS ex omnibus antiquorum institutionibus, & præcipue  
ex commentariis Caïi nostri, tam institutionum, quām re-  
rum quotidianarum, aliisque multis commentariis compositas,  
cùm tres viri prudentes prædicti nobis obtulerunt: & legimus &  
recognovimus, & plenissimum nostrarum constitutionum robur eis  
accommodavimus.

Et ut manifestum sit hæc juris elementa præpollere veterum Institut. addit  
ea fuisse deprompta & composita ex omnibus veterum & maximè Caïi Inst. &  
sua insuper auctoritate ita fuisse corroborata, ut constitutionum vim ac potesta-  
tem obtineat. Eum autem Caïum appellat nostrum; non quod ei fuerit ami-  
cus qui aliquot sæculis ante eum Imp. natum deceperat; non etiam quod  
**N O S T R I** haberet cognomen, quod est ridiculum & divinatorium; sed quod  
illius Caïi operibus in hoc opere componendo maximè usus fuerit. Quo sensu  
**D. Hier.** in suo Prologo Galeato; Lege, inquit, primùm Samuel, & Melachim  
meum; Meum, inquam, meum. Quidquid enim crebrius vertendo & emenda-  
do, solliciriùs & didicimus & tenemus, nostrum est. Potest denique afferi ideo  
Caïum appellari nostrum, ab Imp. quod institutiones Caïi in scholis prælegi tunc  
temporis consueverant, §. 1. constit. ad Antec. **Nostrī**, itaque dicit Imp. pro  
**Vestri**, alloquens studiosos sui temporis, quibus maximè hoc opus dedicat;  
sicut & sapissimè alibi ait, monendi sumus, id est monendi estis, ut invidiosa do-  
centis auctoritas, lenitate verborum mitigetur. Sic etiam milites ab Impera-

toribus commititones dicuntur & conveterani, l. 1. de veteran. C. lib. 12.  
Tact. lib. 1. hist. & alibi passim.

Ex hoc textu elicetur, unicum argumentum existimantium orationi huic convenire solum confirmationis nomen non proæmii, quatenus ait Imperator se plenissimum constitutionum robur Institutionibus istis tribuisse. Verum hæc magis videntur fuisse dicta ad conciliandam attentionem lectoris, ut apparer ex conclusione quæ statim inde elicetur, quam confirmationis animo & modo. Idque probari videtur ex eo quod post mensem ab editione hujus orationis, videlicet die 15. mensis Decembris, Digesta & Institutiones confirmata fuerint ab eodem Just. l. 2. §. pen. & l. 3. §. pen. C. de vet. jur. encl. juncta subscriptione utriusque constitutionis; ubi Imp. statuit, ut à trigesima die ejusdem mensis, leges utriusque operis valere inciperent: nullum igitur robur Institutiones nostræ ante illud tempus habuerunt. Non tamen diffiteor, quin habuerit Just. animum confirmandi hoc opus suum. Verum dum edidit istam orationem, nullos confirmationis codicillos emisit, à quorum dumtaxat editione voluntas Principis vires habet, §. filiisam. inf. quib. mod. jus pair. pot. solvi. Quo etiam modo Just. ait se constituisse quod nondum sanxerat, sed intra paucos tantum dies postea constituit, §. ult. l. de hered. qual. & differ. ut adnotat Cujacius in suo Indice constit. Justiniani, quem notis suis ad Inst. adjecit. Ideoque videtur Theoph. noster omnium optimè hunc locum interpretari, ἵτε γνωσθειν τοις παρεστατησαι τοις ιχνοις φιλοτι μητρασαι: cognovit opus esse ut suum plenissimumque robur per constitutionem eis accommodaret.

Ex his constat, quanta fuerit Imp. nostri in condendo hoc opere sollicitudo atque prudentia, qui non solum præfatos Trium-viros, civilis Institutionis constituenda causâ elegit solertes, fidos, & in legum scientia maximè eruditos; verum etiam eis mandavit, ut nullum certum ex veteribus Jurisconsultis sequentur, ne forte studio partium commoti, minus perfectas juris auditoribus Institutiones componerent; sed potius ut collectis omnibus veterum Institutionibus, quidquid ex his utile & apertissimum & undique climatum, & rebus quæ in usu vertuntur consentaneum invenirent, hoc & capere studerent, & in his quatuor libris reponere, & totius eruditionis prima fundamenta atque elementa ponere, quibus juvenes suffulti, possint graviora & perfectiora legum scita sustentare, l. 2. §. sed cùm perspeximus, C. de vet. jur. encl. Quin etiam, quamvis virorum hujusmodi fides ac diligentia ipsi esset perspicue competra, præcavere tamen cupiens, ne quid insincerum aut crudum, aut minus elaboratum in juvenum animos irrepereret; oblatum sibi hoc opus legit, perpendit & recognovit; & cùm illud suis sensibus non indignum judicaret, voluit plenissimum robur constitutionum obtinere, l. 2. §. sed cùm perspeximus, & l. 3. §. sed cùm oportebat, C. cod. tit. Codicillis denique suis Imperialibus eniñis ad Señatum & omnes populos edixit, ut inciperent postmodum robur obtinere à tertio Kal. Januarias unà cum Digestis, quorum editionem & confirmationem interim remoratus fuerat, quamdiu Institutiones essent sub incude; forte ne Pandectæ prodirent imperfectæ & similes magno ædificio, quod januis & omni propemodum aditu caret.

## Ad §. ult.

**S**UMMAM itaque ope, & alacri studio has leges nostras accipite; & vosmetipsoſ ſic eruditos oſtendite, ut ſpes vos pulcherrima ſoveat, toto legitimo opere perfecto, poſſe etiam noſtram Rem-publicam in partibus ejus vobis credendis gubernari.

His ex omnibus cauſis Imp. nos ad alacre juris ſtudium adhortatur, ſpe inſuper proposita adiſpiceſci di Reip. dignitates, ſi totum opus legum strenue peregerimus. Simili quoque modo Valentinius Imp. in Nov. ſua de pafcul. mandat Praefecto Praetorio, ut inquirat de morib⁹, ſtudiis ac natalibus eorum, qui in Caſidicorum numero optant adjungi, hāc additā ratione. Etenim oportet eos, quos ſemel adſciveris in ſeminarium dignitatum, omnino ita eſſe ad omnia ædificatos, ut idcirco digni omnibus honoribus habeantur, quod Advocati eſſe meruerint. Non abſimili denique elegantiā Crassus apud M. Tull. lib. I. de orat. Pergite ( inquit ) ut faciatis, adolescentes, atque in id ſtudium in quo eſtis incumbite; ut & vobis honori, & amicis utilitati & Reip. emolumenſo eſſe poſſitis.

## A D S U B S C R I P T I O N E M.

D. C. xi. Kalend. Decemb. D. JUSTINIANO  
P. P. A. III. CONS.

Hæc ſubscriptio quæ ſiglis tantum & numeris expreſſa eſt, ſic debet legi per conſequentiā verborum. Datum Conſtantinopoli undecimo Kalendas Decembris, Domino Justiniano, perpetuo Auguſto, tertium Consule. Undecimus dies ante Kalendas Decembris eſt dies 21. mensis Novemb. Kalendæ enim ſunt prima dies cujusque mensis.

Neque ulla videtur ſabellæ cauſa cur aſſentiamur Illuſtriffimo Cardinali Baronio aſſerenti ad annum ſalutis 533. qui fuit annus 7. Imperii Justinianæ, hauc ſubſcriptionem noſtram eſſe mendofam, & legendum eſſe hoc loco xi. Kal. Januar. qui eſſet 22. Decembris; ita ut hoc proœmium juxta mentem ipſius factum ſit ſeptimā die poſt utramque conſtitutionem ſeu conſirmationem Pandectarum, quæ emiſſa eſt 17. Kal. Januarias ejusdem anni, id eſt die decimā-quintā Decembris. Nam praeter quād nullam ipſe afferat rationem vel auſtoritatē ſuę illius emendationis, ejus falsitas maniētē convincitur ex §. xi. utriusque illius conſirmationis, ubi Just. mentionem facit hujus noſtri proœmii: unde ſequitur, illud non fuiffe posterius utrāque prædictā conſtitutione de conſirmatione Digestorum.

Sunt qui ſigilum hoc PP. explicant Patre patria, Probabilius tamen arbi-

tror interpretari *Perpetuò*, quia Migno hoc signum ita interpretatus est in *Notis suis Juris*, ad calcem *Cod. Theod.* tum etiam quia huic voci *Augustus Antiqui* jungere solebant vocem *perpetuò*, vel *semper*; idque docet superior epigrapha & subscriptio, etiam l. 3. C. de *vet. jur. enucl.* neque invenitur usquam quod Justiniano id agnomen tributum sit *Patriis Patrie*, quod alioquin haud dubiè non prætermisisset in p̄fata inscriptione, aut saltē in alia alicubi adhibuisset.

Sigla dicuntur signa quæ sunt per singulares, sive (ut ait A. Gell. lib. 17. cap. 9.) singularias literas sine coagmentis syllabarum, quibus vox aliqua integrâ designatur, v. g. cum scribimus *J. C.* pro *Jurisconsultus*. Notæ vero specialiter appellantur ligna quæ nullam literam continent vocabuli quod designant: unde fit ut Notarius appelletur, qui illis siglis vel notis utitur. Exempla notarum multa suppeditant *Cujac. lib. 12. obs. cap. ult.* & *Seneca & Tyro M. Tullii libertus* in libris quos ea de re ediderunt. Ceterum licet usus ille siglorum & notarum plurimùta conferat ad celeritatem scripturæ; parum tamen commodus est propter obscuritates & ambiguities quas parit. Ideoque Justinianus prohibuit ne leges siglis in posterum scriberentur, sed tantum per literarum consequentias, l. 2. §. eamdem, & l. 3. §. eadem, C. de *vet. jur. enucl.*





I

# THEOPHILUS RENOVATUS,

S I V E

## LEVIS AC SIMPLEX VIA

# AD INSTITUTIONES JURIS CIVILIS.

L I B E R P R I M U S.

**J**N hoc Libro Imperator duo Judici & Magistratui necessaria exponit, virtutem scilicet, & scientiam; tria Juris objecta, nimurum personas, res, & actiones constituit, & personarum tractatum absolvit.

---

## T I T U L U S P R I M U S.

### D E J U S T I T I A E T J U R E.

*Ad Princeps.*

**J**USTITIA est constans & perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi.

D U O ad perficiendum optimum Magistratum requiruntur, Justitia, & Jurisprudentia. Justitia voluntatem ejus accedit, ut velit constanter jus

A

suum cuique reddere; ita ut non eum potentum favor, non propinquorum blanditiæ, non avaritia, non ambitio præceps ab officiis sui observatione dimoveant. Jurisprudentia vero intellectui suum lumen infundit, ut sciat iustum in omnibus causis ab injusto distinguere, & ut ait Pers. Sat. 4.

*Rectum secernere, ubi inter  
Curva subit, vel cum fallit pede regula varo.*

Justitia itaque est constans & perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi. Minus rectè videtur dici à Theoph. tribuens; neque enim necesse est ad hoc ut quis dicatur justus, quod constanter & perpetuo actus illius virtutis exerceat; sed sufficit quod jus suum cuique perpetuo velit tribuere in quacumque facti circumstantia; & quod in eo habitu constanter perseveret. Hæc dividitur à Philosopho in distributivam & commutativam. Distributiva est quæ præmia & pœnas distribuit, servata ut plurimum proportione geometrica, id est pro vario cujusque merito & dignitate. Justitia vero commutativa est dicitur illa quæ in controversiis dirimendis versatur, & jus suum unicuique tribuit, servata plerumque proportione Arithmeticæ, id est sine ulla distinctione meritorum cujusque personæ. Sumitur quoque saepè justitiae nomen pro æquitate, ut in l. 8. C. de judic. & in l. 1. in pr. ff. b. t. Äquitas autem est mens ipsa & quasi anima ac spiritus legis, quo stricti juris asperitas, habitatione circumstantiarum, contra verborum duritiem ac subtilitatem temperatur ac mitigatur. Verum id accipendum est de æquitate dumtaxat civili, quam Juris-Consulti probarunt, non de qualibet cerebrina & commentitia æquitate, quam sibi quilibet vult configere. Quamvis enim lex sit dura, ferenda est tamen, ideoque J. C. sic loquitur in l. 12. ff. qui & à quibus manum. lib. non fiant. Hoc perquam durum est, verum lex ita scripta est.

Ad §. I.

**JURISPRUDENTIA** est divinarum atque humanarum rerum notitia, justi atque injusti scientia.

**JURISPRUDENTIA** est divinarum atque humanarum rerum notitia, justi atque injusti scientia; id est scientia quæ in causis publicis & privatis iustum ab injusto secernit. Hæc juris nomine designatur in rubrica nostra. Quod ut elarius patet sciendum est quoad originem nominis, jus dictum videri per Apocopen quasi iustum. Nam & apud antiquos & teste Festo, hæc vox *jusfa* significabat *jura*, & revera jus nihil est aliud quam iustum naturæ vel hominum qui summam habent imperandi potestatem. Sed quoad originem rei, jus est à justitia appellatum, id est ab æquitate l. 1. in pr. ff. b. t. atque ideo iniqua hominum iusta & constituta jura cicenda non sunt vel putanda, sed illa tantum quæ de justitiae & æquitatis fonte manaverint, ut ait M. Tullius lib. 2. de Republica. Quo sensu ex mente ejusdem M. Tullii Philipp. 11. & passim in libris de legibus jus propriè sumptum est definiri potest constitutio omnis publica, imperans recta, & prohibens contraria.

Sunt & alia acceptiones juris, ut constat ex l. pen. ff. b. t. 1. enim jus accipitur pro eo quod semper æquum ac bonum est ut jus naturale, cujus funda-

mentum ac primum principium est ratio naturalis; ideoque omni tempore & loco commune est. 2. pro eo quod omnibus aut pluribus in quaue civitate utilie est, ut jus civile, quod oritur & pendet ex utilitate publica, ac proinde recte ab Horatio utilitas dicitur.

*Justi propè mater & æqui.*

Hæ sunt propriæ duæ acceptiones juris, nec aliter à superiore distant quam sicut species a genere. Species enim prior est iussum naturæ, posterior vero est iussum populi, vel similem potestatem habentis. Sequentes acceptiones minus propriæ sunt, saltem quoad vim vocabuli. 3. Jus dicitur pro eo omni quod à Prætore statuitur: quo sensu Prætor jus reddere dicitur etiam cum iniquè decernit, relatione scilicet facta non ad id quod Prætor facit, sed ad illud quod Prætorem facere convenit. 4. Jus appellatur locus in quo jus redditur ab eo quod fit in id ubi fit appellatione collata, ut cum dicimus in jus vocare. 5. Jus dicimus pro necessitatine sive coniunctione personarum, ut cum dicimus est mihi jus cognationis vel affinitatis cum Titio, filia sororis meæ adoptativæ mihi nullo jure conjungitur, §. fratriis inf. de nupt. 6. Jus sumitur pro arte boni & æqui, id est pro collectione præceptorum ad bonum & æquum pertinientium, l. 1. in pr. ff. eod. 7. pro eo quod quicunque jure debetur & quod jure cuique tribui debet, sicut in definitione Justinæ. 8. Denique pro facultate seu potestate jure ac legibus concessâ: quo sensu dicuntur esse homines sui vel alieni juris, id est suæ vel alienæ potestatis. Sumitur autem hoc loco nomen juris pro arte juris.

*Ad §. his igitur.*

**H**is igitur generaliter cognitis, & incipientibus nobis expōnere jura populi Romani: ita videntur posse tradi commodissimè, si primò levi ac simplici viâ, post deinde diligentissimâ atque exactissimâ interpretatione, singula tradantur: alioqui si statim ab initio rudem adhuc & infirmum animum studiosi, multitudine ac varietate rerum oneraverimus: duorum alterum, aut desertorem studiorum efficiemus, aut cum magno labore, saepe etiam cum dissidentia (quæ plerumque juvenes avertit) serius ad id perducemus: ad quod leviore viâ ductus, sine magno labore, & sine ulla dissidentia, maturius perduci potuisset.

**V**ERÙM quia in arte docenda nihil est magis necessarium quam methodus, ideo eam Justin. præscribit jura docentibus, alioquin posset interdum objici studiosis postquam in studio legum magnos labores sustinuerint. Magnis quidem passibus ad Jurisprudentiæ apices eos tendere, sed extra viam, ac proinde mirum non esse quod perexiguos progressus fecerint. De illa autem methodo in præfationibus nostris superius dicta, ad hujus § expositionem sufficiunt.

*Ad §. pen.*

**J**URIS præcepta sunt hæc: honestè vivere, alterum non lædere, suum cuique tribuere.

HUJUS juris sive attis præcepta omnia ad tria summa capita revocantur: honestè vivere, alterum non lædere, jus suum cuique tribuere. Primum quidem respicit personam nostram, ut ea quæ facta lædunt verecundiam & existimationem nostram, & generaliter quæ contra bonos mores sunt, neminem facere posse credendum sit *l. 15. ff. de condit. instit.* & ut contemplatione honestatis abstineamus interdum ab illis quæ licita sunt, quia non omne quod licet honestum est. *l. non omne ff. de reg. jur.* Secundum præceptum pertinet ad personam alterius, ne vitam alicujus, libertatem aut existimationem violemus. Tertium denique ad res alienas spectat, ut ab illis abstineamus, & ut reddamus quod alienum apud nos est.

*Ad §. ult.*

**H**UJUS studii duæ sunt positiones, publicum & privatum. Publicum jus est, quod ad statum rei Romanæ spectat. Privatum, quod ad singulorum utilitatem. Dicendum est igitur de jure privato, quod tripartitum est: collectum est enim ex naturalibus præceptis, aut gentium, aut civilibus.

DVO sunt causarum genera in quibus versatur & posita est universa jurisprudentia & omnis Juris-Consultorum solertia. Unum est causarum publicarum, & alterum privatarum. Unde fit ut jus in duas species sive positiones & partes dividatur, videlicet in jus publicum, & privatum. Jus publicum † est quod ad statum rei Romanæ spectat, idque in sacris, in Sacerdotibus & in Magistratibus consistit. Jus privatum † est quod ad singulorum utilitatem pertinet: subaudi tamen generaliter ad differentiam privilegii, quod † specialiter dumtaxat pertinet ad utilitatem singulorum, ideoque ita dictum est quasi privata lex, id est propria singulorum. Ad jus privatum referuntur dominia rerum, contractus & alia hujusmodi de quibus inter privatos sæpiissime disceptatur. Interdum autem jus quod privatum est, dicitur publicum comparatione factâ cum privilegio, privatorum contractibus & testamentis. Quo sensu dicitur iuri publico privatorum pactis derogari non posse *l. jus publicum ff. de pact.* Cùm autem totum illud jus privatum collectum sit ex naturalibus præceptis, gentium aut civilibus, inde fit ut subdividatur in jus naturale gentium, & civile.

# TITULUS SECUNDUS.

## DE JURE NATURALI GENTIUM, ET CIVILI.

*Ad Princ.*

**J**US naturale est quod natura omnia animalia docuit. Nam jus istud non humani generis proprium est; sed omnium animalium, [ quæ in coelo, ] quæ in terra, quæ in mari nascuntur. Hinc descendit maris, atque fœminæ conjunctio, quam nos matrimonium appellamus; hinc liberorum procreatio; hinc educatione. Videmus etenim cætera quoque animalia istius juris peritiæ censerri.

**N**O M E N juris naturalis tribus modis accipitur. 1. eam jus naturale proprie & strictè sumptum † est illud quod natura omnia animalia docuit, id est, quod in natura omnium animantium ita expressum est, ut similitudine quâdam hominibus cum brutis commune sit: sicut apparet in maris atque fœminæ conjunctione, liberorum educatione, & similibus qua homines faciunt rectâ ratione duce, bruta verò ex instinctu, & ita sumitur hoc loco. Educationis nomine non tantum intelligi debet alimentorum præstatio, sed etiam institutio & eruditio. Nam Aquila provocat ad volandum pullos suos *Deut. cap. 32.* & feles interdum domestici docent catulos suos victimum querere, & fugientem prædam saltu prendere: unde meritò ait Imp. cætera quoque animalia istius juris peritiæ censerri, id est peritiam habere. 2. accipitur nomen juris naturalis κατακρυστικῶς ut ait Theoph. id est abusivè, pro quocumque iure gentium, eò quôd à natura, sive naturali ratione procedat *sicut fit in §. singulorum inf. de rer. divis.* 3. denique pro illo iure gentium quod natura ab initio inter omnes homines constituit: eoque sensu opponitur iuri gentium, quod postea ex gentibus necessitatibus humanis constitutum est. Unde fit ut *in pr. inf. de libert.* libertas dicatur esse juris naturalis, servitus verò juris gentium.

*Ad §. Primum.*

**J**US autem civile à iure gentium distinguitur: quod omnes populi, qui legibus & moribus reguntur, partim suo proprio, partim communis omnium hominum iure utuntur. Nam quod quisque populus ipse sibi jus constituit, id ipsius proprium civitatis est, vocaturque jus civile quasi jus proprium ipsius civitatis. Quod verò naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes per-

æquè custoditur, vocaturque jus gentium, quasi quo jure omnes gentes utantur. Et populus itaque Romanus partim suo proprio, partim communī omnium hominum jure utitur. Quæ singula qualia sint, suis locis proponemus.

\* **J**us gentium † est quod inter omnes homines naturalis ratio constituit, & apud omnes gentes peræquè custoditur. Id subdividitur in primævum & secundarium. Jus gentium primævum † dicitur quod incorrupta naturalis ratio inter omnes homines constituit. Jus gentium secundarium † est quod post humanæ naturæ corruptionem usu & humanis necessitatibus id exigentibus gentes humanæ sibi constituerunt. Jus civile † est illud quod unaquaque civitas & unusquisque populus ipse sibi jus constituit: Unde sequitur jus naturale convenire omnibus hominibus, sed non solis; jus civile convenire solis non omnibus; jus gentium, & omnibus & solis.

*Ad §. Sed jus quidem civile.*

**S**ED jus quidem civile ex unaquaque civitate appellatur, veluti Atheniensium. Nam si quis velit Solonis, vel Draconis leges appellare jus civile Atheniensium, non erraverit. Sic enim & jus quo Romanus populus utitur, jus civile Romanorum appellamus: vel jus Quiritum, quo Quirites utuntur. Romani enim [ à Romulo, ] Quirites à Quirino appellantur. Sed quotiens non addimus nomen, cuius sit civitatis, nostrum jus significamus: sicuti cum Poëtam dicimus, nec addimus nomen, subauditur apud Græcos egregius Homerus, apud nos Virgilius. Jus autem gentium omni humano generi commune est. Nam usu exigente, & humanis necessitatibus gentes humanæ [ jura ] quedam sibi constituerunt. Bella etenim orta sunt, & captivitates secutæ, & virtutes, quæ sunt naturali juri contrarie. Jure enim naturali omnes homines ab initio liberi nascebantur. Et ex hoc jure gentium omnes penè contractus introducti sunt, ut emptio [ & ] venditio, locatio & conductio, societas, depositum, mutuum, & alii innumerabiles.

**D**IFFERUNT præterea jus gentium & civile à se invicem, quod jus civile nomen accipiat ex unaquaque civitate, atque ita Solonis & Draconis leges rectè dicuntur jus civile Lacedæmoniorum; & jus quod est proprium Romanorum appellatur rectè jus civile Romanorum; vel etiam simpliciter jus civile per excellentiam. Cæterum malè videtur hoc loco redargui Theoph. noster, quod dixerit Draconem Lacedæmoniis leges conscripsisse. Hæc enim verba supposititia esse probavit doctissimus Fabrotus ope manuscriptorum Codicium. Constat insuper Theoph. non ignorasse, Lycurgum fuisse legislato-

rem apud Lacædemonios ad §. I. sup. cod. Error igitur ille non Theoph. adscribendus est ; sed glossographo dumtaxat alicui imperito.

Jus gentium appellatur illud quod omnium hominum commune est, quia eo jure omnes gentes utuntur. Naturalis enim ratio quasi communis Legislator omnium hominum suas easdem toti orbi leges imposuit. Sicut autem ad jus gentium primævum refertur pietas erga Deum, parentes & patriam, l. 2. ff. de just. & jur. ita quoque ex jure gentium secundario, necessitatibus & virtutis hominum id exigentibus, orta sunt bella, servitutes & omnes penè contractus, emptio & venditio, locatio & conductio, matuum, depositum & alii innumerabiles. Diximus penè, quia quatuor sunt contractus juris civilis, stipulatio, emphyteusis, litterarum obligatio, & donatio propter nuptias, qui omnes propriis infra locis exponentur. Diximus præterea & alii innumerabiles, id est innominati, qui etiam incerti dicuntur, quia neque possunt nominari, cum plura sint negotia, quam vocabula l. 3. 4. & 5. ff. de præser. & in fact. att. neque etiam possunt numerari, cum ferè tot sint diversæ hominum voluntates, quot homines.

*Ad §. Constat.*

**C**ONSTAT autem jus nostrum quo utimur, aut scripto, aut sine scripto : ut apud Græcos τὸν νόμον ἡ μὲν ἐγραφεῖ, οὐ δὲ ἐγραφεῖται id est, Legum alia [sunt] scriptæ, aliae non scriptæ. Scriptum autem jus est lex, plebiscitum, Senatus-consultum, principum placita, magistratum edicta, responsa prudentum.

Jus illud civile Romanorum † subdividitur in scriptum & non scriptum. Jus scriptum † est quod expresso consensu populi Romani ; vel alterius qui vicem ejus populi gerit, constitutum est, ita dictum quod sine scripto non fiat : ejusque species sunt sex. Lex, Plebiscitum, Senatus-consultum, Principum placita, Magistratum edicta, Responsa prudentum, quas juris species expolaimus maximâ ex parte in Prolegomenis cap. 2. & 3.

*Ad §. Lex est.*

**L**Ex est, quod populus Romanus Senatorio Magistratu interrogante (veluti consule) constituebat. Plebiscitum est, quod plebs plebeio Magistratu interrogante (veluti Tribuno) constituebat. Plebs autem à populo eo differt, quo species à genere : nam appellatione populi, universi cives significantur, connumeratis etiam Patriciis & Senatoribus. Plebis auten appellatione, sine Patriciis & Senatoribus cæteri cives significantur. Sed & Plebiscita, lege Hortensiâ latâ, non minùs valere, quam leges cœperunt.

**L**Egis nomen bifariam sumitur, generaliter, & specialiter : Et generaliter quidem sumitur sæpe pro qualunque specie juris scripti : quo sensu definitur † commune præceptum, viorum prudentium consultum, delictorum quæ

sponte vel ignorantia contrahuntur coercitio, communis Reipublicæ sponsio  
*l. 1. ff. de legib. & inventum ac munus Dei, & omnium divinarum & humana-  
rum rerum Regina l. 2. ff. eod. hoc vero loco specialiter sumitur & definitur  
† quod populus Romanus, Senatorio Magistratu interrogante veluti Consu-  
le constituebat. Plebiscitum † est quod plebs plebeio Magistratu interrogante  
veluti Tribuno constituebat. Plebs differt a populo sicut species a genere,  
aut verius sicut pars a toto. Sed haec plebiscita per L. Horatiam primum *ut  
testis est Livius lib. 3.* deinde per legem Publiliam, ut constat *ex lib. 8. 3.* deni-  
que per L. Hortensiam *ut appareat ex Flori epitome lib. xi.* non minus valere  
quam leges cuperunt: cui postrema legi id totum Imp. tribuit, quia poste-  
riores leges prevalent prioribus *l. ult. ff. de constit.* & quia non est novum prio-  
res leges trahi ad posteriores *leg. non est novum ff. de legibus.**

*Ad §. Senatus-consultum.*

**S**ENATUS-CONSULTUM est, quod Senatus jubet, atque consti-  
tuit. Nam cum auctus esset Populus Romanus in eum mo-  
dum, ut difficile esset in unum eum convocari legis sanciendæ cau-  
sâ, æquum visum est, Senatum vice populi consuli.

SENATUS-CONSULTUM † est quod Senatus jubet atque constituit, ad  
quod conficiendum numerum legitimum fuisse quinquaginta Senatorum exis-  
timo, idque probari videtur *ex Lampridio in Alexandro*, ubi narrat Alexan-  
drum nullam umquam constitutionem sacrasse sine viginti Juris-peritis & doc-  
tissimis ac sapientibus viris, iisque disertissimis non minus quam quinquaginta,  
ut non minus in consilio essent sententiae, quam Senatus-consultum conficerent.

*Ad §. Sed & quod principi.*

**S**ED & quod principi placuit, legis habet vigorem: cum lege  
Regia, quæ de ejus imperio lata est, populus ei, & in eum om-  
ne imperium suum & potestatem concedat. Quodcumque ergo  
Imperator per Epistolam constituit, vel cognoscens decrevit, vel  
edicto præcepit, legem esse constat. Hæc sunt, quæ Constitutio-  
nes appellantur. Planè ex his quædam sunt personales, quæ nec  
ad exemplum trahuntur, [ quoniam non hoc princeps vult. ] Nam  
quod alicui ob meritum indulxit, vel si quam poenam irrogavit, vel  
si cui sine exemplo subvenit, personam non transgreditur. Aliæ au-  
tem, cum generales sint, omnes procul dubio tenent.

PRINCIPIS placitum sive constitutio dicitur † quod Principi placuit  
ut legis habeat vigorem. Non tamen credendum est nefarias Neronis, Domi-  
tiani & timilium voluntates pro legibus haberí; quia hoc verbum *Placet in  
jure nostro non significat quicunque voluntatem, sed judicium tantum,*  
*quo*

quo placatis omnibus contrariis, statuitur aliquid esse æquitati consentaneum. Quo sensu dicitur s̄pē, Prudentibus aliquid placuisse, & decreta quoque amplissimi ordinis dicuntur placita sive arresta àni tōū d̄p̄skev, quod latine est placere.

Hęc autem potestas Augusto competere cōpit lege Regiā l. 1. ff de const. Princ. l. 2. §. novissimē ff. de or. jur. & Dion. lib. 53. Cum enim post multis labores & pacem toti orbi concessam veller imperium deponere, aut saltem velle simularet, Populus Romanus summum hoc jus ei & in eum concessit; ita ut populus Principis legibus teneretur eō quōd necesse esset Reip. per unum consuli; quam potestatem agnoscere noluit nisi usque ad decem annos: verū postea ad decem annos renovata est, & in ceteris etiam successoribus creādis, sicut de Othonē narrat Tacitus lib. 1. hist. ab excessu Neronis.

Constitutionum † alia sunt generales, alia personales. Generales † sunt illaꝝ quæ suā natura ad omnes porrigitur & omnes tenent; earumque sunt tres præcipuꝝ species, Rescripta, Decreta & Edicta. Rescripta † sunt Epistolaꝝ quibus Principes ad consultationem Magistratum vel Judicūm, vel ad privatorum preces ob causam publicam respondent. Decreta † sunt principis sententiæ inter litigantes de quorum ipse causa cognoscit solemniter pronunciataꝝ. Quamvis autem decreta & rescripta de una dumtaxat privatorum causa edicta fuerint, eam tamen vim habent atque auctoritatem, ut similiū omnium causarum fata componant l. 2. C. de legibꝫ. Edicta denique † sunt generales Principum constitutiones, quibus citra ullam controversiā speciem, spontaneo motu iura constituunt ad utilitatem subditorum.

Dixit citra ullam controversiā speciem, ut distinguantur à Decretis & Rescriptis, quæ fiunt circalites privatorum. Edicere enim est dicere in antecellum. Quo sensu ait Suet. in Caligula cap. 42. Edixit strenas ineunte anno se suscep̄tum; stetitque in vestibulo ædium Cal. Januarii ad captandas stipes, quis plenis ante eum manibus ac sinu, omnis generis turba fundebat.

Edictis accedunt decisiones † quibus principes juris veteris altercationes dirimunt, cujusmodi fuerunt quinquaginta decisiones Justiniani, quas suo Codici repetitæ prælectionis inseruit.

Constitutiones † personales dicuntur quæ personam ejus non egrediuntur cuius gratiā edita sunt, quoniam non hoc Princeps vult. Hujusmodi sunt privilegia † quibus præter rationem juris communis alicui Princeps aliquid concedit. Idem dicendum de pœnatum irrogatione, nec non etiam de gratia diplomatis, id est † constitutionibus quibus Princeps merenti pœnam remittit sine exemplo. ( sans consequence ) His addere possumus subscriptiones Principum leg. l. §. 1. de const. princ. † per quas libellis ac precibus suppli cantium subscriptentes iura constituunt. Hęc plerumque personales sunt: sed si forte hęc fuerit mens Principis, ut hęc subscriptiones ad generalem omnium utilitatem pertineant, generales procul dubio appellandae sunt: ut sit in princ. infra quibus non est permīss. fac. testam.



## Ad §. Pratorum.

**P**RATORUM quoque edicta non modicam obtinent juris auctoritatem. Hoc etiam jus honorarium solemus appellare, quod qui honores gerunt, id est, magistratus, auctoritatem huic juri dederunt. Proponebant & Aediles Curules edictum de quibusdam causis, quod & ipsum juris honorarii portio est.

**MAGISTRATUUM** edicta quæ jus honorarium seu Prætorium constituant † erant programmata quedam, quibus Magistratus proponebant initio anni sui, quid juris dicturi essent anno suo in unoquoque causarum genere. Jus autem Prætorium quod hoc loco inter species juris civilis latè sumptu enumeratur, opponitur juri civili strictè sumpto, l. 7. ff. de just. & jur. & alib. passim: quo sensu definitur † quod Prætores introduxerunt adjuvandi vel supplendi vel corrigendi juris civilis gratiâ propter utilitatem publicam d. l. 7. Hic vocatur etiam jus honorarium, eò quod illi qui honores gerunt, id est Magistratus, auctoritatem huic juri dederunt, & sub eo jure Honorario sive Prætorio edictum etiam Aedilitium continetur, quia Prætoris nomen omnibus Magistratibus commune est arg. l. 2. §. his legibus latiſ ff. de or. jur.

Jus civile strictè sumptum † appellatur lex & quodcumque aliud jus, quod legis vigorem habet: quo sensu opponitur juri Prætorio, quod habet quidem auctoritatem non modicam, sed tamen non æqualem legi. §. quos autem infra de bon. possess. & l. 7. 8. & 9. ff. de just. & jur. Jus autem civile latè sumptum † est illud quod proprium est Civium Romanorum, in quâ notione Jus Prætorium est species juris civilis scripti §. constat sup. hoc tit.

Erant autem Romæ Prætores duo, Urbanus & Peregrinus l. 2. §. cumque Consules & §. sequ. ff. de or. jur. Prætor Urbanus jus dicebat inter cives Romanos. Prætor Peregrinus jus dicebat inter peregrinos. Si autem unus litigantium esset civis, alter verò peregrinus, servabatur hæc vulgata regula. Actor sequitur forum rei l. ult. C. ubi in rem actio exerceri deb.

## Ad §. Responſa.

**R**ESPONSA prudentum sunt sententiæ & opiniones eorum, quibus permissum erat de jure respondere. Nam antiquitus constitutum erat, ut essent, qui jura publicè interpretarentur, quibus à Cæsare jus respondendi datum est, qui Jurisconsulti appellabantur, quorum omnium sententiæ & opiniones eam auctoritatem tenebant; ut Judicii recedere à responso eorum non licaret, ut est constitutum.

**R**ESPONSA Prudentum † sunt sententiæ & opiniones illorum quibus de jure respondendi facultas conceſſa fuerat, adeò ut Judicii recedere ab eorum reſ-

ponsis non liceret. Sententia † est firma & indubitata responsio; putā si dicat Jurisconsultus, Non dubito, vel quid simile. Opinio verò † dicitur illa responsio quæ cum aliqua dubitationis nota profertur, ut si dixerit Jurisconsultus, Videtur mihi, puto, existimo, vel quid simile.

Hæc tanta juris condendi potestas, primū Prudentibus data est ab Augusto, ut major juris auctoritas haberetur leg. 2. §. & ut obiter, ff. de orig. jur. Postea verò constitutione Theodosii & Valentiniani firmata sunt universa scripta Papiniani, Gaii, Pauli, Ulpiani, Scævolæ, Sabini, Juliani atque Marcelli, & omnium quos illi celebrarunt: ita ut ubi diversæ essent sententiae, numerus auctorum vinceret: ubi autem numerus æqualis esset, ejus partis præcederet auctoritas in qua esset Papinianus; qui ut singulos vincit, ita cedit duobus l. un. C. Theod. de respon. Prud. Verum Justinianus Imp. unam omnibus Juris-consultis & æqualem auctoritatem concessit l. tanta §. tanta C. de vet. jur. emel. Unde sequitur interpretationem Cujacii & aliorum summorum juris Interpretum, licet magnam habeat eruditio[n]is & doctrinæ auctoritatem, non tamen legis auctoritate censi.

*Ad §. Sine scripto.*

**S**INE scripto jus venit, quod usus approbavit. Nam diuturni mores consensu utentium comprobati, legem imitantur.

JUS civile non scriptum sive consuetudo † est illud quod diuturnis utentium moribus sine scripto inductum est; seu quod Populus tacito atque illetrato consensu per usum longi temporis comprobavit. Quamvis autem id jus scriptis mandatum inveniatur, non tamen definit appellari *jus non scriptum*: quia scilicet sine scripto inductum est, & quia neque scripturam requirit, neque expressum consensum, neque promulgationem. Ille autem consensus, licet tacitus, non minor, sed potius major videtur expresso: ideoque jus moribus receptum appellatur κατὰ ἐξοχὴν, *jus consensu inductum*, in pr. infra de acqu. pér adrog.

*Ad §. Et non ineleganter.*

**E**T non ineleganter in duas species jus civile distributum esse videtur. Nam origo ejus ab institutis duarum civitatum, Athenarum scilicet, & Lacedæmoniorum, fluxisse videtur. In his enim civitatibus ita agi solitum erat, ut Lacedæmonii quidem magis ea, quæ pro legibus observabant, memoriae mandarent: Athenienses verò ea, quæ in legibus scripta comprehendissent, custodirent.

SUPERIOR divisio juris in scriptum & non scriptum desumpta videtur ex Institutis Atheniensium, qui jure scripto utebantur, & Lacedæmoniorum, qui jus non scriptum servabant: quia Lycurgus eorum Legislutor scriptas leges prohibuerat, ut potius in memoria & vita ciuium leges vigerent, quam in scriptis jacerent. Non tamen credendum est mores populi Romani a Lice-

dæmoniis promanare , sed potius à Prudentibus l. 2. §. his legibus , & §. ita in civitate de or. jur. cujusmodi est prohibitio donationis inter virum & uxorem l. 1. ff. de don. int. vir. & ux.

## Ad §. Pen.

**S**E p naturalia quidem jura , quæ apud omnes gentes peræquè observantur , divinâ quâdam providentiâ constituta , semper firma atque immutabilia permanent. Ea verò , quæ ipsa sibi quæque civitas constituit , sœpe mutari solent , vel tacito consensu populi , vel aliâ postea lege latâ.

**I**LLUD maximè inter jura gentium & civilia intercedit discriminis , quod jus gentium sit immutabile , eò quod semper bonum ac æquum sit l. pen. ff. de just. & jur. & quia solum Deum habet auctorem , apud quem nulla est mutatio nec vicissitudinis obumbratio D. 7ac. in Epist. Cathol. cap. 2. Verùm jus civile , quod pendet à diversa temporum ac locorum utilitate , continuaè est mutationi obnoxium. Per posteriorem enim legem vel consuetudinem abrogatur l. ult. de const. Princ. & l. 32. in fine de legibus. Neque hoc debet reprehensibile judicari , cùm urgens necessitas vel evidens utilitas id exposcit ; quoniam ipse Deus Opt. Max. ex his quæ in veteri testamento statuerat , non nulla matavit in novo cap. non debet ext. de consangu. & affin. Quod autem diximus jus naturale esse immutabile , ita intelligendum non est , ut nihil possit addi vel detrahi ; certum enim est jus civile fieri , cùm aliquid additur vel detrahitur juri gentium l. 6. ff. de just. & jur. sed eo dumtaxat sensu , ut penitus mutari non possit jure civili , quia naturalis ratio , ex qua jus naturale fluxit , auctoritate civili tolli non potest l. 2. de usufr. ear. rer. quæ usu consum.

## Ad §. Ult.

**O**MNE autem jus , quo utimur , vel ad personas pertinet , vel ad res , vel ad actiones. Et priùs de personis videamus : nam parum est jus nosse , si personæ , quarum causâ constitutum est , ignorentur.

**U**NIVERSUM jus nostrum versatur circa judicia , sed quia in judiciis tria considerantur , Personæ , res & actiones ; ideo triplex cicitur esse juris objectum. Personæ quidem , quia personis litigantibus jus redditur. Quamvis enim non debeat esse apud Judicem acceptio personarum , nec debeat jura detorquere ad privatos affectus ; debet tamen juxta legum præscripta personas distinguere , puta patresfamilias à filiisfamilias , liberos a servis , & sic de ceteris. Res quoque secundum juris objectum constituant ; quia de illis motâ controversiâ jus dicitur. De actionibus denique Judex cognoscit , quia diversitas illarum in judicis maximi momenti est §. ceterum inf. quod cum eo qui in ali. poneat. est neg. gest. esse dic.



## TITULUS TERTIUS.

### DE JURE PERSONARVM.

*Ad Princ.*

**S**UMMA itaque divisio de jure personarum hæc est: quod omnes homines, aut liberi sunt, aut servi.

**P**ERSONARVM duplex est divisio, in qua explicanda totus liber primus consumitur. Prim. † est per quam homines dividuntur in liberos & servos. Liberi † sunt qui potiuntur libertate. Servi verò † sunt qui justam servitatem serviantur.

*Ad §. I.*

**E**T libertas quidem ( ex qua etiam liberi vocantur ) est naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet, nisi si quid vi aut jure prohibetur.

**L**IBERTAS ex qua liberi vocantur † est naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet, nisi si quid vi aut jure prohibetur. Dicitur 1. ex qua liberi vocantur non quod liberi nomen à libertate deducatur juxta ordinem grammaticum; sed tantum quod illud nomen illis tantum triduatur, qui habent libertatem, juxta etymologiam à rebus desumptam, quæ Juris-consultis servatur. Quo sensu Ulp. ait, jus à justitia appellatum l. 1. ff. de just. & jur. hinc etiam factum arbitror ut filii, nepotes, ac deinceps cæteri descendentes dicantur liberi, ut distinguantur scilicet à servis qui simul cum ipsis eidem patrifamilias subjiciuntur. Dicitur 2. naturalis facultas, quia jure naturali omnes homines ab initio liberi nascebantur. Dicitur 3. nisi si quid vi prohibetur, quia illi qui à latronibus capti sunt, quamvis non multum a specie servientium differant, servi tamen non sunt l. 13. ff. qui ref. fac. poss. & l. postliminium §. à pyratis ff. de capt. & postlim. revers. Dicitur denique, aut jure, quia obsequium quod præstatur legibus non minuit, sed potius perficit libertatem. Servire legibus regnare est. Imò verò in Principe ipso aliquid est Imperio magis, legibus submittere Principatum. l. 4. C. de legibus. Non minuitur certè libertas, quod quis non possit facere rem aliquam naturâ impossibilem. Non igitur minui censenda est, quod quis non possit facere ea quæ legibus prohibentur: quia ea neminem facere posse credendum est l. 15. ff. de cond. instit.

## Ad §. Servitus.

**S**ERVITUS autem est constitutio juris gentium, quâ quis dominio alieno contra naturam subjicitur.

SERVITUS † est constitutio juris gentium, quâ quis dominio alieno contra naturam subjicitur. Dicitur 1. *juris gentium*, id est secundarii, quia ex eo jure orta sunt bella, & quia apud omnes populos id jus commune est, ut post victoriam, quæcumque fuerant devicti populi, ad victorem pertineant, & res & corpora. Aliud tamen dicendum est de illis qui capiuntur in bello civili, quia cives vice hostium non sunt 1. s. quis §. 1. ff. de capt. & postlim. reversi. Dicitur 2. *contra naturam*, id est contra jus gentium primævum, ex quo servitus erat incognita in pr. inf. de libert. Advertendum tamen inter Christianos hodie jura servitutis in desuetudinem abiisse, forte quia omnes cives ejusdem patriæ intelliguntur.

## Ad §. Servi autem.

**S**ERVI autem ex eo appellati sunt, quod Imperatores captivos vendere, ac per hoc servare, nec occidere solent: qui etiam mancipia dicti sunt, [eò] quod ab hostibus manu capiuntur.

SERVI ex eo nomen acceperunt, quod Imperatores, id est Duces exercitū, captivos servare nec occidere solent. Unde apud Virgilium x. Æneid. Magnus Æneas Ducem his vocibus supplex deprecatur.

*Per patrios manes, & spes surgentis Iuli,  
Te precor hanc animam serves natoque patrique.*

Ancillæ verò denominatæ dicuntur ab Anco Martio, IV. Romanorum Rege, qui bello aduersus finitimos gesto, captiivarum mulierum magnam multitudinem abduxerat, teste Festo. Mancipia dicuntur & servi & ancillæ, vel quia ab hostibus manu capiuntur, vel etiam quia sunt in mancípio sive dominio alieno. Mancipium † enim erat apud Romanos perfectum & independens dominii genus, quale habebant Romani in pradiis italicis. Usus verò erat imperfectum dominii genus dependens ab altero, quale habebant Provinciales in agros suos. Quo pertinet illud Lucretii.

*Vitaque mancipio nulli datur, omnibus usu.*

## Ad §. Pen.

**S**ERVI autem aut nascuntur, aut fiunt. Nascuntur ex ancillis nostris; fiunt aut jure gentium, id est, ex captivitate; aut jure civili, cum liber homo major viginti annis ad pretium participandum se se vendari passus est.

**S**ERVIA ut nascuntur, aut sunt: nascuntur ex ancillis nostris, qui vernæ dicuntur, & in dominio nostro sunt: sicut enim fructus pendentes partem fundi faciunt *l. fructus ff. de rei vend.* ita quoque partus est quædam portio viscerum matris *leg. 1. ff. de inspic. ventre.* Unde fit ut partus sequatur ventrem *leg. 7. de rei vind.*

Fiunt autem servi per captivitatem jure belli, quod cum hostibus gestum est. Hostes † sunt quibus bellum publicè Populus Romanus decrevit, vel ipsi Populo Romano. Cæteri, latrunculi vel prædones appellantur *l. hostes ff. de capt. & postlim. rev.* & hæc est prima origo servitatis, quam jus gentium induxit, ut supra dictum est. Jure autem civili fit servus, si liber homo major viginti annis ad pretium participandum se venundari patiatur, vel etiam ad actum gerendum *l. si quis filio §. irritum ff. de injust. rupt. & irr. fact. testam.* Ex quibus colligere est leges, quæ facilè succurrunt minoribus lœsi *l. 1. ff. de minor.* in hac tamen causa ipsis non subvenire, vel propter securitatem commercii publici, quia difficilè dignosci potest homo liber à servo *l. 5. ff. de contrah. empt.* vel in penam detestandæ illius avaritiae, quæ vile pretium numerarium anteposuit libertati.

Ad §. Ult.

**I**N servorum conditione nulla est differentia: in liberis autem multæ; aut enim sunt ingenui, aut libertini.

**I**N servorum conditione nulla est differentia, quoad statum servitatis, quia servi mortuis æquiparantur *l. servitutem ff. de rer. jur.* inter quos nullus est magis mortuus quam aliis. Idem quoque de servis eadem ratione dicendum est. Verum hoc non impedit quin sit aliquod discriminis inter servos, quoad ministeria, *§. pena inf. de injur.* Quod autem attinet ad liberos homines, multiplex inter illos disparitas statuitur. Alii siquidem sunt ingenui, alii vero libertini, & rursus libertini in alias species subdividuntur; nec negari potest, quin alii perfectioreni obtineant aliis libertatem.



## TITULUS QUARTUS.

### DE INGENUIS.

Ad Princ.

**I**NGENUUS est is, qui statim, ut natus est, liber est; sive ex duobus ingenuis matrimonio editus est, sive ex libertinis duobus, sive ex altero ingenuo. Sed & si quis ex matre nascitur libera, pater vero servo, ingenuus nihilominus nascitur, quemadmodum qui

**E**x matre libera & incerto patre natus est, quoniam vulgo conceptus est. Sufficit autem liberam fuisse matrem eo tempore, quo nascitur, licet ancilla conceperit. Et è contrario, si libera conceperit, deinde ancillā factā pariat; placuit eum qui nascitur, liberum nasci, quia non debet calamitas matris ei nocere, qui in ventre est. Ex his illud quæsum est, si ancilla prægnans manumissa sit, deinde ancillā posteā factā peperit; liberum, an servum pariat? Et Martianus probat liberum nasci; sufficit enim ei, qui in utero est, liberam matrem vel medio tempore habuisse, [ut liber nascatur.] Quod & verum est.

**S**I C U T servi aut nascuntur, aut fiunt, ita & liberi homines. Nascuntur ingenui, fiunt libertini. Ingenuus tamen est qui statim ut natus est liber est: ita dictus, quod habeat non adscititiam, sed ingenitam libertatem. Apud Latinos enim ingenuus, nihil aliud est quam nativus & ingenitus. Eoque sensu dicuntur ingenui fontes apud Juven. Sat. 3.

*Quanò præstantius esset*

*Numen aquæ, viridi si margine clauderet undas*

*Herba, nec ingenuum violarent marmora topum.*

Non refert distinguere, utrum uterque parentum ingenuus fuerit, vel libertinus, vel utrum unus fuerit ingenuus & alter libertinæ conditionis, dummodo uterque fuerit liber. Sed si unus parentum fuerit liber, alter vero servus, filius sequitur conditionem matris; quia connubio interveniente liberi patrem sequuntur. *Vlp. in fragm. tit. 5. §. connubio & l. 22. 36. & 44. Cod. de Decur. lib. 10.* Ille autem pater dumtaxat esse intelligitur, quem justæ nuptiæ demonstrant l. 5. ff. de in jus voc. Non interveniente autem connubio, matris conditioni liberi accedunt d. §. connubio. Idque fit secundum legem naturæ l. 19. & l. 24. ff. de statu hom. eo tamen excepto, quod ex L. Mensia ille qui ex alterutro peregrino nascitur, deterioris parentis conditionem sequatur, & fiat peregrinus d. §. connubio. Ex his sequitur, eum qui nascitur ex matre libera & ex patre servo vel incerto, liberum esse & matrem sequi; quoniam vulgo conceptus est, id est, extra matrimonium; cum servis enim non est matrimonium, sed contubernium dumtaxat. *Paulus lib. 2. recep. sent. tit. de nupt.* Sufficit autem quod mater fuerit libera, vel partus vel conceptionis vel intermedio gestationis tempore, quæ duo posteriora jura favor libertatis extorsit: in cuius gratiam Legum-latores multa contra communes juris regulas constituerunt. §. ult. *infra de donat.* Regulariter enim in filiis ex legitimo matrimonio susceptis tempus conceptionis inspicitur; extra matrimonium vero inspicitur tempus partus l. *Imperator ff. de statu hom. & Vlp. in fragm. tit. de his qui in potestate sunt §. ult.*

*Ad §. I.*

**C**UM autem ingenuus aliquis natus sit, non officit ei in servitute fuisse, & posteā manumissum esse; sèpissime enim constitutum est, natalibus non officere manumissionem.

Illud

**I**LLOUD s̄apissime fuit dubitatum, an homini ingenuo qui in servitute fuit, officeret in servitute fuisse; & de eo quoque s̄apissime rescriptum est natalibus non officere manumissionem; ac proinde hujusmodi hominem ingenuum esse. Ideoque illi qui capiuntur in bello civili, cūm per eam captivitatem non fiant servi, non frunt etiam libertini per manumissionem, neque necesse est ut à Principe imperent ingenuitatem, quam nullā captivitate amiserunt l. 21. §. ult. ff. de capt. & postlim. revers. & l. 4. C. de ingen. manum. Idem quoque sentiendum est de illo, qui ignarus liberæ suæ conditionis in servitute fuit, & postea manumissus est. At si homo liber fieret servus, ( put̄a per pretii participationem, ) & deinde manumitteretur, non esset ingenuus, sed libertinus l. homo liber ff. de stat. hom. Differunt itaque hæc duo esse servum, & esse in servitute, quatenus ille qui est reverè servus, caret omnino libertate; sed qui est tantum in servitute, caret solâ possessione libertatis, cūm sit verè liber l. 12. C. de ingen. manum. Quo etiam modo in fragmento veteris *Juris-Consulti* quod additur ad calcem Codicis Theod. distinguuntur homines liberi ab illis qui sunt in libertate; & illi qui possident, ab illis qui sunt in possessione l. 10. §. pen. ff. de acquir. possess.



## T I T U L U S Q U I N T U S.

### D E L I B E R T I N I S.

*Ad Princ.*

**L**IBERTINI sunt, qui ex iusta servitute manumissi sunt, manumissio autem est de manu datio. Nam quandiu aliquis in servitute est, manui & potestati suppositus est: & manumissus liberatur potestate. Quæ res à jure gentium originem sumpsit: utpotè cūm jure naturali omnes liberi nascerentur, nec esset nota manumissio, cūm servitus esset incognita. Sed postquam jure gentium servitus invasit, sequutum est beneficium manumissionis, & cūm uno communi nomine omnes *homines* appellarentur, jure gentium tria [ hominum ] genera esse cœperunt: liberi, & his contrarium servi, & tertium genus libertini, qui desiderant esse servi.

**L**IBERTINI sunt † qui ex iusta servitute manumissi sunt. Justa appellatur servitus † quæ non est fictitia & imaginaria, sed jure gentium vel jure civili constituta. Manumissio † est datio libertatis, ita dicta quasi de manu, id est de potestate dimissio. Libertini nomen † pro diverso tempore, diversam habuit significationem ut constat ex Suet. in Claudio cap. 24. Nam temporibus

Appii - Claudi - Cæci, Libertus † vocatus fuit absolutè qui manumissus fuerat; ita dictus quasi liberatus. Libertinus verò † erat ingenuus Liberti filius. Verum sub Claudio Imperatore, Liberti & Libertini nomina eamdem vim habuerunt, cum hac sola disparitate quod Libertus † diceret relationem ad Patronum, non autem Libertinus, in quo dumtaxat posteriore sensu hæ voces in jure nostro plerumque accipiuntur.

Hæc distinctio hominum in Libertinos & Ingenuos ex jure gentium secundario promanavit, ut evidenter probat ipse contextus, ex quo divisio hominum tripartita in liberos, id est, ingenuos, servos & libertinos, non discrepat à divisione bipartita qua supra in tit. de jur. person. proposita est, sed cum ea coincidit, quia frequens est membra subdividentia ponи in divisionibus pro membro uno dividente, quod constituunt. Sic enim Ausonius in *Grypho ternarii numeri* Romam quæ in duas partes solet dividi, nimis in Se- natum & Plebem, tripartitam facit.

*Martia Roma triplex, Equitatu, Plebe, Senatu.*

Quibus ita generalitet præmissis, sequitur ut videamus, quibus modis fiat manumissio, & quibus locis ac temporibus, 3. denique ut varias Libertinorum species proponamus.

Ad §. I.

**M**ULTIS autem modis manumissio procedit: aut enim ex sacris constitutionibus in sacrosanctis Ecclesiis, aut vindictâ, aut inter amicos, aut per epistolam, aut testamentum, aut per aliam quamlibet ultimam voluntatem. Sed & aliis multis modis libertas servo competere potest, qui tam ex veteribus, quam ex nostris constitutionibus introducti sunt.

MODI manumissionis ante Legem Juniam-Norbanam, erant tres tantummodò, census, vindicta & testamentum. *Ulp. lib. I. tit. I.* postea verò Constantinus Imp. alium adjecit, videlicet in sacrosanctis Ecclesiis *I. I. C. de his qui in Eccles. manumitt.* Ideoque optimum argumentum à partium enumeratione videtur afferre M. Tull. in Topicis, dum ait: Si neque vindictâ, neque censi, neque testamento liber factus est, non est igitur liber, quia nondum erant introducti cæteri modi manumissionis. Vindictâ siebat manumissio † quæ apud Magistratum siebat per alapam, circumductiones & ictsus virgæ, quæ dicebatur vindicta à vindice servo, qui cum erupturam aduersus Populum Romanum conjurationem sub primis Consulibus indicio suo patefecisset, pro præmio libertatem accepit. Hæc etiam festuca dicebatur. Censi † manumittebantur olim, qui lustrali censi Romæ, jussu dominorum inter cives Romanos censem profitebantur. Testamento denique manumissi vel directam vel fideicommissariam libertatem obtinebant s. pen. inf. de sing. reb. per fideicommissum. Vide *Ulp. tit. I.*

*Ad §. Servi verò.*

**S**ERVI [ verò ] à dominis semper manumitti solent ; adedò ut vel in transitu manumittantur : veluti cùm Prætor , aut Præses , aut Proconsul in balneum , vel in theatrum eant.

**M A N U M I S S I O** est actus voluntariæ jurisdictionis , ideoque quocumque tempore aut loco fieri potest , id est diebus etiam feriatis & extra jus , v. g. cùm Magistratus in balneum vel in theatrum se confert l. 2. ff. de offic. Procons. Voluntaria jurisdictione f ex exerceri dicitur à Magistratu , quoties jus dicit inter volentes , sicut accidit in manumissionibus. Contentiosa verò jurisdictione f exercetur à Magistratu inter contendentes & litigantes. Hæc sola requirit solemnitatem loci & temporis : ideoque feriatis diebus & extra jus exerceri non potest.

*Ad §. Ult.*

**L**IERTINORUM autem status tripartitus antea fuerat. Nam qui manumittebantur , modò majorem & justam libertatem conseqebantur , & siebant cives Romani ; modò minorem , & Latini ex Lege Junia-Norbana siebant ; modò inferiorem , & siebant ex L. Ælia-Sentia dedititii. Sed quoniam dedititionum quidem pessima conditio jam ex multis temporibus in desuetudinem abierat , Latinorum verò nomen non frequentabatur ; ideoque nostra piecas omnia augere , & in meliorem statum reducere desiderans , duabus constitutionibus hoc emendavit , & in pristinum statum reduxit : quia & à primis urbis Romæ cunabulis , una atque simplex libertas competebat , id est , eadem , quam habebat manumissor ; nisi quod scilicet libertinus sit , qui manumittitur , licet manumissor ingenuus sit. Et deditios quidem per constitutionem nostram expulimus , quam promulgavimus inter nostras decisiones , per quas suggestente nobis Triboniano viro excuso Quæstore [ nostro ] antiqui juris altercationes placavimus. Latinos autem Junianos , & omnem quæ circa eos fuerat observantiam , aliâ constitutione per ejusdem Quæstoris suggestionem corremus , quæ inter Imperiales radiat sanctiones. Et omnes libertos , nullo nec ætatis manumissi , nec dominii manumittentis , nec in manumissionis modo discrimine habito ( sicut jam antea observabatur ) civitate Romanâ decoravimus : multis modis additis , per quos possit libertas servis cum civitate Romana , quæ sola est in præsenti , præstari.

**L**IERTINORUM f alii dicebantur Cives Romani , alii Latini , alii deinde Dedititii. Cives Romani dicebantur f qui manumissionis beneficio li-

bertatem simul & civitatem Romanam consequabantur ; atque ideo illorum libertas justa & major dicebatur. Hi vivebant ut liberi, & moriebantur ut liberi. Libertini Latini sive Latini-Juniani † erant illi quibus propter manumissionem libertas non civitas competebat. Hi minorem tantum libertatem obtinebant : vivebant ut liberi, sed moriebantur ut servi. Neque enim poterant morientes condere testamentum, quod solis civibus Romanis concessum est. Dicebantur Latini, quia erant similes antiquis Latinis colonariis, id est in colonias Latinas transcriptis, qui non habebant jura Civitatis Romanae, sed illius dumtaxat civitatis quae illis fuerat assignata. Dicebantur autem Juniani à L. Junia-Norbana, per quam inducti sunt temporibus Augusti. Dedititii denique † erant illi qui propter admissa crimina suppliciis affecti, vel in publicum carcerem conjecti, minimam omnium libertatem iure manumissionis obtinebant. Minimam omnium, eorum libertatem appello ; quia neque moriebantur ut liberi, cum numquam fierent aut fieri possent cives Romani, quibus solis testari permititur ; neque etiam vivebant in libertate perfecta, cum viverent in perpetua dedititorum ignominia. Illorum enim libertatem Romani diminutam censebant, quorum honor aliquā labē aspersus fuerat. Probabile tamen est, eos libertinos juris naturalis & communis vitæ commercium habuisse. Eo autem nomine ideo vocabantur pessimi illi homines, quibus pessima omnium libertas competebat, quia erant similes antiquis quibusdam peregrinis ; qui cum bella movissent contra Romanos, turpiter deinde se & sua Romanis dediderunt. His libertas relicta est, sed Dedititii deinceps appellati sunt, non sine maxima contumelia, quæ apud populum Romanum credebatur diminutio libertatis. Ideoque M. Tullius ait in orat. pro Cæcina, eum qui agit actione injuriarum, dolorem imminutæ libertatis judicio penitè mitigare. Similiter quoque libertini dedititii pessime erant conditionis, quatenus numquam poterant assequi civitatem, sine qua nullus verè liber esse credebatur, ut constat ex eadem oratione. At verò Latini multis modis civitatem assequi poterant, ut constat ex Ulp. in lib. Regularum hoc tit.

Ad hoc ut per manumissionem justa libertas competet libertinis, tria debabant olim concurrere, ut monet Theoph. noster, ætas manumissi legitima, dominium manumissoris legitimū, & modus manumissionis legitimus. Ætas legitima † erat supra triginta annos, ita dicta quia ejus lex meminerat. Naturalis verò ætas † erat infra triginta annos. Dominium legitimū sive Quiritium sive ex jure Quiritium, † est quod à jure civili trahit originem, & plenissimum jus proprietatis continet. Dominium verò naturale † est quod à jure naturali sive gentium dicit originem, quodque omnia perfectæ proprietatis jura apud Romanos non continebat. Quinam sint modi legitimi manumissionis supra traditum est. Naturales sunt per mensam, per epistolam, & inter amicos. Illi itaque qui manumittebantur, antiquitus his tribus non concurrentibus, non siebant liberi, sed erant tantum in libertate ; donec lege Junia-Norbana Latinorum libertas eis concessa est, ut constat ex fragmento veteris Juriconsulti. Verùm Justinianus Imperator libertiōis favens, omnes libertinos, nullo nec ætatis manumissi, nec dominii manumittentis, nec manumissionis modo discrimine habito, civitate Romana donavit leg. un. Cod. de Lat. libert. toll. sicut antea omnibus ingenuis qui essent in orbe Romano, idem jus D. Pius concesserat l. in orbe ff. de statu hom.



## TITULUS SEXTUS.

**Q**UI ET EX **Q**UIBVS **C**AUSIS  
manumittere non licet.

*Ad Prince.*

**N**ON tamen cunctum volenti manumittere licet: nam is, qui in fraudem creditorum manumittit, nihil agit; quia lex *Ælia-Sentia* impedit libertatem.

**Q**UAMVIS in jure nihil sit favorabilius libertate, duæ tamen Leges latæ sunt quæ ipsam impediant, videlicet Lex *Ælia-Sentia*, & *Fusia-Caninia*.

Legis *Ælia-Sentia* tria fuerunt capita. 1. capite inducta fuit dedititorum conditio. 2. capite prohibebatur ne manumissio fieret in fraudem creditorum; atque ideo ille qui manumittit in fraudem creditorum, nihil agit; id est rem agit nullius effectus, quia quæ contra Legis prohibitionem fiunt, pro infectis habentur *I. 5. C. de legib.* Hic advertendum est differre hæc duo apud Latinos, nihil agere, & otiosum esse. Nihil agere † est facere aliquid inutile; at verò otiosum esse † est ab omni prorsus opere abstinere. Atque ita intelligendum est quod ait Plinius *lib. I. Epist.* sub nomine *Atilii*: *Satius est otiosum esse, quam nihil agere.*

*Ad §. I.*

**L**ICET autem domino, qui solvendo non est, [in testamento] servum suum cum libertate hæredem instituere, ut liber fiat, hæresque ei solus & necessarius: si modò ei nemo aliis ex eo testamento hæres extiterit; aut quia nemo hæres scriptus fit; aut quia is, qui scriptus est, qualibet ex causa hæres ei non extiterit. Idque eadem lege *Ælia-Sentia* provisum est, & rectè. Valde enim prospiciendum erat, ut egentes homines, quibus alius hæres extiturus non esset, vel servum suum necessarium hæredem haberent, qui satisfac- turus esset creditoribus; aut hoc eo non faciente, creditores res hæreditarias servi nomine vendant, ne injuriā defunctus afficiatur.

Ex generali illa sua prohibitione unicum casum exceptit Lex *Ælia-Sentia*. Permisit enim domino qui solvendo non esset, cuique aliis hæres extiturus non esset, ut unum ex servis suis cum libertate necessarium hæredem institue-

ret : atque ita providit ut egentes homines devitarentur injuriam quæ ipsorum manibus aut memoriae irrogaretur, si post mortem ipsorum nullo hæredem invento, creditores nomine defunctorum bona possiderent & distraherent. Ut igitur valeat hæc institutio , necesse est nullum alium hæredem defuncto existere , ne quidem ex substitutione l. 57. de her. instit. quia cessante causâ propter quam jus aliquod constitutum est , cessat quoque jus ipsum cause illius occasione constitutum cap. cum cessante ext. de appellat.

## Ad §. Idemque.

**I**D B M Q U E juris est, & si sine libertate servus hæres institutus est. Quod nostra constitutio non solum in domino , qui solvendo non est , sed generaliter constituit, novâ humanitatis ratione ; ut ex ipsa scriptura institutionis etiam libertas ei competere videatur ; cùm non sit verisimile , cum , quem hæredem sibi elegit , si prætermiserit libertatis dationem , servum remanere voluisse , & neminem sibi hæredem fore.

H A N C libertatis dandæ facultatem Justinianus maximè ampliavit l. 1. §. 1. C. de necess. serv. hæred. instit. cùm enim ex L. Ælia-Sentia non valeret illa hæredis institutio , nisi simul ei servo dominus expressè libertatem daret eodem testamento ; voluit Imp. ut vim haberet etiam cùm servus hæres scriptus est à domino sine ulla mentione libertatis ; quia qui dat aliquid , etiam illa dare velle intelligitur , sine quibus illud quod datum est stare non potest l. 2. ff. de Juris dict. Imò vero idem jus voluit indistinctè obtainere , sive dominus solvendo fuerit , sive non solvendo. Id autem Justinianus ait se induxisse novâ humanitatis ratione , quia præsumendum est testatorem , qui hæredem testamento ita instituit , noluisse intestatum decadere , ac proinde libertatem ei servo concedere voluisse , quia servus pro mortuo habetur. Et sicut homo naturaliter mortuus actus naturales exercere non potest ; ita quoque servus qui mortuus est civiliter , ab actibus civilibus exercendis excluditur. Neque adversatur §. 1. inf. de hered. instit. ubi ait se id per innovationem non induxisse. Nova enim ratio dici videtur hoc loco quasi elegans & notabilis , sicut explicat Servius ad illum versum Poëta Eclog. 3.

Pollio & ipse facit nova carmina.

## Ad §. In fraudem.

**I**N fraudem autem creditorum manumittere videtur , qui vel jam eo tempore quo manumittit , solvendo non est , vel qui datis libertatibus , desiturus est solvendo esse. Prævaluisse tamen videtur ( nisi animum quoque fraudandi manumissor habuerit ) non impediri libertatem , quamvis bona [ ejus ] creditoribus non sufficiant. Sæpe enim de facultatibus suis amplius , quam in his est , sperant ho-

mines. Itaque tunc intelligimus impediri libertatem, cum utroque modo fraudantur creditores, id est, & consilio manumittentis, & ipsa re, eò quod ejus bona non sunt suffectura creditoribus.

IN fraudem autem creditorum manumittere non tantum his intelligitur, qui eo tempore quo manumisit solvendo non est; sed etiam qui datis libertatibus desiturus est solvendo esse l. 10. ff. qui & à quibus manumisisti liberi non siant. Nihilominus tamen, sicut alienationes factæ in fraudem creditorum non rescinduntur, nisi eventum fraus habuerit l. ait Prætor §. 1. ff. que in fraud. credit. ita quoque dicendum est, eas libertates ipso jure non revocari, nisi eventus cum fraude conjunctus fuerit. l. 15. ff. eod. In fraudem igitur creditorum manumissio + facta non dicitur, nisi fraudentur creditores & consilio manumittentis, & ipsa re. Consilio fraudantur + cum manumisso habuit animum eos fraudandi, aut cognovit vel creditit eos per manumissionem fraudari, arg. l. 17. §. Luccius, ff. que in fraud. credit.

Re fraudantur creditores + cum rei eventus damnum eis infert, ita ut manumissores post manumissionem solvendo non sint. Id autem potest accidere sine consilio manumittentis fraudulentio; quia sæpe de facultatibus suis amplius quam in his est, sperant homines, maximè si transmarinas negotiationes exercant. Solvendo + non sunt illi qui plus debent, quam in bonis habeant, seu qui non possunt solvere solidum quod debent. Solidum, inquam, quia nemo pro parte dicitur esse solvendo l. 114. ff. de verb. sign.

*Ad §. Eadem lege.*

**E**ADEM Lege Æliâ-Sentia domino minori viginti annis non aliter manumittere permittitur, quam si vindicta apud consilium, justâ causâ manumissionis approbatâ, fuerint manumisssi.

TERTIO capite L. Æliæ-Sentiae cavebatur, ne minori viginti annis aliter licet manumittere, quam vindicta & justâ causâ manumissionis apud consilium approbatâ. Consilium + erat consensus Prætoris Romæ cum quinque Senatoribus & quinque Equitibus Romanis; vel Præsidis in Provinciis cum viginti recuperatoribus, ut fusè explicat Theoph.

*Ad §. Justæ.*

**J**USTÆ autem manumissionis causæ hæ sunt; veluti, si quis patrem aut matrem, filium filiamve, aut fratres sororesve naturales, aut pædagogum, aut nutricem, aut educatorem, aut alumnum aluminamve, aut collactaneum manumittat: aut servum procuratoris habendi gratiâ, aut ancillam matrimonii [ habendi ] causâ: dum eamen intra sex menses in uxorem ducatur, nisi justa causa impeditat: & [ servus, ] qui manumittitur procuratoris habendi gratiâ,

non minor decem & septem annis manumittatur. Semel autem causa approbata , sive vera sit , sive falsa non retractetur.

**J U S T A** cause manumissionis sunt , si quis patrem aut matrem , pædagogum vel educatorem , alumnū alumnamque velit manumittere ; aut servum ut sit procurator ad lites ; aut auxillā matrimonii habendi causā. Pædagogum dicimus t̄ eum qui p̄œst disciplinis ( un Précepteur . ) Educatorem vero t̄ eum qui p̄œst moribus ( un Gouverneur . ) Alumnus & alumna sunt quos ut filios enutrivimus , idque maximè respectu mulieris cuius fuxerunt ubera. Dixi , ut sit procurator ad lites , quia non placet sententia Theophili , existimantis id pertinere ad procuratorem ad negotia , quod munus servi exercere possunt l. 3. §. ult. ff. de minor. & majore insuper domini commodo. Aliud dicendum est de procuratore ad lites , cùm servi non habeant legitimam personam standi in iudicio , l. servus & seq. Cod. de jul. De §. pen. dicemus infra ad §. ult. de excus.

Ad §. ult.

**C**UM ergo certus modus manumittendi minoribus viginti annis dominis per Legem Åliam-Sentiam constitutus esset ; eveniebat , ut qui quatuordecim annos expleverat , licet testamentum facere , & in eo sibi hæredem instituere , legataque relinquere posset ; tamen si adhuc minor esset viginti annis , libertatem servo dare non posset. Quod non erat ferendum : nam cui totorum suorum bonorum in testamento dispositio data erat ; quare non similiter ei , quemadmodum alias res ; ita de servis suis in ultima voluntate disponere , quemadmodum voluerit , permittimus , ut libertatem eis possit p̄œstare ? Sed cùm libertas inestimabilis res sit , & propter hoc ante vigesimum ætatis annum antiquitas libertatem servo dare prohibebat ; ideo nos medium quodammodo viam eligentes , non aliter minori viginti annis libertatem in testamento dare servo suo concedimus , nisi decimum-septimum annum impleverit , & decimum-octimum attigerit. Cùm enim antiquitas hujusmodi ætati , & pro aliis postulare concesserit , cur non etiam sui judicij stabilitas ita eos adjuvare credatur , ut ad libertatem dandam servis suis possint pervenire ?

**A Q U I T A T E M** habebat aliquam Lex Ålia-Sentia circa manumissiones illas quæ fuissent inter vivos , quia periculum erat ne juniores domini , servorum blanditiis capti , facultates suas diminuerent , ut ait Theoph. Sed iniquitatem ejus Legis maximam fuisse in manumissionibus testamentariis probat , Imp. Ideoque eam corrigit , constitutens ut anno ætatis 17. quo licet pro aliis postulare , liceat etiam servos testamento manumittere. Quin etiam Novellâ 119. §. & hoc quoque , induxit ut quā ætate licet testari , scilicet post puberlarem , eādem etiam liceat testamento manumittere.

THIULUS



## TITULUS SEPTIMUS.

### DE LEGE FUSIA-CANINIA TOLLENDĀ.

*Ad Princ.*

**L**EGBE Fusia-Caninā certus modus constitutus erat in servis testamento manumittendis; quam, quasi libertates impedientem, & quodammodo invidam, tollendam esse censuimus: cum satis fuerat inhumanum, vivos quidem licentiam habere totam suam familiam libertate donare, nisi alia causa impedit libertatem: morientibus autem hujusmodi licentiam adimere.

**L E G I S** Fusia-Caninæ duo erant capita; quorum † primo coercebantur intra certum modum manumissiones testamentariæ, quia multi, qui vanam apud populum gloriam auncupabantur, totam suam familiam, aut saltem maximam ejus partem testamento manumittebant, ut magna libertorum pileatorum turba funeris pompa comitaretur: unde facile siebat, ut propter nullum aut minimum lucrum hæreditatis, scripti hæredes eam repudiarent; atque ita testamentum irritum fieret, & libertates etiam ipsæ fierent inutiles. Secundo capite † cavebatur ut servi non manumitterent testamento nisi nominatim.

Modus præscriptus L. Fusia-Caninâ fuit, ut qui duos servos haberet, posset utrumque manumittere; qui tres, duos tantum; à tribus usque ad decem diuidiam partem; à decem usque ad triginta, tertiam partem: ita ut saltem quinque manumittere liceret; à triginta usque ad centum, quartam partem: ita tamen ut decem possent fieri liberi; à centum usque ad quingentos, quintam partem: ita ut viginti quinque possent fieri liberi; ex numero verò familiâ, numerum centum excedere prohibebat *Vlp. lib. reg. tit. 1. & Caius lib. 1. Inst. tit. 2.* atque ita tacitus Imp. teste *Vopisco in ejus vita*, servi omnes urbanos manumisit, intra centum tamen, ne Caniniam transire videbatur. Ideo autem solas quæ testamento fiunt manumissiones hæc Lex coeredit, quod major sit morientium libertas quam viventium: facile quippe donatur illud quod amplius retineri non potest.

Primum caput L. illius abrogat Imp. hoc loco; quia quæ inter vivos permittuntur, non debent morientibus denegari: Secundum caput postea abrogatur in §. incertis, & §. sed nec hujusmodi, infra de legaris.





## T I T U L U S O C T A V U S.

*DE HIS QUI SUI VEL ALIENI JURIS SUNT.*

*Ad Prince.*

**S**EQUITUR de jure personarum alia divisio. Nam quædam personæ sui juris sunt, quædam alieno juri subjectæ. Rursus earum, quæ alieno juri subjectæ sunt, aliæ sunt in potestate parentum, aliæ in potestate dominorum. Videamus itaque de his, quæ alieno juri subjectæ sunt: nam si cognoverimus quæ istæ personæ sunt, simul intelligemus quæ sui juris sunt: ac priùs inspiciamus de his, quæ in potestate dominorum sunt.

**S E C U N D A** personarum divisio † est in eas quæ sui vel alieni juris sunt. Sui juris sunt patresfamilias, † id est familiarum suarum principes ac domini cuiuscumque ætatis sint; sive habeant bona quorum sunt domini, sive solum habeant jus bonorum quærendorum, *i. pronuntiatio §. familia ff. de verb. sign.* Familias enim dicebatur apud veteres in generandi casu pro *familie*.

Dixi, *cujuscumque ætatis sint*, quia nihil referit an sint puberes vel impuberes, *i. 4. ff. b. t.* & hoc est quod ait Tertullianus *in lib. de virgin. veland.* Materfamilias vocatur licet virgo, paterfamilias licet investis. Atque hic maximè advertendum arbitror quod ait Seneca *5. Epist.* Veteres ad detrahendam dominis invidiam & servis contumeliam dominos patresfamilias appellasse, servos familiares. Unde meritò Tertull. *in Apolog.* Gratius est nomen pietatis quam potestatis, & jam familiae magis patres quam domini vocantur. *Et D. August. lib. 19. de civit. Dei, cap. 16.* qui veri patresfamilias sunt omnibus in familia sua tamquam filiis ad colendum Deum consuluntur.

Alieni juris † sunt qui alienæ potestati subjiciuntur. Est autem potestas † duplex, Dominica seu Herilis, & Patria.

*Ad §. I.*

**I**N potestate itaque dominorum sunt servi; quæ quidem potestas juris gentium est. Nam apud omnes peræquè gentes animadverte possumus, dominis in servos vitæ necisque potestatem fuisse; & quodcumque per servum adquiritur, id domino adquiri.

**D O M I N I C A** potestas † est jus dominis in servos suos jure gentium competens. Hæc duos continet effectus præcipuos. Prior est, ut domini habent

in servos suos vitæ necisque potestatem: unde merito servi quadrupedibus æquiparantur *l. 2. §. ult. ad L. Aquil.* ejusque potestatis ratio fuit, quia unusquisque in re propria intelligitur legitimus moderator & arbiter, *l. 21. C. mandati.* Potest & altera ratio adjicii, quod jus hostem occidendi competens tempore quo captus est, penes dominum postmodum perseveret. Posterior effectus est ut quidquid servus acquirit, id confessim domino acquiratur, neque momento aliquo consistat in persona servi per quem acquiritur, *l. placet 79. ff. de acquir. hered.* quia nihil proprium habere potest is qui ab alio possidetur, *l. hom. liber 54. §. ult. ff. de acquir. rer. domin.*

*Ad §. Sed hoc tempore.*

**S**E d' hoc tempore nullis hominibus qui sub imperio nostro sunt licet, sine causa legibus cognita, in servos suos (supra modum) sevire. Nam, ex constitutione divi Antonini, qui sine causa servum suum occiderit, non minus puniri jubetur, quam si alienum servum occiderit. Sed & major asperitas dominorum, ejusdem Principis constitutione coercetur: nam (Antoninus) consultus à quibusdam Praesidibus provinciarum de his servis, qui ad ædem sacram, vel ad statuam Principum configiunt, præcepit ut si intolerabilis videatur sevitia dominorum, cogantur servos suos bonis conditionibus vendere, ut pretium dominis daretur, & recte; expedit enim Republicæ, ne suâ re quis male utatur. Cujus rescripti ad Aelium-Martianum emissi verba sunt hæc: *Dominorum quidem potestatem in servos suos illibatam esse oportet, nec cuiquam hominum jus suum detrahi.* Sed dominorum interest, ne auxilium contra sevitiam, vel famem, vel intolerabilem injuriam denegetur iis, qui justè deprecantur. Ideoque cognoscet de querelis eorum, qui ex familia Julii-Sabini ad statuam configerunt. Et, si vel durius habitos, quam equum est, vel infami injuria adfectos esse cognoveris; venire jube, ita ut in potestatem domini non revertantur. Quod si meæ constitutioni fraudem fecerit, scias me hoc admissum severius executurum.

**N**IMIA dominorum in servos sevitia multis modis apud Romanos coercita est. 1. Enim teste Seneca lib. 3. de benefic. cap. 22. admissæ sunt à Judicibus querelæ servorum adversus dominos, quibus auditis sequebatur simplex aliqua Magistratus admonitio. Postea L. Petroniā temporibus Neronis cautum est, ut homicidii reus esset dominus, qui ad bestias depugnandas suo arbitrio servum tradidisset, *l. 11. §. ult. ff. ad L. Cornel. de siccari.* quod deinde ad omnes casus Imp. Adrianus produxit, teste Spartiano; & filius ejus Antoninus rescripto confirmavit, constituens, ut qui sine causa servum suum occiderit, non minus puniatur quam si occiderit alienum. Id autem non debet referri ad judicium privatum L. Aquiliæ, quod adversus eum qui servum suum occidit extraneo non competit, *l. 17. & tribus seqq. ff. ad L. Aquil.* sed id debet intelligi quantum

ad judicium publicum , l. Cornel. de sacerdotiis , ex qua non distinguitur an ille qui occisus est liber vel servus extiterit , l. 1. §. & qui hominem , ff. ad L. Cornel. de sacerdotiis .

Jubet insuper idem Imp. Antoninus rescripto suo , ut Sabinus & alii crudeliores domini servos suos bonis conditionibus distrahere cogantur , id est , non duris , non asperis , non iniquis , quæ venditum servum onerent , ut recte Theoph. exponit , puta si vendatur servus hæc lege , ne umquam manumittatur ; ut exportetur in longinquam provinciam , & ut in perpetuis compedibus detineatur : quas conditiones dominus venditionibus suis addere non prohibetur , si sponte venderet , toto tit. ff. de servis export. maximè si desperatam servi audaciam reformidat . Nec tantum favit hæc constitutio servis , sed etiam dominis : alioquin enim si servis ea de causa auxilium denegaretur , periculum imminereret , ne servi aufugerent , atque ita pretium sui domino auferrent , vel si fugere non possent , desperatione adducti se ipsis neci darent , cuius rei extat exemplum in l. 1. §. si quis ulro ff. de questionibus , vel domini vita stercent insidias .



## TITULUS NONUS.

### DE PATRIA POTESTATE.

*Ad Print.*

**I**N potestate nostra sunt liberi nostri , quos ex justis nuptiis procreavimus .

PATRIA potestas † est jus parentibus virilis sexus , jure civili competens in liberos suos legitimos . Dicitur 1. *Virilis sexus* , quia foeminae liberos in potestate non habent , §. *femine inf. de adopt.* Additur 2. *liberos* , quia non solum filii , sed etiam nepotes ex filio sunt in potestate nostra . Dicitur denique *legitimos* , quia non omnes indistincte liberi sunt in potestate patris , sed legitimi tantum . Quæ ut evidenter appearant , distinguendæ sunt † quinque species liberorum , videlicet naturales , & legitimi , naturales tantum , legitimi tantum , spuri & nati ex coitu damnato . Naturales , & legitimi † sunt , qui ex justis nuptiis procreati sunt . Hi vocantur simpliciter naturales , cum opponuntur adoptivis ; & simpliciter quoque dicuntur legitimi , cum opponuntur naturalibus vel aliis extra legitimum matrimonium susceptis ; atque hi sine dubio statim atque nascuntur , sunt in potestate patris . Naturales tantum † dicuntur quos natura quidem liberos fecit , sed lex non agnovit . Tales sunt qui ex servili consortio suscepti sunt , vel ex concubina † id est ex muliere libera , quæ uxor non est illius cum quo vivit uxor modo ; uxor tamen illius esse non prohibetur . Nec immerito hæc vice-conjux ab antiquis dicebatur : inter concubinam enim & uxorem nisi in dignitate nihil interest , l. item legato §. parvi ff. de leg. 1. Inter servos vero hu-

jusmodi mulier appellatur contubernialis, *l. uxorem s. concubine ff. de leg. 3.* Hujusmodi liberi ex concubina suscepiti, non sunt in potestate patris, nisi fuerint legitimati. Legitimi tantum sunt quos facit adoptio: nec dubium esse debet quin pater adoptivus eos habeat in potestate, cum adoptio naturam imitetur *in pr. & s. minorem infra de adopt.* Spurii seu vulgo concepti † sunt qui ex meretricio & vago concubitu suscepiti sunt. Hi in potestate patris esse non possunt, cum patrem non habeant. Idem dicendum est de illis qui ex damnato coitu suscipiuntur, ex adulterio putat, vel incesto, vel ex nuptiis nefariis, *Nov. 39. cap. ult.* quia nec hi patrem habere intelliguntur *s. si adversus infra seq. sit.* Ille siquidem pater verus ac certus esse creditur, quem justas nuptiae demonstrant, *l. 5. ff. de in jus voc.* Ex his constat, tres tantum esse modos constitutae patriæ potestatis, nuptias, legitimationem, & adoptionem.

*Ad s. 1.*

**N**uptiæ autem, sive matrimonium, est viri & mulieris conjunctio, individuam vitæ consuetudinem continens.

Nuptiæ † sunt viri & mulieris conjunctio individuam vitæ consuetudinem continens. Dicitur 1. *Viri & mulieris, in singulari numero,* quia eadem duobus nupta esse non potest, & idem duas uxores eodem tempore habere non potest. Dicitur 2. *conjunctio,* animorum scilicet, non corporum. Quamvis enim ad procreationem & educationem liberorum sit institutum matrimonium, & ad inducendam quodammodo generis humani immortalitatem, *Nov. 22. in pr.* nuptias tamen non concubitus, sed consensus facit *l. nuptias 31. ff. de reg. jur.* Dicitur 3. *individuam, &c. inspecto dumtaxat contrahentium voto,* *l. 1. ff. de jur. dor.* non autem inspecto exitu. Neque enim dubium est quin divortia apud Romanos fuerint frequentissima. Ceterum, conjunctio † est nomen juris naturalis, convenit enim brutis. Matrimonium † est nomen juris gentium, quia omnium gentium commune est. Nuptiæ denique † sunt nomen juris civilis, quia propriæ sunt Civium Romanorum, ita ut inter solos cives Romanos nuptiæ contrahantur. Cum Latinis autem & peregrinis matrimonium est sine connubio, id est sine nuptiis, *ut ait Papin. apud Licin. Rufin. in tit. de adulterio.*

*Ad s. pen.*

**J**us autem potestatis, quod in liberos habemus, proprium est civium Romanorum: nulli enim alii sunt homines, qui talem in liberos habeant potestatem qualem habent cives Romani, ideo patria potestas juris civilis esse dicitur. Quod non impedit, quin sit insuper alia potestas patriæ naturalis apud Romanos, cuius effectus est, ut una omnibus parentibus servar-

Licet ex jure gentium oriatur ut parentibus obtemperare teneamus, *l. 2. ff. de just. & jur.* nihilominus tamen, quia nulli sunt populi qui talem in liberos habeant potestatem qualem habent cives Romani, ideo patria potestas juris civilis esse dicitur. Quod non impedit, quin sit insuper alia potestas patriæ naturalis apud Romanos, cuius effectus est, ut una omnibus parentibus servar-

da sit reverentia, l. 6. ff. de in *jus voc.* Populus enim Romanus non tantum proprio, sed etiam communis omnium gentium jure utitur, §. 1. sup. de jure natur. Civilem patriam potestatem ex Legibus Regiis oriri, ait Papin. apud Licin. Ruf. in tit. de adult. quod confirmant fragmenta Legum Romuli, ubi haec lex his verbis refertur: *Parenium liberos omne jus esto relegandi, vendendi & occidendi.* Ulpianus vero existimat oriri ex moribus, l. 9. ff. de his qui sui vel al. juris sunt. Dionys. Halycarnassaeus dubitat lib. 2. an jure scripto vel non scripto fuerit inducta. Sunt denique qui Legi 12. tab. ejus originem adscribant. Haec sententiae sibi invicem non adversantur. Multæ enim Leges à Regibus latæ, in consuetudinem & jus moribus receptum facile transierunt post Reges expulso, & à Decemviris in 12. tab. transcriptæ sunt, quemadmodum in prolegomenis nostris expositum est.

*Ad s. ult.*

**Q**UOD igitur ex te & uxore tua nascitur, in tua potestate est. Item qui ex filio tuo & uxore eius nascitur, id est, nepos tuus & neptis, æquè in tua sunt potestate, & pronepos, & pro-neptis, & deinceps cæteri. Qui autem ex filia tua nascuntur, in potestate tua non sunt, sed in patris eorum.

**F**ILLI igitur, nepotes ex filio, & pronepotes, ac cæteri deinceps liberi ex solis matribus descendentes in nostra potestate sunt; quia omnes qui sunt ejusdem familie, necesse est subjectos esse familie principi. Nepos autem viyo a paterno non est in potestate filii, quia ille qui in aliena potestate est, alium in sua potestate habere non potest, l. 21. ff. ad L. Jul. de adult. Dixi ex solis matribus, quia illi qui ex filia nascuntur, patris non matris familiam sequuntur. Mulier siquidem non propagat familiam suam, atque ideo appellatur sat put & finis familie, l. 195. ff. de verb. signif.

## TITULUS DECIMUS.

### DE NUPTIIS.

*Ad Princ.*

**J**USTAS autem nuptias inter se cives Romani contrahunt, qui secundum præcepta legum coœunt; masculi quidem puberes, fœminæ autem viri potentes, sive patres familiarium sunt, sive filii familiarium; dum tamen, si filii familiarium sint, consensum habeant parentum, quorum in potestate sunt. Nam hoc fieri debere, & ci-

vilis & naturalis ratio suadet ; in tantum , ut iussus parentis præcere debeat. Unde quæsum est , an furiosi filia nubere , aut furiosi filius uxorem ducere possit ? Cùmque super filio variabatur , nostra processit decisio , quâ permisum est ad exemplum filiæ furiosi , filium quoque ( furiosi ) posse , & sine patris interventu matrimonium sibi copulare , secundum datum ex nostra constitutio- ne modum.

**A**d hoc ut justæ nuptiæ contrahantur ; necesse est multas conditiones concurrere ; videlicet ut contrahentes sint cives Romani , ut sint puberes , & ut consensum habeant parentum , in quorum potestate sunt , l. 2. ff. b. t. Nam hoc jus patria utraque potestas , naturalis & civilis expostulat ; & ut ait Imp. civilis & naturalis ratio suadet ; adeò ut iussus seu voluntas , id est consensus patris præcedere debeat. Imò verò si consensus patris fuerit subsecutus , nuptiæ ab eo dumtaxat tempore justæ censemuntur , quo pater consensit , l. si uxor , s. si quis uxorem , ff. ad L. Jul. de adult. quamvis alijs ratihabitatio regulariter mandato comparetur , l. ult. Cod. de Senatus-Consulto Maced. Ratio naturalis hæc insuper esse videtur , ex Theoph. quia æquum est ut parentes , qui liberos suos ad illam usque ætatem educarunt , hoc honoris habeant , ut sine eorum consensu liberorum matrimonia non procedant. Civilis verò ratio in filiis ac nepotibus ex filio , præter generalem jam allatam , hæc addi potest , quia alioquin metuendum erat ne patri , aut avo invito , suus hæres agnosceretur ex muliere parùm grata ; quæ ratio in filiabus ac neptibus nullius momeati est. Exigitur denique ut omnia absint juris impedimenta. Hæc autem sunt tria præcipua inter ingenuos , cognatio , affinitas , & publica honestas : unicum verò inter libertinos , servilis cognatio : de quibus singulis sigillatim agendum est.

*Ad s. I.*

**E**go non omnes nobis uxores ducere licet ; nam à quarum-dam nuptiis abstinentum est. Inter eas enim personas , quæ parentum liberorumve locum inter se obtinent , contrahi nuptiæ non possunt ; veluti inter patrem & filiam , vel avum & neptem , vel matrem & filium , vel aviam & nepotem , & usque in infinitum. Et si tales personæ inter se coierint , nefarias atque incestas nuptias contraxisse dicuntur. Et hæc adeò vera sunt , ut quamvis per adoptionem parentum liberorumve loco sibi esse cooperint , non possint inter se matrimonio jungi ; in tantum , ut etiam dissolutâ adoptione , idem juris maneat. Itaque eam , quæ tibi per adoptionem filia , vel neptis esse cœperit , non poteris uxorem ducere , quamvis eam emancipaveris.

**C O G N A T I O** † est duorum vel plurium conjunctio , quorum alter ab al-

tero; vel uterque à communi stipite ortum dicit. Estque duplex, † agnatio scilicet, & cognatio. Agnatio † dicitur illa cognatio, quæ per solos mares contingit inter illos qui sunt ejusdem familie. Quæ ultima verba ideo ad jiciuntur, quia si capitis diminutio vel minima intercesserit, per quam jus familiæ amittitur, agnatio quoque dirimitur, §. ult. de leg. agn. tut. infra. Hæc est sola cognatio, quam jus civile agnoscit, ideoque legitima & civilis appellatur. Nec tantum per justas nuptias contrahitur utroque jure naturali & civili concurrente; sed etiam per adoptionem & in manum conventionem. Erat autem in manum conventio † species quædam matrimonii, quo mulier in protestatem & familiam mariti transibat; ideoque filii sui ex eo matrimonio procreati soror consanguinea dicebatur. *Vlp. lib. reg. tit. 26. §. pen. & Cujacins lib. 6. observat. cap. ult.* & sua hæres marito non minus fiebat quam filius, *Vlp. tit. 22.*

Cognatio specialis sive specificè sumpta, † dicitur illa eorum necessitudo; qui vel per mulierem aliquam sibi conjunguntur, vel per solas virilis sexus personas, intercedente aliquâ capitis diminutione. Hæc cognatio non agnoscitur à lege seu jure civili, & vocatur cognatio naturalis; atque ideo per adoptionem numquam contrahitur, l. 12. §. ult. ff. b. t. Unde etiam fit ut avunculus & matertera per adoptionem fieri non possint, quamvis paterus & amita per adoptionem fiant d. §. ult.

Est & altera cognitionis divisio, † in cognitionem ascendentium, descendientium & collateralium, l. 1. ff. de grad. & affinibus. Ascendentes † sunt qui nos generunt, ut pater, mater. Descendentes † sunt qui ex nobis geniti sunt, ut filius, filia, nepos, neptis. Hi cum ascendentibus nuptias contrahere prohibentur usque in infinitum: adeò ut si Adam primus parens hodie si resurge-ret, nullam posset ex mulieribus quæ nunc sunt uxorem ducere. Idemque dicendum est de filiis adoptivis, quia adoptio naturam imitatur, §. minorem infra de adopt. Imò verò post dissolutum adoptionis vinculum eadem prohibitio remanet; quoniam tunc non dissolvitur vinculum publicæ honestatis, quod sufficit ad impediendam hujusmodi conjunctionem. In nuptiis siquidem puder inspici debet, l. adoptivus 14. §. serviles ff. b. t. Facit quidem emancipatio, ut ea mulier non sit amplius filia adoptiva, sed ut filia non fuerit effice-re non potest.

#### *Ad §. Inter eas.*

**I**NTEREAS quoque personas, quæ ex transverso gradu cognitionis junguntur, est quædam similis observatio, sed non tanta. Sanè enim inter fratrem sororemque nuptiæ prohibitæ sunt, sive ab eodem patre eademque matre nati fuerint, sive ex altero eorum. Sed si qua per adoptionem soror tibi esse cœperit, quamdiu quidem constat adoptio, sanè inter te & eam nuptiæ consistere non possunt. Cùm verò per emancipationem adoptio sit dissoluta, poteris eam uxorem ducere. Sed & si tu emancipatus fueris, nihil est impedimento nuptiis. Et ideo constat, si quis generum adoptare velit, debere

debere eum antea filiam suam emancipare ; & si quis velit nurum adoptare , debere eum antea filium suum emancipare.

**COLLATERALES** seu transversales † dicuntur , qui neque nos genuerunt , neque ex nobis geniti sunt , sed stirpem & radicem nobiscum communem habent ; ut frater , soror , patruus , patruelis , & consobrinus . Hi matrimonium inter se contrahere prohibentur in secundo & tertio gradu , non tamen in usque infinitum . Namque in quarto gradu nuptiz permittuntur , sicut innuitur in § . seqn . & constat manifestè ex l. celebrandis , C. hoc tit.

Quod ut clarius appareat , in modum præviae cujusdam inspectionis , monendum sumus inter ascendentes & descendentes tot esse gradus , quot sunt generationes inter utramque personam de qua queritur ; ideoque filius distat unico gradu à patre suo ; nepos distat duplaci ab avo . Inter collaterales vero querendus est communis stipes proximus , à quo utraque persona de qua ambigitur originem trahit , & ab eo stipite numerandæ sunt generationes ad utrumque cognatum de quo agitur ; ita ut tot sint gradus quot generationes , quia qualibet persona generata gradum adjicit : unde fit ut frater sit in secundo gradu ; patruus , avunculus , & filius fratri in tertio ; patruelis & consobrinus , nec-non etiam neptis fratri mei , sint mihi in quarto , & sic de ceteris .

Quibus ita præmissis , certum est in secundo gradu collateralium , neque sororem naturalem , neque adoptivam , fas esse uxorem ducere vel habere . Ideoque Imp. Claudius cupiens Neronem generum suum adoptare , filiam suam Octaviam , Neronis uxorem priùs emancipavit , Dione teste , ne frater sue uxoris fieret , atque ita dissolueretur matrimonium , ut rectè monet Theoph . & probat , l. pen . § . Videamus ff. h. t. Quamvis autem sororem naturalem post emancipationem non licet uxorem ducere , quia quæ sunt juris naturalis nullo jure civili tolli possunt , l. 8. ff. de cap. minutis ; sororem tamen adoptivam post emancipationem nihil impedit uxorem ducere , quia tunc cessat omne impedimentum nuptiarum . Neque obstat supradicta ratio publicæ honestatis , quæ in patre locum habet : namque inter patrem & filiam remanet ius pristinæ reverentie , quam inter fratrem & sororem nullam esse constat . Adde , quod possit imputari patri quondam adoptivo , quod videatur idcirco filiam emancipasse ut voluptate , quæ clam placuerat , palam omnibus frueretur , quod bonis moribus refragatur . Hæc autem suspicio cessat in fratre adoptivo , cuius nullum intercessit factum aut in adoptione , aut in emancipatione sororis adoptivæ .

*Ad § . Fratris.*

**F**RATRIS vero , vel sororis filiam , uxorem ducere non licet ; sed nec neptem fratri vel sororis quis ducere potest , quamvis quarto gradu sint . Cujus enim filiam uxorem ducere non licet , neque ejus neptem permittitur . Ejus vero mulieris , quam pater tuus adoptavit , filiam non videris impediri uxorem ducere ; quia neque naturali , neque civili jure tibi conjungitur .

In tertio gradu, fratribus & sororis filiam indistinctè vetitum est uxorem ducere : nam ut ait *Labeo ex Publio-Nigidio apud Aulum Gellium libro 13. cap. 1.* frater est dictus quasi ferè alter. Dixi indistinctè, quia sublatum est hodie *Senatus-consultum* quod in gratiam Claudi Imperatoris & Agrippinæ factum est, ut fratri liceret fratribus filiam uxorem ducere, nullo extante anteā anteriori *exemplo deductæ* in domum patrui, fratribus filiæ: *Tacitus lib. 12. Annalium.* Unde sit, ut licet in multis Legibus Pandectarum, sororis filiam uxorem ducere prohibetur, nullibi tamen in toto illo opere nuptiæ cum fratribus filia damnentur.

Quamvis autem in tertio tantum gradu collateralium nuptiæ vetitæ fuerint ; non tamen inde inferendum est, fratribus neptem quarto gradu positam, posse uxorem duci ; quia scilicet, cuius filiam uxorem ducere non possum, eam ob rationem quod filia mihi loco sit, ejus quoque neptem eamdem ob causam prohibetur uxorem ducere. Ubi autem militat eadem ratio, ibi quoque idem jus observandum est, *l. illud 32. in pr. ff. ad L. Aquil.* Præterea licet cum filia fratribus adoptivi matrimonium contrahere non possim, quia mihi agnata est §. per adoptionem infra de legit. agnat. success. & in tertio agnationis gradu posita est, ut constat ex superioribus ; matrimonium tamen cum filia sororis meæ adoptativæ contrahi nihil vetat, quia hæc mihi neque est agnata neque cognata. Non est primò agnata mea, quia tota illa conjunctio ( si qua sit ) per fœminam intercedit. Non est etiam cognata, quia nemo fit cognatus per adoptionem, ac proinde nec avunculus, nec matertera, *l. 12. §. ult. & l. 17. ff. de in jus voc.* Et hoc est quod ait Imperator hoc loco, filiam sororis meæ adoptivæ neque naturali, neque civili jure mihi conjungi, juris nomine hinc assumpto pro necessitudine personali, ut docet *l. pen. ff. de just. & jure.*

#### *Ad §. Duorum.*

**D**UORUM autem fratrum vel sororum liberi, vel fratribus & sororis, conjungi possunt.

IN quarto gradu cognitionis ex transverso cessat dicta prohibitio nuptiarum contrahendarum, nimis inter duorum fratrum aut sororum filios jure Justinianæo *l. celebrandis. C. h. t. leg. 3. ff. eod. & §. fratribus vers. quamvis h. n. t.* Neque est cur moveamur contrariis Theophili Basilicorū & Caïi auctoritatibus : neque etiam ex *l. 3. Cod. Theod. de incestis nuptiis & leg. un. C. Theod. si nuptia ex rescripto pet.* quæ huic decisioni opponuntur ex diametro : quia totum hoc jus multas mutationes pro diversitate temporum passum est. Et *l. 1.* qui-dem constat ex *Tacito lib. 12. Annal.* sobrinorum diu ignorata fuisse conjugia, sed temporibus Claudi Imp. percrebuisse. Constat quoque id matrimonium postea licitum fuisse *l. 3. & l. 67. §. 1. ff. h. t. leg. 23. & 29. ff. de cond. insti.* *l. 78. §. filiam ff. ad Senatus-consultum Trebell. leg. 2. C. de insti. l. 4. C. de condit. insti. & l. 17. C. h. t. quæ desumpta est ex constitutione Diocl. & Max. Imp. quæ extat fusior in Cod. Gregor. sub tit. de incestis nuptiis*, ubi profertur se eo edicto enumerare personas, cum quibus matrimonium contrahere liceat. Verum Theod. Imp. ut ait *Sex. Aut. Victor* in ejus vita tan-

tum pudori & continentiae tribuit, ut consobrinarum nuptias vetuerit tamquam sororum, videlicet sub pena ignis & proscriptionis bonorum. Atque ideo D. August. lib. 15. de civitate Dei cap. 16. factum ( inquit ) licitum propter vicinitatem horrebat illiciti, & quod siebat cum consobrina, penè cum sorore fieri videbatur, quia & ipsi inter se propter tam propinquam consanguinitatem fratres vocantur. Et mox subjicit. Verum quis dubitat hoc tempore etiam consobrinorum prohibita esse conjugia? quibus congruit illud Aulonii in Parentalibus Ep. 28.

*Qua genita est mihi penè soror,  
Filia nam fuit hec amita.*

Eodem sensu dicitur in sacrī paginis Divus Jacobus frater secundū carnem adorandi Redemptoris: Et Ajax apud Ovidium lib. 13. Metam. loquens de Achille patruele suo, & de ejus armis.

*Frater erat, fraterna peto.*

Post Theodosium verò, ejus filii ac successores, Arcadius in Oriente, & Honorius in Occidente, hac in parte variarunt. Arcadius enim patris sui constitutionem I. confirmavit Constantinopoli, remissā dumtaxat penā ignis & publicationis bonorum, l. 3. C. Theod. de incest. nupt. anno salutis 396. quæ constitutio inscribitur Eutychiano Praefecto Praetorio; is autem erat Praefectus in Oriente. Deinde verò post octo annos paternam legem penitus abrogavit anno 404. l. Celebrandis C. b. t. quæ lex eidem Eutychiano inscribitur. Honorius verò in Occidente patris constitutionem confirmavit Ravennæ anno 409. l. un. Cod. Theod. si nuptia ex rescr. petantur. Quamvis autem d. l. Unicam inscriptio tribuat Arcadio & Honorio simul; est tamen solius Honorii ipsis Ravennæ emissa, ubi erat sedes ejus Imperii; & inscripta Theodoro Praefecto Praetorio Italiz, sicut ex diverso in prædictis constitutionibus Arcadii, inscriptio utriusque Imperatoris non impedit, quin sint solius Arcadii. Ea siquidem fuit consuetudo Imperii Romani, ut unius Imp. constitutiones omnium Imperatorum qui simul imperarent nomine inscriberentur. Posteriorem Arcadii constitutionem probavit Just. noster ejus successor in Oriente: ut frustra sint, qui cumque negationem in hoc §. nostro adscribere conantur ex præallegatis locis oppositis. Namque Theophilus Justiniano posterior juri contrario quod suo tempore postmodum obtinuit, paraphrasin suam accommodavit, in cuius versione fidelem non fuisse Curtium dum negationem sustulit, satis manifestum est. Similiter quoque auctores Basilicov. lib. 28. tit. de nuptiis prohibitis, ex jure posse recepto nuptias illas vetitas esse pronunciant, in & inter duos consobrinorum filios quos secundos consobrinos, & sobrinos etiam simpliciter appellamus. Quod autem attinet ad Caïi Institutionum epitomen, quam habemus ab Aniano vel altero Gothro J. C. concinnatam; ea non est pura, sed ad Gothorum jus detorta, qui teste Cassiodoro lib. 7. variarum cap. 47. observabant Theodosii senioris constitutionem, quæ hujusmodi nuptias prohibebat, & quæ in Italia ( ubi sub Theodorico vigebat Gothorum imperium, ) vim suam diu retinuisse videtur, etiam post constitutiones Arcadii, quæ in solo Orientis imperio valuerunt, non verò in Occidente d. l. un. C. Theod. si nupt. ex rescr. pet.

Cæterum insuper habitis hodie legibus prædictis civilibus, matrimonium ex jure Canonico ( quod præyalet in Ecclesiæ sacramentis ) non permittitur in

quarto gradu cognationis, sed in quinto tantum cap. I. & cap. non debet ext. de consangu. & affin. Illi autem gradus ita numerantur ex illo jure inter collaterales; ut ex alterutro tantum latere numerentur generationes & gradus, si linea sit æqualis; vel ex remotiori persona, si linea sit inæqualis, can. ad sedem 35. q. 5. atque ita qui est gradus octavus ex jure civili, est dumtaxat quartus ex jure Pontificio. Et ex eo jure facultas contrahendi matrimonium, in gradu ultra duplum remotiori impeditur, quam ex jure civili.

*Ad §. Item amitam.*

**I**TEM amitam, licet adoptivam, ducere uxorem non licet, item nec materteram; quia parentum loco habentur. Quâ ratione verum est, magnam quoque amitam, & materteram magnam, prohiberi uxorem ducere.

Ex his quæ dicta sunt supra ad §. fratriis appareret, superfluum esse dicere de nuptiis prohibitis cum amita sive naturali, sive adoptiva, vel cum materteram, cum eadem sit in casu utriusque §. gradus propinquitas & nominis parentum ac filiorum imitatio ac similitudo. Illud tantum addere possumus amitæ adoptivæ mentionem hic fieri, non vero materteræ adoptivæ, quia nulla est materia adoptiva. Nomina siquidem cognationis per adoptionem non acquiruntur, l. 12. §. pen. & l. 17. in fine ff. b. t. Et ut dicitur in l. 23. ff. de adopt. adoptio non jus sanguinis, sed jus agnationis afferit. Sunt igitur casus aliqui, in quibus rectè dicimus fratrem matris nostræ non esse avunculum nostrum, & sororem matris nostræ non esse materteram nostram.

*Ad §. Affinitatis.*

**A**FFINITATIS quoque veneratione, à quarumdam nuptiis abstinere necesse est, ut ecce, privignam, aut nurum uxorem ducere non licet; quia utræque filiæ loco sunt. Quod ita sci-licet accipi debet, si fuit nurus aut privigna tua. Nam si adhuc nurus tua est, id est, si adhuc nupta est filio tuo, aliâ ratione uxorem eam ducere non poteris; quia eadem duobus nupta esse non potest. Item si adhuc privigna tua est, id est, si mater ejus tibi nupta est; ideo eam uxorem ducere non poteris, quia duas uxores eodem tempore habere non licet.

**AFFINITAS** est necessitudo, quæ per nuptias contrahitur inter unum conjugem & cognatos alterius: inde dicta quod dux cognationes, quæ diversæ inter se sunt, per nuptias copulantur, & altera ad alterius finem accedit, l. 4. §. affines ff. de grad. & affin. Unde sequitur 1. per nuptias dumtaxat affinitatem contrahi, non vero per nuda sponsalia; ac proinde sponsam patris nevercam non esse, & sponsam filii purum non esse nuptiis non secutis. Nurus siquidem

& noverca sunt nomina affinitatis. Sponsalia verò non sunt nuptiæ, sed † mentio tantum & re promissio futuratum nuptiarum, l. 1. ff. de sponsal. Sequitur 2. ex prædicta definitione, affines esse singulos conjuges respectu cognatorum alterius conjugis. Cavendum tamen, ne affines dicamus cognatos unius conjugis, respectu cognatorum alterius & cujusmodi sunt duo comprivigni de quibus mox agetur. Affinitas itaque, seu potius veneratio pristinæ affinitatis, impedit nuptias, l. inter omnes qui illius occasione parentum & liberorum locum inter se obtinent d. l. 4. §. hoc itaque, & leg. l. 4. §. ult. ff. b. t. v. g. inter vitricum & privignum, & inter sacerum ac nutrum. Dixi seu potius affinitatis pristinæ veneratio, quia quamdiu constat affinitas, id est quamdiu mater privignæ vitrico ejus nupta est, & quamdiu nurus nupta est filio illius saceri; nuptiæ quidem impediuntur his casibus inter vitricum & privignum, & inter sacerum ac nutrum: sed aliâ ratione quàm affinitatis, nimirum propter prohibitionem polygamia: neque enim ad extraordinariam rationem configere debemus, ubi ordinaria sufficit. l. 16. ff. de minor.

## Ad s. Socrum quoque.

**S**O CRUM quoque & novercam prohibitum est uxorem duce-re, quia matris loco sunt. Quod & ipsum dissolutâ demum affinitate procedit: alioquin si adhuc noverca est, id est si adhuc patti tuo nupta est, communii jure impeditur tibi nubere, quia eadem duobus nupta esse non potest. Item si adhuc sacerus est, id est, si adhuc filia ejus tibi nupta est; ideo impediuntur tibi nuptiæ, quia duas uxores habere non potes.

**E**AMDDEM ob rationem nuptiæ inter socrum & generum prohibentur, & inter privignum ac novercam; quia hæ personæ parentum & liberorum locum inter se obtinent: & socrus quidem † dicitur mater mei mariti vel uxoris meæ, gener verò † maritus filiaæ meæ, ita dictus teste Servio ad xi. Eneid. quia ad augendum genus adhibetur. Est & alia propter affinitatem prohibitio matrimonii contrahendi inter alias personas quæ parentum & liberorum locum inter se non obtinent, videlicet inter glorem & levirum, l. 5. & l. 8. Cod. de incest. nupr. Glos † dicitur ea quæ fuit uxor fratri mei. Levir † dicitur frater mariti mei præmortui. Jure verò Canonico intra quartum gradum affinitatis nuptiæ contrahuntur cap. pen. ext. de consangu. & affin. Gradus autem affinitatis ita numerantur, ut quanto gradu cognitionis maritus distat à Tito cognato suo, eodem gradu affinitatis uxor ejus ab eodem Tito affine suo distare intelligatur.

## Ad s. Maritio.

**M**ARITI tamen filius ex alia uxore, & uxor filia ex alio marito, vel contrà, matrimonium rectè contrahunt, licet habeant fratrem sororemve ex matrimonio postea contracto natos.

**E**x superioribus colligeāt est, duos comprivignos posse inter se matrimonio conjungi, id est † filium mariti ex alia uxore, & filiam secundarū uxoris ex alio marito l. 34. §. inter ff. h. t. licet habeant fratrem communem ex illo matrimonio postea procreatū. Comprivigni † dicuntur illi, quorum unius pater alterius matrem uxorem duxit. Nec valet eo casu vulgata regula Dialecticorum, quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se; quia diversa ratione fratres esse dicuntur; ille ex patre, haec autem ex matre. Atque ita sicut frater ille communis potest dicere, soror mea non est soror fratri mei, ita & potest addere, soror mea jure nupsit fratri meo. Comprivigni siquidem neque sunt cognati, neque affines; quia ut jam diximus, affinitas non consistit inter cognatos unius conjugis & cognatos alterius.

*Ad §. Si uxor.*

**S**i uxor tua post divortium ex alio filiam procreaverit, haec non est quidem privigna tua: sed Julianus ab hujusmodi nuptiis abstinere debere ait. Nam constat, nec sponsam filii nurum esse, nec patris sponsam novercam esse: rectius tamen, & jure facturos eos qui ab hujusmodi nuptiis abstinuerint.

**P**U B L I C A honestatis contemplatio nuptias impedit in quatuor casibus praecipuis. Primus est inter patrem & filiam quondam adoptivam §. 1. sup. h. t. Secundus est inter patrem & eam quæ filio desparsa fuerat nuptiis non securis, quamvis haec nurus facta non fuerit ex sola desparsatione. Tertius est inter filium & patris sponsam nuptiis non securis, quamvis haec quoque noverca non sit. Hoc tamen matrimonium jure vetitum est, quia licet per sponsalia non contrahatur affinitas, contrahitur tamen vinculum publicæ honestatis, quod sufficit ad impediendum matrimonium, cum in eo pudor insipci debeat l. 14. §. serviles ff. h. t. Eadem ratio viget in quarto casu, scilicet inter maritum & filiam uxoris post divortium procreatam ex altero marito. Licet enim haec non sit privigna aut affinis ejus viri, neque ullo jure sive necessitate priorem maritum suæ matris attigerit; quodam tamen vinculo publicæ honestatis ei adstringitur, quatenus fuit maritus ejus matris. Divortium † est viri & mulieris separatio perpetuam vitæ disensionem continens l. 3. ff. de divort. Dixi perpetuam ut differat à iuglio † quod fit ad tempus, & dicitur etiam noxia, Gallicè noise.

*Ad §. Illud.*

**I**LUD certum est, serviles quoque cognationes impedimento nuptiis esse, si forte pater & filia, aut fratres & soror manuissi fuerint.

**S**ER V I L I S cognatio non minùs impedit nuptias inter libertinos; quam legitima cognatio inter ingenuos. Est autem servilis cognatio † illa sanguinis

necessitudo, quam libertini contraxerunt dum essent in servitute; ad quam cognitionem licet leges non pertineant, maximè cum de hereditatibus agitur *infra de servil. cogn. in pr.* ejus tamen ratio habetur in nuptiis, quia in illis jus naturale & pudor inspiciendi sunt. Contra pudorem autem est, filiam suam uxorem ducere *d. §. serviles.* Dixi *inter libertinos*, quia non illa versatur quæstio in hoc §. an servilis cognatio impediat nuptias inter servos, qui pro mortuis habentur, *l. servitut. ff. de reg. Jur.* sicut ridicula esset quæstio an cognatio legitima nuptias impediat inter patrem mortuum & filiam mortuam: constat insuper cum servis & ancillis non esse connubium, sed contubernium dumtaxat, *l. 3. C. de incest. nupt.* Quod si quis forte quæsierit, an etiam inter patrem servum & filiam ancillam vetitum sit contubernium: respondendum arbitror; non licere, propter eamdem naturæ honestatem & reverentiam. Quia licet quod ad jus civile attinet, servi pro nullis habeantur, jure tamen naturali omnes homines æquales sunt, *l. quod attinet. ff. de reg. Jur.*

## Ad §. Sunt &amp; aliæ.

**S**UNT & aliæ personæ, quæ propter diversas rationes nuptias contrahere prohibentur, quas in libris Digestorum, seu Pandectarum, ex jure vetere collectarum, enumerari permisimus.

**HACTENUS** præcipua nuptiarum impedimenta exposuimus: juvat tamen quædam alia quasi per indicem recensere, cuiusmodi sunt tutela, officium Magistratus, & nobilitas. Et 1. quidem occasione tutelæ interdicitur tutoribus & liberis eorum, ne matrimonium contrahant cum pupilla sua; ne videlicet eo pacto rationum redditio intervertatur, *l. tutor. 36. & l. 59. ff. b. t. & l. pen. C. de interd. matrim.* atque ideo si puella excederit 25. annum, & tempus insuper petendæ restitutionis in integrum, quod post eam ætatem datur illis qui iæsi sunt ex causa minoris ætatis; existimo prohibitionem cessare *arg. cap. cum cesante ext. de appell.* Officium autem quod quis gerit in provincia impedimento est, ne quis eius provinciæ ducat uxorem, *l. qui in Provincia, ff. b. t. & l. un. C. si quacunque predictus potestate;* quia ratio potentatus eas nuptias prohibuit, *l. Praefectus ff. b. t.* Nobilitas denique ex L. Julia obstabat Senatori ne libertinam, eamve, quæ artem ludicram fecerit, uxorem duceret, *l. 44. ff. cod. ne dignitas Senatoria servilis sanguinis contagio pollueretur.* Verum hoc Just. abrogavit *Nov. 117. cap. 6.*

## Ad §. Pen.

**S**I adversùs ea quæ diximus, aliqui coierint; nec vir, nec uxor, nec nuptiæ, nec matrimonium, nec dos intelligitur. Itaque ii, qui ex eo coitu nascuntur, in potestate patris non sunt: sed tales sunt (quantum ad patriam potestatem pertinet) quales sunt ii, quos mater vulgo concepit. Nam nec hi patrem habere intelliguntur, cùm & his pater incertus sit. Unde solent spurii appellari

*ταπά μν οποαν*, id est, à *satione & avaropas*, quasi sine patre filii. Sequitur ergo, ut dissoluto tali coitu, nec dotis, nec donationis exactio locus sit. Qui autem prohibitas nuptias contrahunt, & alias poenas patiuntur, quæ sacris constitutionibus continentur.

SUPEREST ut poenas adversus illicita matrimonia constitutas disquiramus, & 1. quidem hujusmodi nuptiae nullæ sunt; quia ea quæ contra legis prohibitionem sunt, pro infectis habentur, l. 5. C. de legib. Secunda poena quæ ex superiori sequitur, est, ut nulla dos, nullaque donatio propter nuptias fuisse intelligatur, ideoque dotis & donationis propter nuptias cessat repetitio; quia licet matrimonium possit esse sine dote, dos tamen sine matrimonio esse non potest, l. 3. ff. de jur. dot. Ubicumque autem matrimonii nomen non est, nec dos est, d. l. 3. idemque dicendum est de donatione propter nuptias quæ dotem imitatur. Tertia poena est, ut liberi ex tali coitu suscepti non sint in potestate patris; quia ille dumtaxat pater intelligitur qui justus est, l. 44. §. nec distinguuntur ff. b. t. & quem justæ nuptiae demonstrant, l. 5. ff. de in jus voc. ideoque dicuntur spuri quæ *sine patre filii*. Nam cum Romæ prænomen hoc *Spurius* duabus tantum primariis litteris designaretur S. P. aliunde verò cum illi quoque qui essent sine patre duabus iisdem primariis litteris S. P. denotarentur, positâ dumtaxat in medio interpunctione, facile factus est locus errori, ut illi qui essent sine patre, Spurii appellarentur. Ita Plutarchus in problematis. 4. denique alias poenas suis constitutionibus sanxerunt Principes pro varietate delicti, mulctam v. g. pecuniariam, l. un. C. si quacumque pred. pet. vel infamiam, l. pen. C. de interd. matrim.

## Ad §. ult.

**A**LQUANDO autem evenit, ut liberi, qui statim, ut nati sunt, in potestate parentum non sunt, postea redigantur in potestatem patris; qualis est is qui dum naturalis fuerat, postea curiæ datus, potestati patris subjicitur; nec non is, qui à muliere libera procreatus, cuius matrimonium minimè legibus interdictum fuerat, sed ad quam pater consuetudinem habuerat, postea ex nostra constitutione dotalibus instrumentis compositis, in potestate patris efficitur. Quod & aliis liberis, qui ex eodem matrimonio postea fuerint procreati, similiter nostra constitutio præbuit.

LEGITIMATIO f est actus legitimus quo liberi naturales tantum ex concubina suscepti, sunt legitimi & in potestate patris. Duas legitimatio species proponit nobis Imp. hoc loco, nimirum per oblationem curiæ, & per subsequens matrimonium, tertiam additurus in Nov. 89. per rescriptum Principis, quæ ad susceplos ex adulterio & incesto non pertinet. Curia f erat concilius Decurionum in Municipiis; quorum munera erant ita gravia, ut plerique illius infortunii devitandi gratiâ, & ut nomen suum delerent ex infelicious

licibus tabulis, solu<sup>m</sup> verterent. Sed cūm deinde penuriā hominū collabentur Curia, Theodosius Imp. constituit, ut naturales liberi fierent legitimi, si se Curia civitatum dēdissent, ut hoc præmio proposito, multi alicerentur ad Rempub. l. 3. C. de nra. lib. Subsequens verò matrimonium filios naturales efficit legitimos, dummodò duæ concurrant conditiones. Prior est, ut dotalia instrumenta confiantur: altera verò est, ut parentis utriusque matrimonium minimè sit legibus interdictum eo tempore quo hujusmodi liberi suscepiti sunt; uno verbo dummodò mater non fuerit pellex aut adultera, sed talis ut cūm suscipit filium ex altero, parentis ejus uxor fieri non prohibetur, cap. tanta est vis ext. qui filii sunt legitimi. Hoc autem privilegium Just. ait se liberis naturalibus indulisse, similiter illis, id est æqualiter illis & ad similitudinem illorum, qui ex eo matrimonio postea nati sunt. Quæ est locutio Græca ut advertit Muretus. Eaque ita intellec<sup>t</sup>ā, omnes ejus textū mutationes, quacumque multi Interpretes tamquam necessarias communiscuntur, supervacua & minus necessariae apparebunt.



## T I T U L U S U N D E C I M U S.

## D E A D O P T I O N I B U S.

Ad Princeps.

**N**ON solū naturales liberi, secundūm ea quæ diximus in potestate nostra sunt; verūm etiam ii, quos adoptamus.

**U**LTI<sup>M</sup>US modus constituendæ patriæ potestatis est adoptio, quæ à Caio ita definitur lib. i. tit. 8. Adoptio t̄ est naturæ similitudo, ut filium quis habere possit, quem non generavit. Hec autem similitudo in eo posita est, ut non minùs liberi adoptivi sint in potestate parentis sui adoptivi, quam liberi naturales, id est ex justis nuptiis quæsti, sunt in potestate patris sui naturalis. Non tamen adoptio imitatur naturam circa cognationem specificè sumptam, quia hæc non agnoscitur jure civili, sicut superiore titulo traditum est.

Ad s. i.

**A**DOP<sup>T</sup>I<sup>O</sup> autem duobus modis fit, aut principali rescrip-  
to, aut imperio magistratūs. Imperatoris auctoritate adop-  
tare quis potest eos easve, qui quæve sui juris sunt: quæ species  
adoptionis dicitur adrogatio. Imperio magistratūs adoptamus eos  
easve, qui quæve in potestate parentum sunt, sive primū gradum  
liberorum obtineant, qualis est filius, filia; sive inferiorem, qualis  
est nepos, neptis, pronepos, proneptis.

**A D O P T I O N I S** duæ sunt species , adrogatio, & adoptio specialis. Adrogatio † dicitur illa , quâ patresam. ex rescripto Principis alienæ subjiciuntur potestati ; inde nomen accipiens , quod stante republ. fieret rogatione & auctoritate populi in comitia convocati. Rogabatur autem Populus in hunc ferè modum , teste Gellio lib. 5. cap. 19. Velixis , jubeatis , Quirites , uti L. Valerius , Lucio Titio , tam jure legeque filius sit , quam si ex eo patre ejusque matrifamilias natus esset. Hxc uti dixi , vos Quirites ita rogo. Sub Imperatoriis verò & translatâ Populi in eos potestate , is qui adoptabat rogari solebat , an vellet eum quem adoptatus erat , justum sibi filium esse ; & rursùm is qui adoptabatur , rogabatur an id fieri pateretur , l. 2. in pr. ff. b. t.

Adoptio specialis sive specifica † est illa per quam filii familias in alienam transeunt familiam , interveniente magistratus imperio , l. ult. C. eod. Antiquitus verò triplex mancipatio sive venditio , & duplex manumissio in filii adoptione requirebatur ; in filia verò & nepote , unica mancipatio , cum unica manumissione sufficiebat. Quæ solemnitas constitutione Justiniani sublata est d. l. ult.

*Ad §. Sed hodie.*

**S**ed hodie ex nostra constitutione , cum filius familias à patre naturali extraneæ personæ in adoptionem datur , jura patris naturalis minimè dissolvuntur , nec quidquam ad patrem adoptivum transit ; nec in potestate ejus est , licet ab intestato jura successoris ei à nobis tributa sint. Si verò pater naturalis non extraneo sed avo filii sui materno , vel si ipse pater naturalis fuerit emancipatus , etiam avo vel proavo simili modo paterno vel materno filium suum dederit in adoptionem ; in hoc casu , quia concurrunt in unam personam & naturalia & adoptionis jura , manet stabile jus patris adoptivi , & naturali vinculo copulatum , & legitimo adoptionis modo constitutum ; ut & in familia , & in potestate hujusmodi patris adoptivi sit.

**A D V E R T E N D U M** est præterea , ejusdem Principis constitutione fuisse fancitum , ut tunc tantum per adoptionem transferatur patria potestas , & prioris familiæ jura extinguantur ; cum adoptans fuerit conjuncta persona , non verò si fuerit extranea , l. pen. C. hoc tit. Conjuncta persona † dicitur hoc loco , quæ est ex numero ascendentium ejus qui adoptatur , ut avus paternus vel maternus. Extranea verò † dicitur illa , quæ non est ex illo ascendentium numero , ut frater , patruus , & alii deinceps , tam cognati , quam penitus extranei.

His ita præmissis , sequitur ut videamus 1. in quo differant hæ duæ adoptionis species , 2. in quibus convenient , 3. denique ut vim & effectus singulares utriusque adoptionis breviter indicemus.

## Ad §. Cùm autem.

**C**UM autem impubes per principale rescriptum adrogatur, cāusā cognitā adrogatio fieri permittitur, & exquiritur causa adrogationis an honesta sit, expeditaque pupillo. Et cum quibusdam conditionibus adrogatio sit, id est, ut caveat adrogator personæ publicæ, si intra pubertatem pupillus decesserit, restitutum se bona illis, qui, si adoptio facta non esset, ad successionem ejus venturi essent. Item non aliter emancipare eum potest adrogator, nisi causā cognitā dignus emancipatione fuerit, & tunc sua bona ei redat. Sed & si decedens pater eum exhiberedaverit, vel vivus sine justa causa emancipaverit; jubetur quartam partem ei bonorum suorum relinquere, videlicet præter bona, quæ ad patrem adoptivum transtulit, & quorum commodum ei postea acquisivit.

**P R A E T E R** differentias utriusque adoptionis, quæ in utriusque definitione expressæ sunt, tertium est discrimin advertendum, quodd scilicet impuberes olim potuerint facilimè adoptari adoptione specificâ, etiam infantes, l. 42. ff. b. t. Eos verò adrogare antiquitus non licet, teste *A. Gellio*, lib. 5. cap. 19. Ratio disparitatis fuisse videtur, quia pater jure patriæ potestatis potuit vendere filium impuberem, imò & occidere. Nil mirum igitur quodd potuerit eum etiam alteri in adoptionem dare, arg. l. in suis, ff. de Lib. & post. & l. 21. ff. de reg. Jur. Idque maximè confirmat ritus adoptionis, quæ fieri solebat specie quadam commercii, & per unicam, ut diximus, aut per triplicem venditionem, l. ult. C. b. t.

Verum adrogationi impuberum, quatuor obstabant impedimenta. Primum eriebatur ex persona tutorum, ideoque *A. Gellius* ait *in loco laudato adrogari neminem posse nisi sit jam vesticeps*, id est pubes; quoniam tutoribus in pupilos tantam esse auctoritatem potestatemque fas non est, ut caput liberum fidei sua commissum alienæ ditioni subjiciant. Secunda ratio quæ innuitur in §. n. deponitur ex persona & fragilitate pupillorum, quibus succurrendam fuit, ne dum sperant incertam patris adoptivi successionem, certis interim damnis adrogationis subjaceant. Haec autem damna levia non sunt, cùm per ipsam finiatur tutela, §. sed & capitis infra quib. mod. tut. fin. & pupillus cum capite suo omnia bona sua in adrogatorem transferat, *toto tit. infra de acquis. per adrog.* Tertia ratio deponitur ex persona eorum, quibus debentur bona pupilli, vel ex testamento, eujusmodi sunt pupillariter substituti; vel ab intestato, quales sunt proximi agnati: qui omnes per illam adrogationem cā hæreditate frandantur: substitutio enim pupillaris pupilli adrogatione tollitur, l. 17. §. 1. ff. b. t. & omnia iura agnationis cādem ratione tolluntur, §. ult. *infra de leg. agn. tut.* atque ita periculum imminent manifestum, ne adrogator sub adoptionis obtentu in pupilli facultates irruat, l. 2. C. b. tit. quod non erat ferendum, cùm gratia alicui concedi non debeat in tertii detrimentum, l. 4. C. de eman.

*lib.* Quartum denique impedimentum oritur ex persona adrogatoris, qui jure patrio uti potuit erga impuberem, cui suæ successionis spem dederat, eumque & suis & aliunde acquisitis bonis spoliare, vel emancipatione adhibitâ quæ filium adoptivum facit extraneum, *§. minus infra de h̄r. quæ ab intest. defer.* ita ut nullum è pristino remaneat vestigium, *l. 13. ff. b. t.* vel etiam factâ exhæredatione, quæ jura suitatis abscondit, *l. 9. §. si filium ff. de lib. & post.* atque ita pupillus suis bonis spoliatus, & alienis quæ frustra speraverat exclusus, in egestatem facile incideret; nendum consequeretur illam utilitatem quæ est unicus adrogationis scopus & præcipuus ipsius effectus.

Nihilominus tamen D. Pius eam adrogationem primus permisit, *test. Vlp. lib. 2. §. 1. ff. fam. ercsc. & lib. sing. reg. b. t.* propter utilitatem videlicet pupillorum, ne deterioris essent conditionis quam cæteri impuberis. Sed quasdam conditiones adjectit, ut congruum præfatis incommodis afferret remedium.

Et primò quidem ne hujusmodi adrogatio penderet ex tutoris arbitrio, & ne pupilli detrimentum paterentur; constituit ut fieri non posset nisi causâ cognitâ à Magistratu, & inquisitione factâ de moribus, de ætate & facultatibus adrogatoris & de causa adrogationis an esset honesta, id est procedens ex honesto affectu: neque enim umquam pupillum adrogare ulli facile permititur, nisi quem naturali cognitione, vel sanctissimâ affectione duci appareat, *l. 17. §. 1. ff. b. t.* Postremò non permittrit adrogatio nisi expedit, id est nisi illi qui sanguinis necessitudine ipsi junguntur, id ei expedire apud Magistratum confirmaverint, *l. 2. C. b. t.* Atque ita prioribus duobus incommodis prouisum est.

Præterea ut substitutis pupillariter & agnatis proximis pupillaris successio servaretur intacta, voluit D. Pius ut adrogator servo publico sive personæ publicæ stipulanti caveret seu promitteret datis fide-jussoribus; se eo casu, quo adrogatus in pupilliæ ætate moreretur, restituturum ejus bona illis ad quos res per ventura fuisset, si adrogatus permanisset in suo statu, *l. 17. §. ult. cum l. seq. ff. b. t.* Quibus verbis etiam legatariis prospicitur, & servis quibus legata vel libertates in secundis tabulis testator reliquit, *l. 19. ff. b. t.* Hæc autem promissio non fit illis ad quos ea res pertinet; quia saepè incerti sunt, fortè nondum apertis pupillaribus tabulis; interdum etiam sibi stipulari non possunt, sed fit tantum personæ publicæ, id est servo publico qui potest omnibus stipulari.

Ultimus denique obex ejus adrogationis èadem constitutione sublatus est, quatenus èa sanctum fuit, ne adrogator possit aliter eum impuberem testamento exhæredare, vel vivus sine justa causa emancipare, nisi redditis ei omnibus bonis, id est illis quæ per adrogationem acquisivit; & illis etiam quorum commodum constante adrogatione per adrogatum consecutus est: & redictâ ei insuper quartâ bonorum omnium, quæ dicitur quarta D. Pii, vel quarta Antoniniana. Verum celsat hæc obligatio quartæ tribus casibus. Primus est si adrogetur aliquis pubes. Secundus, si impubes adrogatus vivo adrogatore pubes factus sit, *l. hæc autem, ff. b. t.* Tertius, si causâ cognitâ emancipetur postquam dignus emancipatione visus fuerit, *l. ult. ff. si quid infra. patroni;* id est si malitiâ ætatem supplente atrocius aliquid adversus adrogatorem commisso judicetur, ut de domo ejus ejici debeat. Aliud juris est si absque justa causa emancipetur: cum enim in jure melius sit nocentem dimitti quam inno-

centem condemnari, l. absentem ff. de pœnis; iniquum esset cum adrogatum sine ulla justa causa pœnam emancipationis subire. Dico pœnam, quia licet emancipatio in filio naturali merum favorem contineat propter acquisitionem libertatis; l. un. C. de ingr. liber. propter incrementum honoris, §. hoc quoque infra per quas pers. cuiq. acquir. & propter beneficium bonorum quærendorum, l. 1. §. 1. ff. si a par. quis manumisit. Quæ omnia commoda accedant sine ulla danni permixtione, eò quod Prætor filiis emancipatis omnia jura tribuat in bonis patris naturalis, quæ ipsis conpeterent jure civili, si sui hæredes permanissent. §. Emancipatos infra de exher. lib. & §. emancipati infra de hæred. que ab intest. defer. In adrogato tamen impubere hæc emancipatio est gravis pena, quæ ipsum facit adrogatori penitus extraneum; ita ut neque jure civili, neque prætorio ad patris adoptivi successionem admittatur, §. minus ergo infra eod. Neque credendum est ipsum frui supradictis commodis emancipationis, cum causâ cognitâ ab initio judicatum sit, ei magis expedire adrogationem, ut antea dictum est. Cum autem impubes adrogatus testamento adrogatoris exhæreditur, sive causa fuerit justa exhæredationis, sive injusta, queri non potest, l. 8. §. si quis impubes, ff. de inoff. testam. Pro hoc tamen incommodo id ei commodum præstatur, ut quarta Antoniniana ei etiam indistinctè debeat, d. §. si quis impubes. Quin etiam hæredibus ejus idem jus competit, etiam si vivo patre adoptivo decellerit, l. 1. §. si impubere, ff. de collat. bon. quia multa singulare in illa quarta Divi Pii recepta sunt, ut impuberis utilitati & securitati consulatur.

## Ad §. Minorem.

**M**INOREM natu, majorem non posse adoptare placet. Adoptio enim naturam imitatur: & pro monstrum est, ut major sit filius, quam pater. Debet itaque is, qui sibi filium per adoptionem vel adrogationem facit, plenâ pubertate, id est, decem & octo annis præcedere.

**C**ONVENIUNT in multis adoptio & adrogatio. Primò quidem minor natu majorem adoptare neutro modo potest; quia adoptio imitatur naturam, & ut ait Ausonius,

*Imitatur adoptio problem.*

Et certè monstrum est ut major sit filius quam pater: quocirca Clodium à juniore Fonteio adoptatum ridet Tullius in orat. pro domo sua. Factus es, inquit, filius ejus contra fas, cuius per aetatem pater esse potuisti.

Debet autem pater adoptivus filium adoptivum plenâ pubertate præcedere; id est octodecim annis. Non sufficit igitur præcedere annis quatuordecim, quæ est prima pubertas, quia iura sunt de his quæ ut plurimum eveniunt, non de his quæ raro, l. 3. cum tribus seqq. ff. de leg. & Senatuscons. raro autem accedit, aliquem esse patrem ante octodecim annos: ideoque Senatus adoptionem Alexandri ab Heliogabalo factam non sine risu approbavit, ut refert Herodianus lib. 5. quod is haberetur pater, qui natus erat annos sexdecim; Alexander verò filius, qui tum duodecimum attigisset.

*Ad §. Licit autem.*

**L**I C ET autem & in locum nepotis vel neptis, pronepotis vel proneptis, vel deinceps, adoptare, quamvis filium quis non habeat.

Q U O D autem diximus adoptionem imitari naturam, non sine aliqua restrictione accipiendum est. Primò enim licet per rerum naturam nulli nepos ex filio accedere possit, nisi filium habeat, saltem eo tempore quo concipitur nepos; per adoptionem tamen ei, qui filium nullum habet nec habuit, permittitur nepotem habere quasi ex filio vel incerto natum, ut dicitur in l. adoptiones 43. ff. h. t. Quo casu admodum singulari, duo singularia simul & semel concurrunt; quod in jure raro accidit.

*Ad §. Et tam filium.*

**E**T tam filium alienum quis in locum nepotis adoptare potest, quam nepotem in locum filii.

A L T E R A ejus regulæ limitatio est, quod ille qui adoptat in filium vel nepotem, non teneatur observare cum ordinem, quem natura instituit in familia patris naturalis: ideoque nihil verat quin Titius nepotem Mævii adoptet in locum filii, & similiter quoque idem Titius potest filium Sempronii adoptare in locum nepotis.

*Ad §. Sed si quis.*

**S**E d si quis nepotis loco adoptet, vel quasi ex filio, quem habet jam adoptatum; vel quasi ex illo, quem naturalem in sua potestate habet; eo casu & filius consentire debet, ne ei invito suus hæres adnascatur: sed ex contrario, si avus ex filio nepotem det in adoptionem, non est necesse filium consentire.

C O N V E N I U N T secundò adoptio & adrogatio inter se invicem, quod cum pater in nepotis locum aliquem adoptat, quasi ex filio suo natum, quem habet in potestate; semper filii ipsius consensus requiritur in utroque genere adoptionis, ne ei invito suus hæres agnascatur, l. 6. ff. h. t. Verum ex contrario, si avus nepotem ex filio natum det in adoptionem, non est necesse filium consentire, quia eâ ratione minutur familia filii, nedium augeatur. Facile autem permittitur alterius invitî conditionem facere meliorem, deteriorem non utique. Quo etiam modo nepote uxorem ducente & filius consentire debet; neptis vero si nobat, voluntas & auctoritas avi sufficiet, l. Oratione §. 1. ff. de ritu nupt. quia per nepotem augetur familia filii, non per neptem: qui enim ex filia nascuntur, patris non matris familiam sequuntur, §. 1. infra de leg. agn. tut.

*Ad §. In plurimis.*

**I**N plurimis autem causis adsimilatur is , qui adoptatus vel adrogatus est , ei , quo ex legitimo matrimonio natus est ; & ideo , si quis per Imperatorem , vel apud Prætorem , vel Præsidem Provinciæ non extraneum adoptaverit , potest eumdem in adoptionem alii dare.

**TERTIA** utriusque adoptionis similitudo est ; quod sicut pater naturalis filium suum , qui ex legitimo ipsius matrimonio natus est , potest in adoptionem alteri dare ; ita quoque parens adoptivus , qui alteratio modo filium adoptaverit , idem jus habet , quia jus dandi in adoptionem proprius est effectus patris potestatis. Ideoque si pater adoptivus non sit conjuncta persona , non licet ei filium adoptivum in adoptionem alteri dare , quia cum non habet in potestate , §. Sed hodie supra b. t. & l. pen. C. eod.

*Ad §. Sed & illud.*

**S**E & illud utriusque adoptionis commune est , quod & ii , qui generare non possunt ( quales sunt Spadones ) adoptare possunt. [ Castrati autem non possunt . ]

**QUARTUM** jus utriusque adoptionis commune est , quod illis tantum permittitur adoptare , qui possunt generare , aut saltem qui spem generandi non omnino amiserunt , quales sunt Spadones. Aliud dicendum est de Castratis , Thlibiis & Thlasis , quia hi per naturam liberos habere non possunt. Ideoque in his personis non est matrimonium , sed in Spadonibus dumtaxat , l. si serv. §. i. ff. de jur. dot. Quod ut clarius pateat , advertendum est ex Theophilo , Eunuchorum nomine generali , † species tres contineri , Spadones , Castratos & Thlibias. Spadones † sunt qui propter morbum aliquem aut frigiditatem membrorum liberis procreandis operam dare non possunt , spem tamen & facultatem generandi non omnino amiserunt , eò quod eo morbo sublato possint liberos suscipere. Castrati dicuntur † quibus exacti sunt testiculi. Thlibiæ vero † sunt quibus testiculi attriti sunt. Thlasiaæ denique his proximi † dicuntur quibus sunt rupti. Spadonum tamen nomen non tantum specialiter accipitur pro illis qui naturâ Spadones sunt , sed etiam generaliter pro quocumque Eunuchorum genere , l. 128. ff. de verb. sign. Cæterum Nov. Leonis 26. & 27. etiam Castratis adoptare permisum est , ut injuriam sibi illatam salutem hoc solatio compensarent.

*Ad §. Fæmine.*

**F**EMINE quoque adoptare non possunt ; quia nec naturales liberos in sua potestate habent . sed ex indulgentia Principis ad solatum liberorum amissorum adoptare possunt.

**Q**UINTUS denique convenientia adoptio & adrogatio, quod foeminae ne uno modo possunt liberos adoptare; quia adoptio est inventum juris civilis ad constitutendum jus familiae & patriae potestatis: foeminae autem non propagant familiam & patriae potestatis capaces non sunt. Interdum tamen ad solatum liberorum amissorum mulieri adoptare permittitur, ex speciali indulgentia Principis. Verum *Nov. Leonis* 27. omnibus mulieribus id generaliter permisum est. Quæ adoptio facit quidem eo casu filium, sed non facit filium familias: quod etiam accedit quoties fit adoptio ab extraneo, §. Sed hodie supra hoc tit.

*Ad §. penult.*

**I**LUD proprium est adoptionis illius, quæ per sacrum oraculum fit, quod is, qui liberos in potestate habet, si se adrogandum dederit, non solum ipse potestati adrogatoris subjicitur, sed etiam liberi ejus in ejusdem sunt potestate tamquam nepotes. Sic etenim Divus Augustus non ante Tiburtium adoptavit, quam is Germanicum adoptasset; ut protinus adoptione facta, inciperet Germanicus Augulii nepos esse.

**EFFECTUS** adoptionis duplex est advertendus. Prior est, ut per adrogationem non tantum adrogatus transeat in potestatem adrogantis, sed etiam liberi homines qui erant in potestate adrogati. Imò vero omnia etiam ipius bona similiter transeunt ex jure veteri, pleno jure. Sed ex constitutione Justiniani, solus ejusmodi bonorum ususfructus pertinet ad adrogatorem, nudâ proprietate penes adrogatum remanente, *toto tit. infra de acqu. per adrog.* Verum hic juris effectus cessat in adoptione speciali, quia filius familias neque ullam personam neque rem usum habet quam transferat, cum ipse sit aliena potestatis, *l. 21. ff. ad L. Jul. de adult.*

*Ad §. ult.*

**A**PUD Catonem bene scriptum refert antiquitas, servos, si à domino adoptati sint, ex hoc ipso posse liberari. Unde & nos eruditi, in nostra constitutione etiam cum servum quem dominus actis intervenientibus filium suum nominaverat, liberum esse constituimus; licet hoc ad jus filii accipiendum non sufficiat.

**A**LTER effectus adoptionis est, ut servi adoptio effectum quidem adoptionis habeat, quia servi nullam habent juris civilis communionem, *l. 20. ff. qui testam. fac. poss. tum etiam quia libertis non licebat olim per adoptionem iura ingenuorum invadere, Gell. lib. 5. cap. 19. ac proinde nec servis id debuit licere, quorum non debet esse melior conditio. Hæc tamen adoptio vim habet manumissionis, ut à Catone acceptum veteres referebant. Hoc ius ampliavit Imp. hoc loco; ita ut si dominus servum suum apud acta, id est coram Magistratu,*

gistratu; filium suum nominaverit; eo ipso servus libereretur. Appellantur autem acta † commentarii publici, in quibus ea referuntur quæ in consistorio Principum vel Magistratum gesta sunt. (*les registres du Greffier.*)

## A P P E N D I X

*De diversis effectibus adoptionis & nature.*

**T**U V A T h̄c corollarii vice adjicere, & quasi per indicem enumerare varios adoptionis effectus, quibus liberi adoptivi à naturalibus distinguntur: 1. quidem licet adoptare in locum nepotis, quamvis filium quis non habeat, §. licet h. t. Præterea in liberis adoptivis non servatur ordo naturæ, §. & tam filium sup. eod. 3. Filius adoptivus potest emancipari invitus, *l. cùm quidam ff. de v. obl.* non verò naturalis, *l. pen. C. b. t.* 4. Filius naturalis emancipatus, in potestatem patris sui honestè reverti potest, *l. 12. & l. 41. ff. b. t.* adoptivus non item, *l. 37. ff. eod.* 5. Per naturam jura cognitionis & agnationis acquirentur; per adoptionem verò agnati fieri possunt, non autem cognati, *l. 23. ff. b. t. & l. 7. ff. de in jus voc.* 6. Liberi naturales prosunt ad excusationem publicorum munerum, non verò adoptivi, *in. pr. de excus. infra.* 7. Sublatâ patris adoptivi per emancipationem potestate, nullum è pristino remanet vestigium, *l. 13. & sequ. ff. b. t.* At verò emancipatis liberis naturalibus multa remanent juris anterioris vestigia, videlicet quantum ad nuptias, §. inter eas sub tit. & quantum ad successiones & tutelas, §. emancipatos *infra de exher. lib. §. emancipati inf. de her. que ab int. defer. & Nov. 118. cap. 4.* 8. Denique positâ in testamento hac conditione si liberos reliquerit, adoptivi liberi non continentur, sed naturales dumtaxat, *l. 51. ff. de leg. 2.*



## T I T U L U S X I I.

*Quibus modis ius patræ potestatis solvitur.**Ad Princeps.*

**V**IDEMUS nunc, quibus modis ii, qui alieno juri sunt subiecti, eo jure liberentur. Et quidem quemadmodum liberentur servi à potestate dominorum, ex iis intelligere possumus, quæ de servis manumittendis superius exposuimus. Hi verò, qui in potestate parentis sunt, mortuo eo, sui juris fiunt. Sed hoc distinctionem recipit. Nam mortuo patre, sane omni modo filii filiaeve

sui juris efficiuntur : mortuo verò avo , non omnino nepotes neptesve sui juris fiunt ; sed ita , si post mortem avi in potestatem patris sui recasuri non sunt. Itaque si moriente avo pater eorum vivit , & in potestate patris sui est , tunc post obitum avi in potestate patris sui fiunt. Si verò is , quo tempore avus moritur , aut jam mortuus est , aut [ per emancipationem ] exiit de potestate patris ; tunc ii , qui in potestatem ejus cadere non possunt , sui juris fiunt.

**P A T R I A** potestas septem modis solvitur , morte naturali , deportatione , servitute pœnae , dignitate Patriciatūs , captivitate , emancipatione , & adoptione .

Mors naturalis quamvis dominicam potestatem non dirimat , patriam tamen solvit ; quia hæc cohæret personæ , ideoque ad hæredem non transmittitur ; *I. non solum §. tale ff. de lib. leg.* Mortuo tamen avo paterno , nepotes recidunt in potestatem patris , si modò vivat pater & integri juris sit. Aliud dicendum est , si pater mortuus fuerit vel emancipatus ; quia is pro extraneo & aliquatenus pro mortuo habetur. Absurdum autem esset dicere , nepotem recidere in potestatem mortui vel extranei .

#### Ad §. I.

**C**UM autem is qui ob aliquod maleficium , in Insulam deportatur , civitatem amittit ; sequitur , ut qui eo modo ex numero Civium Romanorum tollitur , perinde quasi eo mortuo , desinant liberi in potestate ejus esse. Pari ratione & si is , qui in potestate parentis sit , in Insulam deportatus fuerit , desinit esse in potestate parentis. Sed si ex indulgentia Principis restituti fuerint , per omnia pristinum statum recipiunt.

**D E P O R T A T I O †** est pœna quâ quis in Insulam mittitur propter aliquod maleficium capitale ; ita ut extra eam vagari non possit , & jura civitatis amittat , *I. 6. in pr. ff. de interd. & releg.* atque ita Cives Romani cùm ad peregrinatatem redigantur , *I. 10. §. sed si ff. de ius voc.* & cùm pro mortuis habeantur , *I. verum §. intercunt ff. pro socio* ; jura patriæ potestatis amittunt , quæ est propria Civium Romanorum , *§. pen. sup. de parr. pot.*

#### Ad §. Relegati.

**R**ELEGATI autem patres in Insulam , in potestate liberos retinent. Et ex contrario liberi relegati , in potestate parentum remanent.

**R E L E G A T I O** quæ deportationi similis esse videtur , † est pœna quâ quis

in Insulam mittitur, ut ex ea egredi non possit, salvo tamen jure civitatis, l. 4. ff. de interd. & releg. Unde sequitur, relegatione non tolli patriam potestatem, sed deportatione dumtaxat. Differunt præterea deportatio & relegatio, quia semper deportatio fit in perpetuum, & continet semper publicationem bonorum, l. 14. §. 1. & l. 18. ff. eod. Relegatio autem plerumque fit ad tempus & sine bonorum ademptione. Dixi plerumque, quia interdum relegatio fit in perpetuum & cum ademptione bonorum, d. l. 14. & l. 7. §. 2. ff. eod.

*Ad §. Pœna.*

**P**OENÆ servus effectus, filios in potestate habere desinit. Servi autem pœnæ efficiuntur, qui in metallum damnantur, & qui bestiis subjiciuntur.

**S E R V I T U S** pœnæ † est perpetua ad pœnam aliquam additio propter aliquid maleficium capitale, ita dicta, quod servi pœnæ [ alium ] nullum dominum habeant quam ipsam pœnam cui addicti sunt, l. sunt quidam ff. de pœnis, quales sunt qui ad ferrum, vel ad bestias, vel in metallum damnati sunt. Hæc solvit patriam potestatem, quia servi pœnæ pro mortuis habentur. Idemque est de alio quolibet genere servitutis. Verum hodie servitus pœnæ sublata est, Nov. 22. Just. cap. 8.

*Ad §. Filiusfamilias.*

**F**ILIUSFAMILIAS si militaverit, vel si Senator, vel Consul factus fuerit, remanet in potestate patris. Militia enim, vel Consularis dignitas de patris potestate filium non liberat. Sed ex constitutione nostra summa Patriciatûs dignitas illico, Imperialibus codicillis præstitis, filium à patria potestate liberat. Quis enim patiatur, patrem quidem posse per emancipationis modum potestatis suæ nexibus filium liberare; Imperatoriam autem celsitudinem non valere eum, quem sibi patrem elegit, ab aliena eximere potestate?

**P A T R I C I O R U M** nomen pro varietate temporum varias habuit notiones: & primò quidem antiquissimis temporibus, Patricii † nihil aliud erant quam ingenui, ut testatur Festus in voce *Patricius*, quo pertinet illud Decii Muris apud Livium lib. 10. *An Roma unquam fando audistis, Patricios primò esse factos, non de cælo demissos?* sed qui Patrem cire possent, id est nihil ultra quam ingenuos. Deinde hoc nomen datum est Senatoribus, teste Plutarcho in Romulo: quæ duplex acceptio ratiō invenitur. Tertia acceptio fuit, ut filii Senatorum, & quicumque essent ex gente Senatoria, Patricii dicerentur. Hic loquendi usus teste Zozimo lib. 2. perseveravit usque ad tempora Constantini, qui quartum ejus vocis usum induxit ut Patricii appellarentur † quos Princeps sibi Consiliarios & quasi Patres assumpserat; ita dicti quod patres Principis cierentur, id est vocarentur. Quo sensu Rex Assuerus de Aman sic loquitur *Esther* cap. ult. ( tantam in se expertus humanitatem, ut Pater noster

vocatur.) Nec tamen unus fuit in Imperio Patricius, sed multi simul, *confusat ex actibus Concilii viij. Constantinopoli habiti sub Adriano II. Summo Pontifice.* Hæc est Patriciatus Dignitas, qua filium liberat patriæ potestate, illico Imperialibus codicillis præstis; *Dès aussi-tot qu'on lui en a baillé les provisions.* Quod ideo additur, quia Principes officia deferunt, missis vel traditis codicillis: & ex diverso codicillo auferunt, dum adimunt dignitates, l. 20. C. Theod. de Decurion. ubi codicillorum ademptio pro exauctoratione & dignitatis spoliatione accipitur.

Hujus privilegii duplex est ratio. Primam hoc loco affert Imp. quod non debeat Principi prohiberi, quod privatis permittitur, l. un. C. rem alienam gerent, non interd. rer. suar. alienat. Cum igitur privati possint patriæ potestati finem imponere emancipando filios suos per injuriosa rapismata; æquum erat ut Princeps posset concessio tanto honore, Patricios suos ab aliena eximere potestate, l. ult. C. de Consul. lib. 12. Alteram ipse affert rationem in Nov. sua 81. Nam si sancivimus ( inquit ) ut si quis servus sciente domino militiam aut quamlibet dignitatem adipiscatur, repente ab imperio liberetur, & in ipsam rapiatur ingenuitatem, quomodo non est justum tantos promerentem codicillos, non etiam paternâ potestate liberum fieri? Quâ etiam Novellâ cap. 1. Praefectis Prætorio, Praefectis urbi, Magistris militum, & Consulibus tam honorariis quam ordinariis, eadem prærogativa concessa est. Episcopis denique idem jus concessit cap. 3. hac ratione additâ. ( Qui enim sunt omnium spirituales Patres, quomodo sub aliorum potestate constitant? )

*Ad §. Si ab hostibus.*

**S**i ab hostibus captus fuerit parens, quamvis servus hostium fiat, tamen pendet jus liberorum propter jus postliminii; quia hi, qui ab hostibus capti sunt, si reversi fuerint, omnia pristina jura recipiunt: idcirco reversus etiam liberos habebit in potestate; quia postliminium fingit eum, qui captus est, in civitate semper fuisse: si verò ibi decesserit, exinde, ex quo captus est pater, filius sui juris fuisse videtur. Ipse quoque filius, neposve, si ab hostibus captus fuerit; similiter dicimus propter jus postliminii, jus quoque potestatis parentis in suspenso esse. Dictum est autem postliminium à limine, & post. Unde eum, qui ab hostibus [captus est, & ] in fines nostros postea pervenit, postliminio reversum rectè dicimus. Nam liminia, sicut in domo finem quemdam faciunt; sic & impérii finem esse limen veteres voluerunt. Hinc & limen dictum est, quasi finis quidam & terminus: ab eo postliminium dictum est, quia ad idem limen revertetur, quod amiserat. Sed & qui captus viatis hostibus recuperatur, postliminio rediisse existimatur.

**CAPTIVITATE** non tam tollitur quam suspenditur patria potestas, propter jus postliminii & fictionem Legis Cornelii. Postliminium † est jus rei amissa recipienda ab extraneo, & in pristinum statum restituenda inter nos ac libe-

tos omnes populos ac Reges, legibus & moribus constitutum, l. postlimium 19. in pr. ff. de capt. & postlim. rev. Vel clarius. Postliminium † est jus, quo personæ & res ab hostibus liberata, ita restituuntur in pristinum statum, ut numquam apud hostes fuisse videantur. Lex autem Cornelia cavebat, ut qui in hostium potestate decessisset, quoad testamenta & alia censeretur in ipso momento captivitatis decessisse, l. 17. ff. cod. & l. 12. ff. qui testam. fac. poss.

## Ad §. Preterea.

**P**RÆTEREA emancipatione quoque desinunt liberi in potestate parentum esse. Sed emancipatio anteà quidem vel per antiquam legis observationem procedebat, quæ per imaginarias venditiones, & intercedentes manumissiones celebrabatur, vel ex imperiali rescripto. Nostra autem providentia etiam hoc in melius per constitutionem reformavit; ut fictione pristinâ explosâ, rectâ viâ ad competentes Judices vel Magistratus, parentes intrent; & filios suos, vel filias, vel nepotes, vel neptes, ac deinceps, à sua manu dimittant. Et tunc ex edicto Prætoris in bonis hujusmodi filii, vel filiae, vel nepotis, vel neptis, qui quæve à parente manumissus, vel manumissa fuerit, eadem jura præstantur parenti, quæ tribuuntur patrono in bonis liberti. Et præterea si impubes sit filius, vel filia, vel cæteri; ipse parens ex manumissione tutelam ejus nanciscitur.

**E**MANCIPATIO quantum ad vim vocabuli † nihil est aliud quam imaginaria venditio, §. 1. *infra de testam.* sed usus invaluit ut significetur eo nomine † actus legitimus quo patria potestas dissolvitur. Ejusque nominis ratio oritur ex antiquo ritu liberandi filios à patria potestate. Sunt autem † species tres emancipationis distinguendæ, Legitima, Anastasiana, & Justinianæ. Legitima † siebat per triplicem mancipationem & totidem manumissiones in filiis, & per unam tantum venditionem & unam manumissionem in filiabus & aliis liberis per virilem sexum descendantibus, *Ulp. tit. 10.* In hoc genere emancipationis pater plerumque contrahebat fiduciam; id est in tertia filii venditione, & in prima venditione cæterorum liberorum adjiciebat conventionem de filio suo sibi remancipando seu retro-vendendo; ut ipse pater filium suum sibi retro-venditum posset manumittere: atque ita jura patronatus ad se potius quam ad extraneum mancipem seu emptorem pervenirent. Sed si pater filium suum vendens extraneo, fiduciam non contraxisset, extraneus emperor illum filium coram Prætore manumittebat, & vi illius manumissionis jura patronatus in personam ipsius consequebatur; patremque naturalem à successione ipsius iure civili excludebat. Fiducia igitur hoc loco † est remancipandi sive retro-vendendi lex venditioni apposita (*un pacte de rachât.*) Ex quibus appetet verissimum esse quod ait *Ulp. in l. 1. in pr. ff. si à parente quis manum. sit, filium emancipatum liberti exitum pati.*

Emancipatio Anastasiana † ex constitutione Imp. Anastasiī siebat solo rescripto Principis impetrato, & apud competentem Judicem actis insinuato, l. pen. C. de emarc. liberorum. Justinianæ denique emancipatio † est illa quam ex constitutione Justiniani pater facit, recta cundo ad competentem Judicem, sine illa venditione, aut imprestatione rescripti, l. ult. C. cod. ubi etiam adjectit velle se ut pater fiduciam semper contraxisse intelligatur, §. ult. infra de leg. agnat. success.

*Ad §. Admonendi.*

**A**D MONENDI autem sumus, liberum arbitrium esse ei, qui filium & ex eo nepotem vel neptem in potestate habebit, filium quidem de potestate dimittere; nepotem vero vel neptem retinere: & è converso filium quidem in potestate retinere, nepotem vero vel neptem manumittere, vel omnes sui juris efficere. Eadem & de pronepote & pronepte dicta esse intelligantur.

**Q**UAMVIS non licet patri augere familiam filii sui, nisi ipse consentiat; nec ex hac causa invito filio suus haeres agnascatur, §. sed si quis sup. de adopt. & l. 16. §. 1. ff. de rit. nupt. dubium tamen non est, quin possit filii familiam sine consensu filii minuere; nepotem ex filio natum sine consensu filii emancipare, aut in adoptionem alteri dare, retento filio in potestate: vel ex diverso emancipare filium, & nepotem in familia retinere; aut utrumque simul manumittere, & sui juris efficere, l. 28. ff. de adopt. Quibus casibus fiet, ut nepos neque in potestate, neque in familia patris sui post mortem avi futurus sit. Ratio diversitatis pendet ex eo quod in priore casu magnum est onus, quod patri ab avo imponitur; in posteriore vero, per exigua ac ferè nulla jactura ipsius esse videtur, quæ per emancipationem ab avo factam ipsi contingit. Neque hoc jus liberos pro arbitrio emancipandi, mirum aut nimium hodie videri debet in persona parentum quibus olim jus vitaæ ac necis in filios competebat, l. 11. ff. de lib. & post. l. ult. C. de parr. pot. & l. non debet 21. ff. de reg. jur.

*Ad §. Sed & si pater.*

**S**E & si pater filium, quem in potestate habet, avo vel proavo naturali secundum nostras constitutiones super his habitas, in adoptionem dederit; id est, si hoc ipsum actis intervenientibus apud competentem Judicem manifestaverit, præsente eo, qui adoptatur, & non contradicente, nec non eo [præsente] qui adoptat; solvit quidem jus potestatis patris naturalis: transit autem in hujusmodi parentem adoptivum, in cuius persona & adoptionem esse plenissimam anteà diximus.

**ADOPTIO** non tam solvit patriam potestatem, quam transfert secundum distinctionem quæ superiori tit. tradita est, §. sed hodie.

*Ad §. pen.*

**I**L V D autem scire oportet, quod si nurus tua ex filio tuo con-  
cepit, & filium postea emancipaveris, vel in adoptionem de-  
deris, prægnante nuru tuâ; nihilominus quod ex ea nascitur, in  
potestate tua nascitur. Quod si post emancipationem, vel adoptio-  
nem conceptus fuerit; patris sui emancipati, vel avi adoptivi po-  
testati subjicitur.

**D**UO supersunt circa patriam potestatem advertenda. Prius est, quod li-  
beri ex justis nuptiis procreati, non ex nativitatis; sed ex solo conceptionis  
tempore familiam sortiuntur; quia ex illo conceptionis tempore, jam in rerum  
natura esse creduntur, *l. qui in utero ff. de stat. hom.* ideoque filius conceptus  
priusquam pater Senatu moveretur, Senatoris filius intelligitur, *l. 7. §. 1. ff.*  
*de Senat.*

*Ad §. ult.*

**E**T quidem neque naturales liberi, neque adoptivi ullo penè  
modo possunt cogere parentes, de potestate sua eos dimittere.

**S C I E N D U M** est insuper, parentes naturales aut adoptivos nullo penè mo-  
do cogi posse à liberis suis ut de potestate sua eos dimittant; ne quidem ex  
rescripto Principis, quia Principes non solent cuiquam tribuere beneficia  
in tertii detrimentum, *l. 4. C. de emanc. lib.* & *l. non potest ff. de adopt.* &  
*emanc.* Dixi penè, propter aliquas hujus regulæ exceptions. Nec placet hu-  
jus particula omisso apud Theophilum. Primi enim ille qui impubes adro-  
gatus est, auditur pubes factus, si emancipari desideret, *l. nonnumquam ff. eod.*  
Idem dicendum est de patre naturali, qui legatum eâ lege sibi relictum ut  
filium suum emanciparet, agnovit, *l. si cui ff. de condit.* & demonstr. quia eam  
legem sibi ipse dixisse intelligitur: nec non etiam de illo, qui filium suum  
male contra pietatem afficerit, *l. ult. si à par. quis manum. sit;* quia privilegium  
amittere meretur qui concessâ sibi abutitur potestate; & multò magis de parte  
Lenone, qui filiabus suis peccandi necessitatem imponit, *L. si Lenones, C. de*  
*Episc. audient.*



## T I T U L U S X I I I.

### D E T U T E L I S.

*Ad Princ.*

**T**RANSEAMUS nunc ad aliam divisionem personarum. Nam  
ex his personis, quæ in potestate non sunt, quædam vel in tu-

tela sunt , vel in curatione , quædam neutro jure tenentur. Videamus ergo de his , quæ in tutela , vel in curatione sunt. Ita enim intelligemus cæteras personas , quæ neutro jure tenentur. Ac prius despiciamus de his , quæ in tutela sunt.

**P E R S O N A E** quæ sui juris sunt , id est quæ non sunt neque in potestate parentum , neque in potestate dominorum , ita subdividuntur. Quædam † sunt in tutela ; quædam in curatione ; quædam neutro genere tenentur ; id est neutra potestate.

*Ad §. I.*

**E**st autem tutela / ut Servius definivit / vis ac potestas in capite libero ad tuendum eum , qui propter etatem se defendere nequit , jure civili data ac permisla.

**T U T E L A** † est vis ac potestas in capite libero ad tuendum eum qui propter etatem se defendere nequit , jure civili data ac permisla. Dicitur 1. *vis ac potestas* , id est jus , sicut rectè explicat Theoph. *§. καὶ ἔν* Dicitur 2. *in capite libero* , id est in caput seu personam pupilli qui sui juris est , & liberatus patriæ potestate ; quia filiis familias tutorem habere non possunt. Idque adeò verum est , ut etiam dum pendet eorum status , id est dum pater est apud hostes , tutor eis dari non possit ; sed curator substantiæ dari debeat , ne medio tempore pereat , *l. muto 6. §. ult. ff. hoc tit.* & ponitur hoc loco ablativus pro accusandi casu , sicut in *L. 12. tab.* ( Si quis furiosus existat agnitorum & gentilium in eo pecuniâque ejus potestas esto ) id est in eum & pecuniam ejus. Sic etiam usus fructus dicitur esse jus in corpore certo , *l. 2. ff. de usufr.* Dicitur 3. *ad tuendum eum* , id est ad tuendam personam ; & in hoc distinguitur à curatione : quia tutor datur pupillis ; curator autem rebus , *§. item tria inf. de excus. tut. vel curat.* Dicitur 4. *propter etatem* , videlicet pupillarem , quia tutoris potestas non est perpetua sicut patria & dominica , sed temporalis , quippe quæ pubertate finitur. Quo sensu dixit eleganter Paulus Orosius , inter Babylonicum & Romanum Imperium , quasi inter patrem & filium parvum , Africanum , & Macedonicum brevia ac media , quasi tutorem curatoremque venisse ; potestate temporis , non jure hæreditatis admisâ. Dicitur 5. *jure civili* , id est quocunque jure civili ; nec solùm *L. 12. tab.* sed etiam *L. Attiliā* , moribus & Senatus consultis , sive quovis alio jure ex quo tutor datur. Non tamen male id exponi solet de *L. 12. tab.* quia non est novum priores leges trahi ad posteriores , vice versa posteriores ad priores ; *l. non est novum & seq. ff. de leg. & S. C.* Dicitur denique *data ac permisla* ; quia in libera civitate , ubi æqualis est omnium libertas , non potest quisquam habere potestatem in alium , nisi fuerit lege concessa. Rectè autem mihi videtur Theoph. noster has duas voces unico vocabulo expressisse *ἐπιτέ* , *τραμμένη* , *permisla*. Quâ interpretatione adhibitâ , definitio tutela generalis est , neque ulla vis fit textui , sicut accidit cum particula conjunctiva & explicatur disjunctivè ; pro particula aut : ita ut sit sensus , permisam esse testamentariam , legitimam vero esse datam jure civili.

*Ad*

deservit in omni causa regis de his quibus illi non iuris sollebat, possibilia enim  
ordine hominis exercitando recte. *Ad 5. Tutores.*

**T**UTORES autem sunt, qui eam vim ac potestatem habent,  
exque ipsa re nomen acceperunt. Itaque appellantur tutores,  
quasi tutores atque defensores; sicut æditui dicuntur, qui ædes  
tuentur.

**TUTORES** sunt qui eam vim ac potestatem habent, exque ipsa re, id est  
ex ipso facto sive tuitione nomen acceperunt. Sic & alias rei nomen pro facto  
sepiissime accipitur in pr. inf. de obl. qua ex del. nasc.

*Ad 5. Permissum est.*

**P**ERMISSUM est itaque parentibus, liberis impuberibus;  
quos in potestate habent, testamento tutores dare. Et hoc in  
filios, filiasque procedit omnimodo. Nepotibus vero neptibusque  
ita demum parentes possunt testamento tutores dare, si post mor-  
tem eorum in potestatem patris sui non sunt recasuri. Itaque si fi-  
lius tuus mortis tuae tempore in potestate tua sit, nepotes ex eo non  
poterunt [ ex ] testamento tuo tutores habere, quamvis in potes-  
tate tua fuerint; scilicet quia mortuo te, in potestatem patris sui  
recasuri sunt.

**TUTELÆ** quatuor sunt species; testamentaria, legitima, fiduciaria, &  
dativa.

Tutela testamentaria † est illa, quam pater vel avus testamento constituit  
liberis suis impuberibus, quos in potestate habet, & qui non sunt in potesta-  
tem alterius recasuri. Uno verbo tutela testamentaria † est illa quæ liberis il-  
lis qui sui hæredes sunt, parentum testamento constituitur.

*Ad 5. pen.*

**C**UM autem in compluribus aliis causis posthumo pro iam na-  
tis habeantur; & in hac causa placuit non minus posthumis,  
quam jam natis testamento tutores dari posse; si modò in ea causa  
sint, ut si vivis parentibus nascerentur, sui [ hæredes ] & in po-  
testate eorum fierent.

**QUAMVIS** autem posthumo priusquam nascantur in patris potestate non  
sint, l. ult. ff. de collat. bonorum, posthumis tamen tutor recte datur testamento;  
quia qui in utero sunt pro iam natis habentur, quoties de commodis eorum  
agitur, l. qui in utero ff. de statu hom. Hoc tamen jus non pertinet ad posthu-

mos alienos, sed ad illos tantum qui sui sunt; id est qui tales sunt, ut si vivo testatore nati essent, primum gradum in familia ejus obtinerent, quod libro sequenti diligentius exponetur.

*Ad §. ult.*

**S**E & si emancipato filio tutor à patre datus fuerit testamento, confirmandus est ex sententia Præsidis omnimodo; id est, sine inquisitione.

**S**IMILITER quoque, licet filii emancipati non sint in potestate patris, tutor tamen filio emancipato datus testamento patris, confirmatur sine inquisitione. Inquisitio † est morum ac facultatum tutoris diligens observatio à Magistratu facta. *Une enquête des vie & mœurs & biens d'un tuteur.* Quod jus ea ratione niti videtur, quod nullus affectus sit, qui vincat paternum, *i. ult. in pr. Cod. de curat. furiosi & prod.* ideoque pater filiis rectè prospexit censemur, *i. 3. §. 1. ff. de admin. tut.* Unde fit etiam ut tutores testamentarii satisdat non cogantur, *in pr. infra de satisdat. tut. vel curat.*

## T I T U L U S X I V.

### **Q**U I T E S T A M E N T O T U T O R E S dari possunt.

*Ad Print.*

**D**ARI autem tutor potest testamento non solum patresfamilias, sed etiam filiusfamilias.

**D**ARI possunt testamento tutores, non solum patresfamilias, sed etiam filiusfamilias; quia in muneribus publicis, (*cujusmodi est munus tutelæ*) filiusfamilias pro patresfamilias habetur, *i. filiusfamilias, ff. de his qui sunt sui vel alienis juris.*

*Ad §. 1.*

**S**E & servus proprius testamento cum libertate rectè tutor dari potest. Sed sciendum est, eum & sine libertate tutorem datum, tacite libertatem directam accepisse videri, & per hoc rectè tutorem esse. Planè si per errorem, quasi liber, tutor datus sit; aliud dicendum est. Servus autem alienus pure inutiliter testamento datur tutor; sed ita, *cum liber erit*, utiliter datur: proprius autem servus inutiliter eo modo tutor datur.

QUIN etiam testamento dari possunt tutores servi, non solum proprii, sed etiam alieni. Proprium quidem servum cum libertate, recte tutorem dari perspicuum est. v. g. Stichus servus meus liber esto, & tutor filiorum meorum. Ex diverso quoque certum est servum, nisi post acceptam libertatem tutorem esse non posse; quia servus nullam habet Juris Civilis aut Juris Prætorii communio-nem, l. 20. §. servus ff. qui testam. fac poss. & quia quod ad jus civile attinet pro-nullo habetur, l. quod attinet ff. de reg. Jur. Sed quæstum est de illo, qui tes-tamento datus est tutor, sine ulla mentione libertatis; non quidem an libertas ei competeteret: nam de ea re semper constituit, favore libertatis & pupilli; sed an directa ei libertas vel fideicommissaria deberetur. Directa libertas† est illa quæ verbis directis relictæ, competit ipso jure, & statim ab adita hæreditate. Fideicommissaria vero† est illa quæ verbis precariis relinquitur, vel ex sola vo-luntate defuncti debetur, nec acquiritur priusquam servus ab hærede vel ab alio fuerit manumissus. De utraque fusiū sub finem libri sequentis agetur, Deo propitio. Interim tamen necessarium est advertere, circa fideicommissa-rias libertates cautum esse Senatus-consulto Dasumiano; ut si ex justa causa abesset, qui alicui servo fideicommissariam libertatem deberet, perinde libertas ei competeteret, ac si ut oportet facta fuisset manumissio, l. non tantum §. Se-natus-consulto, ff. de fideicomm. libert.

Itaque si filio suo impubere hærede instituto, pater fideicommissariam liber-tatem dedisset, eumque eidem filio tutorem dedisset testamento, non poterat pupillus eum servum manumittere sine auctoritate tutoris, in pr. inf. de aut. tut. nec rursus poterat ei pupillo alius tutor dari à Magistratu, ut ejus auctori-tate pupillus eum servum tutorem futurum manumitteret; quia tutorem habenti, id est illi cui testamento datus est tutor, alius tutor dari non potest, l. idem §. 1. ff. b. t. Placuit igitur eo casu pupillum pro absente haberī: ita ut ex Senatus-consulto, servo primum libertas competeteret, deinde tutela ex judicio defuncti. Paulus lib. 4. recept. sent. tit. 13. §. ult.

Quibus ita suppositis, advertendum est ex veteri juris prudentia, servo sine libertate tutori dato, fideicommissariam libertatem deberi, l. 10. §. ult. ff. cod. & l. 9. C. de fideicomm. libert. Quocirca ex Senatus-consulto Dasumiano pri-mum libertas, deinde tutela servo illi, ut diximus, competebat. Verum ex Jus-tiniiani constitutione directa ei libertas competit ex tacita defuncti voluntate, & prætermisso omni circuitu illius Senatus-consulti, leg. pen. C. de neceff. servis hered. instit.

Aliud dicendum est si eum servum, quem sine libertate tutorem dedit, do-minus liberum esse crediderit; quia errantis nulla est voluntas, nullusque ejus præsumitur esse consensus, l. 8. & 9. C. de jur. & fact. ignor. aut si dederit eum tutorem cum hac additione, cum liber erit, quia nullus est ei animus dandæ li-beratis, cum in incertum fortunæ eventum contulerit quod ex mero ipsius pender arbitrio. Neque enim in incertum eventum conferri debet quod in nostra est potestate, l. 21. & seq. ff. de cond. instit.

Servus alienus recte tutor datur hac formulâ, cum liber erit; vel quod perinde est, si liber erit; sed purè non recte datur tutor, secundum prima juris principia quæ traduntur in his libris Institutionum. Verum pupilli favore & publicæ utili-tatis æquius, melius visum est admittendam esse libertatem fideicommissariam in persona ejus qui tutor scriptus est, nisi voluntas testatoris aperiissime refragetur.

## Ad §. Furiosus.

**F**URIOSUS, vel minor viginti-quinque annis tutor testamento datus, tutor tunc erit, cum compos mentis, aut major viginti-quinque annis fuerit factus.

A DEO autem tutoris dationem à patre factam Lex approbat, ut quamvis furiosus vel minor viginti-quinque annis datus fuerit testamento tutor, nihilominus tamen valeat hæc patris voluntas, non quidem ut statim hujusmodi personæ tutelam suscipiant; neque enim alios defendere possunt qui indigent in causis propriis alio defensore, l. ult. C. de legit. tut. sed ut tunc demum tutores sint, cum sapere cœperint, aut etatem legitimam asecuti fuerint, l. 10. §. ult. ff. b. t. quasi hæc insit tacita conditio, cum sapere cœperint, vel cum maiores facti fuerint. Interim verò curator pupillo dabitur, l. 10. §. si libertus, ff. de excus. non alias tutor, quia tutorem habenti non datur tutor.

## Ad §. Ad certum tempus.

**A**D certum tempus, vel ex certo tempore, vel sub conditione, vel ante hæredis institutionem posse dari tutorem, non dubitatur.

POTEST autem dari tutor in testamento, non tantum pure, sed etiam sub conditione & ex certo tempore & usque ad certum tempus; quia *Lege 12. tab. amplissima potestas data est patribus familias disponendi pro arbitrio suo de tutela liberorum suorum, his verbis: Ut paterfamilias super pecunia tute-lave rei sua legasset, ita jus esto.* Aliud dicendum de illa tutoris datione, quæ fit à Magistratu, quia hæc tutoris datio est ex numero actuum legitimorum, qui vitiantur per expressam diei vel conditionis adjectionem, l. actus legitimi 77. ff. de reg. Jur.

## Ad §. penult.

**C**ERTA autem rei vel causæ tutor dari non potest; quia persona, non causæ, vel rei [tutor] datur.


**C**ERTA rei vel certa causæ non rectè datur tutor regulariter, quia persona non causæ tutor datur, principaliter scilicet. Per consequencias tamen hoc evenit, ut tutor pupillo datus, ad universum ejus patrimonium datus esse credatur, l. 21. §. licet ff. de excusat. & §. datus inf. eod.

## Ad §. ult.

**S**I quis filiabus suis vel filiis tutores dederit, etiam posthumæ [vel posthumo] dedisse videtur; quia filii vel filiæ appellatio-

ne, & posthumus & postuma continentur. Quod si nepotes sint, an appellatione filiorum & ipsis tutores dati sint, dicendum est, ut & ipsis quoque dati videantur; si modò liberos dixerit. Ceterum si filios non continebuntur. Aliter enim filii, aliter nepotes appellantur. Planè si posteris dederit, tam filii posthami, quam ceteri liberi continebuntur.

IN designatione autem personæ cui tutor testamento datur plurimum interest distinguere, quibus verbis testator usus fuerit. Nam si dixerit se dare tutores liberis suis, eo nomine & filiis & filiabus, & nepotibus & neptibus, ac deinceps ceteris dedisse videtur, sive jam nati sint, sive adhuc nascituri. Si vero dixerit se filiis tutores dare, filii quidem jam nati & filiae jam natae, necnon etiam posthami filii & filiae posthumæ continentur; non tamen nepotes jam nati vel posthami cujuscumque sexus fuerint, quia nomen filiorum intraprimum gradum consistit, neque extenditur ad nepotes. Denique si dixerit testator se posthumis tutores dare; non solum filii posthami, sed etiam nepotes & ceteri liberi posthami utriusque sexus continentur, ut recte Theoph. noster interpretatur. Neque legendum est hoc loco *postoris pro posthumis*. Hæc enim lectio repugnat expresso textui in l. 6. ff. b. t. unde hic locus descriptus est.



## TITULUS XV.

### DE LEGITIMA AGNATORUM TUTELA.

*Ad Princ.*

**Q**UIBUS autem testamento tutor datus non est, his ex Lege duodecim tabularum agnati sunt tutores, qui vocantur legitimi.

LEGITIMA tutela † est illa, quæ certis personis competit, ex L. 12. tab. ab intestato, id est deficiente omnino tutele testamentario. Dixi omnino; quia legitima tutela numquam est locus, quamdiu est aliquis vel speratur tutor testamentarius. Est autem † triplex legitima tutela, agnatorum scilicet, patronorum, & parentum. Agnatis quidem desertur tutela expressis verbis Legis, summa ratione, ut qui sperarent commodum successionis, iidem tuerentur bona, ne pessum irent & dilapidarentur, l. 1. in pr. ff. b. t. & quia ubi est successio- nis emolumentum, ibi & tutelæ onus esse debet, tot. tit. inf. de leg. pat. tut.

*Ad §. I.*

**S**UNT autem agnati, [ cognati ] per virilis sexus cognationem conjuncti, quasi à patre cognati; veluti frater [ ex ] co-

dem patre natus, fratri filius, neposve ex eo item patruus, & paterui filius, neposve ex eo. At qui per foemini sexus personas cognitione junguntur, agnati non sunt; sed alias naturali jure cognati. Itaque amitæ tuæ filius non est tibi agnatus, sed cognatus; & invicem tu illi eodem jure conjungeris, quia qui [ ex ea ] nascuntur, patris, non matris familiam sequuntur.

**A G N A T I** sunt cognati per virilis sexus cognitionem conjuncti, sicut expositum est ad §. inter eas sup. de nupt. Quamvis autem per foeminas agnatione non fiat, agnatorum tamen numero foeminae continentur, §. ceterum infra de leg. agn. succ. Neque obstat quod Ulp. afferit in tit. de tut. agnatos esse à patre cognatos, virilis sexus, per virilem sexum descendentes. Hac enim verba *virilis sexus* non ideo addidit, ut excluderet foeminas ab agnatione, sed tantum à tutela, de qua sola agitur eo tit. quia tutela virile munus est, l. un. C. quando mul. tut. off. fun. poss. Similiter quoque non obstat quod idem Ulp. ait in l. 2. §. 1. ff. de suis & leg. hered. agnatos esse cognatos virilis sexus, ab eodem ortos; quia eo loco, ut constat ex rubrica, illi tantum agnati definitur, qui sunt legitimi heredes: ideoque foeminae excluduntur, quia ante constitutionem Justiniani foeminae non succedebant jure agnationis, sed solo jure consanguinitatis, id est, ita demum si sorores essent, §. ceterum, infra de leg. agn. success. Nigrum autem, ut anteà diximus, debet intelligi secundum rubrum.

*Ad s. pen.*

**Q**UOD autem [ Lex duodecim tabularum ] ab intestato vocat ad tutelam agnatos, non hanc habet significationem, si omnino non fecerit testamentum is, qui poterat tutores dare; sed si, quantum ad tutelam pertinet, intestatus decesserit. Quod tunc quoque accidere intelligitur, cum is, qui datus est tutor, vivo testatore decesserit.

**Q**UAMVIS ab intestato agnatos ad legitimam tutelam lex vocet, idem tam sentiendum est, cum defunctus testamentum fecit, in quo tutorem nullum dedit, aut eum dedit qui ipso vivo decessit: neque enim hoc verbum *ab intestato* habet hanc tantum significationem, si nullum omnino testamentum factum sit ab eo qui potuit testari; sed etiam si quantum ad tutelam attinet intestatus decessit. Et rectè addidit Theoph. noster particulam *tantum* hoc modo εμέρον, quæ in contextu desideratur juxta veterem loquendi modum. Sic enim in l. armorum 41. ff. de verb. sign. afferitur, armorum significatione, non utique scuta & gladios & galeas significari, sed & fustes & lapides. Quo etiam sensu accipendum videtur quod ait D. Paulus Ep. 1. ad Corinth. cap. 15. Non ego, sed gratia Dei mecum; id est, non ego solus.

*Ad §. ult.*

**S**E agnationis quidem jus omnibus modis capitinis diminutio ne plerumque perimitur; non agnatio juris [ civilis ] nomen est: cognationis vero jus non omnibus modis commutatur; quia civilis ratio civilia quidem jura corrumpere potest, naturalia vero non utique.

**A G N A T I O N I S** jura capitinis diminutione tolluntur, quod sequenti titulo expendumus.



## T I T U L U S X V I,

### D E C A P I T I S D I M I N U T I O N E.

*Ad Princ.*

**E**ST autem capitinis diminutio, prioris statūs mutatio. Eaque tribus modis accedit. Nam aut maxima est capitinis diminutio, aut minor ( quam quidam medium vocant, ) aut minima.

**C A P I T I S** diminutio † est prioris statūs mutatio. Estque † triplex, maxima, media, & minima; pro triplici statu, qui contingit hominibus, à natura, patria, & genere; libertatis scilicet, civitatis, & familiæ, l. 3. ff. de interd. & releg. cuius triplicis statūs occasione, triplicem personam in quolibet homine distinguimus, liberi hominis, civis Romani, & agnati. Personam autem caput vocamus à principali parte, cuius imago sit unde cognoscimur, l. 44. ff. de relig. & sumpt. fun. ideoque qui unam ex his personis amisit, dicitur capite diminutus.

*Ad §. I.*

**M**A X I M A capitinis diminutio est, cum aliquis simul & civitatem & libertatem amittit. Quod accedit his, qui servi poenae efficiuntur atrocitate sententiae; vel libertis, ut ingratis erga patronos condemnatis; [ vel his, ] qui se ad pretium participandum venundari passi sunt.

**M A X I M A** capitinis diminutio † est illa, per quam aliquis libertatem & civitatem amittit; puta si libertus propter ingratitudinem revocetur in servitutem?

aut si quis fiat servus poenæ. Hæc dicitur maxima, quia non potest fieri major iactura quam libertatis. Servitutem enim mortalitati comparamus, l. servitutem ff. de reg. Jur.

## Ad §. Minor.

**M**INOR, sive media capitum diminutio est, cum civitas quidem amittitur, libertas vero retinetur; quod accedit ei, cui aqua & igni interditum fuerit; vel ei, qui in Insulam deportatus est.

**M**EDIA capitum diminutio, quæ vocatur etiam minor, & interdum magna, † est illa, per quam civitas amittitur, libertas vero retinetur. Talis est deportatio. Quod dicitur in l. 5. §. ult. ff. de var. & extraord. cognit. per deportationem adimi libertatem; id pertinet ad libertatem justam & majorem, quæ propria est Civium Romanorum, §. libertinorum sup. de libertinis. Quo sensu ait M. Tull. in oratione pro Cecinna, liberum esse non posse, qui ex jure Quiritium liber non est. Id vero ad libertatem naturalem referri non debet; quia deportati retinent ea quæ sunt juris gentium, licet amittant ea quæ sunt juris civilis, l. 15. ff. de interd. & releg. unde fit ut nuptiæ deportatione solvantur, l. 56. ff. solut. matr. non vero matrimonium, l. 1. C. de repud.

## Ad §. Minima.

**M**INIMA capitum diminutio est, cum civitas retinetur & libertas, sed status hominis commutatur; quod accedit in his, qui cum sui juris fuerint, cooperunt alieno juri subjecti esse, vel contraria. [ Veluti si filius familias a patre emancipatus fuerit, est capite diminutus. ]

**M**INIMA capitum diminutio † est illa, per quam salvâ libertate & civitate solus status familie commutatur, qualis est adoptio vel emancipatio. Sed si filius per mortem naturalem aut civilem patris sui, aut per acquisitionem dignitatis fiat sui juris; non est ideo capite diminutus, quia retinet omnia jura agnationis & familie, l. 3. in fine ff. de S. C. Maced. & Nov. Just. 81. Hæc capitum diminutio dicitur salvo statu contingere, l. 1. §. capit. ff. ad S. C. Tertull. id est salvo statu publico, quem quis habet ut civis; non autem statu privato familie, seu statu hominis, ut Imp. hoc loco appellat.

## Ad §. Servus.

**S**Ervus autem manumissus, capite non minuitur; quia nullum caput habuit.

Ex his sequitur servos dum manumittuntur capite non minui; quia nullum caput habent, id est neque familiam, nec civitatem, nec libertatem, l. 3. §. 1. ff. h. r.

*b. t. & ut dicitur in l. sequ.* hodie, id est post manumissionem, incipiunt statum habere.

*Ad §. Quibus autem.*

**Q**UIBUS autem dignitas magis, quam status permutatur, capite non minuuntur; & ideo à Senatu motos capite non minui constat.

**S E N A T O R E S** quoque dum Senatu moventur; capite non minui certum est; quia dignitas senatoria ad nullum pertinet ex his statibus. Quamvis igitur existimatio eorum minuatur, *l. pen. ff. de var. & extraord. cognit. remanent tamen cives integri capitisi, l. 3. ff. de Senat.*

*Ad §. pen.*

**Q**UOD autem dictum est, manere cognitionis jus etiam post capitinis diminutionem; hoc ita est, si minima capitinis diminutio interveniat; manet enim cognitionis. Nam si maxima capitinis diminutio interveniat, jus quoque cognitionis perit, ut putat servitute alicujus cognati: & ne quidem si manumissus fuerit, recipit cognitionem. Sed & si in Insulam quis deportatus sit, cognitione solvitur.

**E**x his etiam apparet, agnationis jura minimâ capitinis diminutione plerumque perimi, non vero jura cognitionis; quia civilis ratio civilia jura perimere potest, naturalia vero non potest, *l. 8. ff. b. t.* Verum dubium non est, quin jura cognitionis maximâ & mediâ capitinis diminutione penitus tollantur, cum ambae morti æquiparentur. Ideo autem diximus plerumque, quia aliquando minima capitinis diminutio jura hereditatum vel tutelarum quæ agnationis occasione deferuntur, non perimit, videlicet in persona fratriis emancipati, *l. 4. C. de legit. tut.*

*Ad §. ult.*

**C**UM autem ad agnatos tutela pertineat, non simul ad omnes pertinet, sed ad eos tantum, qui proximiorē gradu sunt: vel si plures ejusdem gradū sunt, ad omnes (pertinet; veluti si plures fratres sunt, qui unum gradum obtinent, pariter ad tutelam vocantur.)

**S I C U T** hereditas proximis tantum defertur observata gradus prærogativâ, & exclusis remotioribus agnatis, ita & tutela. Quod si plures fuerint ejusdem gradus agnati, omnes simul ad tutelam vocantur. Sed quia plurimum administratio multa secum trahit incommoda, debet Judex ex his eligere unum maximè

idoneum, ut administrationem ei committat. Potest etiam plures eligere si pupilli utilitas id exigat, *Nov. Just. 118. cap. 5.* Cæteri erunt tutores honorarii, ita tamen ut omnibus tutelæ periculum immineat, *I. 3. ff. de admin. tut. & auth. sicut hereditas C. b. t.* Cæterum in tutela erat olim successio, non vero in hæreditate aguatorum, *S. placet inf. de leg. agn. success.* ubi id diligentius explanabitur.

Hodie sublata est omnis agitationis & cognationis differentia, quantum ad successionem & tutelam proximorum, *d. Nov. 118. cap. 4.*



## T I T U L U S X V I I .

### DE LEGITIMA PATRONORVM TUTELA.

**E**X eadem Lege duodecim tabularum libertorum & libertarum tutela ad patronos liberosque eorum pertinet, quæ & ipsa legitima tutela vocatur; non quia nominatim [in ea] eâ lege de hac tutela caveatur, sed quia perinde accepta est per interpretationem, ac si verbis Legis introducta esset. Eo enim ipso, quod hæreditates libertorum libertarumque, si intestati deceperint, jussent Lex ad patronos liberosve eorum pertinere; crediderunt veteres, voluisse Legem etiam tutelas ad eos pertinere, cum & agnatos, quos ad hæreditatem [Lex] vocat, eosdem & tutores esse jussent; quia plerumque ubi successionis est emolumenntum, ibi & tutelæ onus esse debet. Ideo autem diximus plerumque; quia si à foemina impubes manumittatur, ipsa ad hæreditatem vocatur, cum aliis sit tutor.

**L E G I T I M A** Patronorum tutela † est illa quæ ex interpretatione *Legis 12. tab. defertur* patronis eorumque liberis, in personam libertorum suorum impuberum. Hæc autem tutela non est putanda aut dicenda minus legitima, quam tutela agnatorum; quia verbum *ex legibus* sic accipiendum est, tam ex Legum sententia quam ex verbis, *I. 6. S. 1. ff. de verb. sign.* Dixi eorumque liberis, quia liberi patronorum patroni sunt. *Vlp. tit. 29. & I. 5. ff. de jur. patr.*

Rationem successionalis & tutelæ patronorum eleganter affectit *J. St.* in sua constitutione de iure patronatus quæ extat in *Basilicis lib. 49. ἐπειδὴ δοκεῖ συγγένεις ἔται τῶν ἐλευθερεμένων οἱ ἐλευθεροῦτες αὐτοὺς διὰ τοῦτο καὶ καλοῦνται ἐκ τῆς νομίου θάκατοχοῖς.* Quoniam cognati, id est agnati, esse videntur libertorum patroni; quapropter vocantur ex legitima successione, ut vertit Fabrotus: mallem dicere ex legitima possessione, id est ex bonorum possessione, unde legitimi.

Diximus hanc tutelam ex interpretatione prudentum procedere, quia per consequencias hæreditatum defertur, *I. 3. in pr. ff. de leg. int.* Sicut enim cor ho-

minis, licet inscrutabile, ex operibus dignoscitur; ita & mens Legis, sive potius Legis auctoris ex his quae in Lege aliqua jus aliquod praecedunt vel sequuntur, colligenda est. Unde fit ut sit incivile, ( id est contra juris civilis præcepta ) nisi tora lege perspecta de ipsa judicare, l. 24. de legib. At verò Lex 12. tab. non solùm vocavit agnatos proximos ad successionem proximorum agnatorum, sed etiam ad tutelam. Credendum igitur fuit mentem ejus fuisse, ut qui haberet successionis emolumentum, idem quoque onus tutelæ sustinere; cum aptior ratio nulla afferri possit. Unde sequitur patronos, qui expressis verbis Legis ad libertorum successionem vocantur, eosdem etiam vocari ad tutelam ex tacita Legis mente.

Verum hoc jus ad patronam non pertinet; quia tutela virile munus est, & ultra sexum fœmineæ infirmitatis tale officium est, l. 1. C. quando mul. tnt. off. fun. poss. quia fœminæ ab omnibus officiis civilibus & publicis removentur, l. 2. ff. de reg. jur. Excipiuntur tamen ab hac regula mater & avia, Nov. 115. cap. 5. ubi Just. ait, se illis solis id permettere: ac proinde alia nulla mulier eo privilegio utitur, quamvis supremâ patris voluntate tutrix data fuerit, quia exceptio firmat regulam, ut vulgo dicitur.



## T I T U L U S X V I I I.

### DE LEGITIMA PARENTUM TUTELA.

**E**XEMPLIO Patronorum recepta est & alia tutela, quæ & ipsa legitima vocatur. Nam si quis filium aut filiam, nepotem aut neptem ex filio, & deinceps impuberes emancipaverit, legitimus eorum tutor erit.

**L**EGITIMA parentum tutela est illa quæ ducta à Patroni similitudine, parentibus defertur in liberos impuberes à se manumissos. Hæc olim fiducia-ria dicebatur; quia parenti non competebat, nisi filium contractâ fiduciâ emancipasset. Idemque dicendum est de nepote & cæteris liberis per virilem sexum descendantibus. Verum hodie usus invaluit ut dicatur legitima; quia parentis manumissor Patronus esse videtur, non solùm propter solutionem potestatis, & beneficium bonorum quærendorum à Patronis indultum, l. 1. ff. si à parente quis manum. sit. sed etiam propter similitudinem rituum utriusque manumissionis. Fiebat enim utraque per injuriosa rhapsimata, ut ait Just. Nov. 81. id est per baculorum ictus. Unde merito additur in d. l. 1. filium eman-cipatum in manumissione liberti exitum pati.





## T I T U L U S X I X.

## D E F I D U C I A R I A T U T E L A.

**E**s & alia tutela, quæ fiduciaria appellatur. Nam si pater filium vel filiam, nepotem vel neptem, vel deinceps impuberem manumiserit, legitimam nanciscitur eorum tutelam. Quo defuncto, si liberi [ ejus ] virilis sexus existant, fiduciarii tutores filiorum suorum, vel fratris, vel sororis, & cæterorum efficiuntur. Atqui patrono legitimo tutore mortuo, liberi quoque ejus legitimi sunt tutores; quoniam filius quidem defuncti, si non esset à vivo patre emancipatus, post obitum ejus sui juris efficeretur, nec in fratribus potestate recideret, ideoque nec in tutelam. Libertus autem, si servus mansisset, utique eodem jure apud liberos domini post mortem ejus futurus esset. Ita tamen hi ad tutelam vocantur, si perfectæ sint ætatis. Quod nostra constitutio in omnibus tutelis & curationibus observari generaliter præcepit.

**U**t hæc tutela intelligatur, quæ omnium difficillima est, duo tempora distinguenda sunt, antiquum, & novum. Antiquitus fiduciaria tutela fuit propria patris, qui filium vel nepotem contractâ fiduciâ emancipaverat, & deinde manumiserat; nec non etiam extranei emptoris qui filium sibi non contractâ fiduciâ mancipatum à patre manumiserat. Ideoque *apud Ulp. in fragm. tit. xj.* fiduciarius tutor fuit definitur, qui liberum caput mancipatum sibi a patre vel à coemptore manumisit. Pater naturalis emit a coemptore; & dicitur tutor fiduciarius, à fiducia quam contraxit. Emptor extraneus emit à patre, & fiduciarius dictus videtur à fiducia, quam in eo pater tantam habuit, ut ei potestatem daret in filium tamquam in servum. Hic jure civili successionem & tutelam obtinebat tamquam patronis, §. sunt autem, *inf. de bon. possess.*

Hodie verò pater manumissor est tutor legitimus, *ut constat ex sup. tit. Extraneus* verò emptor non est amplius tutor fiduciarius; quia hodie emancipatio intelligitur semper facta fuisse a patre contractâ fiduciâ, §. *ult. inf. de leg. agn. success.* Fiduciaria itaque tutela, iuxta illud ius posterius moribus inductum, fuit illa quæ mortuo parente tutore legitimo, liberis ejus defertur in liberos alios impuberes ab eo manumissos. Id autem accidit tribus maximè casibus. Primus est si avus nepotem impuberem manumiserit, avo defuncto, filius erit tutor fiduciarius ejusmodi nepotis. Præterea si pater filium unum impuberem manumiserit, patre defuncto, alter filius erit tutor ejus fiduciarius, si modò major sit viginti-quinque annis. Tertiò denique si avus nepotem suum ex filio uno premortuo impuberem emancipaverit; avo mortuo, tutela fiduciaria de-

fertur alteri ejus filio , qui præfati pupilli patruus est . Hi tutores non sunt legitimi ; quia neque sunt patroni , neque agnati : cum minima capitis diminutio id est emancipatio , intercesserit , quæ agnationem dissolvit , s . ult . sup . de leg . agn . tut .

Si quis autem ita objecerit ; Exemplo legitimæ patronorum tutelæ , inducta est legitima parentum tutela : Atqui patrono legitimo tute mortuo , liberi quoque ejus sunt legitimi tutores ; Ergo etiam a simili parente legitimo tute mortuo , liberi quoque ejus legitimi sunt tutores : Respondendum est , parentis quidem causam , patroni causa similem esse , sed eam similitudinem inter filios utriusque non perseverare ; quia si libertus non fuisset manumissus a domino , post mortem domini recidisset in potestatem filiorum ejus , ipsis acquisivisset , & ab ipsis potuisset manumitti . Unde non in meritò filius patroni patronus dicitur , & jure illo patronatus legitimam successionem liberti sui , & legitimam tutelam nanciscitur . At vero filii manumissoris alio jure censentur . Quamvis enim filius non fuisset manumissus a patre , numquam tamen in fratribus suorum potestatem recidisset ; ideoque nulla est ratio cur fratres ipsius post manumissionem , iura patronatus in ipsum , & hereditatem simul & legitimam tutelam obtineant .

Hanc rationem Justiniani claudicare passim aūunt Interpretes ; eo quod si nepos non fuisset emancipatus ab avo , post mortem avi recidisset in potestatem patris sui ; qui licet eā in parte filio patroni simillimus sit , non est tamen tutor legitimus , sed fiduciarius dumtaxat , ut constat ex his verbis nostri textūs *filiorum suorum* , quæ contra fidem omnium exemplarum in quibusdam novis editionibus fugienda difficultatis gratia expuncta sunt . Verū respondeo distinguendū esse , utrum pater fuerit emancipatus ab avo , vel in sacris ejus remanserit . Priore casu , filius est tutor fiduciarius nepoīis , quia in ejus potestatem nepos non esset recasurus mortuo avo ; ac proinde is pater dissimilis est filio patroni : ad quem casum referenda & restringenda sunt prædicta verba *filiorum suorum* . Posteriore autem casu , is filius est tutor legitimus , propter assignatam rationem in filio patroni , cum quo is filius perfectam habet similitudinem .

Fiduciariam tutelam non constituo quartam speciem tutelæ legitimæ , quamvis plerique ita sentiant ; sed eam ab omni tutela legitima distinguo ; quia Imp . ita expressè distinguit , & argumento contrarium probanti respondet . Novissime sciendum est , hanc tutelam fiduciariam non esse in usu ; imò verò nulla in hoc Regno viget præter dativam , de qua mox acturi sumus .



## T I T U L U S X X .

### D E A T T I L I A N O T U T O R E & eo qui ex Lege Julia & Titia dabatur .

*Ad Princ.*

S I cui nullus omnino tutor fuerat , ei dabatur , in urbe quidem à Prætore urbano , & majore parte Tribunorum Plebis , tutor

ex Lege Attilia; in Provinciis verò à Præsidibus Provinciarum ex Lege Julia & Titia.

**D**ATIVA tutela † est illa quæ deficentibus testamentariis legitimis & fiduciariis, constituitur à Magistratu cui Lege nominatim hoc concessum est: quæ ultima verba ideo adjiciuntur, quia tutoris datio neque est imperii neque jurisdictionis, *l. 6. §. tutoris datio, ff. de tutelis.* Cognoscenda sunt itaque sex jura ex quibus tutoris datio promanavit. Et primò quidem Romæ Lex Attilia potestatem dandi tutoris, pupillis & mulieribus tutorem non habentibus, concessit Prætori Urbano, & majori parti Tribunorum Plebis, id est sex Tribunis; erant enim decem. Nec immerito his Magistratibus ea cura demandata est. Prætoris enim Urbani proprium fuit jus dicere inter Cives Romanos; tutela quoque, cum sit juris civilis, non potuit esse nisi Civium Romanorum. Tribunorum autem Plebis proprium fuit, ut Plebem defenderent ab injuriis potentiorum. Quod ut facilius peragerent, tanta ipsis concessa fuit auctoritas, ut cæteri Magistratus conjuncti nihil possent, ubi sacra unius Tribuni intercessio repugnaret, ut constat ex fide historiæ apud T. Livium passim. Illud admodum singulare est in hac causa, quod si major pars Tribunorum Plebis tutores dederit, valeat tutoris datio, licet cæteri Tribuni dissentiant. Atque ita favore pupillorum intercessioni Tribunorum Plebis derogatum est in hac causa. In Provinciis verò Præsidi Lex Julia & Titia idem jus concessit, ut pupillis & mulieribus tutores non habentibus tutores daret, *Vlp. tit. xj. §. Lex Attilia.*

Ad §. I.

**S**E d & si in testamento tutor sub conditione, aut ex die certo datus fuerat; quamdiu conditio aut dies pendebat, ex eisdem legibus tutor alius interim dari poterat. Item si pure datus fuerat, quamdiu ex testamento nemo hæres existebat, tamdiu ex eisdem legibus tutor petendus erat. Qui desinebat esse tutor, si conditio extiterat, aut dies venerat, aut hæres extiterat.

**S**ECUNDUM jus constituant Senatus-consulta ad eas Leges edita, quæ illarum potestatem produxerunt ad alios casus, quorum quatuor traduntur in hoc titulo.

Primus casus est, cum in testamento datus est tutor sub conditione, v. g. Titius tutor esto filii mei, si navis ex Asia venerit.

Secundus casus est, cum datus est testamento tutor ex certo die, v. g. Titius tutor esto filii mei à Kalendis Martiis, vel ab anno secundo post mortem meam. Tunc enim pendente conditione & die, non est locus legitimæ tutelæ, quæ cessat quamdiu tutor ex testamento speratur, *l. si quis sub conditione, ff. de testam. util.* Ideoque necessarium fuit à Magistratu, tutorem interim dari ex L. Attilia, ne pupillus indefensus damnum pateretur. Aliud tamen dicendum est si usque ad certum tempus datus sit tutor testamento, v. g. usque ad quintum annum post mortem testatoris. Tunc enim Magistratus tu-

*De Attiliano tutore, & eo qui ex L. Julia & Titia dabatur.* 71  
torem dare non potest; quia verba Senatus-consulti cessant: quoties enim agitur de potestate lege concessâ, verba Legis restrictè accipiuntur, l. 20. in pr. ff. de tut. & curat.

Tertius casus est, cùm testator filium suum impuberem exhæredavit, & extraneum hæredem instituit, nec-non filio suo tutorem dedit testamento. Nam dum deliberat extraneus de adeunda hæreditate, neque tutoris datio, neque quidquam aliud valet ex testamento, l. 9. ff. de test. tut. Interim igitur dabitur tutor à Magistratu, qui definit esse tutor statim post aditam hæreditatem. Ideo autem supponimus filium impuberem, cui datus est tutor, fuisse exhæredatum; quia si fuisset hæres scriptus, statim à morte patris sui hæres illi exitisset ipso jure, & sine ulla aditione hæreditatis, l. in suis 11. ff. de liber. & posthum.

*Ad §. Ab hostibus.*

**A**B hostibus quoque tutore capto, ex his legibus tutor petebatur: qui desinebat esse tutor, si is, qui captus erat, in civitate reversus fuerat. Nam reversus recipiebat tutelam jure postliminii.

**QUARTUS** denique casus est, si tutor ab hostibus capiatur. Nam interim non est locus legitimæ tutelæ, propter jus postliminii; ideoque tutor interim ex L. Attilia pupillis dari debuit. Tutoris autem dationem, quaæ fit in his quatuor casibus, imputat Imp. præfatis legibus; non quod in illis legibus hac de re quidquam cautum fuisset, sed Senatus-consultis tantum posterioribus ad illas leges factis: neque enim novum est, ut priores leges trahantur ad posteriores, & vicissim, l. non est novum & sequ. ff. de legib.

*Ad §. Sed ex his legibus.*

**S**E ex his legibus tutores pupillis desierunt dari, postea quam primò Consules pupillis utriusque sexūs tutores ex inquisitione dare cœperunt, deinde Prætores ex constitutionibus. Nam supradictis legibus neque de cautione à tutoribus exigenda, rem salvam pupillis fore; neque de compellendis tutoribus ad tutelæ administrationem, quidquam cavebatur.

**V**ERUM circa hanc tutoris dationem, tertium jus moribus inductum est tractu temporis in Urbe & in Provinciis. Et 1. quidem in urbe, propter duplē defectum earum legum Consules ex inquisitione tutores dare cœperunt. Primus defectus fuit, quod illis legibus non caveretur de cōgēndis tutoribus ad satisdandum, rem pupilli salvam fore. Unde patebat tutori licentia in rebus papillaribus grassandi pro suo arbitrio. Alter defectus fuit, quod his legibus non daretur Magistratus licentia compellendi tutores datos ad tutelæ administrationem: ideoque tutores dati poterant eludere iussum eorum & legum auctoritatem. Quoties enim agitur de potestate lege concessâ, verba legis restrictè accipiuntur, l. 20. in pr. ff. de tut. & curat.

Constitutiones quartum jus constituunt; postmodum enim constitutum est ut à Prætoribus darentur tutores, idque à D. Marco, qui Prætorem tutelarem primus instituit, sicut testis est Capitolinus in *M. Antonino Philosopho*. Ex constitutionibus verò aliorum Principum effectum est, ut cogerentur tutores dati ad tutelæ administrationem, l. 1. Cod. in quib. casibus tut. habenti tutor datur: & ut satisfactionem præstarent, §. sciendum infra de satisfd. tutorum.

*Ad §. Sed hoc jure.*

**S**ed hoc jure utimur, ut Romæ quidem Præfectus Urbi, vel Prætor secundum suam jurisdictionem; in Provinciis autem Præfides ex inquisitione tutores crearent; vel Magistratus jussu Præsidum, si non sint magnæ pupilli facultates.

**Q**UINTUM jus Romæ postea invaluit, ut Præfectus Urbi tutores daret liberis clarissimarum personarum; Prætor verò daret cæteris, & hoc est quod ait Imp. his verbis: secundum suam jurisdictionem, id est secundum officium suum; abusivè nimirum sumpto jurisdictionis nomine: Jurisdictionis enim propriè sumpta ad tutoris dationem non pertinet, l. 6. §. tutoris datio, ff. de tutelis.

At verò in Provinciis, exolescente, ut diximus, Lege Juliâ & Titiâ, Præfides ex inquisitione tutores dare cœperunt pupillis locupletibus; Magistratus verò Municipales jussu Præsidum pupillis cæteris, quorum non erant magnæ facultates. Quod non est ita intelligendum, quasi eam potestatem à Præfide acciperent. Illam siquidem Magistratus municipales habebant jure suo, id est sibi moribus indultam, l. 13. ff. de tutor. & curat. quam si non habuissent à Præfide, non potuissent accipere, l. 8. ff. cod. quia nemo potest potestatem à lege acceptam in alterum transferre, l. 1. ff. de offic. ejus cui mand. est jurisd. Verissima itaque ejus rei ratio fuisse videtur, quod Magistratus Municipales non auderent uti jure suo, ideoque non solerent dare tutores, nisi præceptum seu iussus Præfidis Provinciæ præcessisset. Non erat igitur hæc difficultas legum. sed hominum, ut eleganter appellat Imperator in §. sequenti.

*Ad §. Nos autem.*

**N**Os autem per constitutionem nostram hujusmodi difficultates hominum resecantes, nec expectatâ jussione Præsidum, disposuimus, si facultates pupilli vel adulti usque ad quingentos solidos valeant defensores civitatum unâ cum ejusdem civitatis religiosissimo Antistite, vel alias publicas personas, id est, Magistratus, vel Juridicum Alexandrinæ Civitatis, tutores vel curatores creare: legitimâ cautelâ secundum ejusdem constitutionis normam præstandâ, videlicet eorum periculo, qui eam accipiunt.

SED quia molestum & damnosum erat pupillis, Praefidis iussionem postulare & expectare, Justinianus tandem sextum & ultimum jus constituit; ut si facultates pupilli non excederent quingentos solidos, defensores civitatum, una cum Antistite, non expectata iussione Praefidis, tutores darent: ita tamen ut satisfactione exigerent suo periculo, l. 30. C. de Episcop. audient.

*Ad §. penult.*

**I**M P U B E R E S autem in tutela esse, naturali juri conveniens est; ut is, qui perfectæ ætatis non sit, alterius tutelâ regatur.

**E X P O S I T I S** hactenus modis quibus constituitur tutela, sequitur ut tres effectus ejus præcipuos expendamus. Primus est tutio pupilli, quæ educationem, nutritionem & defensionem ejus continet; quod cum juri naturali conveniens sit, potest afferi tutela esse juris naturalis, saltem quoad originem; sed tamen rectius dicuntur tutelam esse juris civilis, quoad formam antiquitus constitutam, l. 5. §. Julianus ff. de admin. tutorum.

*Ad §. ult.*

**C**UM ergo pupillorum pupillarumque tutores negotia gerant, post pubertatem tutelæ judicio rationem reddunt.

**S E C U N D U S** tutelæ effectus est administratio bonorum, quam tutor dum suscipit, debet rerum pupillarum inventarium, sive enumerationem confidere, l. 7. in pr. ff. cod. Deinde vero ubi semel eam suscepit, debet ex fide gerere. Finita denique tutelâ, administrationis suæ rationem reddere tenetur, a. §. Julianus; & ad id præstandum actione tutelæ directâ compelli potest.



## T I T U L U S X X I.

### D E A U C T O R I T A T E T U T O R U M.

*Ad Princ.*

**A**UCTORITAS autem tutoris in quibusdam causis necessaria pupillis est, in quibusdam non est necessaria. Ut ecce si quid dari sibi stipulentur, non est necessaria tutoris auctoritas; quod si aliis promittant pupilli, necessaria est tutoris auctoritas. Namque placuit, meliorem quidem conditionem licere eis facere etiam sine tutoris auctoritate; deteriore vero non aliter quam

[ cum ] tutoris auctoritate. Unde in his causis , ex quibus obligations mutuae nascuntur , ut in emptionibus , venditionibus , locationibus , conductionibus , mandatis , depositis ; si tutoris auctoritas non interveniat , ipsi quidem , qui cum his contrahunt , obligantur ; at invicem pupilli non obligantur.

**T E R T I U S** denique effectus tutelæ est auctoritas tutorum. Quo nomine non significatur hoc loco potestas illa , quam habent tutores in personam & mores pupillorum suorum ; sed tantum † approbatio & suasio , quā tutores confirmant negotium , quod à pupillo geritur ipsis præsentibus. Hæc inde nomen accepit , quod auctor dicatur alicujus rei facienda , qui suadet illam & approbat ; forte quod sicut vendor debet esse erga emptorem auctor ; ( garant ) atque idē auctoris nomen pro venditore nonnumquam usurpatur , l. 28. ff. de evi&t. & l. 7. 8. & 11. C. eod. ita & ille qui suadet aliquid , consilii sui quodammodo se auctorem ac vindicem præstat. Idque maximè in tuteore verum est ; cùm non minus de auctoritate , quā de administratione rationem reddere teneatur , l. si tutor ff. b. t.

Auctoritas tutoris pupillo interdum necessaria est , interdum non est necessaria , interdum denique reprobatur. Non est necessaria quoties pupilli faciunt conditionem suam meliorem ; ut si alium sibi obligent , aut si acquirant aliquid. Verūm hoc aliquam patitur exceptionem , ut mox apparebit. Necessaria est pupillo tutoris auctoritas in duobus casibus. Primus est quoties pupillus facit conditionem suam deteriorem , id est cùm se obligat alteri , vel cùm aliquid alienat. Satius enim est pupillo , ut tuteore auctore id faciat , quām si nemine cum eo contrahente , commercio quodammodo ei interdicceretur , l. quod si minor 24. §. 1. ff. de minoribus viginti-quinque annis.

*Ad §. I.*

**N**EQUIS tamen hæreditatem adire , neque bonorum possessionem petere , neque hæreditatem ex fideicommisso suscipere aliter possunt , nisi tutoris auctoritate ( quamvis [ illis ] lucrosa sit ) ne ullum damnum habeant.

**A L T E R** casus est , quoties juris solemnia peragenda sunt ; ut sit in adiunctione hæreditatis & litis contestatione , l. 19. ff. b. t. l. ult. C. de in lit. dando tute. vel curat. & l. 17. in fine ff. de appellat. Parūm igitur refert in hac causa , utrum hæreditas , de cuius adiunctione agitur , lucrosa sit , nec ullum damnum habeat ; an verò contineat plus oneris quām honoris : in utroque enim casu pupillus indistinctè , sine tutoris auctoritate , eam adire non potest. Idemque dicendum est de bonorum possessione & aliis successionibus quæ hæreditati similes sunt , ut ex fine libri sequentis & initio tertii manifestum fiet. Verūm hæc vox adire hoc loco maximè notanda est , quæ est vox propria hæredis extranei. Aliud igitur dicendum est de hæreditate paterna ; quia in illius acquisitione nulla tutoris auctoritas exigitur , cùm fiat ipso jure , §. sui autem inf. de hær. quæ ab intest. defer.

Quamvis autem hodie aditio hereditatis fiat absque ulla juris solemnitate, §. ult. infra de hered. qualit. & differ. non tamen inferendum est, jus hoc nostrum esse mutatum; quia quoties agitur de jure aliquo novo, quod veteris emendationem inducit; quidquid specialiter expressum non est, sub veteribus juris regulis relictum intelligitur, l. precipimus §. ult. C. de appellat.

## Ad §. pen.

**T**UTOR autem statim in ipso negotio praesens debet auctor fieri, si hoc pupillo prodesse existimaverit; post tempus vero vel per epistolam, interposita auctoritas nihil agit.

UT autem recte interponatur iis casibus tutoris auctoritas, duæ debent conditiones concurrere, ut scilicet tutor ille sit praesens pupillo negotium contrahenti, & ut statim auctor fiat. Nam si post tempus vel per epistolam approbet negotium a pupillo gestum, talis auctoritas nullius momenti est; quod favor pupillorum induxit, ut eorum negotia utilius gererentur. Neque obstat quod dicitur in l. 25. §. jussum ff. de acquir. hered. tutoris auctoritatem posse adhiberi perfecto negotio: hoc enim ita demum verum est, si adhibeatur statim atque peractum est negotium; quia quae continuo post negotium sunt, in ipso negotio peracta intelliguntur, l. 1. §. ult. & l. sequ. ff. de solut.

Debet insuper haec tutoris auctoritas adhiberi expressis verbis, non vero nutu aut silentio solo tutoris: ideoque mutus dicitur tutor esse non posse, l. 1. §. mutus ff. de tut. quoniam auctoritatem præbere non potest. Pura denique esse debet haec approbatio, non conditionalis; licet contractus, de cuius approbatione queritur, conditionalis fuerit, l. 8. ff. h. t.

## Ad §. ult.

**S**I inter tutorem, pupillumque judicium agendum sit (quia ipse tutor in rem suam auctor esse non potest) non praetorius tutor (ut olim) constituitur, sed curator in locum ejus datur: quo (curatore) interveniente, judicium peragitur: & eo peracto, curator esse desinit.

**R E P R O B A T U R** denique tutoris auctoritas, si pupillus litiget contra tutorem suum unicum; quia is in rem suam auctor esse non potest. Dixi unicum; quia si plures sunt tutores, non est dubium quin uno tutori auctore possit pupillus adversus alium tutorem judicio contendere, l. 1. C. de in lit. dand. tut. & l. 24. ff. de test. tut. Olim dabatur in ea causa Praetorius tutor; quia judicia erant ordinaria. Nunc datur pupillo curator; quia judicia omnia sunt extraordinaria, §. ult. infra de interd. id est, non certo ac solemnii illo ordine peraguntur, qui antiquitus observabatur; ideoque erat haec solemnitas necessaria, ut pupillo litiganti adesset tutor. Hodie vero cessante praedicta necessitate, datur curator, d. l. 1. Nec infringuntur amplius, ut olim, duæ regulæ juris

receptissimæ. Prima est quod tutor certæ causæ non detur, l. 12. cum 2: seqq. ff. de testam. tut. Altera regula est, quod habenti tutorem tutor non detur, l. 17. ff. eod. & §. interdum infra de curat.



## TITULUS XXXI.

### QUIBUS MODIS TUTELA FINITUR.

*Ad Princeps.*

**P**UPILLI, pupillæque, cùm puberes esse cœperint, [ à ] tutela liberantur. Pubertatem autem veteres quidem non solum ex annis, sed etiam ex habitu corporis in masculis æstimari volebant. Nostra autem majestas dignum esse castitate nostrorum temporum ( existimans ) benè putavit, quod in foeminis etiam antiquis impudicum esse visum est, id est, inspectionem habitudinis corporis, hoc etiam in masculos extendere. Et ideo ( nostrâ ) sanctâ constitutione promulgatâ, pubertatem in masculis post decimum-quartum annum completurn illico initium accipere disposuimus; antiquitatis normam in foeminis bene positam, ( in ) suo ordine relinquentes, ut post duodecim annos completos viri potentes esse credantur.

*Modi quibus tutela finitur, sunt octo, videlicet.*

- |                               |                            |
|-------------------------------|----------------------------|
| 1. Pubertas.                  | 5. Cap. diminutio tutoris. |
| 2. Capitis diminutio pupilli. | 6. Eventus temporis.       |
| 3. Eventus conditionis.       | 7. Remotio.                |
| 4. Mors pupilli vel tutoris.  | 8. Excusatio.              |

Pubertas † æstimatur secundum constitutionem Justiniani, ex sola ætate; ita ut masculi post quatuordecim annos completos, foeminae vero post duodecim, puberes esse credantur, l. ult. Cod. h. t. Atque ita prævaluit, castitatis intuitu, sententia Proculianorum contra Sabinianos, qui solâ corporis inspectione pubertatem æstimabant; & contra Javolenum Priscum, qui corporis timul & annorum inspectionem fieri volebat, Ulp. tit. 11. in fine. Nec tamen eam fuisse Javoleni solius sententiam credendum est, sed potius vulgarem, ut constat ex Servio, ad illum versum 7. Æneid.

*Jam matura viro, jam plenis nubilis annis.*

Non est ( inquit ) iteratum, sed secundum jus dictum; in quo & ex annorum ratione, & ex habitu corporis ætas comprobatur. Primum ergo ad habitum, secundum ad annos pertinet. Et rursus ad Eclog. 8. adversus illos duos.

*Alter ab undecimo tum me jam cœperat annus;*

*Q*am fragiles poteram à terra contingere ramos.

Bene ( ait ) cùm annis jungit habitum corporis. Nam & in jure pubertas ex utroque colligitur. Nec rectè , ut arbitror , Servium ad præfatum versum ex 7. Æneid. arguit Fabrotus hoc loco , ex eo quod in eo versu agatur de fœmina in qua etiam antiquis hæc inspectio impudica visa est , ut hic docet Imp. Hæc enim vox antiquis non probat , eam inspectionem omnibus antiquis displicuisse , sed quibuscum tantum : nec ad omne tempus debet extendi , sed ad certum dumtaxat spatium antiquitatis pertinet ; cuius haud dubiè variis gradus distinguendi sunt. Neque enim probabile est Servium juris peritissimum , in jure sui sæculi turpiter hallucinatum fuisse.

Cæterum , ex hoc loco manifestum est , fœminas non esse hodie in perpetua tutela , sicut erant antiquitus , iuste Ulp. tit. 11. cùm omnis tutela pubertate finiatur. Hoc enim nomen pubertatis utriusque sexui commune est : unde ait Macrob. lib. 7. *Saturnalium cap. 7.* secundum iera publica duodecimus annus in fœmina , & quartus-decimus in pueru definit pubertatis ætatem. Mulier pubes speciali nomine dicitur viripotens ; masculus verò in eodem statu appellatur vesticeps , quasi vestitus capite , eo quod in ea ætate masculorum genæ primâ lanugine vestiantur.

*Ad §. 1.*

**I**T E M finitur tutela , si adrogati sint adhuc impuberis , vel deportati : item si in servitutem pupillus redigatur , vel ( si ) ab hostibus captus fuerit.

**P R E T E R A** quacumque capitis diminutione pupilli , tutela extinguitur. De maxima & media , cùm morti æquiparentur , non est dubium. De minima quoque dubium esse non debet , cùm alia nulla minima capitis diminutio cadat in pupillum , quam adrogatio. At verò adrogati impuberis tutorem habere non possunt , cùm sint filiosfamilias , ac proinde in aliena potestate constituti. Constat autem ex superioribus , filiosfamilias sub tutela esse non posse , in pr. *supra de tut.* quia non sunt capita libera , cujusmodi debent esse omnes qui sunt in tutela , s. 1. *sup. eod.* Captivitatem quoque pupilli capitis diminutioni adsumero , quia captivus revera servus hostium fit ; unde non immerito apud Horatium lib. 5. od. 5. Attilius Regulus , captivus Carthaginensium , appellatur capitis minor. Sed quia propter spem postliminii res est in suspense , bonis ejusmodi pupilli interim curator datur , l. ab hostibus 15. in pr. ff. ex quib. can. *majores 25. ann. in integ. restituuntur.*

*Ad §. Sed & si.*

**S**E D & si usque ad certam conditionem datus sit ( tutor ) testamento ; æque evenit , ut désinat esse tutor , existente conditione.

**E V E N T U S** conditionis tutelæ finem imponit , quoties testamento datus est tutor usque ad certam conditionem , v. g. donec navis ex Asia venerit ; quo

casu datio tutoris non est dicenda conditionalis, sed pura, quæ sub conditio-  
ne resolvitur.

*Ad §. Simili.*

**S**IMILI modo finitur tutela morte, vel pupillorum, vel tu-  
torum.

MORS tutoris & pupilli tutelæ sine dubio finem imponit; quia omnia ju-  
ra quæ cohærent personæ, cum anima ejus expirant, l. 8. §. tale ff. de liber. leg.  
Neque obstat quod mortuo patrono, vel parente tute legítimo, liberi quo-  
que utriusque sint tutores legítimi vel fiduciarii. Neque enim eadem tutela  
post mortem perseverat apud liberos, sed alia noya in personis ipsorum con-  
stituitur.

*Ad §. Sed & capit. capitis.*

**S**ED & capit. diminutione tutoris, per quam libertas vel ci-  
vitas amittitur, omnis tutela perit. Minima autem, capit. di-  
minutione tutoris, veluti si se in adoptionem dederit, legitima tan-  
tum tutela perit, cæteræ non pereunt. Sed pupilli & pupillæ ca-  
pit. diminutio, licet minima sit, omnes tutelas tollit.

CAPITIS diminutio tutoris maxima vel media omnes tutelas tollit, sed  
minima solam legitimam tutelam extinguit. Quod non tantum pertinet ad le-  
gitimam agnatorum tutelam, sicut à multis creditur; sed etiam ad tutelam pa-  
tronorum: primò, quia patronorum legitima successio minima eà capit. dimi-  
nutione tollitur, §. fin. de libert. success. apud Ulp. Ibi vero solummodo est le-  
gitima successio, ubi est legitima tutela, toto tit. sup. de legit. pair. tut. Secun-  
dò, quia in l. 5. §. pen. ff. de legit. tutor. post mentionem legitimæ patronorum  
tutelæ, statim subjungitur in §. ult. legitimam tutelam minimâ capit. di-  
minutione extingui. Neque Ulpianus ulla tenus ibi distinguit. Ubi autem lex  
non distinguit, neque nos distinguerem debemus, l. de prelio ff. de public. in rem  
act. Tertio denique, quia ut ait Just. in sua nova constitutione de jure patron.  
tutela & successio libertorum deferuntur patronis, jure quodam agnationis:  
quam agnationem capit. diminutione minimâ extingui certum est, §. ult. sup.  
de legit. agn. tut. Neque obstat quod idem Ulp. ait libro sing. regul. tit. de  
tutelis; excepta tutelâ patronorum legitimam tutelam minimâ capit. dimi-  
nutione extingui. Nam hæc verba, excepta Patronorum tutelâ, ad præceden-  
tia pertinent; & vitiosa est interpunctio, ut D. à Costa hoc loco demonstra-  
vit. In libris autem veterum, interpunctionum vitia frequentissima fuisse  
certissimum est.

*Ad §. penult.*

**P**RÆTEREA qui ad certum tempus testamento dantur tuto-  
res, finito eo deponunt tutelam.

**E V E N T U S** quoque temporis cumdem p̄fstat effectum ; quoties ad certum tempus tutor datus est testamento ; quia voluntas testatoris in testamento totum facit , l. 3. §. 1. ff. de admin. tut. & l. 35. §. rerum ff. de hered. instit.

*Ad §. ult.*

**D**E SINUNT etiam tutores esse , qui vel removentur à tutela ob id quod suspecti visi sunt ; vel qui ex justa causa sese excusant , & onus administrandæ tutelæ deponunt , secundum ea quæ inferiùs proponemus .

**R E M O T I O N B** insuper Magistratūs finitur tutela , si quis tamquam suspectus à tutela vel cura removeatur . Excusatione denique propositā utriusque muneri finis imponitur , & ab illo onere immunitas obtinetur , quæ jura propriis infra titulis commodius exponentur .



## T I T U L U S X X I I .

### *D E C U R A T O R I B U S.*

*Ad Princ.*

**M**ASCULI (quidem) puberes , & fœminæ viri potentes ; usque ad vigesimum-quintum annum completum curatores accipiunt ; quia licet puberes sint , adhuc tamen ejus ætatis sunt , ut sua negotia tueri non possint .

**C U R A** sive curatio † definiri potest , vis ac potestas ad gerenda negotia illorum , qui propter ætatem aut infirmitatem animi vel corporis , ea gerere omnino non possunt , aut saltem non rectè possunt ; curatores vero sunt † qui eam vim ac potestatem habent .

Differunt à tutoribus curatores in multis : Primò quidem , quod soli pupilli tutores accipiunt ; adulti vcrò seu minores accipiunt curatores : Minorum autem appellatio licet omnes contineat , qui sunt infra vigesimum-quintum annum , §. nunc admonendi infra quibus alienare licet vel non ; hoc tamen loco & alibi passim solos adultos complectitur .

*Ad §. 1.*

**D**ANTUR autem curatores ab eisdem Magistratibus à quibus & tutores . Sed curator testamento non datur ; datus tamen confirmatur decreto Prætoris vel Præsidij .

ii. **TUTOR** non solum à Magistratu, sed etiam testamento dari potest : curator vero datur tantum à Magistratu, non in testamento ; quia quoties agitur de potestate lege concessâ, verba restrictè accipiuntur, *l. ventri, ff. de tut. & curat. & l. sub conditione, ff. de testam.* At vero *Lex 12. tab.* permisit tan-tum testamento tutorum dare, de curatore vero mentionem non fecit.

iii. Cùm pater dationem tutoris testamento fecit ipso jure infirmam, id est cùm dedit tutorem filio emancipato, confirmandus est tutor ille à Magistratu sine inquisitione, *s. ult. supra de tutelis.* At si patet curatoris dationem ipso jure invalidam testamento fecerit, non confirmatur à Magistratu, nisi de-creto ; id est, causâ cognitâ.

*Ad §. Item invit.*

**I**TEM inviti adolescentes, curatores non accipiunt, præterquam in item. Curator enim & ad certam causam dari potest.

iv. **TUTOR** datur invitum & invito pupillo ; curator vero datur quidem invitum, sed non invito adolescenti, præterquam in unico casu, nimis quod agitur de lite ; quia minoribus curatore destitutis facile datur in integrum restitutio adversus sententiam, *l. pen. & ult. C. si adversus rem judic. refit. postul.* ideoque necessarium fuit eis invitum dari curatorem ad item ; ne alioquin rerum judicatarum eluderetur auctoritas, quibus continetur status ci-vitatis.

v. Disparitas ex his sequitur inter tutores & curatores, videlicet quod curator ad certam causam dari possit, v. g. ad lites, quamvis ad certam causam tutor dari non possit, ut superius dictum est.

*Ad §. Furiosi.*

**F**URIOSI quoque & prodigi, licet majores viginti-quinque annis sint ; tamen in curatione sunt agnatorum ex Lege duodecim tabularum. Sed solent Romæ Præfetus urbi, vel Prætores, & in provinciis Præsides, ex inquisitione eis curatores dare.

vi. **TUTORES** aliqui sunt legitimi ; curatores vero licet quidam olim fuerint legitimi, videlicet agnati, qui prodigi olim & furiosi curatores erant ex *l. 12. tabularum*, hodie tamen sunt omnes honorarii ; neque ullus est hodie curator legitimus ; quia usū invaluit ut Præfetus urbi, vel Prætor in urbe, in provinciis vero Præsides, dent curatores ejusmodi personis. Quia in parte duo circa prodigos advertenda sunt. Primum est, quod furiosis æquiparentur ; quia licet ex sermonibus mentis compotes esse videantur, nisi tamen eis subveniantur, quod ad bona ipsorum attinet, furiosum faciunt exitum, *l. 12. §. ult. ff. de tutor. & curator.* Secundum est, quod prodigi nemo censeatur nisi ab eo tempore, quo bonis ei interdictum est. Quod sivebat olim hac formula : *Quando bona paterna, avitaque, nequitiâ tuâ disperdis, liberosque tuos ad egestatem perducis, ob eam rem tibi ea re commercioque interdico,* *Paulus* lib.

*lib. 3. sent. tit. 4.* Rei tamen veritate inspectâ ; prodigus † est qui neque tempus neque finem expensarum habet , sed bona sua dilacerando & dissipando profundit, *l. 1. in pr. ff. de curat. furioso & al. ext. min. dand.*

*Ad §. Sed & mente captis.*

**S**E d & mente captis , & surdis , & mutis , & qui perpetuo morbo laborant ( quia rebus superesse non possunt ) Curatores dandi sunt.

**E**JUSDEM juris sunt mente capti , surdi & muti , & qui perpetuo morbo laborant. Et 1. quidem parùm differunt à furiosis mente capti ; ideoque licet *L. 12. tab. curatores* ipsis dati non fuerint , à Magistris tamen eis similiter curatores dandi sunt : quia urget in utroque casu similis necessitas , & similis ratio æquitatis , arg. *l. 32. ff. ad L. Aquil.* Distant à furiosis mente capti , quod furiosi laborent perpetuâ mentis ad omnia cæxitate , & in proximum quemque , & in se ipsos etiam interdum invadant. At verò mente capti animæ quietem retinent , & vitæ civilis commercia ; quamvis ea laborent animi infirmitate , ut rationis usum vix ullum habeant.

Surdi & muti simul eodem indigent curatorum præsidio ; quippe quos infirmitas corporis ad rerum suarum administrationem parùm idoneos facit : ideoque à Prætore vel Præside curator eis dari potest , *l. 8. §. ult. ff. de tut. & curat.*

Idemque dicendum est de cæteris , qui in ea causa sunt , ut rebus suis superesse non possint , *l. 12. in pr. ff. cod.* Superesse autem est consulere & prospicere. Quo sensu dicitur advocatus suo clienti superesse , *A. Gell. lib. 1. cap. 22.* An & cæcis curator dari potest , certè nullus est locus juris , in quo fiat mentio hujusmodi curatoris : neque illa infirmitas ullam ejus necessitatem inducit ; cum cæcus posse tutor existere , & pupillo contrahenti auctoritatem præstare , *l. 16. ff. de auctor. preß. & judicandi etiam officio fungi* , *l. 6. ff. de judic.* Unde satis appareat cæco propter infirmitatem curatorem non dari. Alioquin enim sœda esset nominum ac rerum confusio ; ut aliquis aliorum tutelam vel curam subiret , qui sub aliorum cura esset constitutus , *l. ult. C. de legitima tutela.*

*Ad §. pen.*

**I**N TUTORUM autem & pupilli curatores accipiunt , utputà si legitimus tutor non sit idoneus ; quoniam habenti tutorem tutor dari non potest. Item si testamento datus tutor , vel à Prætore , aut Præside , idoneus non sit ad administrationem , nec tamen fraudulenter negotia administret ; solet ei curator adjungi. Item loco tutorum , qui non in perpetuum , sed ad tempus tutelâ excusantur , solent curatores dari.

**VII.** Denique tutorem habenti tutor non datur ; quia ut constat ex *Ulp. tit. 11.* Lex Attilia & Lex Julia & Titia permiserunt tantum Magistrati-

bus, ut pupillis tutores non habentibus, tutores darent; curator verò tuto-rem habenti rectè datur, putà si legitimus tutor non sit idoneus.

*Ad s. ult.*

**Q**UÒD si tutor adversâ valetudine, vel aliâ necessitate impe-diatur, quominus negotia pupilli administrare possit; & pu-pillus vel absit, vel infans sit; quem velit actorem, periculo ipsius tutoris, Prætor, vel qui Provinciæ præerit, decreto constituet.

INTERDUM verò necesse est, ut pupillo tutorem habenti procurator vel actor constituatur. Nam si tutor propter aliquam causam, v. g. propter adver-sam valetudinem non possit pupilli negotia administrare, & habeat pupillum præsentem, qui infantiam excellerit; tunc pupillus cum tutoris sui auctoritate procuratorem constituet ad negotia sua gerenda. Sin autem pupillus vel absit vel infans sit, in illo utroque casu tutor procuratorem constituere non potest; quia procurator à solo domino constituitur, *L. 1. ff. de procurat.* Non potest etiam tutor infanti vel absenti pupillo auctoritatem præstare ad procuratorem constituendum, *§. pen. sup. de auct. tut.* Permittitur itaque tutori actorem no-minare periculo suo apud Prætorem vel Præsidem; quem actorem Magistratus decreto suo, id est, per sententiam causâ cognitâ pronunciatam, constituet, *L. decreto, ff. de admin. tut.* Is autem actor ab agendis negotiis ita dictus est, *Un Agent*; non ex eo quod apud acta constituatur, sicut putavit Theoph.



## T I T U L U S X X I V.

### DE SATISDATIONE TUTORUM *vel Curatorum.*

*Ad Princ.*

**N**E tamen pupillorum pupillarumve, & eorum qui quæve in-curatione sunt, negotia à curatoribus tutoribusve consuman-tur, vel diminuantur; curet Prætor, ut & tutores, & curatores eo nomine satisfident. Sed hoc non est perpetuum. Nam tutores testamento dati satisfare non coguntur; quia fides eorum & dili-gentia ab ipso testatore approbata est. Item ex inquisitione tu-tores vel curatores dati, satisfatione non onerantur; quia idonei electi sunt.

**E X P O S I T I S** illis quæ tutorum propria sunt, & quæ curatoribus jure pro-

prio convenientiunt, superest ut tria communia tutoribus exponantur; satisfatio, excusatio, & suspecti remotio. Et primò quidem, hoc tit. exponitur satisfatio, & alia insuper duo juris remedia, quibus minorum securitati consuluntur.

Satisfatio a cautione differt, quia cautio † nudam promissionem significat: Satisfatio verò † eam promissionem, quæ fit datis fidejussoribus, l. 6. C. de verbor. signif. quæ etiam cautio idonea dicitur. Satisfatio itaque de qua agitur hoc tit. † est illa cautio, quâ tutores vel curatores promittunt datis fidejussoribus, rem pupilli vel adolescentis salvam fore. Hæc satisfatio à tutoribus & curatoribus ideo exigitur, ut securitati minorum diligentius consularut, dum plures ipsis sua indemnitatis nomine obligantur. Sed excipiuntur tutores testamentarii & dati ex inquisitione; quia fides priorum à testatore approbata est: in aliis verò fides inquisitionis pro vinculo cedit cautionis, l. 13. in fin. ff. de tut. & curat.

*Ad §. I.*

**S**E D SI ex testamento vel inquisitione duo pluresve dati fuerint, potest unus offerre satisfationem de indemnitate pupilli vel adolescentis, & contutori suo vel concuratori præferri, ut solus administraret; vel contutor [ aut concurator ] satis offerens præponatur ei, ut & ipse solus administraret. Itaque per se non potest petere satisfationem à contutore suo vel concuratorem; sed offerre debet, ut electionem det concuratori vel contutori suo, utrum velit satis accipere, an satisfare. Quòd si nemo eorum satis offerat; si equidem adscriptum fuerit à testatore, quis gerat; ille gerere debet. Quòd si non fuerit adscriptum, quem major pars elegerit, ipse gerere debet, ut edicto Prætoris cavetur. Sin autem ipsis tutores dissenserint, circa eligendum cum, vel eos, qui gerere debent, Prætor partes suas interponere debet. Idem & in pluribus ex inquisitione datis comprobandum est; id est, ut major pars eligere possit, per quem administratio fiat.

**I**N T E R D U M tamen hujusmodi tutores satisfant, cùm nimirum unus ex illis alios sui consortes officii provocat oblatis fidejussoribus; delata ipsi consortibus electione, utrum malint satis accipere, & ei permittere administracionem, vel satisfare provocanti, & administrare. Eo casu & similibus tutores honorarii appellantur, qui non administrant; quia non oneris, sed honoris dumtaxat causâ dantur, l. si quis tutor, §. 1. ff. de ritu nupt. Post excusos tamen tutores, qui administrarunt, possunt etiam tutores honorarii conveniri à pupillo; quia sibi debent imputare, eo quòd dati sunt quasi observatores actus ejus qui gesserit; & custodes: ideoque eis imputabitur quandoque, cur si male eum conversari videbant, suspectum non fecerint, l. 3. §. ceteri, ff. de admin. tut. In superiori autem tit. curatores omnes dicti sunt honorarii alias ob causam, nimirum quòd ab illis tantum constituantur, qui honores gerunt, non testamento aut lege ullâ.

## Ad §. Sciendum.

**S**CIENTIUM autem est, non solum tutores vel curatores pupillis, vel adultis, ceterisque personis ex administratione rerum teneri; sed etiam in eos, qui satisfactionem accipiunt, subsidiariam actionem esse, quae ultimum eis praesidium possit afferre. Subsidiaria autem actio in eos datur, qui aut omnino a tutoribus vel curatoribus satisdari non curaverunt, aut non idonee passi sunt caveri. Quae quidem tam ex prudentum responsis, quam ex constitutionibus Imperialibus etiam in heredes eorum extenditur.

Ex superioribus sequitur, minores qui ex administratione tutorum vel curatorum aliquid damni passi sunt, non solum adversus tutores agere posse; sed etiam illis excussis, fidejussiones eorum posse convenire: sed insuper alia duo juris auxilia advertenda sunt. Prius est, actio subsidiaria, quae excussis omnibus his personis, datur pupillo adversus Magistratus, qui aut omnino a tutoribus vel curatoribus satisdari non curaverunt, aut passi sunt non idonee caveri; quia quoties vitiosè cautum vel satisdatum est, non videtur cautum, *I. quoties, ff. qui satisdare cogantur.*

## Ad §. pen.

**Q**UIBUS constitutionibus & illud exprimitur, ut nisi caveant tutores & curatores, pignoribus captis coercentur.

**A**LTERUM auxilium minoribus indultum in eo positum est, ut si tutores vel curatores non satisdent, pignoribus captis coercentur, *Parfaite de leurs biens*; quod genus pignoris solet appellari pignus Praetorium, *toto tit. C. de Praetorio pignore.*

## Ad §. ult.

**N**EQUE autem Praefectus urbi, neque Praetor, neque Praeses Provinciae, neque quisquam aliis, cui tutores dandi jus est, hac actione tenebitur; sed hinc tantummodo, qui satisfactionem exigere solent.

**Q**UOD autem diximus Magistratus teneri actione subsidiariam, id non pertinet ad Praetores vel Praesides, qui curabant quidem ut satisdatio praestaretur; verum eam per se non exigebant, sed per scribas suos vel alios qui inventarium rerum pupillarum conficiebant; eoque confessio poterant estimare, an satisdatio esset idonea; ideoque adversus istos dumtaxat comperebat actio subsidiaria: nec non etiam adversus Magistratus municipales five Duumviro (qui plerumque solo Magistratus nomine intelliguntur) quia illorum muneri incumbebat, non solum tutores dare vel curatores, sed etiam ab illis satisfactionem exigere, rem pupilli vel adolescentis salyam fore.

T I T U L U S   X X V.

*D E   E X C U S A T I O N I B U S   T U T O R U M*  
*vel Curatorum.*

*Ad Princ.*

**E**XCUSANTUR autem tutores & curatores variis ex causis : plerumque tamen propter liberos , sive in potestate sint , sive emancipati . Si enim tres liberos superstites Romæ quis habeat , vel in Italia quatuor , vel in Provinciis quinque ; à tutela vel cura potest excusari , exemplo cæterorum munierum . Nam & tutelam & curam placuit publicum munus esse . Sed adoptivi liberi non prosunt : in adoptionem autem dati , naturali patri prosunt . Item nepotes ex filio prosunt , ut in locum patris sui succedant ; ex filia non prosunt . Filii autem superstites tantum ad tutelæ vel curæ munieris excusationem prosunt ; defuncti autem non prosunt . Sed si in bello amissi sunt , quæsitum est an prosint ? Et constat , eos solos prodesse , qui in acie amittuntur : hi enim , qui pro republica ceciderunt , in perpetuum per gloriam vivere intelliguntur .

**E X C U S A T I O** † est allegatio apud Magistratum immunitatis jure concessæ , à munere tutelæ vel curationis . Dico *jure concessæ* ; quia cum tutela & cura sint munera jure ac legibus alicui imposita , necesse est excusationes quoque ab ipso jure proficiunt . Unumquodque enim eodem genere vinculorum dissolvi debet , quo colligatum est , l. 35. ff. de reg. jur . Sumitur etiam excusationis nomen † pro liberatione & dimissione à tutela vel cura , propter concessam jure immunitatem .

Hujus tituli partes sunt quatuor . Et primò quidem excusationum causæ quatuordecim traduntur tutelæ & curationi communes ; 2. usus earum excusationum quoad tempus & locum explicatur ; 3. duæ curationis propriæ excusationes proponuntur ; 4. denique vis ac potestas sententiae Judicis , in admissione excusationum hujusmodi breviter indicatur .

*Excusationes communes tutela & curationis.*

- |   |   |
|---|---|
| 1. Numerus liberorum.                                 | 8. Adversa valetudo.  |
| 2. Rei fiscalis administratio.                        | 9. Imperitia.   |
| 3. Absentia reip. causa.                              | 10. Inimicitia.   |
| 4. Potestas.  | 11. Status controversia , mota à patre<br>pupilli vel adulti. |
| 5. Lis de universis bonis.                            | 12. Ætas.   |
| 6. Tria onera tutelæ vel curationis<br>non affectata. | 13. Militia.  |
| 7. Paupertas.   | 14. Professio certarum artium.                                |

Numerus liberorum, quos quis ex se genitos haber superstites; Romæ trium, in Italia quatuor, & in Provinciis quinque, ab hoc utroque munere excusat; quia ab omnibus muneribus publicis, hic liberorum numerus præstat excusationem, l. 4. in pr. ff. de muner. & honor. At vero placuit, tutelam & curam esse munera publica, ut ait Imp. Ubi notandum publicum aliquid duci bifariam; primò quidem † quod est in patrimonio alicujus Populi & maximè Romani, vel in publico usū, vel quod ad populi & reipub. utilitatem pertinet. Quo sensu tutela non potest dici munus publicum; quia reipubl. quod ad rem pecuniariam attinet, nihil interest, pupillis tutores dari, l. 2. §. pen. ff. ad municip. Secundò, publicum † dicitur quod ad populi utilitatem pertineret, legum conditores existimarentur, & cuius curam idcirco tamquam utilitatis publicæ suscipere voluerunt. Et hoc tantum sensu tutela & cura dicuntur esse munera publica; quia ad curam publicam pertinet orbos ac pupillos tueri ac defendere, l. 2. que autem ff. qui pet. tut. vel curat. quod Imp. videtur innuere hoc verbo placuit.

*Ad §. I.*

**I**TAM divus Marcus in Semestribus rescripsit, eum, qui res fisci administrat, à tutela vel cura, quamdiu administrat, excusari posse.

REI fiscalis administratio temporalem præstat excusationem, quamdiu scilicet tutor datus res fisci administrat. Fiscus † est pecunia seu patrimonium omne ad Principem pertinens, quatenus Princeps est; seu bona quæ possider auctoritate publicâ, & quæ non possideret nisi Princeps esset. Ea vero bona † quæ Principis sunt jure dominii privati, seu quæ possidet, non ut Princeps, sed ut quilibet privatus, bona patrimonialia seu patrimonium Cæsaris appellantur. Quo etiam modo duo genera amicorum distinguebat Alexander Magnus apud Plutarchum, dicens, Cratero charum esse Regem, sed Ephesitioni Alexandrum.

*Ad §. Item qui reipublice.*

**I**TAM qui reipublicæ causâ absunt, à tutela vel cura excusantur. Sed & si fuerint tutores vel curatores, [dati] deinde reipublicæ causâ abesse cœperint; à tutela vel cura excusantur, quatenus reipublicæ causâ absunt; & interea curator loco eorum datur: qui si reversi fuerint, recipiunt onus tutelæ. Nam nec anni habent vacationem, ut Papinianus libro quinto Responsorum scripsit. Nam hoc spatium habent ad novas tutelas vocati.

**A**BESSÆ reip. causâ † dicuntur non tantum quibus aliqua legatio demandata est, sed etiam eorum comites ac ministri, l. administrantes &c. §. corum ff. b. t. Et illi etiam qui itineri se accingunt, & nondum absunt, sed mox absfuturi sunt reipubl. causâ, d. §. corum. Huiusmodi absentia non tantum

excusat intra tempus absentia, sed etiam unius anni vacationem tribuit post redditum, si tales personæ ad novas tutelas vocentur. Quod privilegium ad eas tutelas non pertinet, quæ ante absentiam delatae fuerant; quia minus grave est tutori tutelam jam cognitam, jam exploratam continuare, quam novam suscipere.

*Ad §. Et qui potestatem.*

**E**T qui potestatem aliquam habent, se excusare possunt, ut *Diversus Marcus rescripsit*; sed susceptam tutelam deferere non possunt.

**POTESTATIS** nomen † hoc loco significat potestatem *Magistratus*, patriam aut dominicam. Illa potestas *Magistratus* excusationem praestat à tutela, dummodo non sit minima, cuiusmodi est potestas *Ædilium*, *I. non tantum* §. *is qui*, *ff. b. t.* *Magistratus* autem municipales à tutela liberantur, *I. 6. §. remittuntur*, *ff. b. t.* Sed si *Magistratum* eum aliquis nondum gerat, licet gesturus sit, non excusat, *I. propter 23. ff. eod.*

*Ad §. Item propter litem.*

**I**TEM propter litem, quam cum pupillo vel adulto tutor vel *curator* habet, excusari non potest; nisi forte de omnibus bonis, vel hæreditate controversia sit.

Lis de universis bonis vel de hæreditate aliqua justam praestat excusationem, jure nostrarum Institutionum. Sed ex *Nov. 72.* quæcumque lis mota vel movenda inter minorem & eum qui datus est tutor vel *curator*, efficit ut excusatio sit superflua. Ejusmodi enim personæ excluduntur etiam invitæ; propter malignam suspicionem, & propter maximum periculum quod imminet, ne intercipientur minoribus chirographa, (*Les cedules ou promesses*) aut desumpta, sive apochæ, (*les quittances.*)

*Ad §. Item tria onera.*

**I**TEM tria onera tutelæ non affectatae, vel curæ, praestant vacationem, quamdiu administrantur. Ut tamen plurim pupillorum tutela vel cura eorumdem bonorum, veluti fratum, pro una computetur.

**TRIA** onera tutelæ vel curæ non affectatae † sic intelligenda sunt; ut si quis administret duas tutelas & unam curam, vel duas curas cum una tutela, vel tres tutelas, vel tres curas, tria onera dicatur sustinere; dummodo nulla ex his sit affectata, & quælibet ad distincta patrimonia pertineat. Affectata † dicitur tutela, cum quis pauperis patrimonii tutelam ambivit, ut grayioris

onera detractaret. Patrimonia verò distincta † esse intelliguntur; quando divisa sunt & separata à se invicem, ita ut separata rationum redditio exigatur. Non est igitur triplex onus tutelæ, cum quis est tutor trium fratum qui consortes sunt; id est, † qui patrimonium suum conjunctum & indivisum possident, sed eorum tantum qui sunt dissortes, seu † qui sortem & hereditatem divisa possident. Interdum tamen unica tutela ad excusationem sufficit; si tam diffusa & negotiosa sit, ut pro pluribus cedat, *l. si is qui 31. §. ult. ff. hoc tit.* Non enim numerus pupillorum, sed difficultas rationum conficiendarum & reddendarum consideranda est, *d. §. ult.*

*Ad §. Sed & propter.*

**S**E D & propter paupertatem excusationem tribui, tam Divi fratres, quam per se Divus Marcus rescripsit, si quis imperium se oneri injuncto possit docere.

**P A U P E R T A S** † sive calamitas illius qui est ita facultatibus destitutus ut quotidiano labore victum comparare cogatur, neque ab opificio manuum suarum, sine magno incommodo distrahi possit, excusat ab utroque hoc munere, *l. 7. ff. b. t.* quamvis alias pauper fidelis & diligens non debeat removeri quasi suspectus, *§. ult. tit. seq.* Cæterum tutori pauperi, qui se aliter exhibere non potest, salario statui debet, *l. 1. §. si pupillis, ff. de tut. & rat. distrahab.*

*Ad §. Item propter.*

**I**T E M propter adversam valetudinem, propter quam ne suis quidem negotiis interesse potest, excusatio locum habet.

**A D V E R S A** valetudo, quæ rei familiaris administrandæ facultatem adimit, excusat etiam tutorem vel curatorem datum; imò verò post susceptam administrationem, si quis in talem morbum inciderit, deponere tutelam potest, *l. post susceptam, ff. b. t.* quia perabsurdum esset, eos, qui in rebus suis administrandis alieno auxilio indigent, aliorum tutelam vel curam subire.

*Ad §. Similiter.*

**S**IMILITER eos, qui litteras nesciunt, esse excusandos, Divus Pius rescripsit; quamvis & imperiti litterarum possint ad administrationem negotiorum sufficere.

**I M P E R I T I A** litterarum neminem excusat, nisi sit conjuncta imperitiæ negotiorum, *l. 6. §. ult. ff. cod.* quia nihil impediat, quin negotiorum peritus qui nescit scribere, rationes conficiat per alium. Nescire itaque litteras, hoc loco dicuntur eodem sensu, quo C. Jul. Cæsar dixit *apud Suet. in ejus vita, Syllara nescisse litteras, qui Dictaturam deposuerat*; id est nullo ingenio fuile prædictum

præditum, & mox addidit. Nam si ullo ingenio fuisset, potestatem quam semel adeptus fuerat retenturum fuisse.

*Ad §. Item si propter.*

**I**T E M si propter inimicitias aliquem testamento tutorem pater dederit, hoc ipsum præstat ei excusationem; sicut per contrarium non excusantur, qui se tutelam administraturos patri pupillorum promiserant.

**I N I M I C I T I E** qualescumque legitimam tutoribus & curatoribus præstant excusationem; si probare potuerint se non aliam ob causam datos fuisse a testatore, quam ut suas ultra fata inimicitias adversus ipsos exerceret; eosque intricatis pupilli negotiis adstringeret & vexaret, l. 6. §. dat remissionem, ff. b. t. Neque enim data est L. 12. tab. patribus familias latissima danci tutoris licentia, ut de inimicis suis vindictam sumerent; sed solummodo ut affectu paterni liberis suis prospicerent.

Ex diverso, amicitia excusationem omnem adimit, quamcumque aliquis habere possit jure publico, si amico morienti & de liberis suis post mortem suam defensionis sollicito, promiserit se tutelam ipsorum administraturum; quia excusationibus renuntialis intelligitur, qui ita fidem suam obligavit, l. Spadensem, §. 1. ff. b. t. & l. 29. C. de test. tut.

*Ad §. Non esse.*

**N**O n esse autem admittendam excusationem ejus, qui hoc solo utitur, quod ignotus patri pupillorum sit, Divi fratres rescripsierunt.

**Q U A M V I S** autem amicitia excusationi magnum præstet impedimentum, ut modò diximus; non tamen ex contrario prodest tutori illa allegatio, quod patri pupillorum ignotus fuerit ex rescripto Divorum fratum, id est D. Marci Antonini Philosophi, & Eliei Veri; quia ignotus heres fieri potest, §. ult. inf. de her. inf. ignoto donati potest, l. 29. C. de donat. quidni etiam tutor ignotus dari possit? Neque obstar quod ait Imp. in §. sed nec hujusmodi, infra de legat. tutorem incertum testamento dari non posse; quia certo iudicio debet quis pro tutela posteritati suæ cavere. Valde enim differunt à se invicem incertus tutor, & ignotus tutor. Incertus † dicitur quem testator vagâ atque incertâ opinione animo suo subjicit, v. g. Quicumque primus in Capitolium ascenderit, tutor esto filii mei. Ignotus vero † dicitur ille qui licet vultu aut familiaritate notus non fuerit testatori, famâ tamen ei notus fuit, v. g. si dixerit; Sempronius tutor esto filiorum meorum.



*Ad §. Inimicitiae.*

**I**NIMICITIAE, quas quis cum patre pupillorum vel adultorum exercuit; si capitales fuerunt, nec reconciliatio intervenit, à tutela vel cura solent excusare.

**I**NIMICITIAE capitales inter tutorem & patrem pupilli vel adulti fuisse dicuntur, cùm alter alteri; suis machinationibus & insidiis, periculum capitis intulerit, vel etiam existimationis qua vita equiparatur. Idemque juris est à fortiori, si tutor vel curator datus, pupillis inimicus sit, l. 3. §. si tutor, ff. de suspec. tut. Sed hoc cessat, quoties reconciliatio intervenit aperte, vel tacite: aperte quidem, si in gratiam redierint; tacite vero, multis modis: v. g. si pater eum à quo accepit summam aliquam injuriam, testamento suo tutorem dererit. Nam si hoc fecit bona mente, non ut eum litibus implicaret, & suas in eum ultra fata inimicitias exerceret; remisisse hoc ipso injuriam tacite videtur, l. 6. §. dat remissionem ff. b. t. sed & si tutor inimicus se non excusaverit, tamquam suspectus rejici debet; d. §. si tutor.

*Ad §. Item is.*

**I**TEM is, qui statūs controversiam à pupillorum patre passus est, excusatur à tutela.

**S**TATŪS controversia tutori mota à patre, non multū abest ab inimicitia capitali; quia periculo capitis non est dissimile periculum servitutis, qua morte equiparatur, l. servitutem 209. ff. de reg. jur. & l. qui cum major 14. in pr. ff. de bon. libert. sed hæc duo sèpè alibi distinguuntur, l. 9. ff. de his quæ ut indig. aufer.

*Ad §. Item major.*

**I**TEM major septuaginta annis à tutela & cura se potest excusare. Minores autem viginti-quinque annis, olim quidem excusabantur; nostrā autem constitutione prohibentur ad tutelam vel curam adspirare: adeò ut, nec excusatione opus sit. Quā constitutione cavetur, ut nec pupillus ad legitimam tutelam vocetur, nec adultus: cùm sit incivile, eos, qui alieno auxilio in rebus suis administrandis egere noscuntur, & ab aliis reguntur, aliorum tutelam vel curam subire.

**A**ETAS major septuaginta annis excusationem præstat legitimam; quia senium, id est decrepita ætas, morbum continet perpetuum, cuius non est aliud remedium quā mors ipsa. Sed ætas minor viginti-quinque annis hodie non excusat; quia minores inviti removentur à tutela, ne alioquin fœda nominum ac re-

rum confatio ostiatur. Neque enim ferendum est eundem esse tutorem vel curatorem, & sub tutela aut cura eodem tempore constitui, *l. ult. C. de legit. tutela.*

*Ad §. Idem & in milite.*

**I** DEM & in milite observandum est, ut nec volens ad tutelæ onus admittatur.

MILITES quoque ab hoc utroque munere excluduntur, etiam inviti; quia peritia negotiorum in utroque requiritur, quam non habent milites; cum magis arma quam leges scire intelligentur, *l. ult. in pr. C. de jure delib.* Idemque dicendum est de illis qui Romæ militant inter nocturnos custodes sive vigiles; (les Soldats du Guet) quia hi jure militari fruuntur, *l. un. §. pen. ff. de bon. pos. sess. ex testam. militis.*

*Ad §. Item Roma.*

**I** TEM Romæ Grammatici, Rethores, & Medici, & qui in patria sua has artes exerceat, & intra numerum sunt, à tutela & cura habent vacationem.

PROFESSIO Grammatica, Rhetorica & Medicina à tutela vel cura excusat; si modò duas concurrent conditiones. Prior est, ut quis in patria sua has artes exerceat, vel Romæ quæ communis omnium patria est, *l. 6. §. Roma ff. b. r. & l. Roma 33. ff. ad municipal.* Altera conditio est, ut quis sit intra numerum lege definitum. Verum in Medicis tertia insuper conditio requiritur, ut sint ægroti; id est circulatores & circuitores, seu tales, ut ægros invisendi causâ urbem circumneant; non verò otiosi & umbraticum dumtaxat studium profientes. Philosophos quoque his addere possumus, in quibus hoc est valde singulare, quod eorum numerus non sit lege definitus; quia pauci admodum sunt qui philosophantur, *l. 6. §. de Philosophis, ff. b. r.* Philosophari sive Philosophorum more vivere significabat apud veteres, pecuniam contemnere, & virtutis studium profiteri, *l. 8. §. pen. ff. de vac. & excus. mun.* Ideoque meritò Impp. Diocl. & Maxim. pseudo-philosophum quendam sic objurgant. Professio tua & desiderium tuum inter se discrepant: nam cum Philosophum te esse proponas, vinceris avaritiam & rapacitatem, *l. professio C. de muner. patrim. lib. 10.* Legum verò Doctores non excusantur jure Pandectarum, nisi Romæ doceant, *d. l. 6. §. legum*, sed jure Codicis excusatio eis concessa est, *l. Medicos 6. C. de Professor. & Medicis, lib. 10.*

*Ad §. Qui autem.*

**Q**UI autem vult se excusare, si plures habeat excusationes, & de quibusdam non probaverit, aliis uti intra tempora [constituta] non prohibetur. Qui autem excusare se volunt, non appellant; sed intra quinquaginta dies continuos, ex quo cognoverint se esse tutores vel curatores datos, se excusare debent, cujuscumque generis sint, id est qualitercumque dati fuerint tutores; si

intra centesimum lapidem sunt ab eo loco , ubi tutores dati sunt. Si verò ultra centesimum lapidem habitant , dinumeratione factâ viginti millium diurnorum , & amplius triginta dierum. Qui tamen ( ut Scævola dicebat ) sic debent computari , ne minus sint , quam quinquaginta dies.

**S E Q U I T U R** ut usum excusationum expendamus. Et primò quidem monendi sumus , certum fuisse tempus lege definitum excusationibus proponendis : ita ut tutores vel curatores dati , cuiuscumque generis sint , etiam legitimi , intra quinquaginta dies continuos ex quo id cognoverint , excusare se debeant , si sunt intra centesimum lapidem. Si verò ulteriore loco fuerint tempore dationis , conceduntur illis viginti millia in singulos dies continuos , & insuper triginta dies , ad proponendas suas excusationes , l. scire oportet , §. aliud , ff. b. t. ita tamen ut numquam minus sint quam quinquaginta dies. Dies continui in eo differunt à diebus utilibus , quod ex utilibus eximendi sunt dies feriati , quibus lege agere non licet. Ex continua verò nulli dies eximuntur , ideoque dicti sunt continua , quasi continua fluentes , eo quod nullam patientur interruptionem. Dixi etiam legitimi ; quia non arbitror assentiendum esse sententiae existimatium , legitimos tutores ab excusatione excludi. Quæ sententia falsitatis convinicitur ex l. 1. C. de legi. tutela ; ex l. 9. C. qui dare tut. poss. ex l. 2. §. hoc autem , & ex l. 10. §. si libertus , ff. b. t.

*Ad §. Datus autem.*

**D**A T U S autem tutor , ad universum patrimonium datus esse creditur.

**Q**UOD attinet ad locum , non potest tutor vel curator datus se excusare ab eâ parte patrimonii gerendâ , quæ est in alio loco posita , nisi fortè sit ultra centesimum lapidem , & in alia Provincia : neque enim datio tutoris ad unum certum patrimonii locum restringitur. Atque ita ex l. 21. §. licet , ff. eod. legi , intelligi & suppleri debet textus iste. **Datus autem tutor , ad universum patrimonium datus esse creditur :** addendum est igitur ; tamen excusare se potest ne ultra centesimum lapidem tutelam gerat , nisi in eadem Provincia pupilli patrimonium sit.

*Ad §. Qui tutelam.*

**Q**UI tutelam alicujus gessit , invitus curator ejusdem fieri non compellitur : in tantum , ut licet paterfamilias qui testamento tutorem dedit , adjecerit se eundem curatorem dare , tamen invitum eum curam suscipere non cogendum , Divi Severus & Antoninus rescripsierunt.

**C U R A T O N I S** propriæ excusationes sunt duæ , tutelæ gestio , & matrimoniuni. Et primò quidem , qui tutelam alicujus gessit , ejusdem adulti curationem suscipere non cogitur , l. 20. C. b. t. Primum , quia aliquod spatiū ei con-

cedendum videtur ad conficiendas & reddendas rationes ; tum etiam quia satis superque est si in uno gravi onere , labore & opere alicui consulatur , *l. tutori 20.* *C. de negot. gestis.* Sed haec excusatio in liberto cessat propter inestimabile beneficium accepta libertatis , *l. 5. C. b. t.*

*Ad §. pen.*

**I**DEM rescriperunt , maritum uxori suæ curatorem datum , excusare se posse , licet se immisceat .

**M A R I T U S** quoque uxori suæ adulæ vel furiosæ curator datus , licet se immisceat , tamen excusare se potest ; atque ita evitare infamiae notam , quæ oratione D. Marci & Senatus-consulto ad eam factò illi inuritur , qui uxori suæ sciens prudensque curator datus est , *l. amplissimi C. b. t.* quamvis alias ille , qui semel se immiscuit , non audiatur postea ; si aliquam velit allegare excusationem , *l. 17. §. is qui , ff. cod.* Ratio prohibitionis fuit , quia summopere metendum erat , ne bona uxoris pessum irent , sperante marito se rationum redditio nem , ob affectum vel reverentiam uxoris , aut propter societatem & communicationem omnium bonorum facilè devitaturum . Hoc autem jus non pertinet ad bona dotalia , cùm maritus sit dominus dotis , *l. 9. C. de rei vindic.* & §. per traditio nem inf. de rer. divis. sed ad parapherna tantum † seu illa quæ habet uxor præter dotem .

Cæterum , imperfectæ diversæ species excusationis , licet permixtæ fuerint ; ad excusationem non sufficiunt , *l. un. C. qui , num. tutelarum.*

*Ad §. ult.*

**S**I quis autem falsis allegationibus excusationem tutelæ meruit , non est liberatus onere tutelæ .

**E X C U S A T I O N U M** omnium hic est effectus notissimus , ut qui excusati sunt , immunes fiant ab omni tutelæ vel curæ onere ac periculo . Sed hoc ita demum verum est , cùm causa excusationis vera fuerit . Nam qui ex falsis allegationibus , & ambitione potius quam juris ratione excusati sunt , non liberantur onere tutelæ , *toto tit. C. si tutor vel curat. fals. alleg. excusatus sit.* Neque enim Magistratus habet jus tutelam finiendi ; sed lex sola , cuius auctoritate tutela constituta est , *arg. l. 35. ff. de reg. Jur.*

Quod ut pleniùs intelligatur , monendi sumus rem judicatam non consistere , sed esse retractationi obnoxiam ; si probari possit falsis instrumentis , vel testibus pecuniâ corruptis , circumventam fuisse religionem judicantis , eoque nomine impetrandam esse restitutionem , quam solus Princeps concedit , *l. Divi 27. in pr. ff. de pœnis , l. Divus 33. in princ. ff. de re judic.* & *l. pen. C. si ex fals. instrum. judic. sit.* Interdum quoque sine impertratione rescripti sententia hujusmodi retractationi obnoxia est : videlicet cùm id specialiter constitutionibus permisum est , ut *l. admonendi 31. ff. de jurejur.* quia frustra precibus impetratur quod omnibus jure communi conceditur , *l. un. C. de thesaur. lib. 10.* Verum si tutor aliquis falsis allegationibus excusatus sit , sententia ipso iure nulla est , *l. ult. C. si tutor vel curat. fal. alleg. excus. sit.* In Gallia tamen

nostra in hac restitutione , & in omnibus omnino rescisionibus ; rescriptum Principis necessarium est , ( *Les voies de nullité n'ont point de lieu en France.* )

Aliud tamen jus obtinet ex rescripto D. Pii , si libertas ex falsa causa concessa fuerit . Nam causæ probationis contradicendum est : non etiam causa jam probata retractanda , sive rursum tractanda est , l. 9. §. 1. ff. de manum , vindic. & §. pen. sup. quib. ex cauf. manum. non lic. Idque videtur ideo constitutum quia Lex Ælia-Sentia non minus est odiosa , quam libertas est favorabilis : odia siquidem restringi , & favores convenit ampliari , cap. odia de reg. jur. in 6. Tum etiam quia fuit lex nova : in legibus autem novis , si quid non exprimatur , id sub veteribus juris regulis relictum intelligitur , l. precipimus §. ult. C. de appell. Statuebat quidem lex illa , ut causa manumissionis approbaretur ; sed ut falsitas causæ noceret rei judicata in favorem libertatis , nullatenus cavebat . Non debuit igitur extendi Lex Ælia-Sentia ultra casum suum .



## T I T U L U S X X V I .

### D E S U S P E C T I S T U T O R I B U S vel Curatoribus.

*Ad Princeps.*

**S**CIENTIUM est , suspecti crimen ex Lege duodecim tabularum descendere .

SUSPECTI crimen ; id est accusatio , ex L. 12. tab. descendit , his verbis : Suspecti tutoris judicium esto . Et quia judicium constat tribus personis , judice , reo & actore , ideo videndum est primò de his omnibus in hac accusacione : deinde vero , quænam sit ejus accusationis vis ac potestas , expendendum est .

*Ad §. 1.*

**D**ATUM est autem jus removendi tutores suspectos , Romæ Prætori , & in Provinciis Præsidibus earum , & Legato † Proconsulis .

COGNOSCUNT & judicant de suspecto tutore omnes Magistratus , qui possunt tutores dare ; Prætor scilicet in urbe , & Præses in Provinciis , & Legatus Proconsulis . Idemque dicendum est de ceteris quibus mandata est jurisdictione , l. 4. in fine , ff. de offic. ejus cui mand. est jurisd. Aliud dicendum est de facultate dandi tutoris , quam Magistratus alteri mandare non potest , l. nec mandante , ff. de tutor. & curator. Ratio disparitatis est , quia tutoris dario non est imperii neque jurisdictionis , sed bis tantum competit , quibus nominatim id lege concessum est , l. 6. §. tutoris datio , ff. de tutelis . Aliud dicendum est de remotione suspecti , d. l. 4. & l. 1. §. ergo ff. h. tit. Constat siquidem Magis-

tratum posse ea mandare alteri , quæ sunt jurisdictionis ; non autem illa quæ specialiter lege concessa sunt , l. 1. in pr. ff. de offic. ejus cui mand. est jurisd. Hoc jus insuper sualisse videtur pupillorum utilitas , quorum interest ut plures de suspecti accusatione cognoscant ; ne alioquin perfidi tutores diutiùs in bonis pupilli grāssari possint.

*Ad §. Ostendimus.*

**O**STENDIMUS , qui possint de suspecto cognoscere : nunc videamus , qui suspecti fieri possint. Et possunt quidem omnes tutores fieri suspecti ; sive sint testamentarii , sive non sint , sed alterius generis tutores. Quare , & si legitimus fuerit tutor , accusari poterit ? quid si patronus ? Adhuc idem erit dicendum ; dummodo meminerimus , famæ patroni parcendum esse , licet ut suspectus remotus fuerit.

OMNIS generis tutores huic accusationi obnoxii sunt , etiam testamentarii & parroni ; sed tamen debet adversus patronos accusatio verbis mitioribus temperari , ut famæ ipsorum parcatur ; eo quod ipsorum persona honesta semper & sancta libertis videri debet , l. 9. ff. de obsequ. par. & patron. praestandis : ideoque adversus patronum actio famosa non datur. Pertinet etiam hæc accusatio ad tutores Attilianos , quamvis incognitos tempore legis 12. tabularum , quæ illam induxit ; quia non est novum , priores leges trahi ad posteriores , l. non est novum , ff. de legibus .

*Ad §. Consequens est.*

**C**ONSEQUENS est , ut videamus , qui possint suspectos postulare. Et sciendum est , quasi publicam esse hanc accusacionem ; hoc est , omnibus patere. Quinimò & mulieres admittuntur ex rescripto Divorum Severi & Antonini ; sed hæc solæ , quæ pietatis necessitudine ductæ , ad hoc procedunt : ut putà mater , nutritrix quoque , & avia potest , & soror. Sed & si qua alia mulier fuerit , quam Prætor propensâ pietate intellexerit , sexus verecundiam non egredientem , sed pietate productam , non sustinere injuriam pupillorum , admittet eam ad accusationem.

**A**GERE accusatione suspecti quilibet potest : est enim accusatio quasi publica , ut ait Imp. & additur particula quasi , quæ est nota impropriatis ; quia non est omnino verè publica , sicut apparebit Deo propitio ad tit. ult. nostrarum Institutionum. Quinimò & mulieres admittuntur , quamvis plerumque ab accusationibus publicis arceantur.

## Ad §. Impuberis.

**I**M P U B E R E S non possunt tutores suos suspectos postulare. Pu-  
beres autem curatores suos ex consilio necessariorum suspectos  
possunt arguere. Et ita Divi Severus & Antoninus rescriperunt.

IMPUBERES non possunt tutores suos suspectos postulare; quamvis adul-  
ti possint ex consilio necessariorum suorum accusationem movere. Ratio dispa-  
ritatis est; quia post pubertatem tantum creduntur adolescentes sapere posse, &  
sapientium hominum jura tractare, *l. ult. C. de test. mil.* nec debet esse pos-  
sum in potestate pupilli, ut finiat tutelam suo arbitrio, aut saltē adminis-  
trationem tutoris sui. Adulto verò id facilius permittritur; quia majore poterit  
judicio; tum etiam quia ei invito regulariter curator non datur, *§. item invit. sup. de curat.* ideoque ipse solus sibi curatorem petere potest, *l. 2. §. ult. ff. qui pet. tut. vel cur. & l. 6. C. eod.*

## Ad §. Suspectus autem est.

**S**USPECTUS autem est qui non ex fide tutelam gerit, licet  
solvendo sit, ut Julianus quoque scripsit. Sed & antequam in-  
cipiat tutelam gerere tutor, posse eum quasi susceptum removeri,  
idem Julianus scripsit, & secundum eum constitutum est.

EFFECTUS hujus accusationis sunt sex præcipui. Primus est, ut non tan-  
tum per ipsam à tutela excludi & removeri possit ille qui non ex fide tute-  
lam gerit, sed etiam ille qui nondum administravit; si moribus talis sit, ut  
suspectus fieri possit: namque ut ait Ausonius,

*Parum distare videntur,  
Suspectus verèque reus.*

## Ad §. Suspectus autem.

**S**USPECTUS autem remotus, si quidem ob dolum famosus  
est; si ob culpam non æquè.

**S**ECUNDUS effectus accusationis est; ut qui removetur ob dolum, fa-  
mosus sit; non verò qui ob solam culpam. Dolus dicitur † quævis machi-  
natio ad alium circumveniendum adhibita, *l. 1. ff. de dolo malo;* culpa verò †  
dicitur omne factum, vel omissum, quo damnum alteri infertur injuria, sed  
sine ullo nocendi animo admissum.

## Ad §. Si quis autem.

**S**I quis autem suspectus postulatur, quoad cognitio finiatur, in-  
terdicitur ei administratio, ut Papiniano visum est.

TERTIUS

**TERTIUS** effectus est, ut lite institutâ & pendente cause cognitione, interim tutori vel curatori interdicatur administratione; & alius in ejus locum in administratione rerum ordinetur, *I. eum quem, C. b. t.* Quod si tutor convictus fuerit de dolo aut de culpa, dubium esse non debet, quin ab eo manere penitus expellatur.

*Ad §. Sed si suspecti.*

**S**E D si suspecti cognitio suscepta fuerit, posteaquam tutor vel curator decesserit, extinguitur suspecti cognitio.

**I**N lite quoque suspecti institutâ, hoc jus videtur admodum singulare; quod licet regulariter actio quæcumque etiam penalitatem semel iudicio inclusa, morte rei non extinguitur, sed in solidum transeat in heredem; haec tamen accusatio morte accusati extinguitur, & in hoc criminali accusationi similis est, quæ mortuo reo regulariter finitur, *I. 1. 2. & 3. C. si reus vel accus. mort. fuerit.* Sed in hac causa haec est ratio fortissima, quod cum ad nullum alium scopum collimet haec accusatio, quam ut tutor à tutela expellatur; post finitam ipso iure tutelam, frustra eo nomine ageretur. Idem itaque jus servandum est, si quis alio quolibet modo tutor esse desierit; quia ubi militat eadem ratio, ibi quoque idem jus servandum est, *I. illud in pr. ff. ad I. Aquil.*

*Ad §. Si quis tutor.*

**S**I quis tutor copiam sui non faciat, ut alimenta pupillo decernantur; cavetur epistolâ Divorum Severi & Antonini, ut in possessionem bonorum ejus pupillus mittatur: & quæ morâ deteriora futura sunt, dato curatore distrahi jubentur. Ergo ut suspectus removeri poterit, qui non praestat alimenta.

**QUARTUS** effectus est, ut si tutor latitet, ideoque pupillo non possint à Prætore alimenta decerni, mittatur pupillus in possessionem bonorum ejus, & dato curatore ejus bonis, distrahanter illa, quæ morâ corrupti solent, & servando servari non possunt, ut triticum & vinum: eaque ratione pupillo præstabuntur alimenta. Is autem tutor suspectus est procul dubio, quippe fugâ suâ accusatus & crudelitatis convictus; cum necare videatur, qui denegat alimenta, *I. necare ff. de lib. agnosc.* & sententiâ insuper Prætoris judicatus; quatenus pupillum misit in possessionem bonorum ejus, quod usurpatur dumtaxat adversus debitores.

*Ad §. Sed si quis.*

**S**E D si quis præsens negat propter inopiam alimenta posse decerni, si hoc per mendacium dicat, remittendum cum esse ad Præfectum urbi puniendum, placuit: sicut ille remittitur, qui datâ pecuniâ ministerium tutelæ acquisierit, redemerit.

**Q**UINTUS effectus est, ut si gravior sit fraus tutoris, putà quòd per mendacium neget alimenta pupillo poise decerni, atque ita efficiat ut papilli à alienum & secreta patrimonii paniçantur ( quod pupillo maximè damnosum est ) ad Præfectum urbi remittatur puniendus. Eius enim Præfecti, non Prætoris, erat animadvertisse in facinorosos ; id est, graviores pœnas eis infligere, de quibus solis hic agitur. Neque enim dubium est quin Prætor potuerit infamia vel mulctæ pœnam interrogare, l. 2. §. ult. ff. de judic. quæ pœna in hoc casu non sufficiunt, l. 1. §. solent, ff. de offic. Præf. urbi.

Præterea ad eundem Præfectum urbi remittitur qui datâ pecunia ministris sive officialibus Prætoris, quibus cura inquisitionis committi solet, tutelam acquisierit. Nam ut aiebat Imp. Alexander Severus, necesse est, ut qui emit, vendat.

*Ad §. pen.*

**L**IERTUS quoque, si fraudulenter tutelam filiorum vel ne-  
potum patroni gessisse probetur, ad Præfectum urbi remittitur  
puniendus.

**T**ERTIUS denique, libertus qui filiorum patroni sui tutelam fraudulenter gesserit, ad eundem Præfectum puniendus remittitur ; quia ex magnitudine beneficii quod accepit, crescit perfidiae crimen, ideoque corporaliter punietur, eis cœpua, ut ait Theoph.

*Ad §. ult.*

**N**OVISSIME autem sciendum est, eos qui fraudulenter tutelam administrant, etiam si satis offerant, removendos esse à tutela ; quia satisfatio tutoris propositum malevolum non mutat, sed diutiùs grassandi in re familiari facultatem præstat. Suspectum etiam eum putamus, qui moribus talis est, ut suspectus sit. Enim verò tutor, vel curator, quamvis pauper sit, fidelis tamen & diligens, removendus non est quasi suspectus.

**S**EXTUS denique effectus est, ut suspecti tutoris remotionem non impedit cautio idonea sive oblatio fidejussionum ; quia satius est pupillo damnum non pati, quam habere tabulas cautionis, l. 5. ff. h. t. & ut dicitur in l. ult. C. in quib. cau. in integr. restitutio nec. non est, melius est intacta jura minorum servare, quam post vulneratam causam remedium querere. Ex diverso quoque nemo creditur esse suspectus propter solam paupertatem & defecatum fidejussionum ; quos invenire pauperi difficile admodum atque operosum est, l. 2. §. 1. ff. de custod. & exhib. reorum. Suspectus igitur vel idoneus tutor astimatur aliquis, non ex fortunis, sed ex moribus.

*Finis Libri primi.*



THEOPHILUS  
RENOVATUS,  
S I V E  
LEVIS AC SIMPLEX VIA  
AD INSTITUTIONES  
JURIS CIVILIS.

L I B E R   S E C U N D U S.

CUM superiore Libro de jure personarum actum sit , quæ  
primum juris objectum constituunt ; sequitur ut de secun-  
do , nimis de rebus , videamus , quarum tractatus totum  
hunc Librum occupat , & totum itidem tertium , nec non etiam  
initium quarti , usque ad titulum sextum de actionibus .

T I T U L U S   P R I M U S.  
DE RERVM DIVISIONE , ET ACQUIRENDO  
*ipſarum dominio.*

*Ad Princ.*

SUPERIORA Libro de jure personarum exposuimus , modò  
videamus de rebus , quæ vel in nostro patrimonio , vel extra  
patrimonium nostrum habentur . Quædam enim naturali jure com-  
munia sunt omnium , quædam publica , quædam universitatis , quæ-  
dam nullius , pleraque singulorum , quæ ex variis causis cuique ac-  
quiruntur , sicut ex subjectis apparebit .

**R E R U M** duas divisiones tradit Imp. hoc tit. tertiam additur in sequenti : deinde varios modos exponit , acquirendi rerum dominii jure gentium constitutos , atque ita utraque pars rubricæ unico hoc tit. tractatur , quæ in Pandectis duos titulos occupat . Nec placet sententia Theophili , dum secundam partem hujus rubricæ amputat ; cùm maxima pars tituli circa ejus expositionem versetur , & cùm majoris momenti sit Justiniani auctoritas , quam Interpretis , qui alias quoque rubricas sine causa immutat ; v. g. cùm mavult titulum inscribere *De libertis* , quam *De libertinis* ; & *De curationibus* , quam *De curatoribus* , in libro superiore .

Prima rerum divisio † est in eas quæ sunt in patrimonio nostro , & in eas quæ sunt extra patrimonium nostrum ; sive , quod idem est , in res divini juris . In patrimonio nostro † esse dicuntur illæ res , quæ dominio nostro subjici possunt , seu quæ sunt in hominum commercio ; seu quæ sunt humani juris ; id est , in domiuio hominum . Ex illis quædam notandæ sunt , quæ licet suâ naturâ sint in commercio , non tamen sunt in commercio quorumdam hominum , quibus hujusmodi rerum acquisitione lege interdictum est ; v. g. mancipium Christianum non est in commercio Judæi vel Pagani , *toto tit. C. de mancip. Christ. Jud. vel Pag. hab. vel circumcid.*

Extra patrimonium nostrum † esse dicuntur res quæ hominum commerciis exemptæ sunt , ita dictæ quod patrimonio nostro subjici non possunt ; cujusmodi sunt res sacræ , religiosæ & sanctæ ; quæ res ideo divini juris esse dicuntur . Ex his apparet , cavendum esse ne hanc primam rerum divisionem ita accipiamus , quasi res dividantur hoc loco in res proprias & alienas . Res siquidem alienæ in nostro patrimonio sunt , ideoque possumus illas stipulari *in pr. inf. de inut. stip.* non autem res proprias , §. I. cod. tit.

Secunda rerum divisio † est in res communes , publicas , universitatis ; nullius , & singulorum .

### Ad §. I.

**E**T quidem naturali jure communia sunt omnia hæc , aër , aqua profluens , & mare , & per hoc littora maris . Nemo igitur ad littus maris accedere prohibetur ; dum tamen à villis , & monumentis , & ædificiis abstineat ; quia non sunt juris gentium , sicut est mare .

**R E S** communes † sunt illæ quæ distinctis rerum dominiis inter omnes homines omnium gentium communes remanserunt , seu quæ communionem illam retinuerunt quæ in primis generis humani incunabilis fuerat observata . Cùm enim dominia rerum à naturali possessione seu occupatione orta sint , *I. I. ff. de acqu. poss.* res illæ quæ non poterunt occupari , aut saltem quæ occupatae non fuerunt , remanserunt inter omnes homines indivisa , & in eodem statu quo primùm à natura proditæ fuerant , *I. quod in littore in pr. ff. b. t.* cujusmodi sunt aër , aqua profluens , mare , & littus maris . Unde sequitur , neminem jure gentium prohiberi , ne ad littus maris accedat : quocirca Ilioneus Trojanus Orator ad Reginam Carthaginensem sic de ipsius subditis conqueritur .

*De verum divisione, & acquirendo ipsarum dominio.* 101  
Quod genus hoc hominum? queve hunc tam barbara morem  
Permittit patria? Hospitio prohibemur arena,  
Bella carent, primaque vetant consistere terram;  
Si genus humanum, & mortalia temnitis arma.  
*At sperate Deos memores fandi atque nefandi.*

Verum villa & monumenta, quae sunt in littore, alio jure censentur, & sunt in dominio privatorum, qui littoris partem eam constructione occuparunt; non vero juris gentium, seu dominii & potestatis omnium gentium, id est, communes: neque enim in hoc casu superficies solo cedit, ut sit passim in aliis causis, l. 2. C. de serv. sed solum superficie.

*Ad §. Flumina.*

**F**LUMINA autem omnia, & portus, publica sunt: ideoque jus piscandi omnibus commune est in portu, fluminibusque.

**P**UBLICÆ res † dicuntur illæ quæ discretis gentibus & regnis conditis inter omnes homines ejusdem populi, saltem quoad usum, communes remanserunt. Dixi saltem quoad usum; quia omnes publicæ res in eo convenient, quod earum usus sit publicus; atque ideo dictæ videntur publicæ quasi publicæ proprietate & usu simul, ut flumina perennia & portus: quædam usu solo, ut littus & ripa. Flumina perennia dicuntur † quæ per annum fluunt, ad differentiam torrentium, qui fluunt tantum hyberno tempore. Flumina ab aqua profluente distinguit Imp. quia flumina ratione alvei, ab accolis seu populis qui circem habitant, una cum terris adhaerentibus videntur occupata & acquisita. Aqua vero profluens ob perpetuum fluxum non est occupata, sicut nec aer: unde fit ut usus bibendi aut hauriendi aquam in fluminibus sit communis; usus vero navigandi & piscandi sit publicus: quia in istis usibus totum simul flumen spectatur, quod propter continuam aquarum successionem, idem semper esse videretur, quod initio fuerat à populo occupatum, quamvis aquæ omnes partes mutatae fuerint; sicut navis, quæ per partes refecta est, eadem esse navis intelligitur; & populus, qui nunc est in hac civitate, idem esse creditur, qui fuit centum ab hinc annis, l. proponebatur, ff. de judic. & l. 10. §. pen. ff. quib. mod. ususfr. amittit. quia quod subrogatur in locum alterius, induit naturam ejus in cuius locum subrogatum est. Portus † est navium statio, sive locus conclusus, quo importantur, & exportantur merces, l. portus 59. ff. de verb. sign.

*Ad §. Est autem.*

**E**ST autem littus maris, quatenus hybernus fluctus maximus excurrit.

**D**E illis rebus, quæ usu & proprietate communes sunt, plura disquirere opus non est; verum major superest difficultas circa illas quæ usu solo publicæ sunt, cujusmodi sunt littus & ripa. Littus † est quatenus hybernus

fluctus maximus excurrit; seu terra vel arena, quæ maximo hyberno fluctui subjet, l. littus 96. ff. de verb. sign. ubi additur, Marcum Tullium primum id constituisse cum arbitri esset.

*Ad §. Riparum.*

**R**IPARUM quoque usus publicus est jure gentium, sicut ipsius fluminis. Itaque naves ad eas appellare, funes arboribus ibi natu religare, onus aliquod in his reponere, cuilibet liberum est, sicut per ipsum flumen navigare. Sed proprietas eorum illorum est, quorum praediis hærent. Qua de causa arbores quoque in eisdem natæ, eorumdem sunt.

**R**IPA† est illa terra quæ plenissimum flumen continet, naturalem rigorem cursus sui tenens. Cæterum, si quando vel imbribus, vel mari, vel quâ alia ratione ad tempus excrevit, ripas non mutat. Nemo denique dixerit, Nilum qui incremento suo Ægyptum operit, ripas suas mutare vel ampliare, l. 1. §. ripa, & l. 3. ff. de flumin. Ripam igitur ex hyberno tempore non semper aestimamus, sicut littora. Ripa in dominio eorum est, quorum praediis hæret. Nihilominus tamen ejus usus omnibus patet: ita ut natura ipsa videatur ralem praediis impossuisse servitatem propter utilitatem publicam.

*Ad §. Litorum.*

**L**ITTORUM quoque usus publicus est, & juris gentium, sicut & ipsius maris. Et ob id cuilibet liberum est casam ibi ponere, in quam se recipiat, sicut retia siccata, & ex mari deducere. Proprietas autem eorum potest intelligi nullius esse, sed ejusdem juris esse, cuius & mare, & quæ subjet mari terra vel arena.

LITTORUM proprietatem nullus habet privatus, sicut nec marium & terræ maribus subjacentis ex natura littorum. Sed hæc omnia in jure dominio ac potestate gentium, sive totius generis humani, fuisse videntur, donec Populus Romanus, dominus marium, littorum ac gentium factus est; & constitutis praefidiis, coloniis deductis, positisque in mari classibus omnia occupavit, l. littor. ff. ne quid in loco public. vel itin. fiat.

*Ad §. Universitatis.*

**U**NIVERSITATIS sunt, non singulorum, quæ in civitatibus sunt theatra, stadia, & si qua alia sunt communia civitatum.

UNIVERSITATIS res† sunt quæ neque omnibus hominibus omnium

gentium, neque omnibus ejusdem regni vel populi; sed illis tantum, qui ex aliqua sunt universitate, communes sunt. Universitas † est collectio multorum hominum uno nomine comprehensa; ut civitas, collegium, & capitulum. Quamvis autem pluralis locutio duorum numero contenta sit, ut vulgo dicitur ex l. ubi lex, ff. de testib. ad universitatem tamen constituendam tres saltem homines requiruntur, l. Neratius 83. ff. de verb. sign.

Cæterum, ut supradicta triplex rerum communio evidenter distinguitur, † advertendum est communionem rerum communium finibus mundi, communionem rerum publicarum finibus imperii, rerum denique universitatis communionem finibus territorii, aut saltem patrimonii cuiusque civitatis contineri.

*Ad §. Nullius.*

**N**ULLIUS autem sunt res sacræ, & religiosæ, & sanctæ.  
Quod enim divini juris est, id nullius in bonis est.

**N**ULLIUS res † hinc appellantur, quæ in commercio hominum non sunt; quas supra diximus esse divini juris, & extra patrimonium nostrum. Earumque sunt tres species, res sacræ, religiosæ, & sanctæ. Præterea res nullius alias appellantur, † quæ nullum dominum habent, sed habere possunt; quæ sunt in hominum commercio, sed nondum in eausquam dominium pervenerunt, ut feræ bestiæ, §. fera inf. eod.

*Ad §. Sacra.*

**S**ACRAE † res sunt, quæ ritè per Pontifices Deo consecratæ sunt; veluti ædes sacræ, & donaria, quæ ritè ad ministerium Dei dedicata sunt. Quæ etiam per nostram constitutionem alienari & obligari prohibuimus, exceptâ causâ redemptionis captivorum. Si quis autem auctoritate suâ quasi sacrum sibi constituerit, sacrum non est, sed prophanum. Locus autem, in quo ædes sacræ sunt ædificatæ, etiam diruto ædificio, sacer adhuc manet, ut & Papinianus scripsit.

RES sacræ † sunt quæ ritè per Pontifices Deo consecratæ sunt. Unde sequitur, ea sacra quæ sibi privatus quisque constituerit, non esse, sed sacra-profana. Profanum sacro opponitur, ita dictum quasi procul à fano, id est templo positum. Res sacræ alienari non possunt, nisi ad redimendos captivos, vel ad alendos pauperes, urgente inediâ publicâ. Neque immerito hi casus excepti sunt, l. 21. C. de sacros. Eccles. cum animæ hominum rebus omnibus pretiosiores sint, & cùm Ecclesia aurum habeat, non ut servet, sed ut eroget pauperibus, ut ait eleganter D. Ambrosius can. aurum 12. qu. 2. Locus autem sacer destructo ædificio, sacer nihilominus remanet; quia ubi religio locum aliquem occupavit, non potest is locus profanis usibus mancipari. Excipiens tamen est ab hac regula casus captivitatis. Locus enim sacer, si capiatus

ab hostibus , cessat esse sacer , & cum locaff. de relig. & sumpt. fun. Quo pertinere videntur illi versus 12. Aeneid.

*Colui vestros si semper honores .  
Quos contra Aeneadæ bello fecere profanos.*

*Ad §. Religiosum.*

**R**E LIGI O S U M locum unusquisque suâ voluntate facit , dum mortuum infert † in locum suum. In communem autem locum purum invito socio inferre non licet. In commune vero sepulchrum etiam invitatis cæteris , licet inferre. [ Item si alienus ususfructus est , proprietarium placet , nisi consentiente usufructuario , locum religiosum non facere. ] In alienum locum consentiente domino licet inferre , & licet postea ratum [ non ] habuerit quâm illatus est mortuus , tamen locus religiosus sit.

**R**E LIGI O S A loca † dicuntur illa quæ per mortui illationem , religioni addicta sunt. Quod est ita intelligendum , dummodo hæc illatio fiat domini consensu , & illorum etiam qui pro dominis habentur , quales sunt fructuarii. Uno itaque ex dominis non consentiente , in communem locum purum , id est non religiosum , extraneus inferri non debet ; quia alterius invitati conditio deterior fieri non debet , & quia in pari causa melior est conditio prohibentis , l. *Sabirius* , ff. comm. divid. *Dixi extraneus* ; quia unus ex dominis invito socio inferri potest , l. *si plures* , ff. de relig. & sumpt. funer. Summa enim est ratio quæ religionem tuetur , l. 43. ff. eod. In commune verò sepulchrum , non solùm dominus unus , sed etiam extraneus invito domino recte infertur ; quia non consentientis domini conditio isto casu non fit deterior , cùm reverè nihil amittat. Quod si semel dominus huic illationi consenserit , non nocet religioni loci mutatio voluntatis , quia quod semel placuit , amplius displicere non potest , l. *quod semel placuit* , de reg. jur. in 6.

Hic notandum videtur jure canonico , cuius dispositionem in hac causa servamus , privatâ auctoritate locum aliquem non fieri religiosum per illationem mortui , sed requiri auctoritatem Episcopi , arg. cap. ad hoc , ext. de relig. domib.

*Ad §. Sanctæ.*

**S**ANCTÆ quoque res , veluti muri & portæ [ civitatis , ] † quodammodo divini juris sunt , & ideo nullius in bonis sunt. Ideo autem muros sanctos dicimus , quia poena capitis constituta est in eos , qui aliquid in muros deliquerint. Ideo & legum eas partes , quibus poenas constituimus adversus eos qui contra leges fecerint , Sanctiones vocamus.

**R**E S sanctæ † dicuntur , quæ ab injuria hominum , certis sanctionibus defensæ

fensæ atque munitæ sunt, ut muri & portæ civitatis. Sanctiones autem dicuntur illæ legum species, quibus pœna constituitur adversus eos, qui contra leges fecerint: atque ideo muri dicuntur sancti, quod pœna capituli constituta sit adversus eos, qui contra muros deliquerint, ut exemplo Remi comprobatur, *I. ult. ff. hoc tit.* Portas autem sanctas fuisse negat Plutarchus in Romulo. Sed sancti nomen pro *sacro* sumpsiisse videtur, non pro eo quod sanctum Imp. appellat. Ratio est quia sanctum olim siebat solum illud, quo fulcus aratro duciebatur; locus autem portarum transibatur suppresso aut potius portato aratro, ( unde portæ nomen deducitur) ut in profano usu maneret.

*Ad §. Singulorum.*

**S**INGULORUM autem hominum multis modis res sunt. Quarumdam enim rerum dominium nanciscimur jure naturali, quod (sicut diximus †) appellatur jus gentium: quarumdam (verò) jure civili. Commodius est itaque à vetustiore jure incipere. Palam est autem vetustius esse jus naturale, quod cum ipso genere humano rerum natura prodidit. Civilia autem iura tunc esse cœperunt, cùm & civitates condi, & magistratus creari, & leges scribi cœperunt.

**R**es singulorum † sunt quarum dominia variis modis à privatis acquiruntur. Dominium sive proprietas † est jus de re aliqua perfectè disponendi aut vindicandi, nisi lex obſtitat. Dicitur *1. Jus*, ut distinguitur à possessione, quæ est facti. Dicitur *2. perfectè disponendi*, videlicet eo casu, quo quis rem suam possidet; quia unusquisque in re propria est legitimus moderator & arbiter, *I. 21. C. mandati*. Dicitur *3. aut vindicandi*, eo casu scilicet, quo res nostræ ab aliis possidentur, contra quos nobis actio in rem competit, quæ appellatur vindicatio, *I. in rem in pr. ff. de rei vindic.* & *I. un. C. de alien. iud. mut. can. facta*. Dicitur denique *nisi lex obſtitat*; quia in quibusdam casibus dominorum in rebus suis potestas restringitur, *in pr. infra quib. alien. licet, vel non*. Sic autem obsequium quod præstatur legibus, non minuit, sed potius perficit libertatem, *I. 4. C. de legibus*; ita quoque dominium per hujusmodi prohibitionem legum neutiquam minuitur.

Modi acquirendi rerum dominii, † vel sunt jure gentium constituti, vel jure civili. Jure gentium inducti sunt quatuor præcipui, ad quos cæteri revocantur, videlicet occupatio, accessio, perceptio fructuum, & traditio.

*Ad §. Feræ.*

**F**ERA igitur bestiæ, & volucres, & pisces, & (omnia) animalia, quæ mari, cœlo & terrâ nascuntur, simul atque ab aliquo capta fuerint, jure gentium statim illius esse incipiunt. Quod enim antè nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur. Nec interest, feras bestias, & volucres utrum in suo fundo quis

capiat, an in alieno. Planè qui alienum fundum ingreditur venandi, aut aucupandi gratiâ, potest à domino, si is præviderit, prohiberi ne ingrediatur. Quidquid autem eorum ceperis, eo-usque tuum esse intelligitur, donec tua custodia coërcetur. Cùm verò tuum evaserit custodiam, & in libertatem naturalem fese receperit, tuum esse definit, & rursus occupantis sit. Naturalem autem libertatem recipere intelligitur, cùm vel oculos tuos effugerit; vel ita sit in conspectu tuo, ut difficilis sit ejus persecutio.

**OCCUPATIO** † est rerum, quæ nullius vel hostium sunt, realis apprehensio. Ejusque tres sunt species, venatio, hostilitas, & inventio. Venatio generaliter sumpta † est, ferarum quæ in mari, cœlo & terrâ vagantur, occupatio. Verùm specialiter venatio dicitur de quadrupedibus feris, sicut de piscibus pescatio, & de avibus aucupium. Feræ bestiæ † non tantum dicuntur, quæ naturâ suâ feroce sunt, ut leones & ursi; sed etiam generaliter omnia animalia, quæ natura nullius dominio addixit, quibusque infinitam propè dedit vagandi quâcumque voluerint libertatem, ut lepores & perdices. Ex qua ferarum natura sequitur, duas regulas in illis esse servandas. Prima regula est, quòd statim atque captæ sunt occupantium fiant; quia quod nullius est, naturali ratione occupanti conceditur. Idque adeò verùm est, ut licet venator alienum fundum domino prohibente ingreitus sit, & ferum animal aliquod ceperit, suum nihilominus faciat; ita tamen ut ei teneatur actione injuriarum, l. injuriarum 13. §. ult. & l. qui in domum ff. de injur. Altera regula est, quòd feræ à nobis occupatae, ubi primum evaserint nostram potestatem, & in naturalem libertatem se receperint, nostræ esse definant, in pr. inf. si quadr. paup. fec. dic. quia tunc rursum feræ esse incipiunt, earamque amittimus possessionem, l. 3. §. Nerva, ff. de acqu. poss. ex qua sola hujusmodi rerum acquisitio consistit, l. 1. §. 1. ff. eod. Hoc tamen jus cum eo temperamento accipiendo est, ut fera quæ nostram custodiam evaserit, naturalem libertatem recipere non intelligatur, quamdiu eam persequimur cum aliqua spe recuperandi, aut quamdiu est in conspectu nostro, nisi difficilis sit ejus persecutio, l. 5. in pr. ff. eod.

### Ad §. Illud.

**I**LUD quæsitum est, an si fera bestia ita vulnerata sit ut capi possit, statim tua esse intelligatur. (Et) quibusdam placuit statim esse tuam; & eo-usque tuam videri, donec eam persequaris: quòd si desieris persequi, desinere esse tuam, & rursus fieri occupantis. Alii verò putaverunt non aliter tuam esse, quām si eam ceperis. Sed posteriorem sententiam nos confirmamus, quòd multa accidere soleant, ut eam non capias.

UT cognoscatur quomodo fiat ejusmodi rerum occupatio, species hujus §. constitui debet, & suâ ratione dubitandi, & decidendi, & solutione communi-

ri. Eoque exemplo proposito ediscunt studiosi adolescentes artem species conosciendi, quæ in studio legum est maximè necessaria; quia scire leges non est leges memoria tenere, sed earum vim ac potestatem, *i. scire leges, ff. de legib.*

Titius venator feram bestiam, leporem putà, ita vulneraverat, ut capi posset. Mævius verò eam prædam Titio persequente primus occupavit: uter eorum dominus ejus esset, quæstum est. Consultus Caius ( ex cuius libris Imp. hunc locum descripsit,) respondit Mævii esse. Contrarium verò sentiebat Trebatius, hâc, ut videtur, ratione commotus, quod ea quæ proximè facienda sunt pro jam factis habeantur, *i. administfranes §. eorum, ff. de excus.* & *i. 35. §. pen. ff. ex quib. cau. major. &c.* Ideoque asserebat, leporem esse vulnerantis donec eum persequeretur. Ratio decidendi pendet ex eo quod res mobiles quæ nullius sunt, manu & occupatione dumtaxat acquiramus; non etiam telo, aut laqueo, *i. in laqueum 55. ff. b. t.* Similiter quoque res immobiles quæ nullius sunt, insulas putà desertas, nemo occupat immisso telo, sed sola pedum positione, ex qua dicta est possessio, *i. 1. in pr. ff. de acqu. poss.* Unde cum Acanthos insula fuisse deserta, & Chalcidenses primi jaculum in eam immisissent, Andrii verò primi illuc pervenissent; posterioribus addicta est, teste Plutarcho in *quest. Gracis.* Neque obstat quod in rationem dubii allatum est; quia apprehensio feræ ita ut capi possit vulnerata, non est adeò proœqua, ut videtur: multa enim accidere possunt ut quis eam non capiat, & ut vulgo dicitur.

*Multa cadunt inter calices supremaque labra.*

Non continent igitur hæc ultima verba rationem decidendi, sed solutionem dumtaxat tacitæ superioris objectionis.

Cæterum, hoc jure Justinianæ in hac parte hodie non utimur. Prævalet enim consuetudo posterior, quæ juri scripto anteriori derogavit; sicut ex diverso consuetudini anteriori lex posterior prævalet. Atque ita in concordiam adduci arbitror, *i. 2. C. que sit long. consuet.* cuius hæc sunt verba: Consuetudinis usûisque longævi non vilis auctoritas est. Verùm non usque adeò sui validura momento, ut aut rationem vincat aut legem; & princ. cap. I. lib. 2. de usib. feud. ubi Obertus de Orto sic loquitur. Legum Romanarum non est vilis auctoritas, sed non adeò vim suam extendunt, ut usum vinctant aut mores.

*Ad §. Apium.*

**A**PIUM quoque fera natura est. Itaque ( apes ) quæ in arbore tua considerint, antequam à te alveo includantur, non magis tue intelliguntur esse, quam volucres, quæ in arbore tua nidum fecerint. Ideoque si alius eas incluserit, is earum dominus erit. Favos quoque si quos effecerint, eximere quilibet potest. Planè integrâ re, si prævideris ingrediētum fundum tuum, poteris eum jure prohibere, ne ingrediatur. Examen quoque, quod ex alveo tuo evolaverit, eo usque intelligitur esse tuum, donec in conspectu tuo est, nec difficilis persecutio ejus est: alioquin occupantis sit.

MANSUETA animantia † sunt quæ natura privatorum dominio addixit ; quibusque liberam vagandi facultatem denegavit , ut sunt Gallinæ & Anseres , de quibus infra agetur : Nunc quaritur an apes sint feræ naturæ ? Plinius quidem lib. 11. cap. 5. tradit , neque feri generis eas esse , neque mansueti : sed Imp. definit feram esse naturam . Quod ita accipendum est , ut apes quæ in arbore nostra considerint , nostra non sint priusquam à nobis fuerint occupatae & alveo inclusæ . Alveus † appellatur capsella , quâ includuntur apes . Examen quoque quod ex nostro alveo evolaverit occupantis sit , si nostrum conspectum & persecutionem effugerit . Examen † dicitur turma juniorum apum ad inquireendas novas sedes extrusa . Favos autem si quos fecerint in arbore mea apes nondum occupatae , eximere quilibet potest sine ullo furti vitio , l. 5. §. favos , ff. b. t. Favi † appellantur cellulae & opera apium , in quibus continentur cera , mel & propolis .

*Ad §. Pavonum.*

PAVONUM quoque , & columbarum fera natura est . Nec ad rem pertinet , quod ex consuetudine evolare & revolare solent : nam & apes idem faciunt , quarum constat feram esse naturam . Cervos quoque quidam ita mansuetos habent , ut in sylvam ire & redire soleant ; quorum & ipsorum feram esse naturam , nemus negat . In his autem animalibus , quæ ex consuetudine abire & redire solent , talis regula comprobata est ; ut eo-usque tua esse intelligentur , donec animum revertendi habeant . Nam si revertendi animum habere desierint , etiam tua esse desinunt , & fiunt occupantium . Revertendi autem animum videntur desinere habere tunc , cum revertendi consuetudinem deseruerint .

De pavonibus quoque & columbis similiter statuitur sicut de apibus ; quod sint feræ naturæ . Quod tamen ita intelligendum est , ut si quedam sint ex his animalibus , quæ ex domibus nostris abire & rursum illuc redire soleant ; ea mansueta & nostra dicenda sint , donec habent animum revertendi : quia etenim non intelliguntur naturalem libertatem recepiisse , l. 5. §. pavonum , ff. b. t. Intelliguntur autem desuisse habere animum revertendi , cum revertendi consuetudinem deseruerint , d. §. pavonum . Cæterum , Theophilo assentiendum non est , qui spatio trium dierum redeundi animum amitti existimat : Interpretis enim non est definire tempora , sed solius legis , aut potius Judicis , qui pro varia cujusque animantis natura , exhibito peritorum in ea re hominum consilio hæc estimabit .

*Ad §. Gallinarum.*

GALLINARUM autem , & anserum non est fera natura : id que ex eo possumus intelligere , quod aliæ sunt gallinæ , quas feras vocamus ; item alii sunt anseres , quos feros appellamus . Ideo-

que si anseres tui , aut gallinæ tuæ aliquo modo turbati turbatæve evolaverint , licet conspectum tuum effugerint , quocumque tamen loco sint , tui tuæve esse intelliguntur ; & qui lucrandi animo ea animalia detinet , furtum committere intelligitur.

**QUEMADMODUM** in omnibus generibus animantium nullum est placidum , quin etiam ex eo inveniatur & ferum , *Plin. lib. 8. cap. 53.* ita quoque idem de gallinis & anseribus afferit *Imp. hoc loco.* In feris vim obtinent jura superius tradita ; in mansuetis verò locum habet sequens regula : ut si quis hujusmodi animalia lucrandi animo detineat , furtum committat , & furti actione teneatur , *I. 5. §. pen. ff. eod.* Quamvis igitur eorum animantium possessionem aliquis amiserit , non tamen amisit proprietatem ; licet in feris animantibus aliud statuatur , ut supra diximus.

*Ad §. Item ea.*

**I**T EM ea , † quæ ex hostibus capimus , jure gentium statim nostra fiunt. Adeò quidem , ut & liberi homines in servitutem nostram deducantur. Qui tamen si evaserint nostram potestatem , & ad suos reversi fuerint , pristinum statum recipiunt.

**H**OSTILITAS † est rerum ad hostes pertinentium , & ipsorum etiam hostium jure belli per occupationem acquisitio. Neque distinguendæ videntur hac in parte res mobiles ab immobilibus , quia æqualis in utroque rerum genere ratio militat , & postulat ut victori populo per suos milites omnia indistinctè acquirantur. Verùm jure postliminii & fictione legis Corneliae , aliquod huic juri temperamentum additum est , quemadmodum superiori libro expositum fuit.

*Ad §. Item lapilli.*

**I**T EM lapilli , & gemmæ , & cætera , quæ in littore maris inventiuntur , jure naturali statim inventoris fiunt.

**I**NVENTIO † est earum rerum quæ naturâ suâ aut casu nullius sunt , occupatio. Dicitur 1. quæ nullius sunt ; quia si alicius sunt , ille qui invenit , nec reddit , furtum committit. Si quid invenisti & non reddidisti , rapuisti , *can. si quid invenisti I. 4. qu. 5.* Dicitur 2. naturâ suâ ; quod referendum est ad gemmas , aut lapillos , & similia quæ reperiuntur in littore maris , quæ nullum adhuc dominum habuerunt. Dicitur 3. aut casu ; quod pertinet ad thesauros & similia , de quibus agetur sub finem tituli. Dicitur denique *occupatio* ; quia sola visio non sufficit , & quia inventio non fit oculis , sed manu. Incipit quidem à visu , sed solâ apprehensione perficitur. Unde fit , ut ex duobus qui gemmam viderint in littore . is solus dominus sit , qui prior ejus possessionem nactus est , *I. 1. ff. de acqu. possess. quamvis alter prior viderit.*

## Ad §. Item ea.

**I**T B M ea , quæ ex animalibus † dominio tuo subjectis nata sunt, eodem jure tibi acquiruntur.

**S E C U N D U S** modus acquirendi jure gentium dominii, est accessio , quæ † nihil est aliud, quam rei alicuius ad alteram adjectio. Ejusque effectus plerumque est ut rei accessoriae fiat dominus ille , qui est dominus rei principalis. Quod ut clarius pateat, quatuordecim accessionis species distinguendæ sunt.

- |                                |                                      |
|--------------------------------|--------------------------------------|
| 1. Partus animalium.           | 8. Commixtio.                        |
| 2. Alluvio.                    | 9. Aedificatio.                      |
| 3. Insulae vicinitas.          | 10. Implantatio.                     |
| 4. Alvei mutatio.              | 11. Coalitio , seu radicum immissio. |
| 5. Specificatio.               | 12. Satio.                           |
| 6. Accessio specialiter dicta. | 13. Scriptura.                       |
| 7. Confusio.                   | 14. Pictura.                         |

Partus animantium nostrorum efficit ut foetus ex his procreati nostri sint; si modò ex fœminis animalibus nostris editi fuerint. Aliud dicendum est si ex maribus tantum nostris nati fuerint, l. 5. §. equus ff. de rei vind. idemque dicendum est de servis & ancillis nostris, cùm quadrupedibus xquiparentur, l. 2. §. ut igitur, ff. ad l. Aquil. Nam sicut fructus in fundo partem fundi faciunt, l. fructus, ff. de rei vind. ita & partus portio est quædam mulieris & viscerum matris, l. 1. de inspic. vent. Non immerito itaque partus ventrem sequitur, l. 7. C. de rei vind. & l. ult. C. de liber. can.

## Ad §. Præterea.

**P**RÆTEREA quod per alluvionem agro tuo flumen adjecit, jure gentium tibi acquiritur. Est autem alluvio incrementum latens. Per alluvionem autem id videtur adjici, quod ita paulatim adjicitur, ut intelligi non possit, quantum quoquo temporis momento adjiciatur.

**A L L U V I O** † est incrementum latens, quo vi fluminis ita paulatim alicuius prædio aliiquid adjicitur, ut intelligi non possit, quantum quoquo temporis momento adjiciatur, l. 7. §. 1. ff. b. t. Hæc introducta est, vel quia accessorium cedit principali, cap. accessorium, de reg. juris in 6. vel etiam ad puniendam dominorum negligentiam , qui ripam suam munire neglexerint. Ideoque Aggenus Urbicus in suo commentario ad Frontinum de limitibus agrorum , testatur, Cassium Longinum virum prudentissimum, juris auctorem, statuisse , ut quidquid Padus lambendo abstulisset, id possessor amitteret ; quoniam scilicet ripam suam sine alterius damno tueri debet. Atque ita intelligendum est illud Lucani , lib. 6.

*Ilos terra fugit dominos, his rura colonis*

*Accedunt, donante Pado.*

Contrà verò eluvio † est decrementum latens, quo vi fluminis ita paulatim alicujus prædio aliquid detrahitur, ut intelligi non possit, quantum quoque temporis momento detrahatur.

*Ad §. Quod si vis.*

**Q**UOD si vis fluminis de tuo prædio partem aliquam detraherit, & vicini prædio attulerit, palam est eam tuam permanere. Planè si longiore tempore fundo vicini tui hæserit, arboresque, quas secum traxit in eum funduni radices egerint; ex eo tempore videntur † vicini fundo acquisita esse.

A T si vi fluminis, controversia, vel impulsu aquæ, ex unius prædio aliquid detractum est & alieno adjectum, id vicino non acquisitur, l. 7. §. quod si vis, ff. b. t. quia tunc cessat alluvio, & quia (ut ait Aggenus Urbicus in loco laudato,) non possessoris negligentiâ, sed tempestatis violentiâ abreptum apparet, cui resisti non potest. Ex quibus sequitur, licere priori possessori eam terræ crustam avulsam, sicut & trabes & ligna quæ vi fluminis ablata sunt, vindicare; quia dominus remansit. Verùm aliud dicendum est, si crusta illa terræ cum alieno fundo coaluerit, atque unitatem cum eo fecerit, cuius rei argumentum est evidentissimum, si arbores quas secum traxit in illum fundum radices egerint. Tunc enim terra illa cum his arboribus dominium mutasse intelligitur, l. hoc amplius, §. ita demum, ff. de damno infecto, & d. l. 7. §. quod si vis. Ubi in singulari numero legitur, videtur acquisita; non in plurativo numero, videntur acquisite; quia alioquin mutaretur subjectum questionis, & verborum consequentia tolleretur. Verùm antequam coalitio facta sit, non licet priori domino eam terram vindicare, nisi eâ lege, ut omnia tollat quæ sunt prolapsa, d. l. hoc amplius, §. Alphenus, & l. 7. §. ult. ff. de dam. inf.

*Ad §. Insula.*

**I**NSULA, quæ in mari nata est (quod rarò accidit) occupantis fit: nullius enim esse creditur. At insula in flumine nata, (quod frequenter accidit) siquidem medium partem fluminis tenet, communis est eorum qui ab utraque parte fluminis prope ripam prædia possident, pro modo [scilicet] latitudinis cuiusque fundi, quæ prope ripam sit. Quod si alteri parti proximior sit, eorum est tantum, qui ab ea parte prope ripam prædia possident. Quod si aliquâ parte divisum sit flumen, deinde infra unitum, alicujus in formam insulæ redegerit; ejusdem permanet is ager, cuius & fuerat.

**I N S U L A** nomen propriè sumptum significat hoc loco + terram aquis circumdatam. Alibi vero impropiè sumitur + pro ædificio quod proprio undique ambitu constat, id est quod nullis communibus parietibus cum vicinis conjungitur, sed circuitu proprio undique terminatur. Tribus autem modis fit insula in flumine: primo modo, cum locum qui alvei non fuit annis circumfluit, id est cum agrum vicinum vel partem ejus ambiendo, in formam insulae redegit. Secundò, cum locum qui alvei esset, annis relinquit & cœpit circumfluere. Tertiò denique, cum paulatim alluendo locum auxit aggestâ terrâ vel arenâ, *l. ergo §. tribus, ff. b. t.* Insula facta in flumine duobus istis posterioribus modis, eorum fit, qui propè ripam prædia possident pro latitudine fundi, quæ propè ripam sit: ita tamen ut prius ductâ per medium lineâ, fluminis latitudo dividatur; quæ linea insulam totam inter eos partiatur, qui ex utraque ripa prædia possident, *arg. l. inter eos, ff. b. t.* Primo autem illo modo si fiat insula, causa proprietatis non mutatur; quia sicut nec inundatio, ita nec circumluvio fundi speciem commutavit. Dixi in flumine; quia insula in mari nata occupantis fit, id est ejus qui primus ejus possessionem acquisierit. Acquiritur autem pedibus possessio in rebus immobilibus; sicut manibus fieri solet circa res mobiles, ut supra dictum est, *ad §. illud.*

*Ad §. Quod si naturali.*

**Q**UOD si naturali alveo in universum derelicto, ad aliam partem fluere cœperit; prior quidem alveus eorum est, qui prope ripam ejus prædia possident, pro modo scilicet latitudinis cuiusque agri, quæ prope ripam sit: novus autem alveus ejus juris esse incipit, cuius & ipsum flumen est, id est publicus. Quod si post aliquod tempus ad priorem alveum reversum fuerit flumen, rursus novus alveus eorum esse incipit, qui prope ripam ejus prædia possident.

**A L V E U S** + est via fluminis quâ flumen fluere consuevit; ita dictus quasi quædam sit alvus fluminum: unde & per eamdem metaphoram multa vasa dicuntur *alvei*, capsellæ videlicet quibus apes includuntur, & tabulæ lusoriae, & navigia, lances itidem, & paropsides. Alvei mutatio certissimos duos habet effectus. Primus est, ut antiquus alveus à flumine derelictus fiat privatus, & ad eos pertineat, quorum prædiis haret, pro modo latitudinis quæ prope ripam sit. Secundus effectus est, ut novus alveus, id est ager occupatus à flumine, fiat publicus, sicut & ipsum flumen est publicum; adeò ut si post tempus in priorem alveum revertatur, priori domino non restituatur strictâ ratione, *l. 7. §. quod si toto ff. b. t.* sed ut statim subjicitur, vix est ut hoc obtineat; quia scilicet in omnibus potior est ratio æquitatis, quam stricti juris, *l. placuit C. de judicis.*

## Ad §. Alia.

**A**LIA sanè causa est, si cuius totus ager inundatus fuerit. Neque enim inundatio, fundi speciem commutat. Et ob id, si recesserit aqua, palam est cum fundum ejus manere, cuius & fuit.

HAE benignitate interpretationis opus non est, cùm totus ager fuit inundatus; quia inundatio fundi speciem non commutat, neque novum alveum constituit. Aut ut verius dicam, & legum textibus conformius, amittitur quidem proprietas agri per inundationem, l. si ager 23. ff. quib. mod. ususfr. amit. sed amitti non videtur; quia aquâ recedente, quasi quodam postliminii jure proprietas in pristinum statum restituitur, d. l. 23.

## Ad §. Cùm ex aliena materia.

**C**UM ex aliena materia species aliqua facta sic ab aliquo, quæri solet, quis eorum naturali ratione dominus sit? Utrum is, qui fecerit; an potius ille, qui materiæ dominus fuerit? Ut ecce: si quis ex alienis uvis, aut olivis, aut spicis, vinum, aut oleum, aut frumentum fecerit; vel ex alieno auro, vel argento, vel ære vas aliquod fecerit; vel ex alieno vino & melle mulsum miscuerit; vel ex medicamentis alienis emplastrum, aut collyrium composuerit; vel ex aliena lana vestimentum fecerit; vel ex alienis tabulis navem, vel armarium, vel subsellia fabricaverit. Et post multam Sabinianorum & Proculianorum ambiguitatem, placuit media sententia existimantium, si ea species ad priorem & rudem materiam reduci possit, eum videri dominum esse, qui materiæ dominus fuerit; si non possit reduci, eum potius intelligi dominum, qui fecerit. Ut ecce: vas conflatum potest ad rudem materiam, æris, vel argenti, vel auri reduci; vinum autem, vel oleum, aut frumentum, ad uvas, vel olivas, vel spicas reverti non potest: at ne mulsum quidem ad vinum & mel resolvi potest. Quod si partim ex sua materia, partim ex aliena speciem aliquam fecerit quis; veluti ex su~~a~~ vino & alieno melle mulsum miscuerit; aut ex suis alienis medicamentis emplastrum aut collyrium; aut ex sua aliena vestimentum fecerit: dubitandum non est, hoc casu eum esse Dominum, qui fecerit; cùm non solum operam suam dederit, sed & partem ejusdem materiæ præstiterit.

SPECIFICATIO† est novæ speciei productio, id est nova alicujus corporis confectio. Ejus corporis sive speciei dominium Sabiniani domino mate-

riæ tribuebant: primò, quia quod sit ex re mea meum est, l. 12. §. si quis, ff. ad exhib. secundò, quia accessorium cedit principali: tertiò denique, quia necessitatem est ei rei cedi quod sine illa esse non potest, l. in rem, §. sed id quod, ff. de rei vind. Contrà verò Proculiani favebant ei, qui speciem ex aliena materia, bonâ fide & suo nomine confecisset; quia species est præstantior materiæ: secundò, quia cum forma mutata est, ipsa rerum substantia videtur interiisse, l. 9. §. sed si quis, ff. ad exhib. tertiò denique, quia quod factum est, nullius antea fuerat, l. 7. §. cum quis, ff. h. t. Tertia denique fuit sententia distinguentium an nova species ad priorem & rudem materiam reduci possit, nec-ne. Priore casu asserebant dominum materiæ fieri dominum speciei, qua cedit materiæ propter prævalentiam. Et hoc est quod dicitur in l. questione, §. illud, ff. de leg. 3. quæ talis naturæ sunt, ut saepius in sua redigi possint initia, ea materiæ potentia vicita, numquam vires ejus effugient. Posteriore casu, id est cum nova species ad priorem materiam reduci non potest, quia materia extincta est; & dum incepit esse quod non erat, deficit esse quod fuerat; ac proinde cessat omnis materiæ prævalentia; dominum ei addicebant qui novam speciem confecisset. Addi potest & altera ratio, quia bona fides juncta consumptioni dominum facit, sicut inauit Theoph. noster ad §. ult. inf. quib. alien. licet, vel non. Quam tertiam & medium sententiam Imp. noster, reselectis cateris, comprobavit. Dixi supra suo nomine & bonâ fide; quia is qui malâ fide speciem conficit ex aliena materia furtum facit; ideoque dominus fieri non potest. Idem dicendum est de illo, qui alieno nomine id fecerit, l. quod meo, ff. de acquir. possit.

At si quis partim ex sua, & partim ex aliena materia speciem aliquam conferit, quæ ad priorem statum reduci non potest, ejus speciei sine dubio dominus est, l. idem §. idem, ff. de rei vind. l. 12. §. 1. & l. 27. §. ult. ff. h. t. quia non tantum potest causam suam tueri dominio materiæ sicut adversarius, quæ est in hoc casu infirma detensio, ut modò diximus; verum etiam proprio jure innititur, quod illam speciem confecerit: quæ est ratio fortissima. Dixi, quæ ad priorem statum reduci non potest; quia haec est mens Imperatoris: idque colligitur ex illis exemplis quibus utitur: omnia enim ad eum dumtaxat casum pertinent. Cuni igitur nova species ex duorum materia concocta est, ita ut ad eam materiam reduci possit; communis fit, pro rata scilicet parte materiæ, quam quisque contulit: quia quod juris est in toto quoad totum, idem etiam jus est in parte quoad partem, l. que de tota, ff. de rei vind.

#### Ad §. Si tamen.

**S**I (tamen) alienam purpuram vestimento suo quis intexuerit, licet pretiosior sit purpura, tamen accessionis vice cedit vestimento: Et qui dominus fuit purpura, adversus eum qui subripuit, habet furti actionem, & condictionem; sive ipse fit, qui vestimentum fecit, sive alius: nam extinctæ res, licet vindicari non possint, condici tamen à furibus, & quibusque aliis possessoribus possunt.

**Q**UAMVIS autem in vestimento partim ex aliena & partim ex propria materia concocta, sequi debeamus jus specificationis superiore §. propositum;

aliud tamen statuitur in vestimento, cui purpura aliena adjicitur: in hoc enim observamus jus accessionis specialiter dicta. Accessio specialiter dicitur † illa adjectio qua alterius rei ornandæ aut perficiendæ causâ fit. In eaque hæc regula observatur, ut quidquid rei additur ut pars ejus fiat, id toto cedat, l. 26. §. 1. ff. b. t. cujuscumque pretii sit res addita, l. 19. §. *perveniamus*, ff. de auro & arg. leg. v. g. si quis purpuram, id est purpuream lanam vestimento suo intexuerit ( sic enim purpuræ nomen exponendum arbitror hoc loco arg. l. 26. §. ult. ff. b. t. ) quo casu purpura extincta intelligitur. Ideoque prior dominus ejus dominium amittit, & vindicationem quæ dominio cohæret, l. in rem, ff. de rei vind. Sed tamen domino competit condicō, id est actio personalis, pro ejusdem rei petitione: de quo genere actionis fusiūs agetur ad titulum de actionibus.

*Ad §. Si duorum.*

**S**i duorum materiæ ex voluntate dominorum confusæ sint, totum id corpus, quod ex confusione fit, utriusque commune est: veluti si qui vina sua confuderint, aut massas argenti vel auri conflaverint. Sed & si diversæ materiæ sint, & ob id propria species facta sit; fortè ex vino & melle mulsum, aut ex auro & argento elecrum; idem juris est: Nam & hoc casu communem esse speciem non dubitatur. Quòd si fortuitu, & non voluntate dominorum confusæ fuerint, vel ejusdem generis materiæ, vel diversæ; idem juris esse placuit.

**C O N F U S I O** de qua hic agimus, † est duorum corporum conjunctio sine prævalentia, ita ut unum ab altero separari non possit. Dicitur primò, *sine prævalentia*, id est eo modo, ut neutra res sit principalis, & neutra accessoria, sed utraque æquali jure censeatur; atque ita hæc accessionis species a superiori distinguitur. Dicitur secundò, *ut separari non possit*; quia plerumque confusio est corporum liquidorum aut saltem liquefactorum, ut sunt aurum & argentum; in quibus semel permixtis non fit facile separatio. Atque ita distinguitur confusio à commixtione, quæ est corporum solidorum; ut sunt oves, quæ possunt à se invicem facilè separari. Dixi, confusionem *esse plerumque corporum liquidorum*; quia interdum solidorum corporum fit confusio, nimis in ferruminatione, sive accessione illa, in qua per eamdem materiam res aliqua alteri rei ejusdem materiæ conjungitur, ut si per ferri materiam, ferreæ statuae jungatur ferreum brachium alienum. Eo casu fit etiam confusio, & illud quod additur unitate majoris partis consumitur; quia statua uno spirito continetur: ita ut prior dominus brachij additi numquam illud repetere possit, sed tantum ejus pretium, l. in rem 23. §. item quecumque, ff. de rei vind. Aliud dicendum est de plumatura, sive illa accessione in qua per diversam materiam res aliqua alteri adjungitur: ut si as æri vel ferro conjugatur per stannum vel plumbum. In confusione autem ordinaria, quam diximus esse corporum liquidorum, talis regula observatur, ut totum corpus ex duorum materia confiatum commune sit; sive voluntate dominorum, sive casu confusio facta sit. Male hoc loco videatur argui Theoph. quasi dixerit non idem esse: si materiæ fortuitò & præter vo-

unitatem dominorum confusæ sint , eo quod in vulgatis editionibus legatur  
 & τὸ ἀντὸ γενῆται , non idem erit : Verum Fabrotus ex MSS. Regiis eum tali  
 calumnia liberavit : in his enim legitur τὸ ἀντὸ γενῆται , idem erit .

*Ad §. Quod si frumentum.*

**Q**uod si frumentum Titii frumento tuo mixtum fuerit , siquidem ex voluntate vestra , commune est ; quia singula corpora , id est , singula grana , quæ cujusque propria fuerunt , ex consensu vestro communicata sunt . Quod si casu id mixtum fuerit , vel Titius id miscuerit sine tua voluntate , non videtur commune esse ; quia singula corpora in sua substantia durant . Sed nec magis istis casibus communе fit frumentum , quam grex intelligitur esse communis , si pecora Titii tuis pecoribus mixta fuerint . Sed si ab alterutro vestrum totam id frumentum retineatur , in rem quidem actio pro modo frumenti cujusque competit : arbitrio autem Judicis continetur , ut ipse aestimet , quale cujusque frumentum fuerit .

**C O M M I X T I O** hoc loco accipitur † pro conjunctione duorum corporum solidorum sine prævalentia , ita ut alterum ab altero possit separari . Hæc commixtio si voluntate dominorum fiat , facit communem rem , propter rationem dictam ad superiorem §. Sin autem id casu fiat , singula res in pristino domino permanent . Unde si frumentum Titii , cum frumento Mævii permixtum sit , potest quilibet quantitatem frumenti quam habet in eo acervo vindicare , id est afferere suam esse . Sed Judicis officium est , ut arbitretur quale cujusque frumentum fuerit ; & secundum qualitatem & mensuram possestrem alteri condemnet , ut rectè Theop . Ex quibus apparet , qualitatem frumenti , licet non fuerit in petitione , in condemnationem tamen deduci . Ideo autem non fit in hoc casu communio rerum in sua substantia pernamentum ; quia cum dominium solo casu non mutetur , non est cur apud eundem remanere prohibetur , arg . l . 27 . C . de testam . Illud hoc loco supertest advertendum , hæc nomina *commixtionis* & *confusionis* non raro pro se invicem accipi , & sepiissime confundi & commisceri .

*Ad §. Cum in suo solo.*

**C**um in suo solo aliquis ex aliena materia ædificaverit , † ipse intelligitur dominus ædificii ; quia omne quod solo inædificatur , solo cedit . Nec tamen ideo is , qui materiae dominus fuerat , definit dominus ejus esse ; sed tantisper neque vindicare eam potest , neque ad exhibendum de ea re agere , propter legem duodecim tabularum , quâ cavetur ne quis tignum alienum ædibus suis junctum , eximere cogatur ; sed duplum pro eo præstet per actionem , quæ vocatur de tigno juncto . Appellatione autem tigni

omnis materia significatur, ex qua ædificia fiunt. Quod ideo prouisum est, ne ædificia rescindi necesse sit. Quod si aliqua ex causa dirutum sit ædificium, poterit materiæ dominus, si non fuerit duplum jam consecutus, tunc eam vindicare, & ad exhibendum de ea re agere.

**ÆDIFICATIO** † est symetrica tigni ad perpetuum usum conjunctio. Dixi *ad perpetuum usum*; quia casæ temporis causâ posita alio jure censentur. Est autem tignus sive tignum hoc loco, omnis materia ex qua ædificia fiunt, ut trabes; camenta, & similia; strictè tamen sumpto eo nomine trabes tantum continentur: unde etiam *tigillus* & *tigillum*, voces diminutivæ deductæ sunt.

In ædificatione duæ regulæ servande sunt. Prima est hæc: *Quisquis ex aliena materia in suo solo ædificavit, dominus fit totius ædificii*; quia superficies solo cedit, *I. 2. C. de servitut.* Non tamen fit dominus tigni. Aliud enim est totum ædificium, aliud res singulæ ex quibus componitur, *I. eum qui ades, ff. de usucap.* Quamvis autem prior dominus tigni dominium ejus in isto casu retineat, non tamen potest vindicare illud tignum; quia id nominatum prohibitum est *I. 12. tab.* ne ædificia rescindi necesse sit, atque ita letissimus urbis aspectus ruinis ædium deformetur. Sed datur ei adversus bonæ fidei possessorum actio de tigno juncto in duplum, si furtivum sit; sed adversus furem insuper competit tigni vindicatio destructo ædificio, & actio ad exhibendum quamdiu ædificium consistit, *I. 1. in fin. cum I. sequ. ff. de tigno juncto.* At si tignum furtivum non fuerit, datur dumtaxat actio in simplum, *I. de eo, ff. de don, inter vir. & uxor.*

*Ad §. Ex diverso.*

**E**X diverso, si quis in alieno solo ex sua materia domum ædificaverit, illius fit domus, cuius & solum est. Sed hoc casu materiæ dominus proprietatem ejus amittit; quia voluntate ejus intelligitur esse alienata, utique si non ignorabat se in alieno solo ædificare: & ideo licet diruta sit domus, materiam tamen vindicare non potest. † Certè illud constat, si in possessione constituto ædificatore, soli dominus petat domum suam esse, nec solvat premium materiæ, & mercedes fabrorum: posse eum per exceptionem doli mali repelli, utique si bonæ fidei possessor fuerit, qui ædificavit. Nam scienti alienum solum esse, potest objici culpa, quod ædificaverit temerè in eo solo, quod intelligebat alienum esse.

**A**LTERA regula circa ædificationem est; si quis ex sua materia, in alieno solo ædificaverit, dominium ejus amittit; sed tamen per exceptionem doli mali consequetur premium suæ materiæ, & impensas reliquias ædificationis. Idque etiam in eo locum habet qui malâ fide ædificavit, *I. planè 38. & I. sequ. ff. de petit. herad.* & *I. 5. C. de rei vind.* non quidem ex stricto jure, sed sola contem-

platione æquitatis, quæ stricto juri præfertur, l. 8. C. de judiciis. In nostris autem Institutionibus Imp. juris principia tradens, jus strictum sœpe proponit, prolixiori æquitatis interpretatione in alium juris locum dilata.

*Ad §. Si Titius.*

**S**i Titius alienam plantam in solo suo posuerit, ipsius erit: & ex diverso, si Titius suam plantam in Mævii solo posuerit, Mævii planta erit; si modò utroque casu radices egerit: antè enim quām radices egerit, ejus permanet, cuius fuerat. Adeò autem ex eo tempore, quo radices egerit planta, proprietas ejus commutatur: ut si vicini arbor ita terram Titii presserit, ut in ejus fundum radices egerit, † Titii effici arborem dicamus: ratio enim non permittit, ut alterius arbor esse intelligatur, quām cuius in fundum radices egerit. Et ideo prope confinium arbor posita, si etiam in vicini fundum radices egerit, communis fit.

**I M P L A N T A T I O** eādem aut potius majori ratione dominium plantæ transfert in eum, in cuius solo implantata est; quia non tantum plantæ terrā sustinentur sicut ædificia, sed etiam ab ea vitam & alimenta accipiunt; videlicet cūm radices egerint, quia per radices arbor facit unitatem cum terra, l. hoc amplius, §. Alfenus, ff. de damno infecto. Aliud itaque juris est si planta radices non egerit.

Coalitio sive radicum immissio tantam vim habet, ut si arbor Titii in vicini fundo totas radices egerit, ejus vicini tota sit; & similiter arbor propè confinium posita, quæ in duorum agris hinc & inde primigenias radices egit, sit communis; quia quæ de tota re dicuntur, eadem etiam de parte intelligenda sunt, l. que de tota, ff. de rei vind. Confinium † erat olim intervallum quinque pedum, quod l. 12. tab. inter duos agros vacuum relinquebatur ad vertendum aratum, & ad similes usus.

*Ad §. Quā ratione.*

**Q**UĀ ratione autem plantæ, quæ terræ coalescunt, solo cedunt, eādem ratione frumenta quoque, quæ sata sunt, solo cedere intelliguntur. Cæterū sicut is, qui in alieno solo ædificavit, si ab eo dominus petat ædificium, defendi potest per exceptionem doli mali, secundūm ea quæ diximus: ita ejusdem exceptionis auxilio tutus esse potest is, qui alienum fundum sua impensa (bonâ fide) consevit.

**S A T I O** eodem jure censeretur quo implantatio, longè præstantiori ratione; quia semina in terram missa magis immutantur, quām plantæ; cūm in terra moriantur, & naturæ beneficio reviviscant. Ideoque fructus ad dominum

*De rerum divisione, & acquirendo ipsarum dominio.* 119  
fundī pertinent ; quia partem fundī faciunt ; *l. fructus, ff. de rei vind.* & quia  
fructus non jure seminis, sed jure soli percipiuntur, *l. 25. ff. de usuris.*

*Ad §. Literæ.*

**L**ITERÆ quoque, licet aureæ sint, perinde chartis mem-  
branisve cedunt, ac solo cedere solent ea quæ inædificantur,  
aut inferuntur ; ideoque si in chartis, membranisve tuis carmen,  
vel historiam, vel orationem Titius scripserit ; hujus corporis non  
Titius, sed tu dominus esse videris. Sed si à Titio petas tuos libros,  
tuasve membranas, nec impensas scripturæ solvere paratus sis ; po-  
terit se Titius defendere per exceptionem doli mali, utique si ea-  
rum chartarum membranarumve possessionem bonâ fide nactus est.

**S C R I P T U R A** quoque licet pretiosior sit charta, eadem tamen ratione  
chartæ cedit jure nostrarum Institutionum. Sed rectè Accursius monet id con-  
trario usū fuisse abrogatum, nec immeritò. Cum enim charta sit ex numero  
carum rerum quæ utendo pereunt ; non videtur esse pars scripturæ, historiæ  
v. g. & poëmatis, sicut solum est pars ædifici : nec videtur scriptura chartæ,  
quæ extincta est, debere cedere, sicut in simili casu dictum est supra circa  
speciem quæ ad priorem materiam reduci non potest.

*Ad §. Si quis in aliena.*

**S**i quis in aliena tabula pinxerit, quidam putant tabulam pictu-  
ræ cedere ; aliis videtur, picturam ( qualiscumque sit, ) tabulæ  
cedere : sed nobis videtur melius esse, tabulam picturæ cedere. Ri-  
diculum est enim, picturam Apellis vel Parrhasii in accessionem vi-  
lissimæ tabulæ cedere. Unde si à domino tabulæ imaginem possiden-  
te, is, qui pinxit, eam petat, nec solvat premium tabulæ, poterit  
per exceptionem doli mali submoveri. At si is qui pinxit, [ eam ]  
possideat ; consequens est, ut utilis actio domino tabulæ adversus  
eum detur : quo casu, si non solvat impensam picturæ, poterit per  
exceptionem doli mali repelli, utique si bonâ fide possessor fuerit  
ille, qui picturam imposuit. Illud enim palam est, quod sive is,  
qui pinxit, subripuit tabulas, sive alius ; competit domino tabula-  
rum furti actio.

**P I C T U R A** ejusdem juris fuit cuius cæteræ superficies, ex quorundam Ju-  
ris-consultorum sententia ; quia sine tabula consistere non potest, *l. in rem, §.*  
*sed id quod, ff. de rei vindic.* Sed tamen prævaluit contraria sententia ; quia ri-  
diculum erat picturam Apellis vel Parrhasii in accessionem vilissimæ tabulæ ce-

dere. Potest addi & altera ratio ; quia in eximiis à communibus juris regulis  
recedendum est , l. 6. §. valde tamen , ff. de excusat.

*Ad §. Si quis à non domino.*

**S**I quis à non domino , quem dominum esse crediderit , bonâ fide fundum emerit , vel ex donatione , aliâve qualibet justâ causâ æque bonâ fide acceperit ; naturali ratione placuit fructus , quos percepit , ejus esse pro cultura & cura. Et ideo si postea dominus supervenerit , & fundum vindicet , de fructibus ab eo consumptis agere non potest. Ei verò qui alienum fundum sciens possederit , non idem concessum est : itaque cum fundo etiam fructus , licet consumpti sint , cogitur restituere.

**T E R T I U S** modus acquirendi rerum dominii est perceptio fructuum. Fructus nomen † significat omnes obventiones & omne commodum quod ex re aliquâ percipitur , deductis impensis perceptionis , l. si à domino , §. fructus , ff. de pet. hered. l. 46. ff. de usur. & l. fructus in pr. ff. solut. matr. Fructum † duo sunt genera. Alii enim sunt naturales , alii vero industriales. Naturales † sunt , quos natura suâ sponte producit , & in quibus percipiendis nulla aut saltem modica hominum industria desideratur , ut sunt poma , fœnum , & lignum superfluum quod ex sylvis ceditur , l. 45. ff. de usur. Fructus industriales † sunt , quos natura suâ sponte non producit , & in quibus percipiendis maximus hominum labor & maxima industria requiruntur , ut triticum , vinum , & oleum. Inter quos fructus primum locum obtinent fructus civiles , † qui non ex ipsa re , sed occasione tantum rei percipiuntur ; atque ideo appellantur à quibusdam *industrialissimi* , ut sunt pensiones aedium & navium.

Fructus ex alienis rebus percipiunt bona & mala fidei possessores , sed sorte dispari ; nec non etiam fructuarii & coloni eodem ferè jure. Bonæ fidei possessor † dicitur , qui rem alienam possidet quasi suam ignorans esse alienam. Interdum tamen bonâ fide possidet , qui sciens rem alienam possidet , nimirum si iubente Prætore possidat ; quia justè possidet qui Prætore auctore possidet , l. justè , ff. de acquir. possess. Mala fidei possessor † dicitur , qui rem alienam possidet quasi suam , sciens esse alienam , seque nullum jus possidendi habere.

Bonæ fidei possessor fructus industriales extantes , suos interim facit , id est quamdiu res non evincitur : consumptos autem irrevocabiliter acquirit ; quia , ut supra dictum est , consumptio bonâ fide facta dominium tribuere videtur. Naturales vero fructus non sunt cuiuslibet bona fidei possessoris , l. 45. ff. de usuris : sunt quidem emptoris interim vel alterius qui possidet ex titulo oneroso ; sed nullatenus sunt ejus qui ex donatione vel ex alia lucrativa causa possidet , d. l. 45. aliud enim est emere , aliud ex lucrativis causis acquirere , l. apud §. si quis , ff. de dol. mali & met. except.

Mala fidei possessor omnes omnino fructus restituit , naturales & industriales , pendentes & perceptos , extantes & consumptos ; nec tantum quos percepit , sed etiam quos non percepit , si modo percipi honestè potuerint , l. fructus

*fructus 35. ff. de rei vind. Similiter quoque bona fidei possessor post item contestam simili restitutiō obnoxius est ; quia videtur ab eo tempore bonam fidem habere desisse, l. certum est, C. eod.*

*Ad §. Is verò.*

**I**S verò ad quem ususfructus fundi pertinet, non aliter fructuum dominus efficitur, quam si ipse eos percepérít. Et ideo licet maturis fructibus, nondum tamen perceptis, deceſſerit ; ad hæredes ejus non pertainent, sed domino proprietatis acquiruntur. Eadem ferè & de colono dicuntur.

**F R U C T U A R I U S** & colonus in fructuum perceptione ferè similes sunt. Fructuarius † est is qui habet ius utendi, fruendi rebus alienis, salvā rerum substantiā. Colonus † verò est is qui sub certa annua pensione prædium alienum colendum conduxit : ambo sibi invicem similes sunt, quatenus sine ulla distinctione fructus omnes acquirunt cuiuscumque generis sint, & naturales & industriales, & tam extantes quam consumptos. Dixi ferè ; quia si colonus maturis fructibus deceſſerit, hæres ejus in eo jure fructus percipiendi succedit, l. 10. C. de loc. & conduit. Hæres enim coloni colonus est, d. l. 10. & omnis qui contrahit non tantum sibi, sed etiam hæredi suo intelligitur contraxisse, l. 9. ff. de probat. Fructuarius verò si maturis fructibus decedat, nullos fructus transmittit ad hæredes suos ; sed omnes pertainent ad dominum proprietatis, quia fructus pendentes pars fundi sunt, l. fructus, ff. de rei vind. & quia non aliter fructuarius suos fructus facit, quam si eos percepérít, vel alias ejus nomine, l. 13. ff. quib. modis usuf. amitt. & l. 25. §. 1. ff. de usur. tertio denique, quia omne ius fructuarii cum anima ipsius expirat, l. pen. §. ult. C. de usuf. Ex his apparet non recte dixisse Theoph. τὸ δὲ ferè παρέκκεται : particula ferè superflua est.

*Ad §. In pecudum.*

**I**N pecudum fructu etiam foetus est ; sicuti lac, pilus & lana. Itaque agni, hœdi, & vituli, & equuli & suculi statim naturali iure domini fructuarii sunt. Partus verò ancillæ in fructu non est : itaque ad dominum proprietatis pertinet. Absurdum enim videbatur, hominem in fructu esse, cum omnes fructus rerum natura gratiâ hominis comparaverit.

**Q**UAMVIS fructuarius pro domino habeatur, l. 4. ff. de usuf. duæ tamen ejus potestatis limitationes statuendæ sunt. Prima est, quod ad eum non pertinet partus ancillæ ; quia indignum visum est hominis dignitate : ut sicut equæ alteriusve animalium ususfructus in partu potissimum positus est ; ita & in partu ancillæ ususfructus considereret ; & ut ait Imp. absurdum erat hominem in fructu esse, cum rerum natura omnes fructus hominis gratiâ comparaverit, l. in pecudum, ff. de usur. Atque ita in veteri illa quæstione, quæ fuit hac de te inter

*Manilius & Brutum, teste M. Tullio, lib. I. de finib. Brutis sententia obtinuit; l. vetus 68. in pr. ff. de usufr. Statuendum est igitur fructus servorum in operis eorum & industria consistere, & retro hominis operas in fructu esse, l. 4. ff. de oper. serv. In fructu † esse dicuntur ea quae sunt in numero fructuum.*

*Ad §. Sed si gregis.*

**S**E D si gregis usumfructum quis habeat in locum demortuorum capitum ex foetu fructuarius submittere debet (ut & Juliano vi- sum est) & in vinearum demortuarum, vel arborum locum, alias debet substituere: recte enim colere, & quasi bonus paterfamilias uti debet.

**A L T E R A** limitatio est, quod is qui gregis vel vineæ usumfructum habet, in locum demortuarum ovium vel vitium teneatur alias ex foetu vel propagini- bus substituere: recte enim colere & tamquam bonus paterfamilias uti debet. Quod non solum natura usus fructus expostulat, sed etiam satisfactio, quam praefat ab initio fructuarius, se boni viri arbitratu usurum, fruiturum, l. I. & passim ff. usufr. quemadmodum. *caveat.* Id autem sic est exaudiendum, ut priora capita aut priores vites in dominio illius sint, qui gregis aut vineæ vel similis loci fructuarius est, l. 18. & sequ. ff. de usufr. Aliud dicendum est, si quis habeat usumfructum singularum ovium vel arborum, l. 70. §. sed quod ff. eod. hoc enim casu nihil supplebit fructuarius, cum fructuarius esse desinat, l. 2. ff. eod.

*Ad §. Thesauros.*

**T**HESAUROS quos quis in loco suo invenerit, Divus Hadrianus naturalem æquitatem secutus, ei concessit, qui [ eos ] invenerit. Idemque statuit, si quis in sacro aut religioso loco fortuito casu invenerit. At si quis in alieno loco, non datâ ad hoc operâ, sed fortuitu invenerit; dimidium domino soli concessit, & dimidium inventori. Et convenienter, si quis in Cæsaris loco invenerit, dimidium inventoris, & dimidium esse Cæsaris statuit. Cui conveniens est [ ut ] si quis in fiscali loco, vel publico [ vel civitatis ] invenerit, dimidium ipsius esse [ debeat, ] & dimidium fisci, vel civitatis.

**C A V E N D U M** est maximè, ne thesauros in fructibus connumeremus: illi enim alio jure censentur. Thesaurus † est vetus quædam depositio pecunia, cuius non extat memoria, ut jam dominum non habeat, l. numquam, §. I. ff. b. 2. Inventoris autem fit totus thesaurus, si in loco ipsius vel religioso inventus fuerit: quod si in alieno non datâ operâ, sed fortuito casu inveniatur, dimidium inventori, & dimidium fundi domino acquiretur, l. I. C. de the- sauris, lib. x.

## Ad §. Per traditionem.

**P**E A traditionem quoque jure naturali res nobis acquiruntur: nihil enim tam conveniens est naturali æquitati, quam voluntatem domini volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi: & ideo cujuscumque generis sit corporalis res tradi potest, & à domino tradita alienatur. Itaque stipendiaria quoque & tributaria prædia eodem modo alienantur. Vocantur autem stipendiaria & tributaria prædia, quæ in provinciis sunt, inter quæ, nec non & Italica prædia, ex nostra constitutione nulla est differentia. Sed si quidem ex causa donationis aut dotis, aut qualibet alia ex causa tradantur, sive dubio transferuntur.

**Q**UARTUS & ultimus modus acquirendi dominii ex jure gentium, est traditio, id est translatio possessionis: unde sequitur, differre hæc duo, dare, & tradere: dare enim id est transferre dominium, §. sic itaque, infra de act. tradere verò id est transferre solam possessionem, l. si rem tradi, ff. de verb. obl. & l. 3. C. de act. empti & vend. Ad hoc autem ut per traditionem transferatur rei dominium, quatuor debent conditiones concurrere. Prima est, ut qui tradit habeat animum transferendi dominii. Sicut enim nuda voluntas seu conventio nuda sine traditione non sufficit ad transferendum dominium, l. traditionibus, C. de pacis; ita nec vice versa traditio sola sufficit sine voluntate: cuius voluntatis ratio maximè habenda est in traditionibus; quia nihil tam conveniens est naturali æquirati, quam voluntatem domini volentis rem suam in alium transferre ratam haberi. Secunda conditio est, ut is qui trādit dominus sit; quia ne-  
mo plus iuris in alium transferre potest quam ipse habeat, l. 54. ff. de reg. jur. Tertia conditio est, ut res de qua agitur sit corporalis: incorporalia enim neque propriè possidentur neque traduntur, sed tantum quasi traduntur & quasi possidentur; quia patientia adversarii in illis pro possessione & pro traditione habetur, l. ult. ff. de servit. Nec refert hodie distinguere sicut distinguebatur antiquis; utrum res quæ traduntur sint mancipi vel nec mancipi, id est utrum sint Italica vel provincialia prædia; stipendiaria enim & tributaria prædia non minus hodie per traditionem alienantur, quam prædia juris Italici, propter constitutionem Justiniani, quâ sublata est omnis differentia rerum mancipi & non mancipi, l. un. C. de usucap. transform. Res mancipi id dicebantur olim prædia quæ erant in Italico solo; quia erant in mancípio sive perfecto dominio suorum possessorum ac dominorum. Res verò nec mancipi id erant prædia provincialia, quorum possessores perfectum non habebant dominium. Jure enim belli & victorie populus Romanus eorum dominium acquisierat: hæc si essent in provinciis populi Romani, ei solvebant stipendium; atque ideo appellabantur stipendiaria prædia: si autem essent in provinciis Principis, ei tributum quotannis pendebant, & tributaria dicebantur. Huic Provinciarum distinctioni faciem prefert notissimus Suétонii locus in Augusto, cap. 47. Provincias valdiores quas annuis Magistratum imperiis regi nec facile nec tutum erat, ipse

fuscepit; cæteras Proconsulibus sortito permisit. Quarta denique conditio est; ut fiat traditio ex justa causa, id est titulo perpetuo, & qui jure destinatus est ad transferendum dominium, cuiusmodi est titulus venditionis, donationis, & dotis, l. 1. ff. de jure dot. Aliud dicendum est de commodato, deposito & similibus contractis qui temporibus causâ fiunt.

*Ad §. Venditæ.*

**V**ENDITÆ verò res & traditæ non aliter emptori acqui-runtur, quām si is venditori pretium solverit, vel alio modo ei satisfecerit; veluti expromissore aut pignore dato. Quod quam-quām cavetur ex lege duodecim tabularum, tamen rectè dicitur & jure gentium, id est, jure naturali, id effici. Sed si is, qui vendit, fidem emptoris secutus fuerit, dicendum est, statim rem emptoris fieri.

**P**RIMÆ regula exemplum & ultimæ limitationem tradit Imp. in persona emptoris, qui rei sibi venditæ & traditæ dominus per traditionem non efficitur; nisi postquam pretium solverit, vel pignoribus, fidejussoribus aut expromissoribus datis satisfecerit, l. 53. ff. de contrah. empt. aut nisi vendori emptori fidem habuerit de pretio; quia scilicet non aliis est animus venditoris dum rem suam tradit emptori, quām ut dominium ejus nolit amittere, donec pretium ei per-solvatur.

*Ad §. Nihil.*

**N**IHL autem interest, utrūm ipse dominus tradat alicui rem suam, an voluntate ejus alius, cui ejus rei possessio permissa sit.

**Q**UAMVIS autem ex secunda prædicta regula constet per traditionem à non domino factam dominium non transferri; nihil tamen interest, utrūm verus dominus an verò alius ejus nomine ac mandato speciali rem tradat; quia quod quis per alium facit, per se ipsum facere intelligitur, cap. qui facit, de reg. jur. in 6.

*Ad §. Quâ ratione.*

**Q**UÂ rationale, si cui libera + universorum negotiorum administratio à domino concessa est, tradiderit aliquid ex justa causa, dummodo id non faciat donationis gratiâ; quia non censetur ei permisum ut perdat: donare enim est perdere, l. 7. ff. de donat. uno verbo dispensator esse debet, non dissipator.

**I**DEMQUE juris est si ille cui libera universorum bonorum administratio à domino concessa est, tradiderit aliquid ex justa causa, dummodo id non faciat donationis gratiâ; quia non censetur ei permisum ut perdat: donare enim est perdere, l. 7. ff. de donat. uno verbo dispensator esse debet, non dissipator.

## Ad §. Interdum.

**I**NTERDUM etiam sine traditione, nuda voluntas domini sufficit ad rem transferendam; veluti si rem, quam tibi aliquis commodaverit, aut locaverit, aut apud te deposuerit postea, aut vendiderit tibi, aut donaverit, aut dotis nomine dederit. Quamvis enim ex ea causa tibi eam non tradiderit; eo tamen ipso, quod patitur tuam esse, statim tibi acquiritur proprietas, perinde ac si eo nomine tibi tradita fuisset.

**V**ERAE traditioni valde admodum affinis est facta traditio, quae sola domini voluntate inititur, ipso facto traditionis constituta, cuius quatuor species ab Imp. referuntur, factio brevis manus, clavium traditio, missilium jactus, & abjectio rei pro derelicto. Factio brevis † manus est illa in qua propter celeritatem conjungendarum inter se actionum, unum aut alterum actum occultamus, l. singularia, ff. de reb. cred. & l. 3. §. sed si debitores, ff. de don. int. vir. & ux. v. g. cum rem tibi traditam ex causa commodati, deinde tibi ipsi vendo, neque trado de novo; dum enim rem tibi traditam ex causa commodati, (quae cum sit temporalis, justa non est) patior penes te manere ex causa venditionis, quae procul dubio justa est & perpetua: fingitur ac creditur quod tu mihi illam restitueris, & quod postmodum eam tibi tradiderim ex causa venditionis: atque ita haec patientia pro traditione habetur, & dominium transfert, l. 9. §. interdum, ff. b. t. sicut etiam accidit in servitibus, l. ult. ff. de servit.

## Ad §. Item si quis.

**I**T EM si quis merces in horreo depositas vendiderit, simul atque claves horrei tradiderit emptori, transfert proprietatem mercium ad emptorem.

**C**LAVIUM quoque traditio, quae sit apud horrea in quibus frumentum venditum continetur, pro traditione habetur, l. 74. ff. de contrah. empt. quia in clavibus plena rei potestas continetur & designatur; ideoque uxori in domum deductae claves olim tradebantur, & libello repudii misso adimebantur, cui casui similis est traditio instrumenti venditionis, l. 1. C. de donat.

## Ad §. Hoc amplius.

**H**Oc amplius interdum & in incertam personam collata voluntas domini, transfert rei proprietatem, ut ecce; Praetores & Consules, cum missilia jactant in vulgus, ignorant quid eorum quisque sit excepturus; & tamen, quia volunt, quod quisque accepterit, ejus esse, statim cum dominum efficiunt.

**M**ISSILIA † dicebantur variarum rerum donaria ; quæ Imperatores ; Consules vel alii Magistratus populo colligenda spargebant. Hæc occupanti acquiruntur , l. 9. §. pen. ff. b. t. quia is est animus projicientis , ut quod quisque excepit id ejus fiat ; atque ita per quamdam quasi traditionem dominium transferatur.

*Ad s. pen.*

**Q**Uâ ratione verius esse videtur , si rem pro derelicto à domino habitam occupaverit quis , statim eum dominum effici. Pro derelicto autem habetur quod dominus eâ mente abjecerit , ut id in numero rerum suarum esse nolit ; ideoque statim dominus ejus esse desinit.

**R**es pro derelicto habita † dicitur illa , quam dominus eâ mente abjecit ; ut in numero rerum suarum esse nolit. Hæc fit continuò occupantis , propter similem rationem ; quia abjectio pro derelicto verâ traditioni æquiparatur : & quemadmodum per veram traditionem à domino factam acquiritur dominium , & sola usucapiendi facultas si fiat à non domino , l. traditionibus 20. C. de pact. ita & abjectio pro derelicto facta à vero domino efficit , ut res hujusmodi cedat occupanti. Sin autem à non domino res aliqua pro derelicto habeatur , poterit ab occupante usucapi , l. 3. ff. pro derelicto.

*Ad s. ult.*

**A**LIA sanè causa est eatum rerum , quæ in tempestate levandæ navis causâ ejiciuntur. Hæc enim dominorum permanent ; quia palam est , eas non eo animo ejici , quod quis eas habere nolit , sed quo magis cum ipsa navi maris periculum effugiat. Qua de causa , si quis eas fluctibus expulsas , vel etiam in ipso mari nactus , lucrandi animo abstulerit , furtum committit. Nec longè videntur discedere ab his , quæ de rheda currente non intelligentibus dominis cadunt.

**E**O tamen numero non habemus illa quæ in mare projiciuntur navis levandæ gratiâ , urgente tempestate ; quia plerumque non eo animo ejiciuntur , ut quis eas res suas esse nolit , sed tantum ut maris periculum effugiat , l. 2. in fine , & l. 8. ff. ad l. Rhod. de jactu. Dixi plerumque ; quia interdum animo relinquenter ea merces jactantur in mare. Quo casu illarum furtum non sit ab occupante , l. falsus 43. §. si jactum , ff. de furt.





## T I T U L U S I I.

### D E R E B U S C O R P O R A L I B U S & incorporealibus.

*Ad Print.*

**Q**UÆDAM præterea res corporales sunt, quædam incorpo-  
rales.

TERTIAM rerum divisionem nobis proponit Imp. h. t. † quæ dividun-  
tur in res corporales, & incorporeas.

*Ad §. Corporales.*

**C**ORPORALES hæ sunt quæ tangi possunt: veluti fundus,  
homo, vestis, aurum, argentum, & denique aliae res innu-  
merabiles.

CORPORALES † sunt quæ sui naturâ tangi possunt, ut fundus; homo;  
vestis. Sed advertendum est † quædam res corporales in corpore certo consi-  
stere, ut est servus, fundus, & jumentum; & quædam consistere in quantita-  
te, cuiusmodi est summa centum nummorum: illa quæ in corpore certo con-  
sistunt, per rerum naturam frequenter intreunt; sed quantitates per rerum na-  
turam perire non possunt, l. 30. §. incertæ, ff ad l. falcid. Rursum res corporales  
† subdividuntur in res mobiles, & immobiles. Mobiles denique & ipsæ iterum  
† subdividuntur in res mobiles, quæ ab aliis moventur, ut mensæ, vestes &  
sppellex; & se moventes, quales sunt equi, boves, & similia animantia.

*Ad §. pen.*

**I**NCORPORALES autem sunt ex, quæ tangi non possunt; qua-  
lia sunt ea, quæ in jure consistunt; sicut hæreditas, ususfructus,  
usus, [&] obligationes quoquo modo contractæ. Nec ad rem per-  
tinet, quod in hæreditate res corporales continentur: nam fructus,  
qui ex fundo percipiuntur, corporales sunt; & id, quod ex aliqua  
obligatione nobis debetur, plerumque corporale est, veluti fundus,  
homo, pecunia. Nam ipsum jus hæreditatis, & ipsum jus utendi,  
fruendi, & ipsum jus obligationis incorporale est.

RES incorporeas sunt quæ sensu percipi non possunt, sed intellectu tan-  
gi.

tum percipiuntur, ut servitutes, ususfructus, hereditas & obligationes quoquo modo contractae, quae omnia dicuntur in jure consistere, quia sunt jura, & sine ullo corpore juris intellectum habent, l. hereditas 50. ff. de petit. hered.

Ad §. ult.

**E**odem numero sunt jura praediorum urbanorum & rustico-rum, quae etiam servitutes vocantur.

INCORPORALIUM quoque rerum nomine continentur servitutes urbanæ & rusticæ, de quibus sequenti titulo agetur.



## T I T U L U S III.

### D E S E R V I T U T I B U S R U S T I C O R U M & urbanorum Praediorum.

Ad Rubricam.

**S**ERVITUS significat in libro superiore † conditionem sive qualitatem personarum, quae domino suo subjiciuntur. Hoc verò titulo & duobus sequentibus † sumitur pro conditione & qualitate rerum quae alteri quam domino subjiciuntur, eique utilitatem præstant. Dixi 1. alteri quam domino; quia res sua nemini servit, l. 5. in pr. ff. si usus fr. pet. Dixi 2. eique utilitatem præstant; quia non valet constitutio inutilis servitutis, l. 8. & l. 15. ff. de servit. Est autem † duplex servitus, realis scilicet, & personalis. Servitus realis † est jus quoddam prædiis inhærens, quo prædium unum alteri prædio ita subjicitur, ut dominantis prædiis utilitas augeatur, serviens verò minuatur. Estque duplex † servitus realis, rustica videlicet, & urbana. Rustica est † quæ prædio rustico debetur. Prædium dicitur † generaliter quælibet res immobilis; fortè quia prædiis, id est fidejussionis vicem sustinet; vel quia illo pignore dato fides præstatur, ut ait Varro lib. 4. de ling. Lat. Praediorum † duo sunt genera, rusticum, & urbanum. Prædium † rusticum est, quod fructus percipiendi gratiâ comparatum est, sive rure sive in urbe sit constitutum, ut horti, agri & vineæ.

Ad

## Ad Princ.

**R**USTICORVM prædiorum jura sunt hæc ; iter , actus , via , aquæductus . Iter est jus eundi , ambulandi hominis , non etiam jumentum agendi , [ vel vehiculum . ] Actus est jus agendi vel jumentum , vel vehiculum : ita qui habet iter , actum non habet ; sed qui actum habet , & iter habet , [ eoque uti potest ] etiam sine jumento . Via est jus eundi , & agendi , & ambulandi : nam & iter & actum via in se continet . Aquæductus est jus aquæ ducendæ per fundum alienum .

**SERVITUTUM** rusticarum † quatuor sunt species præcipuae , iter , via , actus , & aquæductus . Iter † est jus eundi & ambulandi hominis , non etiam jumentum agendi vel vehiculum . Quod ita intelligi debet , ut is cui iter debetur , non tantum pedes ire possit , sed etiam eques , l. 12. ff. de servit. rust. præd. quin imò & sellâ vehi & lecticâ , l. 7. ff. eod. Actus † est jus agendi jumentum vel vehiculum . Via † est jus eundi , & agendi , & ambulandi . Aquæductus † est jus aquæ ducendæ per fundum alienum .

Quamvis actus & via unum & idem esse videantur ; differunt tamen in multis : 1. quidem quòd in via , iter & actus principaliter continentur : in actu vero iter non continetur , nisi per consequentias , & magis ex occasione quam ex jure : unde fit ut qui actum habet , actum quidem vindicare possit , sed non iter , l. 4. §. 1. ff. si servit. vindic. At vero qui habet viam , non solum viam , sed etiam iter & actum separatim & conjunctim potest vindicare , l. 9. ff. eod. 2. Via continet semper jus agendi vehiculum , ut patet ex ejus definitione : actus autem illud jus non semper continet , putà si tam angustum spatiū definitum sit à testatore , vehiculum duci non possit , l. 13. ff. b. t. Ideoque videtur Imp. in definitione actus adhibuisse particulam disjunctivam vel . 3. Via latitudo definita est , l. 12. tab. octo pedum in porticum , & sexdecim in anfractum , l. vii 8. ff. de servit. rust. præd. Actus autem latitudo lege non definitur , sed modò angustior , modò latior fit , pro vario cuiuscumque constituentis arbitrio . 4. Denique , qui habet viam , habet jus lapides & tigna trahendi & rectam hastam ferendi , id est jus currum ducendi oneratum ad altitudinem rectæ hastæ : qui habet actum non item , l. 7. §. qui viam , & §. qui actum , ff. eod .

## Ad §. 1.

**P**RÆDIORVM urbanorum servitutes sunt hæc , quæ ædificiis inhærent ; ideo urbanorum prædiorum dictæ , quoniam ædificia omnia , urbana prædia appellamus , et si in villa ædificata sint . Item urbanorum prædiorum servitutes sunt , ut vicinus onera vicini sustineat ; ut in parietem ejus liceat vicino tignum immittere ; ut sillicidium vel flumen recipiat quis in ædes suas , vel in aream ,

vel in cloacam , aut non recipiat ; ne altius quis tollat ædes suas , ne luminibus vicini officiat.

S E R V I T U S urbana † est quæ debetur prædio urbano. Prædium urbanum † dicitur illud , quod habitandi causâ comparatum est , sive tute , sive in urbe constitutum : neque enim loco , sed materiâ & genere , prædia rustica ab urbanis distinguuntur , l. 198. ff. de verb. signif. Servitum autem urbanarum † multæ sunt species , videlicet oneris ferendi , tigni immittendi , stillicidii aut fluminis recipiendi , vel non recipiendi , altius non tollendi , ne luminibus officiatur , & alia complures.

Servitus oneris ferendi † est jus onera domus suæ in columnam vel parietem vicini immittendi , ita ut illi vicino onus refectionis incumbat , l. 6. §. etiam , & l. 8. §. distant , ff. si servit. vindic. Atque ita per hanc ultimam clausulam distinguitur à servitute tigni immittendi , & à cæteris servitutibus , quarum omnium ferè ea natura est , ut qui illas debet , non teneatur aliquid facere , sed tantum cogatur aliquid pati , vel aliquid facere prohibeatur , l. quoties 15. ff. de servit.

Servitus stillicidii aut fluminis recipiendi † est jus stillicidium aut flumen domus suæ in domum vel aream vicini avertendi. Stillicidium differt à flumine ; quatenus stillicidium † est aqua pluvia , quæ guttatum & stillatim cadit è tellis , nullis collecta canalibus ; flumen vero † est aqua pluvia quæ in canalibus collecta in prædium serviens continuo fluxu effunditur. Jus stillicidii non recipiendi † potest bifariam ædibus competere , jure scilicet libertatis , vel servitutis. Jure libertatis hæc facultas competit , si ædes de quibus agitur nulli umquam debuerint servitutem fluminis aut stillicidii recipiendi ; jure vero servitutis , si antea stillicidio aut flumini recipiendo obnoxiae fuerint ; & postea jure concessio , sive imposititio hanc facultatem acquisierint , ne stillicidium ullum aut flumen ullum recipere cogantur , quæ est Theoph. nostri sententia & summi Antecessoris. Præterea jure servitutis potest hoc jus competere : si jure communi liceat in aliqua civitate propter statutum aliquod speciale stillicidia sua vel flumina in domum vicini avertere , eaque vicinus aliquis recipere non teneatur ex jure aliquo speciali sibi concessio. Unde apparet non recte deleri in quibusdam novis editionibus hæc verba nostri textus vel non recipiat. Hoc enim est potius nodum rumpere quam solvere.

Servitus altius non tollendi , à servitute ne luminibus officiatur , distinguitur ; quod ille qui debet servitutem altius non tollendi , prohibeatur dumtaxat altius tollere ; sed qui debet alteram posteriorem servitutem , prohibeatur insuper quidquam facere quo lumina vicini fiant obscuriora , & liber cœli aspectus impediatur ; implantata v. g. arbore aut velis expansis , l. 4. & l. 15. ff. de servit. præd. urban.

#### Ad §. Inter.

I N T E R rusticorum prædiorum servitutes , quidam computari recte putant aquæ haustum , pecoris ad aquam appulsum , jus pascendi , calcis coquendæ , arenæ fodiendæ.

**C**OMMUNES personarum & prediorum servitutes esse videntur aquæ haustus, pecoris ad aquam appulsus, jus pascendi, calcis coquendæ & arenæ fodendæ; quia non semper prædiis, sed personis etiam interdum debentur. Verum quia debentur frequentius prædiis rusticis, ideo reales & rusticæ dicuntur, l. 4. & l. 5. ff. de servit. præd. rust. Rerum siquidem denominationes ex iis sumi debent potissimum, quæ frequenter eveantur. Quo etiam modo iter sive jus eundi appellatur servitus rustica, in pr. n. t. quia plerumque debetur prædio rustico. Sed si urbano prædio debeatur, erit servitus urbana. Si autem debeatur persona non prædio, personalis servitus appellabitur, maximè si illa persona prædium non habeat; eaque ratione facilè fieri potest, ut omnes servitutes quæ solent dici reales, fiant interdum personales, l. Mela, §. ult. ff. de alim. leg. & l. 4. ff. de serv. rust. præd.

*Ad §. penult.*

**I**D E O autem hæ servitutes prediorum appellantur, quoniam si ne prædiis constitui non possunt; nemo enim potest servitutem acquirere urbani vel rusticæ prædii, nisi qui habet prædium.

**R**E A L E S omnes servitutes de quibus actum est in h. tit. in multis differunt à personalibus de quibus agitur in duabus sequentibus; sed in eo maximè quod reales rebus cohærent, atque ideo sine prædiis consistere non possint, l. 1. ff. comm. præd. quod morte & capititis diminutione non extinguantur, l. 3. ff. quemadm. servit. amitt. & quod meram prediorum respiciant utilitatem, l. 15. ff. hoc tit. Unde fit ut nemo possit debere vel acquirere servitutem prædii urbani vel rusticæ, nisi qui prædium habet, d. l. 1. & l. 2. §. 1. ff. si serv. vindic. Personales vero servitutes personæ cohærent, atque ideo sine prædiis consistunt, & morte illius cui debentur intereunt, l. non solum, §. tale, ff. de lib. leg. & l. 3. ff. quib. modis usus fr. amitt. nec non etiam capititis minutiæ, l. 1. ff. cod.

*Ad §. ult.*

**S**I quis velit vicino aliquod jus constituere, pactionibus atque stipulationibus id efficere debet. Potest etiam testamento quis heredem suum damnare ne altius tollat ædes suas, ne luminibus ædium vicini officiat; vel ut patiatur eum tignum in parietem suum immittere, stillicidiumve adversus eum habere; vel ut patiatur cum per fundum ire, agere, aquam ex eoducere.

**S**E R V I T U T E S constituuntur testamento vel pactionibus. Testamento quidem, quia publicè interest suprema hominum judicia exitum habere, l. 4. ff. testam. quemadm. aper. Pactionibus vero, quia æquum est ea quæ semel placuerunt custodiri, l. 2. ff. de part. Quod intelligendum non est de quibuscumque pactionibus, sed de contractibus tantum, ex quibus oriens potest obli-

gatio, minimè verò de nudis pactis; quia ex his actio non oritur, l. 7. §. sed cum nulla, ff. cod.

Quod autem diximus pactioribus constitui servitutes, non ita exaudiendum est, quasi pactioribus servitutes acquirantur & possint vindicari. Neque enim dominium transfertur ex alio contractu, nisi rei traditio interveniat (in rebus scilicet corporalibus, ) l. 20. C. de pactis; aut saltem patientia, (in rebus nimirum corporalibus) quæ pro traditione habetur, l. ult. ff. de servitut. Verum pactioribus sive contractibus ita constituantur servitutes, ut ex illis obligatio oriatur, & consequenter actio personalis, ad petitionem hujusmodi servitutum. Testamento tamen servitutes ita constituuntur, ut statim à morte defuneti legatario acquirantur, quia mortuo testatore dominium rei legata rectâ via tranit ad legatarium sine facto heredis, l. 80. ff. de leg. 2.



## T I T U L U S I V.

### D E U S U F R U C T U.

*Ad Prince.*

**U**SUSFRUCTUS est jus alienis rebus utendi, fruendi, salvâ rerum substanciali. Est autem jus in corpore; quo sublato, & ipsum tolli necesse est.

SERVITUTES personales, id est quæ personis debentur in rebus alienis, & quæ à quibusdam mixtæ appellantur, † sunt tres præcipuae, ususfructus, usus, & habitatio. Usumfructum † duplice distingunt Interpretes, causalem, & formalem. Ususfructus causalis nomine † intelligitur jus re suâ utendi, fruendi & abutendi pro suo arbitrio; atque ideo causalis appellatur, quod causæ suæ, id est proprietati cohæreat, l. 23. §. pen. ff. de excep. rei jud. Ille ususfructus non est servitus, quia res sua nemini servit, l. 5. ff. si ususfr. petatur. Ususfructus formalis † est jus alienis rebus utendi, fruendi, salvâ rerum substanciali. Dicitur formalis, quod habeat certam formam à proprietate sejunctam; ideoque est verè servitus, l. 25. ff. de verb. sign. De quo ususfructu tria nobis occurruunt investiganda hoc tit. quibus modis constituantur, quibus in rebus consistat, & quibus modis finiatur.

*Ad §. 1.*

**U**SUSFRUCTUS à proprietate separationem recipit; idque pluribus modis accedit: ut ecce, si quis usumfructum alicui legaverit. Nam haeres nudam habet proprietatem, legatarius verò usumfructum. Et contrà, si fundum legaverit deducto ususfructu,

legatarius nudam habet proprietatem : hæres verò usumfructum. Item alii usumfructum , alii deducto eo fundum legare potest. Sine testamento [ verò ] si quis velit usumfructum alii constituere , pactionibus & stipulationibus id efficere debet. Ne tamen in universum inutiles essent proprietates , semper abscedente usufructu placuit certis modis extingui usumfructum , & ad proprietatem reverti.

**C O N S T I T U I T U R** ususfructus testamento vel pactionibus , sicut cæteræ servitutes , ex. gr. quando aliquis uni concessit usumfructum fundi sui , & alteri cumdem fundum deducto usufructu. Quæ duo ultima verba non debemus credere otiosa , quia fundi nōmen plenam rei proprietatem continet , *l. si Titio 10. ff. de usu & usufr. leg.* At si quis cupiens usumfructum à proprietate separare , testamento ita dixerit : Fundum Tusculanum Mævio , usumfructum fundi Tusculani Titio do , lego ; errore labitur. Eo verò casu Mævius totam proprietatem & dimidiam partem ususfructus habebit ; Titius verò alteram tantum dimidiam ususfructus consequetur , *l. 19. ff. eod.*

*Ad §. Constituitur.*

**C O N S T I T U I T U R** autem ususfructus , non tantum in fundo & ædibus , verùm etiam in servis , & jumentis , & cæteris rebus ; ( exceptis iis , quæ ipso usu consumuntur. ) Nam hæ res neque naturali ratione , neque civili recipiunt usumfructum , quo [ in ] numero sunt vinum , oleum , frumentum , vestimenta , quibus proxima est pecunia numerata : namque ipso usu assiduâ permutatione quodammodo extinguitur. Sed utilitatis causâ Senatus censuit , posse etiam earum rerum usumfructum constitui , ut tamen eo nomine hæredi utiliter caveatur. Itaque si pecuniae ususfructus legatus sit , ita datur legatario , ut ejus fiant , & legatarius satisfat hæredi de tanta pecunia restituenda , si morietur , aut capite minuetur. Cæteræ quoque res ita traduntur legatario , ut ejus fiant ; sed æstimatis his , satisfat : ut si moriatur , aut capite minuatur , tanta pecunia restituatur , quanti hæ fuerint [ æstimatae. ] Ergo Senatus non fecit quidem earum rerum usumfructum , ( nec enim poterat ) sed per cautionem quasi usumfructum constituit.

**U S U S F R U C T U S** consistit in omnibus rebus corporalibus , exceptis illis , quæ non in usu , sed in abuso consistunt ; id est , quæ usu consumuntur , seu quæ nullum præbere possunt , nisi simul consumantur ; quod est propriè abuti : cujusmodi sunt vinum , oleum , frumentum & pecunia numerata ; quia earum rerum non potest remanere post usum salva substantia. Verùm in his rebus , ex Senatusconsulto quodam anonymo , quasi ususfructus constitui po-

test, remedio cautionis idoneæ, quam præstat legatarius; quod finito ususfructu eamdem quantitatem seu estimationem sit restituturus. Dixi in omnibus rebus corporalibus; quia servitutum (v. g. itineris,) ususfructus constitui non potest; neque enim potest esse servitus servitutis, l. 1. ff. de usu & usufr. leg.

Quod autem in ea lege 1. dicitur *id neque esse in bonis, neque extra bona;* eam vim habere non videtur; ut servitutes neque sint in bonis, neque extra bona: cum certissimum sit res illas esse in bonis, quarum nomine habemus actionem, l. rem in bonis, ff. de acqu. rer. dom. Nec enim dubium est, quin servitutum nomine competit actio, *toto tit. ff. si servit. vindic.* Sed hoc pertinet tantum ad iter de quo agitur in ea lege, quod minimè fuit constitutum: ideoque, cum nullatenus sit, dicitur *id neque esse in bonis, neque extra bona.*

*Ad §. pen.*

**F**INITUR autem ususfructus morte usufructuarii, & duabus capitibus diminutionibus, maximâ & mediâ, & non utendo per modum & tempus: quæ omnia nostra statuit constitutio. Item finitur ususfructus, si domino proprietatis ab usufructuario cedatur: (nam cedendo extraneo, nihil agitur,) vel ex contrario si usufructuarius proprietatem rei acquisierit: quæ res consolidatio appellatur. Eo amplius constat, si ædes incendio consumptæ fuerint, vel etiam terræ motu, vel vitio suo corruerint; extingui usumfructum, & ne areæ quidem usumfructum deberi.

**F**INITUR ususfructus multis modis. Et primò quidem morte fructuarii, quia iura personæ cohærentia ad hæredem non transeunt, sed cum anima ipsius expirant, l. pen. C. hoc tit. & l. 8. §. tale, ff. de lib. leg. Secundò, finitur ususfructus capitibus diminutione quacumque ex jure Pandectarum, l. 1. ff. quib. mod. ususfr. vel usus amitt. Sed ex constitutione Justiniani, quæ in his Institutionibus nostris & Codice continetur, minima capitibus diminutio ad hoc non sufficit, d. l. pen. Finitur tertio, non utendo per modum & tempus, prout Justiniani constitutione definitum est; id est, non ex eo solo, quod fructuarius usus non fuerit, sed eo insuper requisito; ut ex diverso dominus proprietatis re illâ utatur, fruatur, intra tempus lege definitum; id est, jure veteri intra biennium in rebus immobilibus, & intra annum in rebus mobilibus: ex jure autem novo intra decem vel viginti annos in rebus immobilibus, & intra triennium in rebus mobilibus, d. l. pen. Quo etiam modo, iura prædiorum urbanorum non omnimodo pereunt non utendo; sed ita, si vicinus simul libertatem usus capiat: veluti si meis ædibus ædes tuæ tigni immischi servitutem debeant, & ego exereo tignum: ita demum amitto jus meum, si tu foramen, unde exemptum est tignum, obturaveris, & per constitutum tempus ita habueris. Alioquin si nihil feceris, integrum jus meum in suo statu permanet, l. 6. ff. de serv. pred. urb. Quartò, finitur ususfructus cessione, quam fructuarius fecerit in gratiam domini proprietatis. At verò si in gratiam extranei facta sit cessio, quantum ad jus ipsum ususfructus, nihil agitur; quia nihilo citius aut nihilo

tardiū ad proprietatem revertetur, l. 66. ff. de jure dot. ita ut non extinguitur per mortem illius cui celsus fuerit, sed per mortem illius dumtaxat qui cesserit, l. 8. §. ult. ff. de peric. & comm. rei vend. Dixi quantum ad jus ipsum; quia perceptionem fructuum & emolumentum omne transferri posse a fructuario in extraneum, indubitati juris est, d. l. 66. l. 67. b. t. & §. 1. infra sequ. tit. Quinto, amittitur ususfructus consolidatione, † quæ nihil aliud est quam proprietatis ad usumfructum adjectio; videlicet cum fructarius proprietatem rei acquisivit. Sexto denique, finitur ususfructus rei mutatione & interitu; quia ususfructus est jus in corpore, quo sublato & ipsum tolli necesse est, l. 2. ff. b. t. Sed si res cuius ususfructus constitutus est, v. g. navis per partes tota mutetur, quamvis nulla pars ex prioribus supersit; ususfructus tamen ejus rei non amittitur, l. 10. §. in navis, ff. quib. mod. ususfr. vel usus amitt. quia mutata esse non videntur, quæ per partes tantum mutata sunt, l. proponebatur, ff. de judic.

*Ad §. ult.*

**C**UM autem finitus fuerit totus ususfructus, revertitur scilicet ad proprietatem, & ex eo tempore nudæ proprietatis dominus incipit plenam in re habere potestatem.

**C**UM autem finitus fuerit ususfructus, tunc redit ad proprietatem, quæ eo modo fit plena, cum anteā diceretur nuda. Sed hoc fallit, quoties duobus ejusdem rei ususfructus legatus est: ex quibus, si unus moriatur, pars ususfructus quam habuit legatarius qui deceperit, non redit ad proprietatem, sed alteri superstiti fructuario accrescit, l. 1. & passim toto tit. ff. de usufr. accresc.



## T I T U L U S V.

### D E U S U E T H A B I T A T I O N E.

*Ad Princ.*

**I**S DEM illis modis, quibus ususfructus constituitur, etiam nudus usus constitui solet; iisdemque illis modis finitur, quibus & ususfructus desinit.

**U**sus † est jus rebus alienis utendi, non fruendi, salvâ rerum substantiâ. Dixi utendi, non fruendi; id est, ad vitæ necessitatem, non compendium aut voluptatem; quia usus nomen apud Latinos meram personæ necessitatem significat; ideoque hæc duo opus est & usus est, Latinè synonyma sunt. Unde apparet generaliter, quomodo ususfructus à nudo usu distinguatur. Sed ut id specialem innoscet, disquirit Imp. h. t. quid juris habeat ille qui usum habet vel

usumfructum fundi, ædium, servi; jumenti aut pecorum; prius tamen monet hæc duo jura secum invicem in eo convenire, quatenus iisdem modis constituantur; & iisdem modis finiuntur, quod ex superiore titulo satis intelligere est.

*Ad §. I.*

**M**INUS autem juris est in usu, quam in usufructu: nam is, qui fundi nudum habet usum, nihil ulterius habere intelligitur, quam ut oleribus, pomis, floribus, fœno, stramentis, & lignis ad usum quotidianum utatur: in eoque fundo hactenus ei morari licet, ut neque domino fundi molestus sit, neque iis, per quos opera rustica fiunt impedimento; nec ulli alii jus, quod habet, aut locare, aut vendere, aut gratis concedere potest: [ cum is qui usumfructum habet, possit hæc omnia facere. ]

QUI fundi usum haber, omnia quæ in fructu sunt, percipere non potest, sed tantum oleribus, pomis, fœno, stramentis, & lignis ad usum quotidianum necessariis uti potest; neque potest jus suum in alterum transferre; id est, fructuum quos percipere potest emolumenntum; ut in *l. si à reo, §. reo ff. de fidejussionibus*. Fructarius verò hæc omnia facere potest. Uno verbo potest defrui; id est, quemadmodum Festus interpretatur, omnem rei fructum percipere; quia ususfructus pars dominii est, *l. 4. ff. b. t.* & quasi novum quoddam dominium alieno dominio constitutum.

*Ad §. Item is qui.*

**I**TEM is qui ædium usum habet, hactenus jus habere intelligitur, ut ipse tantum inhabitet, nec hoc jus ad alium transferre potest: & vix receptum esse videtur, ut hospitem ei recipere liceat; & cum uxore, liberisque suis, item libertis, nec non personis aliis liberis, quibus non minus quam servis utitur, habitandi jus habeat. Et convenienter, si ad mulierem usus ædium pertineat, cum marito ei habitare liceat.

QUI ædium usum habet, strictè juris ratione solus potest inhabitare; quia usus meram personæ necessitatem respicit. Sed benignè receptum est, ut hospitem, id est amicum recipere possit, & uxorem quæ debet sequi domicilium mariti, tamquam verum domicilium matrimonii, *l. 5. ff. de ritu nupt.* nec non etiam liberos suos, qui sunt partes corporis parentum, *l. cùm scimus C. de agricoll. & censit. lib. xj.* Idem quoque dicendum est de servis, qui sunt animata dominorum suorum instrumenta, *Aristot. l. 1. Polit. cap. 3.* & de personis liberis, quibus non minus quam servis utimur, quales sunt clientes & operarii. Idem denique dicendum est de marito, si uxori usus ædium relatus sit; quia alioquin illi mulieri matrimonio carendum esset, *l. 4. §. mulieri, ff. b. t.* quæ conjugum separatio dura est, *l. 12. §. uxores, ff. de instruc. vel in instrum. leg.*

*Ad*

*Ad §. Item is ad quem.*

**I**T E M is , ad quem servi usus pertinet , ipse tantum operâ atque ministerio ejus uti potest : ad alium verò nullo modo jus suum transferre ei concessum est. Idem scilicet juris est & in jumento.

**I**s cui servi usus legatus est , minùs quoque juris habet , quām servi fructuarius ; quodd̄ clariūs apparebit , si tertium legati genus utriq̄ simile agnoverimus , videlicet operas servi legatas. Operæ servi legatae convenient cum usu & usufructu servi , & ab utroque etiam discrepant. Convenient cum usufructu servi legato ; quia legatarius operarum potest illas alteri locare sicut fructuarius servi , l. 2. ff. de usu & usuf. legato ; quæ facultas locandi denegatur ei , qui servi nudum usum habet ; quia operæ servi in fructu sunt. Convenient operæ servi legatae cum usu servi legato ; quia sunt individuæ sicut usus , l. 19. ff. b. t. id est , sicut servi ejusdem , usus duobus competere non potest ; ita etiam neque operæ inter duos dividi possunt , l. 1. §. si ususfr. ff. ad L. Falcid. ususfructus verò dividuus est ratione fructuum , d. §. si ususfructus , & l. 5. ff. de usufr. & quemadmodum quis utat. fruat. Differunt denique operæ servi legatae ab usu & usufructu servi legatis ; quia hujusmodi operæ neque capitis diminutione pereunt , neque morte legatarii , neque in usu , l. 2. ff. de oper. servor. & l. 2. ff. de usu & usuf. leg. Et ratio est , quia operæ servi legatae , magis in facto , quām in iure consistunt , & magis spectantur ex facto & persona servi qui illas debet , quām illius cui debentur : aliud jus obtinet in usu & usufructu , §. pen. supra de usufr.

*Ad §. Sed & si pecorum.*

**S**E D & si pecorum , vel ovium usus legatus sit ; neque lacte , neque agnis , neque lanâ utatur usuarius ; quia ea in fructu sunt. Planè ad stercorandum agrum suum pecoribus uti potest.

**Q**U I pecorum usum habet , illis uti potest ad stercorandum agrum suum , atque ita adhibito pecorum firmo fundum suum fertiliorem & pinguiorem efficere ; sed agnos & lanam & lac percipere non potest , quia in fructu sunt , §. in pecundum sup. de rerum divis. & l. in pecundum ff. de usur. Verum si agatur de usu legato , permittitur usuratio uti modico lacte ; quia pleniū interpretantur morientium voluntates , l. 12. ff. de reg. jur. & l. 12. §. sed si pecoris ff. b. t. Ususfructus verò quomodocumque constitutus , plenissimam continet omnia illa percipiendi facultatem , §. is verò , sup. de rer. divis. & l. 7. ff. de usufruc. Sanè si boüm aut armenti usus relinquatur , ad arandum & ad cæteros usus quibus boves apti sunt , usuarium uti posse non ambigitur , l. 12. §. sed si boüm , ff. b. t.

Ex superioribus appetet , usus vim ac potestatem , pro diversa rerum natura , diversam à prudentibus fuisse constitutam. Quoties enim res aliqua , usum habet distinctum à fructibus , sicut accidit in ædibus & servis & jumentis , abstinere debet usuarius ab his quæ in fructu sunt. Sin autem usus rei nullus fu-

turus sit, remotâ omni fructuum perceptione; tunc permittitur usuario fructus percipere, sed intra modum usûs, id est quatenus postulat necessitas usuarii. Ideoque fundi usum habenti permittitur sumere ex penu quod in annum dum taxat sufficiat, licet mediocris prædii eo modo fructus consumantur, l. 15. in pr. b. t. & sylvæ usu legato licet legatariis ligna cedere & vendere intra modum usûs, l. pen. in pr. ff. eod. quia alioquin nihil habituri essent ex hujusmodi legato.

## Ad §. pen.

**S**E d si cui habitatio legata, sive aliquo modo constituta sit, neque usus videtur, neque usufructus, sed quasi proprium aliquod jus, quamquam habitationem habentibus, propter rerum utilitatem, secundum Marcelli sententiam nostrâ decisione promulgata, permisimus non solum in ea degere, sed etiam aliis locare.

**HABITATIO** † est proprium aliquod jus in alienis ædibus habitandi; salvâ ædium substantiâ ab usu & usufructu distinctum. Dixi habitationem esse jus proprium & ab usu & usufr. distinctum; quia quæ diximus supra de operis servi legatis, eadem fere etiam de habitatione dicenda sunt; videlicet quod habitationis legatum conueniat in quibusdam cum usufructu ædium, & cum usu ædium legato, & in quibusdam etiam aliis ab utroque distinguatur. Convenit quidem habitatio cum usufructu ædium legato, quatenus alteri locari potest, ex constitutione Justiniani, l. 13. C. b. t. Cum usu vero convenit jure Pandectarum; quia usus & habitatio neque locari, neque donari alteri possunt; & quia easdem personas recipit qui habet habitationem, quas & usuarius recipere potest; ideoque merito Papinianus aiebat effectu idem penè esse legatum usûs & habitationis, l. 10. in pr. ff. b. t. Verum cum in jure novo quod veteris correctionem inducit, quidquid specialiter expressum non est sub veteribus juris regulis relictum intelligatur, l. præcipimus §. ult. C. de appellat. ideo dicendum est, etiam hodie eum cui competit habitatio, non posse suum jus alteri donare, licet novo jure expressum sit, ut possit jus illud alteri locare, d. l. 13. Convenit autem habitatio cum utroque jure, id est cum usu & usufructu, quatenus morte extinguitur, nec ad hæredem transit, d. l. 10. in pr.

Habitationem tamen ab usu & usufructu distinguimus, quia neque capitibus diminutione amittitur, neque in usu, d. l. 10. ff. b. t. & l. 10. ff. de cap. minut. Ratio diversitatis est, quia habitatio (sicut opera servi) magis in facto, quam in jure consistit, & magis spectatur ex ædibus, quæ personæ serviant, quam ex persona cui serviant. Ceterum ideo tantum dixi in operis servi legatis & in legato habitationis eadem fere jura servati; quia in eo maximè differunt, quod opera legata ad hæredem legatarii transeant, non autem habitatio, l. 2. ff. de usu & usufr. leg.

## Ad §. ult.

**H**Æc de servitutibus, & usufructu, & usu, & habitatione dissiſſe sufficiat. De hæreditatibus autem & obligationibus, suis locis proponemus. Exposuimus summam quibus modis jure gen-

tium res acquiruntur: modò videamus quibus modis legitimo & civili jure acquiruntur.

**S E Q U I T U R**, ut modos acquirendi dominii jure civili constitutos videamus. Hi sunt in duplice differentia; vel enim ex eo jure acquirimus sigillatim res singulas, vel multas simul per universitatem. Modi acquirendi sigillatim † sunt *oētō*, *mancipatio*, in jure *cessio*, *usucapio*, *donatio*, *jus accrescendi*, *legatum*, *fideicommissum*, & *adjudicatio*.

*Mancipatio* † erat solemnis alienatio, quā res mancipi, libripende & quinque civibus Romanis puberibus præsentibus solemniter distrahebantur. Hæc etiam *emancipatio* dicebatur, *Vlp. tit. 19. §. mancipatio*, & *§. 1. infra de testam. ordin.*

In jure *cessio* † erat illa alienatio, quā res omnes, mancipi & non mancipi, concedente domino & addicente *Prætore* acquirebantur extraneo vindicanti, *Vlp. d. tit. 19. §. in jure cessio*. Hi duo modi acquirendi dominii simul cum omnibus veterum solemnitatibus in desuetudinem abiérunt.



## T I T U L U S V I.

### DE USU CAPIONIBUS, ET LONGI temporis præscriptionibus.

*Ad Rubricam.*

**U**SUCAPPIO diēta fuit quasi per usum, id est possessionem, capio sive acquisitio. Capere siquidem † is tantū dicitur, qui acquisivit: accipere verò † dicitur etiam ille, qui alteri restituturus est quod accepit, *l. 71. & 140. ff. de verb. sign.* Est autem usucapio † adjectio dominii per continuationem possessionis temporis lege definiti, *l. 3. ff. b. t.* Hæc fuit inducta bono publico, ne rerum dominia in incerto essent, & ut aliquis litium finis esset, *l. 1. ff. eod.*

Possessionem intelligimus hoc loco civilem, † id est rei detentio-  
nem, quæ sit animo domini, & quam aliquis habet proprio nomi-  
ne non alieno; non verò naturalem, † quæ est nuda rei detentio alie-  
no nomine facta. Talem habent fructuarii, depositarii & coloni.  
Hæc non est vera possessio: & hujusmodi personæ, licet sint in pos-  
sessione, reverà tamen non possident, *l. 10. §. pen. ff. de acquir. pos-  
sess.* ideoque numquam usucapiunt. Interdum etiam possessionis no-  
men sumitur pro ipsa usucapione, sive præfata domini acquisitione:

Quo sensu eleganter dixit Papinianus, Possessio sine possessione non procedit, l. denique 19. ff. ex quib. cau. major 25. ann. in int. restit.

Præscriptio secundum vim vocabuli, t̄ nihil est aliud quām exceptio sive actionis exclusio. Quo sensu in jure frequenter accipitur: atque ita debet intelligi rubrica ff. de diversis temporalibus præscriptionibus. Præscriptio igitur longi temporis ex vi vocabuli, t̄ nihil est aliud quām exceptio, quā possessor verum dominum tardius vindicantem excludit propter longi temporis possessionem, eoque juris remedio retinet rem alienam. Per possessionem igitur decem aut viginti annorum possessor non fit dominus rei alienæ, sed solummodo jus habet exceptionis, quā potest veri domini vindicationem excludere, & rem alienam retinere. Similiter quoque fur, licet nullā umquam ullius temporis possessione, rei furtivæ dominus fiat; dominum tamen post triginta annorum lapsum, exceptione repellit, l. i. s. i. vers. nemo itaque, C. de annal. except.

Longum tempus in jure variè accipitur: hoc vero loco denotat tantum decem annos inter præsentes, & viginti inter absentes: ita ut si is contra quem præscriptione utimur, quibusdam annis sit præsens, & quibusdam absens; adjiciantur ei supra decennium tot anni, quot eo absente effluxerunt, auth. quod si quis, C. de præsc. long. temp.

Verū usu invaluit, ut præscriptio & longi temporis præscriptio t̄ specialiter significant impropriam illam acquisitionem, seu potius facultatem retinendi res alienas, quæ oritur ex illa præscriptione seu exceptione opposita adversus verum dominum post longum tempus vindicantem, l. qui alienam 54. in pr. ff. de evict. l. i. ff. b. t. l. 13. s. i. ff. de jurejur. & s. pen. infra per quas pers. cuiq. acquir. Similiter quoque longi temporis possessio pro eodem genere acquisitionis sæpe accipitur, s. item vobis, infra eod. tit.

In illam longi temporis præscriptionem, sive longi temporis possessionem Justinianus transformavit rerum immobilium usucationem; quatenus constituit, ut in rebus immobilibus prædicto longo tempore perficeretur usucapio ubique terrarum. In rebus autem mobilibus voluit triennio perfici usucationem, l. un. C. de usucap. transform. Unde effectum est, ut quamvis usucapio tam rebus immobilibus quām mobilibus conveniat; quoties tamen in aliquo juris textu usucapio longi temporis præscriptioni adjungitur, atque opponitur usucapio ad res mobiles: longi verò temporis præcriptio, sive (quod idem est) longi temporis possessio ad res im-

mobiles referatur, s. pen. h. n. t. d. s. item vobis, & s. pen. infra per quas pers. cuiq. acquir. Usucatio itaque propria est rerum mobilium, quia sola illis convenit; non autem solis: longi vero temporis præscriptio propria est rerum immobilium, non quod sola, sed quod solidis illis conveniat.

Ex quibus sequitur, rubricam nostram ita esse intelligendam, quasi esset inscripta de *usucaptionibus rerum mobilium & immobilium*; & parum interesse discriminis, utrum in ea legamus, *longi temporis præscriptionibus*, ut vulgo legitur, vel *possessionibus* cum Theophilo & Cujacio; cum utriusque locutionis eadem sit vis ac potestas hoc loco.

*Ad Princ.*

**J**URÆ civili constitutum fuerat, ut qui bona fide ab eo, qui dominus non erat, cum crederet eum dominum esse, rem emerit, vel ex donatione, aliave quavis justâ causâ acceperit; si eam rem si mobilis erat, anno ubique uno; si immobilis, biennio tantum in Italico solo usucaperet; ne rerum dominia in incerto essent. Et cum hoc placitum erat, putantibus antiquioribus, dominis sufficere ad inquireendas res suas præfata tempora; nobis melior sententia resedit, ne domini maturius suis rebus defraudentur, neque certo loco beneficium hoc concludatur: & ideo constitutionem super hoc promulgavimus, quâ cautum est, ut res quidem mobiles, per triennium; immobiles vero per longi temporis possessionem ( id est, inter præsentes decennio, inter absentes viginti annis ) usucapiantur, & his modis non solum in Italia, sed etiam in omni terra, quæ nostro imperio gubernatur; dominia rerum, justâ causâ possessionis præcedente, acquirantur.

**A**d usucaptionem complendam quinque debent conditiones concurrere, videlicet ut sit bona fides in persona possidentis, vel saltem ut bona fides fuerit in persona ejus auctoris; ut tempus possessionibus legitimam sit; ut res de cajus usucapione agitur, vitium non habeat; ut titulus possidendi sit justus seu perpetuus, & ut possessio continua fuerit & minimè interrupta. Interdum etiam sexta conditio requiritur, scilicet rei traditio, quorum omnium regulas sigillatim proponemus hoc tit. tum deinde singulare privilegium venditionum fiscalium subjungemus. Sed interim non erit inutile omnes illas conditiones usucaptionis, paucis versibus expressas memorâ retinere.

*Non uscapiet, nisi sint tibi talia quinque,*

*Pura fides, tempus legis, res non vitiosa,*

*Perpetuus titulus, possessio continua.*

*Traditio interdum debet jungi omnibus istis.*

Bona fides, (quam puram fidem metri causâ appellavimus) † est hoc loco sincera & illæ conscientia, sive opinio justæ possessionis. Hanc habent non solum illi qui à non domino rem aliquam accipiunt, quem falsò existimant dominum esse, sed etiam qui rem alienam possident auctore Prætore, quamvis sciant esse alienam; quia justè possidet qui Prætore auctore possidet, *i. justè, ff. de acquir. posse*. Circa bonam fidem duæ hoc loco statuendæ sunt regulæ. Prima est, quod sine bona fide usucatio non procedat, *ut constat ex hoc loco, & l. un. C. de usucap. transform.* Altera regula est, quod in usucaptionibus sufficit jure civili bona fides ab initio usucaptionis, id est tempore traditionis, *l. 2. in pr. ff. pro empt. & l. 48. §. in contrarium, ff. de acquir. rer. domin.* Dixi *jure civili*; quia Jure Canonico mala fides quocumque tempore superveniens impedit usucaptionem & præscriptionem, *cap. vigilanti, ext. de prescript.*

Tempus legitimum sive lege definitum, † erat olim annus unus in rebus mobilibus, & biennium in rebus immobilibus; juxta hæc verba legis 12. tab. *Fun-di usus auctoritas biennium esto, caterarum rerum usus annus esto.* Quod tempus à Justiniano mutatum est, *l. un. de usucap. transform.* sicut supra dictum est. Eaque constitutione aliud insuper caput juris veteris abrogatum est, quo res immobiles in Italico dumtaxat solo usucapi poterant, non vero in Provinciis; quia prædiorum provincialium dominium erat penes Principem vel Populum Romanum, nec penes possessores privatos esse poterat. Sed hodie sublatâ omni differentiâ rerum mancipi & non mancipi, in omnibus rebus immobilibus quocumque loco constitutis, usucatio locum habet, *d. l. un.*

*Ad §. I.*

**S**E aliquando etiamsi maximè quis bonâ fide rem possederit, non tamen illi usucatio ullo tempore procedit: veluti si quis liberum hominem, vel rem sacram, vel religiosam, vel servum fugitivum possideat.

**VITIOSA** res dicitur, quoties aliquod in se vitium habet, impediens ne bona fidei possessore usucapiatur: idque multis modis accidit, nimirum quoties agitur de libero homine usucapiendo; vel de re sacra, religiosa, aut sancta; vel etiam de servo fugitivo, aut de rebus aliis furtivis, aut vi possessis, aut ad fiscum pertinentibus; vel denique de aliis rebus quæ privilegio speciali circa usucaptionem & præscriptionem muniuntur, ut suo infra loco indicabimus.

Et *1.* quidem, liberum hominem, rem sacram, religiosam aut sanctam usucapi non posse manifestum est; quia usucatio est dominii acquisitionis: illæ autem res in dominium nostrum cadere non possunt, *s. nullius sup. de rerum divis.*

De servo autem fugitivo hæc videtur ratio reddi posse; quia res furtivæ usucapi non possunt, *ut constat ex §. sequ.* Servus autem furtivus sui furtum facere domino intelligitur, *l. ancilla 60. ff. de furt.* Dixi *intelligitur*, quæ vox est noti impropriæ locutionis; quia revera servus fugitivus sui furtum non facit: furtum enim non fit nisi intervertatur possesso. Servus autem noster cum non sibi sed nobis acquirat possessionem, non potest ullam possessionem

nobis intervertere, ne suam quidem, l. 15. ff. de acqu. possess. Placuit tamen ut servus fugitivus pro furtivo in usucaptionibus habeatur: ne servorum fuga dominis suis quacumque ex causa damnoſa eſſet, l. 1. C. de serv. fugit.

*Ad §. Furtive.*

**F**URTIVÆ quoque res, & quæ vi possessæ sunt, nec si prædicto longo tempore bona fide possessæ fuerint, usucapi possunt. Nam furtivarum rerum Lex duodecim tabularum & Lex Attilia inhibent usucaptionem; vi possessorum, Lex Julia & Plautia.

RES furtivæ & vi possessæ propter expressam Legum prohibitionem non possunt usucapi ab ullo bona fidei possessore, priusquam vitium hujusmodi purgatum sit; quia ubi Lex inhibet usucaptionem, bona fides possidenti nihil prodest, l. ubi Lex 24. in pr. ff. b. t. Ratio hujus prohibitionis fuisse videtur; quia coercenda sunt furta, rapinæ, & violentæ rerum alienarum invasiones; ut dum fures & similes personæ difficilius emptorem inveniunt, facilius ab his delictis abstineant.

*Ad §. Quod autem dictum eſt.*

**Q**UOD autem dictum eſt, furtivarum & vi possessorum rerum usucaptionem per leges prohibitam eſſe; non eo pertinet, ut ne ipſe fur, quive per vim possidet, usucapere possit (nam his aliâ ratione usucatio non competit, quia scilicet malâ fide possident) sed ne ullus alius, quamvis ab eis bona fide emerit, vel ex alia cauſa accepert, usucapiendi jus habeat. Unde in rebus mobilibus non facile procedit, ut bona fidei possessoribus usucatio competit. Nam qui [sciens] alienam rem vendiderit, vel ex alia cauſa tradiderit, furtum ejus committit.

DIXI, ab ullo bona fidei possessore; quia fures & qui per vim possident, communi ratione prohibentur usucapere, eo quod bonam fidem non habeant; neque in eorum persona ad specialem legis prohibitionem & extraordinariam rationem debemus confugere, cum sufficiat ordinaria. Solis igitur bona fidei possessoribus convenit, ut propter rei vitium res furtivas aut vi possessas usucapere prohibeantur. Ex hoc autem juris principio fit, ut rerum mobilium difficulter plerumque sit usucatio, immobilium vero maximè facilis; cum enim solæ res mobiles in furti vitium cadant, frequens esse illud impedimentum necesse est bona fidei possessoribus, ne res mobiles usucapiant; quia in illis frequens est hoc furti vitium. Nam qui sciens rem alienam mobilem vendiderit, vel ex alia cauſa tradiderit, furtum ejus committit; ac proinde eam furtivam facit: ita ut à nullo deinceps possessore usucapi possit. Dixi mobilem; quia in rebus immobilibus cessat hæc regula, s. quod autem, infra eod,

*Ad §. Sed tamen.*

**S**E d tamen id aliquando aliter se habet. Nam si hæres rem defuncto commodatam , aut locatam , vel apud eum depositam , existimans hæreditariam esse , bonâ fide accipienti vendiderit , aut donaverit , aut dotis nomine dederit ; quin is , qui acceperit , usucapere possit , dubium non est ; quippe cùm ea res in furti vitium non ceciderit : cùm utique hæres , qui bonâ fide tamquam suam alienaverit , furtum non committat.

**D**IFFICILIS est , ut dixi , rerum mobilium usucatio , non tamen est impossibilis ; quia multis modis & casibus accidere potest , ut quis rem alienam mobilem sine vitio furti in aliud transferat , atque ita efficiat ut usucapi possit. Primus casus est , cùm hæres rem defuncto commodatam , aut locatam , aut depositam , aut etiam pignori datam , credens hæreditariam esse , alteri vendidit vel donavit : dubium enim esse non debet , quin ea res ab omni furti vitio immunis sit ; cùm furtum sine affectu furandi non committatur , l. 37. ff. b. t. Ipse quoque hæres eam rem si pro hærede possideat , tempore legibus definito , potest usucapere , l. pen. ff. pro hærede. Nec placet eorum sententia , qui denegant hæredi in eo casu usucapiendi facultatem , eâ ratione commoti , quod hæres succedit in vitia defuncti , & ut dicitur in l. vitia , C. de acquir. & retin. poss. vitia possessionum à majoribus contracta perdurant , & successorem auctoris sui culpa comitatur. Verum si huic sententiæ adhæreamus , delendus erit ex libris Pandectarum titulus integer pro hærede , quod est absurdissimum. Præterea non video quomodo vitiosa sit defuncti possessio , quæ nulla fuit , l. quod meo , ff. de acqu. poss. aut quomodo in vitium aliquod incidit defunctus , qui nullum habuit animum delinquendi. Tertiò denique , præfata lex vitia pertinet ad rem vi possessam , ut constat ex l. 2. C. Si per vim vel alio modo abs. per turb. sit possessio juncta , l. 5. C. Theod. unde vi , que in duas partes ac leges divisa est in C. Justin. Quo casu non negamus , vitia possessionis à defuncto inchoata hæredi nocere eo quod exordium ei , bonæ fidei ratio non tueatur , l. 11. ff. de divers. tempor. prescrip.

*Ad §. Item si is.*

**I**TAM si is , ad quem ancillæ ususfructus pertinet , partum suum esse credens vendiderit , aut donaverit , furtum non committit. Furtum enim sine affectu furandi non committitur.

**S**ECUNDUS casus est , si fructuarius partum ancillæ suum esse existimans juris errore lapsus , alteri bonâ fide accipienti vendiderit. Tunc enim partus ille ab emptore usucapi potest , quia furtivus non est , l. 36. §. 1. & l. 37. ff. cod. qualiscumque enim existimatio excusat à dolo , l. 1. §. ult. ff. de abig. Fructuarius tamen ipse partum ancillæ usucapere non potest , quia juris error possessori in usucapione non prodest , l. numquam in pr. ff. b. t. Atque ita fit , ut qui

qui usucapere non potest, causam tamen & occasionem usucapiendi in alterum transferat.

*Ad §. Aliis.*

**A**LIS quoque modis accidere potest, ut quis sine vitio furti, rem alienam ad aliquem transferat, & efficiat ut à posseſſo-  
te usucapiatur.

**D**UOBUS his casibus alii duo non adſimiles adjici poſſunt. Prior est, ſi rem aliquam mihi testamento legatam acceperim, quæ mihi posterioribus codicillis adempta fit, cum ego illos codicillos fulle conditos ignorarem. Posterior casus eſt, ſi credens me hæredem eſſe cum non ſim, rem aliquam hæreditariam vendiderim. His & similibus casibus venditio rei mobilis alienæ procedit sine vitio furti; quia furtum ſine affectu furandi non committitur, l. 37. in pr. ff. b. t. atque ita rei mobilis non impeditur usucatio.

*Ad §. Quod autem ad eas res.*

**Q**UOD autem ad eas res quæ ſolo continentur expedit, ius ita procedit: ut ſi quis loci vacantis poſſeſſionem propter abſentiam, aut negligentiam domini, aut quia ſide ſuccellore deceſſerit, ſine vi nanciſcatur; quamvis ipfe malâ fide poſſideat; (quia intelligit ſe alienum fundum occupaſſe) tamen ſi alii bonâ fide accipienti tradiderit, poterit ei longâ poſſeſſione res acquiri; quia neque furtivum, neque vi poſſeſſum acceperit. Abolita eſt enim quorundam veterum ſententia, existimantium etiam fundi, locive fur-  
tum fieri. Et eorum utilitati, qui res ſoli poſſident, principalibus conſtitutionibus proſpicitur, ne cui longa & indubitate poſſeſſio debeat auferri.

**R**ERUM immobiliū usucaptionem duæ cauſæ faciliorem efficiunt, quām rerum mobilium. Prior eſt, quia in res mobiles prædictum utrumque vitium cadere poſteſt. Res verò immobiles poſſunt quidem vi poſſideri, non tamen poſſunt eſſe furtivæ: furtum enim eſt contrectatio rei alienæ, l. 1. §. ult. ff. de furt. at verò contrectare eſt loco moovere, l. 3. §. ult. ſi rem, ff. de acquir. poſſeff. Merito igitur rejecta eſt ſententia Sabini & aliorum, existimantium furtum fundi fieri poſſe, ſicut teſtis eſt Gellius lib. xj. cap. ult. Posterior ratio eſt, quia illis qui res ſoli poſſident, principalibus conſtitutionibus proſpectum fuit, ne cuiquam longa & indubitate poſſeſſio auferarū ſit ut ait Imp. hoc loco: ideoque olim cum in fundis provincialibus ceſſaret usucatio, principalibus conſtitutionibus ſe queri poterant, qui fundos illos longo tempore poſſediffent. Hodie verò & usucatio & longi temporis poſſeſſio illis prodeſt, d. l. un. C. de usucap. transform. Facilitas aurem usucaptionis in rebus ſoli facile convincitur in ſpecie hujus §. quæ eſt hujusmodi.

Titius fundum Mævii vel partem ejus vacante propter absentiam vel negligentiam domini , aut quia jacebat ejus hæreditas , sine vi occupaverat , & Sempronio bonâ fide accipienti ex justa causa trādiderat : an posset Sempronius eum fundum vel locum usucapere , quæsitum est ? Aditus Just. ex Caio in libris Institutionum & rerum quotidianarum , ut docet l. 37. in fine & l. 38. ff. b. t. junctâ inscriptione , respondit , posse . Dubium movet , quod res furtivæ non possint usucapi , ut supra dictum est : cùm verò ille qui sciens rem alienam vendit , furtum ejus committat , s. quod autem sup. hoc tit. videbatur inferendum , eum fundum de quo agitur furtivum esse , ac proinde usucapi non posse . Ratio deciden- di pendet ex eo quod concurrant in hac hypothesi omnes conditiones ad usu- capionem requisitæ : ideoque mirum esse non debet si fundus ille usucapiatur . Ne- que obstat præfata juris regula , quæ in rebus dumtaxat mobilibus locum habet : neque enim rerum immobilium furtum fieri potest , sicut superius probatum est .

*Ad s. Aliquando.*

**A**Liquando etiam furtiva , vel vi possessa res usucapi po- test : veluti si in domini potestatem reversa fuerit . Tunc enim vitio rei purgato , procedit ejus usucapio .

REI tamen furtivæ aut vi possessa usucapio non debet in perpetuum & omnimodo desperari . Nam si vitium rei purgatum fuerit , hujusmodi res usu- capi poterunt . Vitium autem purgari † dicitur , si in potestatem , id est in posses- sionem domini sui revertantur , ex quo tempore fit , ut jam usucapi posse inci- piant , l. 4. s. quod autem , & l. 24. s. 1. ff. b. t.

*Ad s. Res fisci.*

**R**E s fisci nostri usucapi non potest . Sed Papinianus scripsit , bonis vacantibus fisco nondum nunciatis , bonæ fidei empo- rem traditam sibi rem ex his bonis usucapere posse : & ita Divus Pius , & Divi Severus & Antoninus rescripserunt .

RE s fisci usucapi non potest , ex speciali fisci privilegio , l. 24. ff. b. t. nihilominus tamen bona vacantia , si fisco nondum fuerint nunciata , possunt usucapi à bonæ fidei possessore , l. 18. ff. eod. quia fiscalia bona fisci esse non videntur , priusquam in patrimonium fisci versa & incorporata fuerint , ut rectè monet Theophilus . Dixi à bonæ fidei possessore , id est ab eo cui nescienti tradiderit hujusmodi bonorum occupator . At verò qui hæc bona vacantia , vel tota , vel pro parte , occupaverit , nihil potest ex his usucapere , quia non habet bonam fidem sine qua usucapio non procedit . Verum si bonæ fidei possessor quatuor annis possederit , quadriennii præscriptione tueri se poterit adversus fiscum , l. 1. C. de quadrienn. præscr. & l. 1. s. 2. ff. de jure fisc. Bona vacantia † dicuntur hoc loco bona eorum quibus post mortem nullus omnino successor existit , ( les biens va- cans par desherance . ) Hæc ad Principem pertinent , l. 1. C. de bonis vacan- lib. x. vel quia Princeps communis est totius populi pater , vel jure quodam

*De usucaptionibus & longi temporis præscriptionibus.* 147  
acerescendi : ita ut deficiente eo qui dominium rerum habebat privatum , ad Principem qui dominium habet publicum , omnis potestas dominii devolvatur.

*Ad §. Novissimè.*

**N**OVISSIMÈ sciendum est , rerum talēm esse debere , ut in se non habeat vitium , ut à bonæ fidei emptore usucapi possit , vel qui ex alia justa causa possidet.

**E**x his quæ supra dicta sunt colligitur hæc regula generalis , usucaptionem non procedere , nisi res de cuius usucapione agitur , ab omni vitio immunis sit quod usucaptionem impedit. Quæ juris regula ad casus alios similes porrigenda est , qui in hoc tit. non continetur , v. g. ad bona adventitia filiifamilias , l. 1. §. 1. C. de ann. except. ad res quæ lege vel testamento alienari prohibentur , l. 2. ff. pro emptore ; ad res pupillorum , l. 3. Cod. quib. non obſt. long. temp. præscrip. & ad res minorum , l. ult. C. in quib. cau. in int. restitutio necessaria non est ; quia ubi lex inhibet usucaptionem , bona fides accipienti non prodest , l. 24. ff. b. t.

*Ad §. Error autem.*

**E**ROR autem falsæ causæ usucaptionem non parit ; veluti si quis cùm non emerit , emisse se existimans , possideat ; vel cùm ei donatum non fuerit , quasi ex donatione possideat.

**P**ERPETUUS sive justus titulus bona fidei possessori necessarius est , ad hoc ut possit rem alienam usucapere , l. nullo C. de rei vind. Justus autem titulus sive iusta causa † appellatur , quæ est jure sufficiens ad transferendum dominium. Atque ideo titulum justum à perpetuo non distinguimus , cujusmodi est donatio , emptio & dotis datio. Ex diverso , causæ temporales possessionis , ( v. g. commodatum , depositum & pignus ) non sunt justi tituli ; quia temporis tantum causâ res pignori tradimus , deponimus , aut commodamus. Uno verbo ea tantum causa quæ jure sufficiens est ad transferendum dominium , cùm rei traditio fit à vero domino ; ea , inquam , sola jure necessaria est ad acquirendam usucapendi conditionem , si res tradatur à non domino. Is autem titulus debet esse verus , non erroneus : alioquin enim non procedit usucatio , l. Celsus , ff. b. t. Verum illa exceptio huic regulæ addenda est : nisi forte tam iusta causa erroris fuerit , ut constantissimes quisque decipi posset , l. quod vulgo , ff. pro emptore . v. g. si servus vel procurator , cui exequendam rem aliquis mandasset , ei persuaserit se emisse , atque ita rem tradiderit.

*Ad §. Diutina.*

**D**IUTINA possessio , quæ prodesse cœperat defuncto , & hæredi , & bonorum possessori continuatur , licet ipse sciat prædiūm alienum esse. Quod si ille initium justum non habuit , hæredi

& bonorum possessori , licet ignorant , possesso non prodest. Quod nostra constitutio similiter & in usucaptionibus observari constituit , ut tempora continuentur.

**C O N T I N U A T A** denique & minimè interrupta debet esse possesso per tempus lege definitum , ad hoc ut procedat usucatio , ut constat ex ejus definitione. Atque ideo si per vim , si per litis contestationem , aut alio quovis modo interrumptur possesso , usucatio non procedit , *l. sicut , & l. cum notissimi , C. de prescrip. trig. ann. & l. 3. b. t.* ita ut de novo sit inchoanda possesso temporis lege definiti , à tempore interruptionis. Non tamen credendum est , per mortem possessoris , aut per rei possessa venditionem , usucaptionem interrupi. Namque inter defunctum & hæredem tempora continuantur , eo quod hæredis & defuncti eadem persona esse creditur , *l. hæres , ff. de acquir. hæred.* Unde fit insuper , ut hæredis mala fides superveniens , diutinam possessionem seu usucaptionem rerum immobilium non impedit ; si modò defunctus ab initio possessionis bonam fidem habuerit : quemadmodum ei qui solus incipit & compleat usucaptionem , sufficit bonam fidem ab initio possessionis habuisse , *l. 48. §. in contrarium , ff. de acquir. rer. domin.* Quod jus porrectum est à Justiniano ad usucapiones , id est ad usucapiones rerum mobilium , *l. nn. C. de usucap. transform.* in quibus ante illam constitutionem , furtum fieri credebatur , si hæres vel quilibet aliis mala fide eas detineret , *l. ult. unde vi.* Ex quo farto oriebatur rei vitium , usucaptionem impediens.

Illud singulariter observandum videtur in hac continuatione possessionis ; quod licet vacuo illo tempore , quo post mortem defuncti non aditur aut non apprehenditur hæreditas , vacet revera & interrumptur possesso ; quia hæreditas jacens non possidet , ideoque ei furtum non fit , *l. 1. §. Scevola , ff. si is qui testamento liber esse jussus est :* ea liquidem est furti natura ut non fiat sine interversione possessionis ; jure tamen singulari receptum est & constitutum , ut usucatio excepta à defuncto , non solum eo tempore continuetur , sed etiam procedat & compleatur , *l. captam 40. ff. b. t. & l. 6. §. ult. ff. pro empt.*

*Ad §. pen.*

**I**NTER venditorem quoque & emptorem conjungi tempora Di-  
vi Severus & Antoninus rescripserunt.

**I**NTER venditorem quoque & emptorem tempora continuantur. Sed tamen emptori bona fides vendoris non prodest , nisi ipse quoque bonam fidem habuerit tempore traditionis , *l. 2. §. si cum rem , ff. pro emptore.* Neque obstat exemplum hæreditis in superiori §. ubi mala fides hæreditis usucaptionem non impedit , si defunctus habuerit ab initio bonam fidem. Ratio diversitatis est , quia defuncti & hæreditis eadem persona esse creditur , non autem eadem esse persona creditur vendoris & emptoris. Neque enim ejusdem juris sunt universales & singulares successores.

Præter quinque supradictas conditiones quæ in usucacione requiruntur , observanda est sexta quæ interdum exigitur , nimis traditio , *l. 7. §. ut igitur ,*

& §. ult. ff. de public. in rem act. Quemadmodum autem nuda traditio à vero domino facta sine justo titulo dominium numquam transfert, *i. numquam in pr. ff. de acquir. rer. domin.* ita quoque cum traditio fit à non domino, numquam transfert usucapiendi conditionem, nisi fiat ex justo titulo, *d. §. ult.* Dixi traditionem interdum exigi; quia in quibus casibus dominium sine traditione acquiritur, traditio non est necessaria ad usucationem, ut fit in legato, *i. 8. ff. pro legato, juxta l. legatum 80. de leg. 2.*

*Ad §. ult.*

**E**DICTO Divi Marci cavetur, eum qui à fisco rem alienam emit, si post venditionem quinquennium præterierit, posse dominum rei exceptione repellere. Constitutio autem divæ memorie Zenonis bene prospexit iis, qui à fisco per venditionem, aut donationem, vel alium titulum accipiunt aliquid, ut ipsi quidem securi statim fiant; & victores existant, sive experiantur, sive conveniantur. Adversus autem sacratissimum ærarium usque ad quadriennium liceat eis intendere, qui pro domino, vel hypotheca earum rerum, quæ alienatae sunt, putaverint sibi quasdam competere actiones. Nostra autem divina constitutio, quam nuper promulgavimus, etiam de iis qui à nostra, vel venerabilis Augustæ domo aliquid acceperint, hæc statuit, quæ in fiscalibus alienationibus præfatae Zenonianæ constitutionis continentur.

POST traditas generales regulas usucationum, superest advertendum singulare fisci privilegium editio D. Marci introductum, ut qui à fisco rem aliquam emit, licet furtivam aut vi possessam, possit verum dominum post quinquennium vindicarem exceptione repellere, *i. ult. C. si advers. fisum.* Quod fisco tributum videtur, ut facilius emptores invenirent in subhastrationibus. Verum Imp. Zeno illis qui à fisco aliquid acquisierint, statim dedit exceptionem contra dominum aut alios actores; & actionem insuper adversus quemlibet possessorem: ita tamen ut contra fisum intra quadriennium hujusmodi personis actio competat. Quod jus ad bona quæ sunt in patrimonio Cæsaris vel Augustæ à Justiniano prorogatum est, *i. bene à Zenone, C. de quadr. prescript.*



## T I T U L U S V I I .

### D E D O N A T I O N I B U S .

*Ad Princ.*

**E**S & aliud genus acquisitionis donatio. Donationum autem duo sunt genera, mortis causâ, & non mortis causâ.

**DONATIO** † definiti potest mera liberalitas quæ nullo jure cogente in accipientem confertur. Dixi *nullo jure cogente*, id est neque civili neque naturali; atque ideo donatio antidotalis sive remuneratoria non est propriè donatio, sed merces potius præstiti beneficij appellanda, *l. pater*, §. 1. ff. b. t. Jure siquidem naturali obligamur, ut beneficium aliquod conferenti parem gratiam referamus; & revera *avtidaea* sive remunerations dare, est velut quoddam genus permutationis, *l. sed & si*, §. *consulit*, & §. *planè*, ff. *de hered. petit*. Dixi præterea *in accipientem*; quia, ut ait *M. Tull. in Top. & Boët. ibidem*, neque deditio, neque donatio sine acceptione intelligi potest, ideoque eleganter † Donatus ad illud Terentii, *in Andria Act. 5. scena 4.*

*Chr. dos, Pamphile, est*

*Decem talenta. Pamph. accipio.*

Ille ( inquit ) nisi dixisset *accipio*, dos non esset: datio enim ab acceptione confirmatur; nec potest videri datum id, quod non sit acceptum. Est autem † duplex donatio, videlicet mortis causâ, & non mortis causâ, seu inter vivos.

*Ad §. 1.*

**M**ORTIS causâ donatio est, quæ propter mortis fit suspicio nem: cùm quis ita donat, ut si quid humanitùs ei contigisset, haberet is, qui accepit: si autem supervixisset is qui donavit, recipere; vel si eum donationis pœnituisse; aut prior decesserit, cui donatum sit. Hæ mortis causâ donationes ad exemplum legatorum redactæ sunt per omnia: nam cùm prudentibus ambiguum fuerat, utrum donationis, an legati instar eam obtinere oporteret, & utriusque causæ quædam habebant insignia, & alii ad aliud genus eam retrahebant; à nobis constitutum est, ut per omnia ferè legis connumeretur, & sic procedat, quemadmodum nostra constitutio eam formavit. Et in summa, mortis causâ donatio est, cùm magis se quis velit habere, quam eum cui donat; magisque eum, cui donat, quam hæredem suum; sic & apud Homerum Telemachus donat Piræo, Odyss. 17. circa principium, quod sic interpretatur.

*Piræe incertus quoniam rerum exitus harum est,*  
*Si tacita ineautum stolidi me fortè necare*  
*Morte proci poterunt, & opes vexare paternas;*  
*Hac ego te malo, quam illorum quempiam habere:*  
*Sin ego eos justè meritos affecero clade,*  
*Tum mihi tu lato reddes illa omnia latus.*

**DONATIO** mortis causâ † est illa quæ propter mortis suspicionem fit. Hæc non est ita propriè donatio sicut donatio inter vivos, in qua donator ma-

gis cum cui donat vult habere rem donatam quam se ipsum. Contrà verò in donatione causâ mortis donator se cogitat & amore vita recepisse potius quam donasse videtur, *l. Senatus 35. §. sed mortis, ff. de mort. cau. donat.* Hæc donatio tribus modis revocatur: Primò, si convaluerit donator, & ex præsentis mortis periculo sospes evaserit; quia tunc cessat causa propter quam donatum est. Aliud igitur dicendum esset, si donatio hujusmodi facta esset propter generalem contemplationem mortis, quæ ex humana sorte omnibus imminet, *d. l. Senatus, §. mortis causâ;* quia hæc causa cessare numquam potest, cùm statutum sit omnibus hominibus semel mori. Revocatur secundò hæc donatio, si donatorem peccauerit suæ donationis; quia in ultimis voluntatibus ambulatoria est hominis voluntas usque ad extrellum vitæ spiritum, *l. 4. ff. de adim. leg.* Revocatur denique donatio causâ mortis, si prior deceperit is cui donatum est, *l. 23. ff. de mort. cau. donat.* In quo & aliis multis convenit cum legato donatio causâ mortis. Sed ab eo in hoc maximè discrepat, quod legatum absenti & ignorantí fieri potest: donari autem absenti minimè potest, *l. absenti, ff. hoc. tit.* Unde apparet quam justè dicat Imp. *hoc loco*, donationem causâ mortis per omnia ferè legatis connumerari.

## Ad §. Alia.

**A**LIA autem donationes sunt, quæ sine ulla mortis cogitatione fiunt, quas inter vivos appellamus, quæ non omnino comparantur legatis: quæ si fuerint perfectæ, temerè revocari non possunt. Perficiuntur autem, cùm donator suam voluntatem scriptis, aut sine scriptis manifestaverit. Et ad exemplum venditionis, nostra constitutio eas etiam in se habere necessitatem traditionis voluit; ut etiam si non tradantur, habeant plenissimum & perfectum robur, & traditionis necessitas incumbat donatori. Et cùm retrò principium dispositiones insinuari eas actis intervenientibus volebant, si maiores fuerant ducentorum solidorum; constitutio nostra eam quantitatem usque ad quingentos solidos ampliavit, quam stare etiam sine insinuatione statuit: sed & quasdam donationes invenit, quæ penitus insinuationem fieri minimè desiderant, sed in se plenissimam habent firmitatem. Alia insuper multa ad uberiorem exitum donationum invenimus: quæ omnia ex nostris constitutionibus, quas super his exposuimus, colligenda sunt. Sciendum est tamen, quod etsi plenissimæ sint donationes; si tamen ingrati existant homines, in quos beneficium collatum est, donatoribus per nostram constitutionem licentiam præstimus certis ex causis eas revocare: ne illi, qui suas res in alios contulerint, ab his quamdam patiantur injuriam, vel jacturam, secundum numeratos in constitutione nostra modos.

**DONATIO** inter vivos † est illa quæ sine ulla mortis contemplatione fit. In qua perficienda fuit olim necessaria mancipatio aut traditio, interdum etiam

& scriptura, l. 1. 4. 5. & 7. Cod. Th. b. t. & l. 3. 4. & 9. C. de Just. de cont. & vend. Sed hodie ex constitutione Justiniani, nudā conventione perficitur: ita ut non minus donatori quām venditori, post nudum illud pactum, necessitas traditionis incumbat, l. 35. s. pen. C. b. t. quia quod semel placuit, amplius displicere non potest, cap. quod semel de reg. jur. in 6. & hæc ratio innuitur in d. s. pen. Quod tamen ita intelligendum videtur, dummodò conventio fiat per verba prælentis temporis, *Dono & accipio*; non vero si donator dumtaxat dixerit, *donabo, vel promitto me donaturum*. Hæc enim non est donatio, sed mera tantum spes & promissio futuræ donationis; quemadmodum venditio nondum est, cum quis promisit dumtaxat alicui, se aliquid ei venditurum. Requiritur tamen in donatione insinuatio, id est coram magistratu competente declaratio, & in actis ejus publicis transcriptio. Quod ideo provisum est, ne clandestinis ac domesticis fraudibus facilè quidvis pro negotii opportunitate configatur, l. 27. C. b. t. id est, ne creditores fraudibus donationum circumveniantur. Unde fluxisse videtur usus ac stylus in Augustissimo Senatu Tolosano receperissimus; ut deficientibus vel non agentibus creditoribus, donatio properter defectum insinuationis non infirmetur.

Donatio autem inter vivos semel perfecta, temerè revocari non potest, l. 5. C. de revoc. donat. Dico temerè; quia si erga donatorem, donationis acceptor ingratus extiterit, revocari potest donatio; ne sit cuiquam licentia & alienas res capere, & frugalitatem irridere donatoris: ipsum autem donatorem suas res perdere & summis malis affici ab ingratu donationis acceptore, l. ult. C. eod. Sed si donator de illa ingratitudine conquestus in iudicio non fuerit, fas non est hæredi donationes illas inquietare, quas donator in diem vitæ suæ non retraxit, l. 1. C. cod. quia actiones quæ vindictam persequuntur, ad hæredes non transeunt, l. 7. C. eod.

*Ad s. pen.*

**E**S r & aliud genus inter vivos donationis, quod veteribus quidem prudentibus penitus erat incognitum, postea autem à junioribus Divis Principibus introductum est, quod ante nuptias vocabatur; & tacitam in se conditionem habebat, ut tunc ratum esset, cum matrimonium esset insecutum. Ideoque ante nuptias appellabatur, quod ante matrimonium efficiebatur, & numquam post nuptias celebratas talis donatio procedebat. Sed primus quidem Divus Justinus pater noster, cum augeri dores, & post nuptias fuerat permisum; si quid tale eveniret, & ante nuptias augeri donationem, & constante matrimonio, suā constitutione permisit. Sed tamen nomen inconveniens remanebat, cum ante nuptias quidem vocabatur, post nuptias autem tale accipiebat incrementum. Sed nos plenissimo fini tradere sanctiones cupientes, & consequentia nomina rebus esse studentes, constitutus, ut tales donationes non augeantur tantum, sed etiam constante matrimonio initium accipiunt;

piant ; & non ante nuptias , sed propter nuptias vocentur ; & dotibus in hoc exæquentur , ut quemadmodum dotes constante matrimonio non solùm augmentur , sed etiam fiunt : ita & istæ donationes , quæ propter nuptias introductæ sunt , non solùm antecedant matrimonium , sed eo etiam contracto augeantur , & constituentur.

HACTENUS actum est de donationibus inter vivos simplicibus ; sequitur ut eas exponamus , quæ fiunt ob causam , quales sunt quæ fiunt ob causam matrimonii quatuor præcipue , videlicet donatio ante nuptias sive propter nuptias , donatio favore matrimonii , donatio in favorem superstitis , & sponsalitiae munera . Sed prius sciendum est , donationes simplices inter virum & uxorem , Romanorum moribus fuisse prohibitas ; ne mutuo invicem amore spoliarentur ; neve melior conjugatorum pauperior fieret , deterior verò locepletior , l. 1. 2. & 3. ff. de don. int. vir. & ux.

Donatio ante nuptias quæ etiam vocatur sponsalitia largitas , l. 4. C. de sec. nup. † est illa quæ dotis compensandæ causâ a sposo in sponsam , vel à marito in uxorem confertur . Dixi 1. dotis compensandæ causâ ; ideoque hæc bona vocantur antipherna . Dixi 2. à sposo in sponsam ; quia licet donatio simplex inter vivos non valeat sponsæ cù lege facta , ut tunc demum incipiat valere , cùm nuptiae fuerint securæ , l. 4. C. eod. tit. quia paria sunt in jure hæc duo , quod aliquid fiat tempore illicito , & quod ejus effectus conferatur in tempus illicitum , d. l. 4. Dubium tamen non est , quin donatio de qua hic agitur a sposo in sponsam , sub ea tacita conditione fieri possit . Dixi 3. vel à marito in uxorem ; quia Justinus Imp. permisit ut donatio ante nuptias non solùm posset augeri constante matrimonio , sed etiam initium accipere , exemplo dotis , l. pen. C. eod. olim verò propter superiùs dictas rationes hæc donatio post contractum matrimonium fieri non potuit . Unde sequitur , mancam esse Theophili definitionem , dum ait donationem ante nuptias esse illam , quam sponsus in sponsam confert . Neque enim convenit illa restrictio præfatae Justiniani constitutio- ni . Verum Justinianus Imp. ejus filius adoptivus , ne nomen minimè conve- niens remaneret , constituit ut in posterum hæc donatio propter nuptias , non verò ante nuptias diceretur , l. ult. C. eod . Sic etiam non raro de solis nomini- bus latæ sunt leges , l. un. C. Theod. de Irenarchis , l. 2. C. de frumento Alexand. lib. xij. & can. 14. Synodi Chartag.

Donatio favore matrimonii † est illa quæ alteri conjugum fit à patre vel ex- traneo , conjugii non conjugis nomine , Cujac. lib. 5. observ. cap. 4.

Donatio in favorem superstitis , vulgo ( donation de survie ) † est illa quæ conjux conjugi superstiti aliiquid donat post mortem suam præstandum , Guid. Pape qu. 565.

Sponsalitia denique munera † sunt illa , quæ sponsus in sponsam , vel versa vi- ce , sponsa in sponsum confert ante contractum matrimonium . Hæc etiam sponsalia vocantur , ut docet rubrica Cod. si Rector Prov. vel ad eum pertin. spon- salia dederint.

His lucris quatuor nuptialibus , alia tria addere possumus non inutilia . Et 11 quidem hypobolum † sive incrementum quod mortuo marito , doti uxoris su- perstitis adjicitur , ut docet Harmenop. lib. 4. tit. 10. quod augmentum pro-

varia locorum consuetudine varium est, hoc etiam dotalitium & doarium appellatur. Videndus Cujacius lib. 5. obs. cap. 4. ubi docet, donationem propter nuptias superius traditam, esse penitus ex usu sublatam. Sequens lucrum nuptiale est Theoretrum; sive *ἀνακαταπτάσιον*, † quod maritus uxori quæ virgo nupfit, dat manè diei nuptiarum pro virginitate deposita, *Harmen. d. tit. 10.* & *vetus Scholia festes Juvenalis ad hos versus Satyre 6.*

*Nec illud*

*Quod primâ pro nocte datur: cum lance beatâ.*

*Dacicus, & scripto radiat Germanicus auro.*

Hujusmodi matrimonium dicitur fieri ad Morganaticam. Tertium denique lucrum est donatio, quam vir ignobilis confert in uxorem nobilem, vel senior in juvenem. Quæ donatio etiam valet constante matrimonio, ex Ferrerio *ad qu. Guid. Papæ 363.* quia hæc donatio cum splendore conjugii vel juvenutis compensatur.

*Ad §. ult.*

**E**RAT olim & aliis modis civilis acquisitionis, per jus accrescendi, quod est tale: Si communem servum habens aliquis cum Titio, solus libertatem ei imposuerit, vel vindictâ, vel testamento; eo casu pars ejus amittebatur, & socio accrescebat. Sed cùm pessimum fuerat exemplo, & libertate servum defraudari, & ex ea humanioribus quidem dominis damnum inferri, særioribus autem dominis lucrum accedere; hoc quasi invidiâ plenum, pro remedio, per nostram constitutionem mederi necessarium duximus. Et invenimus viam, per quam & manumissor, & socius ejus, & qui libertatem accepit, nostro beneficio fruantur libertate cum effectu procedente (cujus favore antiquos Legum latores multa etiam contra communes regulas statuisse manifestum est) & eo, qui eam libertatem imposuit, suæ liberalitatis stabilitate gaudente; & socio indemni conservato, pretiumque servi, secundum partem dominii, quod nos definivimus, accipiente.

**D**O N A T I O N I affinis olim fuerat alia civilis acquisitionis per jus accrescendi; quippe quæ ex causa lucrative & ex liberalitate procedebat, tunc competens cùm unus dominus servi communis, per manumissionem ejus ab altero domino factam, dominium ejus in solidum acquirebat. Sed constitutione Justiniani id jus sublatum est, effectumque, ut servus ad libertatem perveniat, solutâ suâ pretii parte alteri domino, qui manumissioni noluerit consentire: idque in favorem libertatis constitutum est, cuius gratiâ veteres Legum latores multa contra communes juris regulas constituerunt. Ut autem nulla esset controversia circa pretium servi, Justinianus eadem constitutione pretia servorum secundum varia ipsorum genera definitivit ac limitavit, *l. ult. C. de comuni serv. manum.*

# T I T U L U S V I I I .

*Q U I B U S A L I E N A R E L I C E T , V E L N O N .*

*Ad Princ.*

**A**CCIDIT aliquando, ut qui dominus sit, alienare non possit; & contrà, qui dominus non sit, alienandæ rei potestatem habeat. Nam dotale prædium maritus invitâ muliere per Legem Julianam prohibetur alienare, quamvis ipsius sit, dotis causâ ei datum. Quod nos, Legem Julianam corrigentes, in meliorem statum deduximus. Cùm enim Lex in solis tantummodo rebus locum habebat, quæ Italicae fuerant; & alienationes inhibebat, quæ invitâ muliere siebant; hypothecas autem earum rerum, etiam volente eâ; utriusque remedium imposuimus, ut etiam in eas res, quæ in provinciali solo positæ sunt, interdicta sit alienatio, vel obligatio; ut neutrum eorum, neque consentientibus mulieribus procedat, ne sexus mulieris fragilitas in perniciem substantiæ earum convertatur.

**E X P O S I T I S** modis acquirendi dominii & causis ejus, sequitur ut præcipuum dominii effectum, qui est alienatio, videamus. Est autem alienatio † dominii in aliud translatio; coque nomine continetur omnis actus per quem dominium transfertur, *l. 1. C. de fundo dot.* Circa illum dominii effectum, duæ sunt regulæ advertandæ. Prima est, dominum rei suæ alienandæ potestatem habere, quia unusquisque in re propria intelligitur legitimus moderator & arbitrus, *l. 21. C. mand.* unde argumento à contrario ducto sequitur altera regula: neminem posse rem alienare; quia nemo plus juris in aliud transferre potest, quam ipse habeat, *l. 54. ff. de reg. jur.* Nihilominus tamen utriusque hujus regulæ duæ exceptions, & quasi paradoxa traduntur *hoc tit.*

Primum paradoxum est, ut verus dominus interdum rei suæ alienandæ potestatem non habeat. Alterum paradoxum est, ut qui dominus non est, interdum rei alienandæ potestatem habeat. Utrumque paradoxum declarat Imp. tribus exemplis propositis, quorum primum paradoxo primo, secundum secundo, tertium verò utriusque convenit.

Primi paradoxi exemplum statuitur in persona mariti, qui licet fundi dotalis dominus sit, *§. per traditionem supra de rer. divis.* & *l. 9. C. de rei vind.* fundum tamen dotalē alienare non potest ex Lege Julia, nisi uxor consentiat; neque eum obligare, quamvis consensus uxoris accedat, *l. un. §.* & cùm lex *C. de rei ux. alt.* Ejus diversitatis ratio fuit, quia Lex præsumpsit mulierum avarissimum genus difficultius consensurum rerum suarum alienationi quam oblationi. Verum ex constitutione Justiniani fundum dotalē maritus alienare

non potest, quamvis uxor consentiat, ne alioquin sexus muliebris fragilitas in perniciem substantiae mulierum convertatur, *d. s. & cum lex.* Fundi dotalis nomine † intelligitur omne immobile quod maritus in dotem accepit. Dos † est ea pecunia quæ ab uxore vel uxoris nomine datur marito pro oneribus matrimonii sustinendis, *l. pro oneribus, C. de jur. dot.* Bona igitur uxoris parapherna, id est extra dotalia, hac prohibitione non continentur. Cæterum, huic bonorum distinctioni locus non est, quoties mulier bona sua omnia præsentia & futura marito in dotem dedit, quod nullâ lege prohibetur, *l. 4. C. eod.* quia omnia eo casu dotalia sunt.

Hic adnotandum videtur, maritum esse dominum fundi dotalis, quamvis cause temporales non sufficient ad transferendum dominium, sed perpetuae dumtaxat; quia dotis causa perpetua est: eo enim animo dos datur marito, ut perpetuè apud maritum sit, *l. 1. de jur. dot.* Quamvis igitur certum sit, maritum soluto matrimonio teneri restituere uxori vel ejus hereditibus dotem quam accepit, non tamen causa dotis temporalis est: quia non inspicitur exitus sed initium contractus & votum contrahentium: quo sensu nuptiæ dicuntur individuam vitæ consuetudinem continere, *s. 1. sup. de pair. potest.*

*Ad s. 1.*

**C**ONTRA autem, creditor pignus ex pactione, quamvis ejus ea res non sit, alienare potest. Sed hoc forsitan ideo videtur fieri, quod voluntate debitoris intelligitur pignus alienari, quia ab initio contractus pactus est, ut liceret creditori dignus vendere, si pecunia non solvatur. Sed ne creditores jus suum persequi impedirentur, neque debitores temere suarum rerum dominium amittere viserentur; nostrâ constitutione consultum est, & certus modus impositus est, per quem pignorum distractio possit procedere: cuius tenore utriusque parti creditorum & debitorum, satis abunde prouisum est.

**S E C U N D I** paradoxi exemplum deponit ex persona creditoris, qui licet pignoris dominus non sit, ejus tamen alienandi potestatem habet. Olim quidem creditor erat dominus pignoris, ideoque poterat illud sine dubio alienare; quia olim pignus mancipabatur sive vendebatur creditori contractâ fiduciâ, id est eâ lege, ut si debitor pecuniam creditam restitueret creditori intra certum tempus, pignus datum ei remaniciparetur; si minùs, in dominio creditoris maneret, *ut constat ex Paulo lib. 2. sent. tit. 13.* Hodie vero hæc fiducia cessat in pignoribus; & pignus non datur amplius creditori, sed tantum traditur, & in bonis debitoris permanet, *l. 9. C. de pign. act.* Creditor tamen potest hodie alienare pignus propter pactum vulgare, *l. 3. C. eod.* per quod pactum plerumque permittit ei debitor ut pignus alienet, si intra certum tempus pecuniam non solverit: ideoque videtur à vero domino fieri alienatio; quia per alium facit, perinde est ac si faciat per se ipsum, *cap. qui facit, de reg. Juris in 6.* Et ut ait Imp. nihil interest utrum ipse dominus tra-

dat alicui rem suam, aut voluntate ejus alius, §. nihil autem supra de rer. divis. At si de vendendo pignore nihil convenerit, potest tamen post trinam creditoris denuntiationem debitori factam procedere alienatio pignoris, quâ de re videnda est l. ult. C. de jur. dom. impetr.

*Ad §. ult.*

**N**UNC admonendi sumus, neque pupillum, neque pupillam, ullam rem sine tutoris auctoritate alienare posse. Ideoque si mutuam pecuniam sine tutoris auctoritate alicui dediderit, non contrahit obligationem; quia pecuniam non facit accipientis, ideoque vindicari nummi possunt sicubi extant. Sed si nummi, quos mutuo minor dederit, ab eo, qui accepit, bonâ fide consumpti sunt, condici possunt; si malâ fide, ad exhibendum de his agi potest. At ex contrario, omnes res pupillo & pupillæ sine tutoris auctoritate recte dari possunt. Ideoque si debitor pupillo solvat, necessaria est debitori tutoris auctoritas: alioqui non liberabitur. Sed hoc etiam evidentissimâ ratione statutum est in constitutione, quam ad Cœsarienses advocatos ex suggestione Triboniani viri eminentissimi, Quæstoris sacri Palatii nostri, promulgavimus: quâ dispositum est, ita licere, tutori vel curatori debitorem pupillarem solvere, ut prius judicialis sententia sine emni damno celebrata, hoc permittat. Quo subsecuto, si & Judex pronunciaverit, & debitor solverit, sequatur hujusmodi solutionem plenissima securitas. Sin autem aliter quam dispositum, solutio facta fuerit, pecuniam autem salvam habeat pupillus, aut ex ea locupletior sit, & adhuc eamdem pecuniæ summam petat; per exceptionem doli mali poterit submoveri. Quod si male consumperit, aut furto, [aut vi] amiserit; nihil proderit debitori doli mali exceptio, sed nihilominus condemnabitur; quia temere sine tutoris auctoritate, non secundum nostram dispositionem solverit. Sed ex diverso, pupilli vel pupillæ solvere sine tutoris auctoritate non possunt; quia id, quod solvunt non sit accipientis: cùm scilicet nullius rei alienatio eis sine tutoris auctoritate concessa sit.

**TERTIUM** exemplum paradoxo utrique commune; consistit in rebus pupillaribus. Pupillus enim qui earum dominus est, eas alienare non potest sine tutoris auctoritate; quod jus propter lubricam ejus ætatis infirmitatem introductum est. Tutor vero qui dominus non est, res tamen pupilli saltem mobiles potest alienare, l. ult. Cod. quando decreto opus non est: & alienationem insuper à pupillo factam confirmare, quæ alioquin infirmaretur; quia nimis tutor pro domino habetur, l. interdum, §. qui tutelam. ff. defurt. & l. 7. §. si tu-

*tor, ff. pro emptore.* Dixi saltem res mobiles ; quia prædia minorum rustica vel suburbana sine decreto Magistratū alienari non possunt, ex S. C. factō ad orationem Divorum Severi & Antonini, l. 1. ff. de rebus eorū qui sub iur. vel cura sunt, & l. 1. 8. & 9. C. eod. tit. Quod jus Imp. Constantinus produxit ad prædia urbana, l. 22. C. de admin. tutor. Ex quibus ita suppositis triplex deduci potest consequentia. Prima est, pupillum non posse mutuos nummos dare siue tutoris auctoritate ; quia mutuum dare est alienare, l. 2. ff. de reb. cred. Pupillus itaque qui sine tutoris auctoritate mutuos nummos dedit, potest illos vindicare, si extent ; quia domino culibet datur rei suæ vindicatio, l. in rem, ff. de rei vind.

Sin autem nummi consumpti sunt, pupillus eos vindicare non potest ; quia res extintæ vindicari non possunt, s. si tamen supra de rer. divis. Sed si malā fide consumpti, id est ab eo qui non ignorabat eum esse pupillum, dabitur pupillo actio ad exhibendum. Hæc enim actio non tantum datur contra possessorem, sed etiam contra eum qui dolo malo desit possidere ; quia dolus malus pro possessione est, l. 110. & l. 174. ff. de reg. jur. Nec tamen credendum est, dari hanc actionem ad hoc ut exhibantur illi nummi ; hoc enim fieri non potest, cum consumpti sint ex hypothesi ; sed ad hoc tantum, ut præstetur actori quantum in item juraverit, Judice quantitatē taxante, l. 3. s. præterea, & l. 9. in fine ff. ad exhib. Jurate in item † nihil est aliud, quam juramento præstito declarare quanti suā interest aliquid factum non fuisse ; v. g. nummos exhibitos non fuisse in nostra hypothesi : hæc enim est natura actionis ad exhibendum, quam fusiūs alio loco investigabimus.

At si numimi bonā fide consumpti sunt, dabitur pupillo condicō, id est actio personalis ex mutuo descendens, quamvis reverā mutuum nullum fuerit ; quia quod facit numerato in illis casibus in quibus transfertur dominium, idem facit bonā fide consumptio, l. 14. ff. de rebus cred. & hoc est quod vulgo dicunt Interpretēs, *consumptione bonā fide factā conciliari mutuum.* Hæc est condicō, quam Cujacius appellat de benē depensis, *Tract. 8. ad Afric.*

Sequitur secundò ex eo quod pupillus nihil possit alienare, debitorem pupillo solventem sine tutoris auctoritate non liberari. Nihilominus tamen cum pupillus ex pecunia sibi soluta locupletior factus est, & eamdem iterum summam petit, securus fit debitor oppositā exceptione doli mali. Sed si debitor velit pupillo solvere cum maxima securitate, debet curare ut solutionem præcedat judicialis sententia sine omni damno celebrata, id est sine sportulis (sans épices) l. 25. C. de admin. tut.

Sequitur denique ex eodem juris principio, pupillum creditorī suo frustra solvere sine tutoris auctoritate ; quia pupillus nummos non potest alienare. Sed si illi nummi bonā fide consumpti sint à creditore, pupillus liberatur & cessat condicō, sive repetitio illorum nummorum, l. 19. s. si pupillus, ff. de rebus creditis.



# T I T U L U S   I X.

## P E R   Q U A S   P E R S O N A S   C V I Q U E   A C Q U I R I T U R .

*Ad Princ.*

**A**CQUIRITUR vobis non solum per vosmetipos, sed etiam per eos, quos in potestate habetis: [ item per servos in quibus usumfructum habetis: ] item per homines liberos, & per servos alienos quos bonâ fide possidetis, de quibus singulis diligenter dispiciamus.

**Q**UIA parum est jus nosse, si personæ quarum causâ jus constitutum est ignorentur; ideo post exposita acquisitionum jura, enarrat Imp. personas per quas dominium acquiritur: id autem fit non solum per filiosfamilias aut servos, quos in potestate habemus; sed etiam per servos quorum habemus usumfructum & per servos alienos, aut liberos homines quos bonâ fide possidemus. Per extraneam verò personam nihil ferè acquiri potest.

*Ad §. I.*

**I**GITUR liberi vestri utriusque sexûs, quos in potestate habetis, olim quidem, quidquid ad eos pervenerat ( exceptis videlicet castris peculiis ) hoc parentibus suis acquirebant sineulla distinctione; & hoc ita parentum siebat, ut etiam esset eis licentia, quod per unum, vel unam eorum acquisitum esset, alii filio vel extraneo donare, vel vendere, vel quocumque modo voluerant applicare. Quod nobis inhumanum visum est: & generali constitutione emissâ, & liberis pepercimus, & patribus honorem debitum reservavimus. Sanctum etenim à nobis est, ut si quid ex re patris ei obveniat, hoc secundum antiquam observationem totum parenti acquiratur. Quæ enim invidia est, quod ex patris occasione profectum est, hoc ad eum revertit: Quod autem ex alia causa sibi filiusfamilias acquisivit, hujus usumfructum patri quidem acquirat, dominium autem apud eum remaneat; ne quod ei suis laboribus, vel prosperâ fortuna accesserit, hoc in aliud perveniens, iuctuorum ei procedat.

P E R liberos nostros in potestate nostra constitutos & dominium & posses-

sionem ita acquirimus jure patriæ potestatis , ut neque dominium neque possessio rei acquisitæ penes eos liberos , momento aliquo consistere intelligatur ; *l. placet, ff. de acquir. hered. Sciendum tamen est, & filiisfamilias & servis permitti sapissime , ut peculium habeant. Peculium † dicitur illud patrimonium , quod filiusfamilias vel servus permisso patris vel domini separatum habet à rationibus paternis vel dominicis , deducto inde , si quid patri vel domino debetur , l. depositi §. ult. ff. de pecul. Sicut autem in servorum conditione nulla est differentia , in liberis autem multæ , l. ult. supra de jur. person. ita quoque omnia servorum peculia unius generis sunt : liberorum autem hominum , id est filiorumfamilias , peculii species tres constituit Imp. † castrense , paganum , & quod medietatem inter utrumque obtinet , quasi-castrense , l. ult. cod. de inoff. test. Paganum verò † subdividitur in profectitium , & adventitium. Ab hac divisione parùm differt † vulgaris divisio quadripartita , in castrense , quasi-castrense , profectitium , & adventitium. Peculium castrense † est quod filiusfamilias occasione armatæ militiæ acquisivit , & quod alias non acquisivisset nisi militasset , l. 12. ff. de castr. pecul. Quasi-castrense peculium † est quod filiusfamilias in militia sacra , togata aut palatina acquisivit. Sacram dico militiam † clericorum qui militant in Palatio Christi ; togatam , † eorum qui liberales artes profitentur & maximè advocatorum. Neque enim militare solos dicimus illos , qui gladiis , clypeis & thoracibus nituntur , sed etiam advocatos. Militant namque causarum patrōni , qui gloriose vocis confisi munimine , laborantium spem , vitam & posteros defendunt , l. 14. cod. de adv. div. judicior. Palatinam denique militiam appello eorum qui in Palatio Principis aliquod exercit officium ; quia alieni non sunt à pulvere castrorum , qui signa Imperatoris comitantur , qui præsto sunt semper actibus , quos intentos & eruditos studiis , itinerum prolixitas & expeditionum difficultas exercet , l. un. cod. de castr. omn. palat. pec. lib. 12. Peculium paganum † est , quod citra omnem causam militiæ à filiofamilias detinetur ; ita dictum quod Pagani † sint omnes illi qui non militant : unde Ethnici seu Gentiles dicti sunt etiam Pagani ; quia sub vexillis Christi non militant. Peculium profectitium ( quod prima est peculii pagani species ) † est illud quod à patre profectum est , seu quod ex re patris filio obvenit , v. g. ex bonis maternis vel materni generis , vel ex industria non militari , vel denique ex prospera fortuna ipsius filiofamilias .*

Quibus ita præmissis , sciendum est olim florente Republicâ Romanâ , liberos parentibus suis omnia indistinctè acquisivisse , jure patriæ potestatis , tamquam servos eorum , ut testatur Dyonis. Halycarnassæus lib. 8. sed postea sub Imperatoribus excepta primo fuisse castrensis peculia , deinde quasi-castrensis ; in quibus filiofamilias pro patresfamilias habetur , l. 2. de S. C. Maced. Peculium autem paganum olim quidem , id est tempore Juris-Consultorum quorum habemus Leges in Pandectis , totum parenti pleno jure acquirebatur. Sed constitutione Constantini & aliorum qui post ipsum imperarunt , & maximè Justiniani effectum est , ut in peculio adventio solus usufructus patri acquireretur , domino apud filium remanente ; ne quod filiofamilias vel laboribus suis , vel prospera fortunæ accesserit , hoc in aliud perveniens , luctuosum ei procedat , l. 6. cod. de bon. qui liberis. Quod tunc maximè accideret , si alteri filio donaretur : hoc enim gravius multis esse videtur , d. l. 6. in pr. Peculium verò profectitium totum ad patrem pertinet pleno jure , sicut antiquitus ; quia non est invidendum

dum patri, cui, tot peculia filiorum adempta sunt, ad eum redire quod ab ipso profectum est, tum etiam quia prospiciendum fuit, ne hac injecta formidine, parentum erga liberos munificentia retardetur, l. 2. cod. cod.

*Ad §. Hoc quoque.*

**H**Oc quoque à nobis dispositum est & in ea specie, ubi parentes emancipando liberos suos, ex rebus, quæ acquisitionem effugiebant, sibi tertiam partem retinere, ( si voluerat ) licentiam ex anterioribus constitutionibus habebat, quasi pro pretio quodammodo emancipationis; & inhumanum quiddam accidebat, ut filius rerum suarum ex hac emancipatione dominio pro parte [tertia] defraudaretur; & quod honoris ei ex emancipatione additum erat, quod sui juris effectus esset, hoc per rerum diminutionem decresceret. Ideoque statuimus, ut parentes pro tercia dominii, quam retinere poterat, dimidiam non dominii rerum, sed ususfructus retineat. Ita etenim res intactæ apud filium remanebunt, & pater ampliore summa fruetur, pro tercia dimidia potitus.

POTERAT etiam pater ex constitutione Constantini Imperatoris, emancipando filium, tertiam partem bonorum adventitiorum retinere, quasi pro pretio quodammodo emancipationis, & beneficii bonorum querendorum. Sed Justinianus pro tercia parte proprietatis, dimidiā ususfructus patri concessit ipso jure. Cujus emendationis ratio est, ne alioquin honor filii emancipatione auctus, rerum diminutione decresceret, l. 6. §. cum autem, C. de bonis que liberis. Dixi ipso jure; quia id procedit etiam si pater hoc præmium sibi expresse non reservaverit, d. §. cum autem; quamvis alias peculium profectum specialiter non reservatum à patre, filium emancipatum tacite sequatur, tamquam à patre tacite donatum, l. 3. §. pater, ff. de donat. Et licet peculium servo inter vivos minime non ademptum, tacite concessum à domino videatur, l. un. C. de peculio ejus qui liber. meruit. Hodie tamen vix est ut hoc jus obtineat; quia solet pater emancipando filium, liberam bonorum suorum administrationem ei remittere.

*Ad §. Item vobis.*

**I**T E M vobis acquiritur, quod servi vestri ex traditione nanciscuntur, sive quid stipulentur, sive ex donatione, vel ex legato, vel ex qualibet alia causa acquirant: hoc enim vobis ignorantibus & invitis obvenit. Ipse enim servus, qui in potestate alterius est, nihil suum habere potest. Sed si haeres institutus sit, non alias nisi vestro jussu, hereditatem adire potest. Et si vobis jubentibus adierit, vobis hereditas acquiritur, perinde ac si vos ipsi haeredes instituti essetis: & convenienter scilicet vobis legatum per eos ac-

quiritur. Non solum autem proprietas per eos, quos in potestate habetis, vobis acquiritur, sed etiam possessio. Cujuscumque enim rei possessionem adepti fuerint, id vos possidere videmini. Unde etiam per eos usucatio, vel longi temporis possessio vobis accidit.

PER servos proprios acquirunt domini, etiam ignorantes & inviti ex omni causa, quasi per animata quædam instrumenta, ut vocat Aristoteles lib. 3. polit. Legatum itaque sibi relictum servus domino acquirit, etiam ignorantis. Aliud tamen dicendum est de hæreditate, quam servus acquirere non potest, nisi ius fæsus domini præcesserit. Ratio diversitatis est, quia legatum acquisitum numquam damno esse potest; hæreditas vero interdum damnosa est, l. 32. ff. mandati. At vero receptum est, ut servi possint contrahendo, domini ignorantis conditionem meliorem efficere; deteriorem non utique.

*Ad §. De iis autem.*

**D**E iis autem servis, in quibus tantummodo usumfructum habetis, ita placuit; ut quidquid ex re vestra, vel ex operis suis acquirant, id vobis adjiciatur: quod vero extra eas causas consequenti sunt, id ad dominum proprietatis pertineat. Itaque si his servus haeres institutus sit, legatumve quid ei, aut donatum fuerit, non usufructuari, sed domino proprietatis acquiritur. Idem placet & de eo, qui à vobis bona fide possidetur; sive is liber sit, sive alienus servus. Quod enim placuit de usufructuario, idem placet & de bona fidei possessore. Itaque quod extra istas duas causas acquiritur, id vel ad ipsum pertinet, si liber est; vel ad dominum, si servus est. Sed bona fidei possessor eum usuciperit servum, (quia eo modo dominus fit) ex omnibus causis per eum sibi acquirere potest. Fructuarius vero usucapere non potest: primum, quia non possidet, sed habet ius utendi, fruendi; deinde, quia scit servum alienum esse. Non solum autem proprietas per eos servos, in quibus usumfructum habetis, vel quos bona fide possidetis, aut per liberam personam, quæ bona fide vobis servit, vobis acquiritur; sed etiam possessio. Loquimur autem in utriusque persona secundum distinctionem, quam proxime exposuimus; id est, si quam possessionem ex re vestra, vel suis operis adepti fuerint.

PER servos quorum usumfructum habemus, & per liberos etiam homines, aut servos alienos quos bona fide possidemus, duabus dumtaxat ex causis nobis acquiritur, si quid ex re nostra vel ex operis suis acquirant; quia aequum est, ut quod ex re nostra acquiritur, nostrum fiat; & quia fructuariis & bona fidei possessoribus debentur ea quæ sunt in fructu, scilicet si quis à non domino, & seq. su-

*pra de rer. divis. l. 7. ff. de usfr. & l. 48. ff. de acquir. rer. domin.* Nec dubium est, quin opera sunt in fructu, *l. 3. & 4. ff. de oper. servor.* Unde inferre possumus, per eum servum in quo nudum usum habemus acquirere nos posse, si quid ex re nostra acquisierit, non si ex operis suis, *l. 12. §. ult. l. 14. ff. de usfr. & habit.* quia ea quae in fructu sunt usuarius non percipit, *§. sed pecorum sup. eod.*

Ad §. pen.

**E**X his itaque apparet, per liberos homines, quos neque vestro juri subjectos habetis, neque bona fide possidetis; item per alienos servos, in quibus neque usumfructum habetis, neque possessionem justam; nulla ex causa vobis acquiri posse. Et hoc est, quod dicitur, per extraneam personam nihil acquiri posse; excepto eo, quod per liberam personam (veluti per procuratorem) placet non solum scientibus, sed & ignorantibus vobis acquiri possessionem, secundum Divi Severi constitutionem: & per hanc possessionem etiam dominium, si dominus fuerit, qui tradidit, vel usucacionem, aut longi temporis præscriptionem, si dominus non sit.

**P**ER extraneam personam, hoc est quae nullo iure nostrarum subjecta est, nihil acquirimus; nihilominus tamen receptum est, ut per procuratorem nostrum possessio nobis acquiratur, *l. 1. C. de acquir. possff.* & per eam possessionem dominium, si dominus sit qui tradidit; vel usucatio, si dominus non fuerit.

Ad §. ult.

**H**ACTENUS tantisper admonuisse sufficiat, quemadmodum singulæ res vobis acquirantur. Nam legatorum jus, quo & ipso singulæ res vobis acquiruntur; item fideicommisorum, ubi singulæ res vobis relinquuntur, opportunius inferiore loco referemus. Videamus itaque nunc, quibus modis per universitatem res vobis acquirantur. Si cui ergo hæredes facti sitis, sive cuius bonorum possessionem petieritis, vel si quem adrogaveritis, vel si cuius bona libertatum conservandarum causâ, vobis addicta fuerint; ejus res omnes ad vos transfeunt. Ac prius de hæreditatibus dispiciamus, quatum duplex conditio est: nam vel ex testamento, vel ab intestato ad vos pertinent. Et prius est, ut de his dispiciamus, quae ex testamento vobis obveniunt: qua in re necessarium est, initium de ordinandis testamentis exponere.

**E**XPOSITIS modis acquirendi sigillatim dominii jure civili constitutis, superest, ut eos quibus per universitatem rerum dominia consequimur, videa-

mus. Hi sunt sex, hæreditas, bonorum possesio, acquisitio per adrogationem; additio bonorum libertatum conservandarum causâ, successio per solemnis venditiones, & ex S. C. Claudio.

Hæreditas † est successio in universum jus quod defunctus habuit tempore mortis, *i. hæritas, ff. de reg. jur.* Hæc nobis defertur, vel ex testamento, vel ab intestato.



## T I T U L U S X.

### DE TESTAMENTIS ORDINANDIS.

*Ad Princ.*

**T**ESTAMENTUM ex eo appellatur, quod testatio mentis sit.

TESTAMENTUM ex eo dictum est, quod testatio mentis sit, id est declaratio voluntatis coram testibus facta: non tamen credendum est, quod hæc vox sit composita, ita ut pars ultima à voce mentis derivetur; quia eodem modo dicitur testamentum, sicut ornamentum, vestimentum, paludamentum, & similia. At perabsurdum esset dicere, quod hæc ita sint dicta, quasi sint ornatus & vestitus mentis. Est autem testamentum † voluntatis nostræ justa sententia, de eo quod quis post mortem suam fieri velit, *i. 1. ff. h. t.* Dicitur primò, voluntatis; quia voluntas defuncti in testamento totum facit, *i. 35. §. rerum, de hæred. inst.* Nihil enim est quod magis hominibus debeatur, quam ut supreme hominum voluntatis, post quam jam aliud velle non possunt, liber sit stylus, & licetum quod iterum non redit arbitrium, *i. 1. C. de sacros. Eccl.* Dicitur secundò, nostra; quia testamenta non possunt ex alieno pendere arbitrio, *i. 32. ff. de hæred. inst.* Dicitur tertio, sententia; id est certa declaratio ac pronunciatio voluntatis; quia paterfamilias dum testatur, jus dicit quodammodo circa res suas, ex concessione legis: unde fit ut testamentum judicij nomine sapissime nuncupetur. Dicitur quartò, justa; id est secundum juris solemnia celebrata: sicut ex diverso injustum testamentum appellatur, quod est juris solemnibus destitutum, *i. 1. ff. de injusto rupt. & irrit. fac. test. vel etiam justa dicitur, quia jure confirmatur, nimirum lege 12. tab. cuius erant hæc verba: Ut paterfamilias super pecunia tutelave rei sue legasset, ita jus esto.* Quo loco verbum legasset idem significat, quod legem dixerit. Dicitur denique de eo quod quis post mortem suam fieri velit; ut ab illis voluntatis declarationibus, quæ sunt inter vivos, testamentum distinguitur: Et dicitur de eo, id est de eo omni ac universo; quia necessarium est ut in testamento hæres seu universalis successor aliquis designetur; atque ideo hæredis institutio est caput ac fundamentum totius testamenti, *§. ante hæredis infra de legat.* adeò ut sine hæredis institutione testamentum nullum sit. Ubi autem est hæredis institutio ritè facta, ibi quoque testamentum est,

*I. I. §. qui neque, ff. de hæred. inf.* Unde apparet, quomodo testamentum à legatis, codicillis, & donationibus causâ mortis distinguatur: quæ singula continent tantummodo dispositionem de parte bonorum.

Quibus ita præmissis, hunc titulum in duas partes dividere possumus. Et primum quidem exponemus antiquas testandi formulas; tum deinde quo ritu hodie testamenta, tam in scriptis, quam per solam nuncupationem.

*Ad §. I.*

**S**E ut nihil antiquitatis penitus ignoretur, sciendum est, olim quidem duo genera testamentorum in usu fuisse; quorum altero in pace & otio utebantur, quod calatis comitiis appellabant; altero, cùm in prælium exituri essent, quod procinctum dicebatur. Accessit deinde tertium genus testamentorum, quod dicebatur per æs & libram; scilicet quod per emancipationem, id est, imaginariam quamdam venditionem agebatur, quinque testibus, & libripende, Civibus Romanis puberibus præsentibus, & eo, qui familiæ emptor dicebatur. Sed illa quidem priora duo genera testamentorum ex veteribus temporibus in desuetudinem abierunt. Quod verò per æs, & libram fiebat, licet diutiùs permanserit, attamen partim & hoc in usu esse desit.

**A N T I Q U A** testandi formulæ fuerunt quatuor. Prima fuit calatis comitiis, id est convocatis; ita dictis à Græca voce καλέω, id est *voco*. Idque fiebat bis in anno dumtaxat coram universo Populo Romano in comitia convocato. Unde sequitur, neque extra urbem Romam ab ullo, neque Romæ à mulieribus, vel peregrinis, testamenta ita fieri potuisse, cùm jus comitiorum non haberent. Secunda formula sive species testamenti, quæ dicebatur in procinctu, t̄ propria fuit militum, qui in prælium exituri, tribus aut quatuor testibus præsentibus hæredem nuncupabant. Nomen autem oritur ab habitu in quo fiebat; eo quod milites togas suas præcingerent, dum essent manus collaturi cum hostibus; qui dicebatur apud veteres *Cinctus Gabinus*.

Tertia formula & species testamenti dicta fuit *per æs & libram*; eo quod fieret colore quodam commercii, adhibitis quinque testibus puberibus & Civibus Romanis, & libripende, ita ut testator familiæ emptori totum suum patrimonium nummo uno solemniter manciparet; atque ita eum hæredem faceret. Sed cùm illi familiæ emptores eam hereditatem lucri facere festinarent, vel mutationem voluntatis metuerent; vita testatoris sapissime struebant insidias. Unde paulatim inductum est, ut familiæ emptor dicis dumtaxat causâ adhiberetur; & ut seorsim in tabulis voluntatem suam testator exprimeret, & alium hæredem faceret: quas tabulas deinde habens præ manibus, ita dicebat. *Hec ut in his tabulis cerisve scripta sunt, ita do, ita lego, ita testor, vos Quirites, testimonium perhibetote.* Atque ita perspicuum est quod ait Imp. tertium testamenti genus, per æs & libram, partim in usu esse desuisse.

## Ad §. Sed predicta.

**S**E d<sup>e</sup> prædicta quidem nomina testamentorum ad jus civile referabantur : postea verò ex edicto Prætoris forma alia faciendum testamentorum introducta est. Jure enim honorario nulla emancipatio desiderabatur ; sed septem testium signa sufficiebant : cùm jure civili signa testium non essent necessaria.

**Q**UARTA & ultima species ac formula testamenti fuit apud veteres testamentum Prætorium , † quod sine ulla emancipatione fiebat , adhibitis septem testibus & eorum signaculis . Numerum testium videtur Prætor ex jure civili quodammodo mutuatus fuisse ; ex quo requirebantur , sicut diximus , quinque testes , libripens & familiæ emptor . Dixi quodammodo ; quia revera familiæ emptor testis nou erat , §. sed neque , infra cod. sed septima tantum persona adhibita ad solemnitatem adimplendam . Signacula verò Prætor ex sua jurisdicione primus induxit .

## Ad §. Sed cùm paulatim .

**S**E d<sup>e</sup> cùm paulatim tam ex usu hominum , quam ex constitutionibus emendationibus , cœpit in unam consonantiam jus civile & prætorium jungi ; constitutum est , ut uno eodemque tempore ( quod jus civile quodammodo exigebat ) septem testibus adhibitis , & subscriptione testium ( quod ex constitutionibus inventum est , & ex edicto Prætoris ) signacula testamentis imponerentur ; ita ut hoc jus tripartitum esse videatur : & testes quidem & eorum præsentia , uno contextu testamenti celebrandi gratiâ , à jure civili descendant : subscriptiones autem testatoris , & testium , ex sacrarum constitutionum observatione adhibeantur : signacula autem , & testium numerus , ex edicto Prætoris .

**H**O D I E verò insuper habitis his ferè omnibus testandi formulis ac speciebus , † testamentorum duas species constituimus , scriptum scilicet , & nuncupativum . Scriptum † est ad cuius substantiam & perfectionem scriptura exigitur . Hoc etiam dicitur testamentum solemne & mixtum ; eo quod ex multiplici jure descendat . Nam ex jure civili , id est eo jure , quod interpretatione prudentum sine scripto receptum est , requiritur ut septem testes adhibeantur , & uno contextu , nec-non uno eodemque tempore testamentum fiat ; quia actus legitimi & solemnes non debent ullā cuiusquam actūs extranei commixtione interrumpi . Ex edicto Prætoris requiruntur septem testium signacula , ( les cachez . ) Subscriptio denique testatoris & testium ex sacrarum constitutionum auctoritate descendit ; quam subscriptionem vulgo appellamus ( le seing ou le seing manuel ) eo quod in locum signi sive signaculi antiqui succederit .

Veteres enim subscribere non solebant, sed signare dumtaxat, & signaculo munire suas Epistolas vel similes actus.

*Ad §. Sed his omnibus.*

**S**E D his omnibus à nostra constitutione propter testamentorum sinceritatem, ut nulla fraus adhibeatur, hoc additum est; ut per manus testatoris vel testium, nomen hæredis exprimatur, & omnia secundum illius constitutionis tenorem procedant.

**PREDICTIS** solemnibus Justinianus adjecit, ut nomen hæredis non alia quam testatoris aut unius testis manu scriberetur, *l. 2. b. t.* Sed *Nov. sua 119. cap. 9. & anib. C. eodem*, hoc jus abrogavit; eo quod multi ea de causâ intestati decederent. Nihil igitur hodie refert, quâ manu scriptum sit nomen hæredis, an à testatore, vel ab uno ex testibus, vel ab extraneo.

*Ad §. Possunt.*

**P**OSSUNT autem omnes testes, & uno annulo signare testamentum. Quid enim si septem annuli unâ sculpturâ fuerint, secundum quod Papiniano visum est? Sed & alieno quoque annulo licet signare [testamentum.]

**N**IHL quoque interest jure nostrarum Institutionum, utrum quis suo vel alieno annulo signaverit testamentum, licet necessarium sit, ut singuli testes proprio chirographo, id est subscriptione adnotent, quis, & cuius testamentum signaverit, *l. pen. ff. b. t.* quia Prætor septem dumtaxat requirit signacula; nec requirit ut sint propria aut diversa. Ubi autem Lex non distinguit, neque nos distinguere debemus, *l. de pretio, ff. de publico, in rem act.* Cæterum, in Gallia cessat necessitas signaculorum in testamento, præterquam in eo genere testamenti quod *clausum* appellatur, de quo agitur in *l. 21. cod. b. tit.* cuius abrogationis ratio esse videtur, quod patum ad probationem conferant signacula, ubi adsunt testium subscriptiones.

*Ad §. Testes.*

**T**ESTES autem adhiberi possunt ii, cum quibus testamenti factio est. Sed neque mulier, neque impubes, neque servus, neque furiosus, neque mutus, neque surdus, neque is cui bonis interdictum est, neque ii quos leges jubent improbos intestabilesque esse, possunt in numerum testium adhiberi.

**I**LLO D maximè inquirendum est, an adhibiti sint testes idonei, quales sunt omnes & soli cum quibus testamenti factio est. Sed excipiuntur ab hac regula

quædam persona. Et primò quidem mulieres ; vel quia id obstat verecundia muliebri ; vel quia non habebant olim jus comitiorum , in quibus siebant testamenta ; vel denique quia olim erant in perpetua tutela , ac proinde numquam videbantur nausicæ pubertatem , quæ in persona testium exigitur. Excipiuntur itaque secundò impuberes ; quia nullum eorum animi judicium est. Excipiuntur tertii servi ; quia nullam habent juris civilis aut Prætorii communionem , l. 20. §. servus , ff. b. t. Excipiuntur quartò furiosi ; quia per omnia & in omnibus absentium & quiescentium loco habentur , l. 2. §. furiosus , ff. de jure Codicill. Excipiuntur quintò muti ; quia non possunt eloqui quod audierunt : sextò Surdi ; quia non possunt audire voluntatem testatoris : septimò Prodigi , quibus bonorum administratione interdictum est ; quia furiosis æquiparantur , l. 12. de tut. & curat. Octavò denique illi , quos leges jubent improbos intestabilisque esse , cujusmodi sunt damnati ob crimen famosum , l. 18. §. 1. ff. b. t. & qui semel adhibiti testes in testamento , perhibere deinde testimonium de illo recusarunt , juxta illa verba l. 12. tab. *Qui se fierit testarier libripensve fuerit , ni testimonium fariatur ; improbus intestabilisque esto.* Aul. Gell. lib. 15. cap. 13. Improbus hoc loco significat infamem. Intestabilis verò secundū leges † dicitur is , de quo cautum est ne ejus testimonium recipiatur , & vicissim ne ipsi dicatur testimonium , l. 26. ff. b. t. & qui neque testamentum facere potest , nec ad testamentum adhiberi , d. l. 18. §. 1.

*Ad §. Sed cùm aliquis.*

**S**E D cùm aliquis ex testibus testamenti quidem faciendi tempore liber existimabatur , postea autem servus apparuit ; tam Divus Hadrianus Catonio Vero , quā n postea Divi Severus & Antoninus rescripsérunt , subvenire se ex sua liberalitate testamento ; ut sic habeatur [ firmum ] ac si , ut oportebat , factum esset , cùm co tempore , quo testamentum signaretur , omnium consensu hic testis liberi loco fuerit : neque quisquam esset , qui status ei questio nem moveret.

No n tamen inutile est testamentum , in quo servus aliquis adhibitus est testis , si omnium consensu liber existimatus fuerit , dum testamentum conde retur ; quia D. Hadrianus huic testamento subvenit , ex sua liberalitate , l. 1. C. b. t. Quod videtur constituisse contemplatione publicæ utilitatis , eo quod publicè intersit suprema hominum judicia effectum habere , l. 4. ff. testam. quemad. aper. Quam etiam ob causam confirmata sunt edicta & decretal Barbarii Philippi servi , qui cùm ab omnibus liber crederetur , Romæ Præturam obtinuit , & in ea Prætura multa dixit atque decrevit , l. 3. ff. de offic. Præt. quamvis postea apparuerit eum mirabili fortunæ ludo ad illam dignitatem fuisse pro vinctum , & propter conditionem servilem Prætorem esse non posuisse , sicut fuisse narravit Suidas in voce *Bæbrios cuiusdam*. Aliud dicendum est de his negotiis privatis , quæ servus ille gessit qui pro libero habebatur , l. 44. §. 1. ff. de judic. & l. 15. ff. qui & à quib. manum non fiant ; quia cessante privilegi ratione , debet quoque privilegium cessare.

*Ad*

*Ad §. Pater.*

**P**ATER, nec non is, qui in potestate ejus est; item duo fratres, qui in ejusdem patris potestate sunt, utique testes in uno testamento fieri possunt: quia nihil nocet, ex una domo plures testes alieno negotio adhiberi.

**Q**UAM VIS ex vulgata regula juris ciuilis, pater ac filius pro una & eadem persona habeantur, *l. ult. cod. de impub. & al. substit.* idemque sentiendum sit de duobus fratribus aliisque personis, quae eodem familiae vinculo conjunguntur; hoc tamen non vetat, quin pater & filius recte in alieno testamento testes adhibeantur; quia nihil nocet ex una domo plures testes alieno negotio adhiberi, *l. 17. ff. de testib.* qui tunc diversarum personarum jure censemur.

*Ad §. In testibus.*

**I**N testibus autem non debet esse is, qui in potestate testatoris est. Sed si filius familias de castrensi peculio post missionem faciat testamentum, nec pater ejus recte adhibetur testis, nec is, qui in potestate ejusdem patris est: reprobatum est enim in ea re domesticum testimonium.

**A**LTIUD verò dicendum est, cùm agitur de proprio negotio aut testamento patris aut filii, *l. 6. & l. 9. ff. cod. & l. 6. cod. cod.* quia in illis causis vox filii tamquam vox patris; & vice versa, vox patris tamquam vox filii, *§. si quis alii, infra de inut. stipul.* Nec dubium illum est, quin omnibus in propria causa dicendi testimonii facultatem jura submoverint, *l. 10. cod. de testibus, & l. 10. ff. cod.* Sanè si miles filius familias de castrensi peculio testetur, patrem suum testem adhibere ex privilegio militiae, *l. 20. §. per contrarium, ff. b. 1. post missio-* nem verò non potest, *hoc §. n. cessante videlicet privilegio militari.*

*Ad §. Sed neque.*

**S**E neque haeres scriptus, neque is, qui in potestate ejus est, neque pater ejus qui cum habet in potestate, neque fratres, qui in ejusdem patris potestate sunt, testes adhiberi possunt; quia hoc totum negotium, quod agitur testamenti ordinandi gratiâ, creditur hodie inter testatorem & haeredem agi. Licet autem totum jus tale conturbatum fuerat, & veteres quidem familiae emptorem, & eos qui per potestatem ei conjuncti fuerant, à testamentariis testimoniis repellebant: haredi [autem,] & iis, qui per potestatem ei conjuncti fuerant, concedebant testimonia in testamentis præstante: licet ii, qui id permittebant, hoc jure minimè abuti eos debere sua.

debant ; tamen nos eamdem observationem corrigentes , & quod ab illis suasum est , in legis necessitatē transferentes , ad imitationem pristini familie emptoris , meritō nec hæredi ( qui imaginem vetustissimi familie emptoris obtinet ) neque aliis personis , quæ ei ( ut dictum est ) conjunctæ sunt , licentiam concedimus , sibi quodammodo testimonia præstare. Ideoque nec ejusmodi veteres constitutiones nostro Codici inseri permisimus.

**H**æc eadem ratio facit , ne hæres , & qui per potestatem conjunguntur ; possint adhiberi testes in testamento. Quod ut clarius intelligatur , quatuor tempora ac jura distinguenda sunt. Et primò quidem , antiquissimis temporibus , id est cùm inductum est testamentum per as & libram , vetustissimus familie emptor , qui idem etiam hæres erat , testis in testamento esse non poterat ; eo quod totum negotium testamenti inter testatorem & ipsum perageretur , sicut superius ad §. I. expositum est. Postea verò immutato partim ritu testamenti , familie emptor dicens causâ adhibitus , quem Imp. pristinum hic nuncupat , quamvis hæres non esset , testis tamen esse non potuit ; quia totum negotium inter eum & testatorem in facta illa mancipazione geri & contrahi credebarat. Hæres verò ex diverso propter eamdem rationem testis esse non est prohibitus ; quia non est eadem vis taciti & expressi , l. 77. ff. de reg. Ideoque M. Tullius in oratione pro Milone num. 48. loquens de testamento Cyri Archytecti : *Unafui, testamentum simul obsignavi cum Cludio: testamentum autem palam fecerat, & illum hæredem & me scriperat.* Tertium tempus fuisse videretur sub quibusdam Imperatoribus , qui non probabant hæreditis testimonium : propter venerationem tamen antiquitatis suadebant tantum hæredibus , ne suo illo jure uterentur ; sed suis illis constitutionibus id testimonium permettebant. Justinianus denique Imp. eas constitutiones tamquam imperfetas suo Codici inseri noluit , & suasiones hujusmodi , quæ nullam vim obligandī continebant , in legis necessitatē transtulit , prohibens hæredi ne sibi in testamento testimonium præstaret ; quia sublato ritu familie emptoris & testamenti per as & libram , totum negotium creditur hodie peragi inter testatorem & hæredem , qui imaginem vetustissimi familie emptoris solus obtinet ; quatenus nullo mediante & aperta testatoris voluntate successionem ejus nanciscitur.

*Ad §. Legatariis.*

**L**E G A T A R I I autem , & fideicommissarii , quia non juris successores sunt , & aliis personis eis conjunctis , testimonium non denegamus , imò in quadam nostra constitutione & hoc specialiter eis concessimus. Et multò magis iis , qui in eorum potestate sunt , vel qui eos habent in potestate , hujusmodi licentiam damus.

**L**E G A T A R I I tamen & fideicommissarii singulares rectè adhibentur testes ; l. 20. in pr. & l. 27. ff. b. t. & l. dictantibus , C. cod. Ex qua lege id insuper no-

tandum est Jurisperito qui testamentum dictat legari posse ; quamvis aliunde certum sit testamentario , id est scriptori testamenti nihil relinquiri posse , l. 1. & l. ult. ff. de his quæ pro non script. hab. quia scilicet in hoc fraus timetur ; in illo non item. Legatarii quoque testes suspecti non sunt ; vel quia non videtur eorum causa in testamento principaliter vesari , sed solius hæreditis ; vel quia cum solos amicos testamento suo obsignando testator adhibeat & roget : durum nimis atque indignum esset , si non posset illis relinquere aliquod laboris præmium & suæ amicitiae monumentum. Nam ut ait Symachus lib. 10. epist. 55. *Si his legibus viveremus , tutius inimicis signatoribus uteremur.*

## Ad §. Nihil.

**N**IHL autem interest , testamentum in tabulis , an in chartis , membranisve , vel in alia materia fiat.

LICET testamenta pro legibus habeantur , quas constat in tabulis scribi consueuisse ; & quamvis Prætor in edicto suo testamenta non alio , quam tabularum nomine deligneret ; nihil tamen refert , utrum testamentum scribatur in charta , aut in membrana , aut in quacumque materia ; immo verò etiam in opistographo , id est in charta aversa , l. quoniam , C. b. t. & l. 4. ff. de bon. possess. sec. tab. quia voluntas testatoris in testamento totum facit , l. 35. §. rerum , ff. de hæred. inst.

## Ad §. penult.

**S**E & unum testamentum pluribus codicibus confidere quis potest , secundum obtinentem tamen observationem omnibus factis. Quod interdum etiam necessarium est ; veluti si quis navigatus , & secum ferre , & [ domi ] relinquere judiciorum suorum contestationem velit , vel propter alias innumerabiles causas , quæ humanis necessitatibus imminent .

**N**EMINEM Paganum decidere posse cum duobus testamentis validis , certissimi juris est ; quia posteriore testamento superius rumpitur ipso jure. Nihil tamen vetat , quin testator unum & idem testamentum suum in pluribus codicibus scribat , quod interdum necessarium est , vel quia testator suum testamentum vult secum deferre in suis peregrinationibus , & simul etiam domi relinquere ; vel etiam ut amissioni ejus aut suppressioni occurratur. Idque ita intelligendum est , ut servetur in singulis prædicta omnis solemnitas. Alioquin enim unus ex his codicibus valere non posset nisi tamquam exemplar alterius : ita ut deficiente aut non invento illo authenticō , penitus infirmaretur exemplar , l. 1. sed si unum , ff. de bon. possess. sec. tab.

## Ad §. ult.

**S**E hæc quidem de testamentis , quæ scriptis conficiuntur , sufficiunt. ] Si quis autem sine scriptis voluerit ordinare jure

civili testamentum , septem testibus adhibitis , & suā voluntate co-  
ram eis nuncupatā , sciāt hoc perfectissimum testamentum jure ci-  
vili , firmumque constitutum.

**T E S T A M E N T U M** nuncupativum † est quod ad sui solemnitatem , nullam scripturam aut subscriptionem desiderat , sed solam voluntatis nuncupationem à septem testibus idoneis exauditam , l. 21. ff. b. t. & l. 21. C. eod. Debet quoque hoc testamentum fieri sine interruptione , & nullo alieno actu intermixto , sicut testamentum scriptum , d. l. 21. §. ult. ff. eod. quia in utroque casu militat eadem ratio.



## T I T U L U S X I .

### D E M I L I T A R I T E S T A M E N T O .

*Ad Princ.*

**S**UPRA dicta diligens observatio in ordinandis testamentis , mi-  
litibus , propter nimiam imperitiam eorum , constitutionibus  
[ Principalibus ] remissa est. Nam quamvis ii , neque legitimū  
numerū testimoniū adhibuerint , neque aliam testamentorū sole-  
nitatem observaverint ; rectè nihilominus testantur , videlicet cùm  
in expeditionib⁹ occupati sunt ; quod meritò nostra constitutio  
introduxit. Quoquo enim modo voluntas ejus suprema inveniatur ,  
sive scripta , sive sine scriptura , valet testamentum ex voluntate ejus.  
Illi autem temporibus , per quæ citra expeditionum necessitatem  
in aliis locis vel suis ædibus degunt , minimè ad vendicandum tale  
privilegium adjuvantur : sed testari quidem , et si filii familiarium sint ,  
propter militiam conceduntur : jure tamen communi , eadē ob-  
servatione & in eorum testamentis adhibendā , quam in testamen-  
tis Paganorum proximè exposuimus.

**T E S T A M E N T U M** militare † est nuda voluntatis sententia , de eo quod  
miles post mortem suam fieri velit. Miles † dicitur qui in numero relatus &  
cinculo cinctus stipendia meretur , arg. l. pen. ff. b. t. Militibus autem licet  
testamentum facere quomodo possunt , & quomodo volunt , l. ult. ff. eod. vel  
propter præmium ac labores militiae , vel quia in testamentis ordinandis juris  
peritia requiritur ; ideoque vix siebat olim testamentum sine juris perito , l. *Lucius*  
*Lucius* , ff. de leg. 2. Milites vero magis arma , quam leges scire intelliguntur ,

*L. ult. C. de jure delib.* Ideoque illis jura ignorare permisum est, *l. 9. ff. de jur. & fact. ignor.* Aliunde vero non habent in expeditione copiam juris peritii; ac proinde merito ipsis lege subventum est. Duxi quomodo possunt, id est neglectis juris solemnibus in testamento paganico requisitis: adeo ut si miles in ipso praetorio vita sortem derelinquens, literis sanguine suo rutilantibus in pulvere, vel in clypeo, vel in vagina haeredem scriperit, iure testatus fuisse videatur, *l. 15. C. b. t.* Duxi præterea quomodo volunt, id est neglectis juris præceptis: v. g. circa institutionem unius haeredis ex certa parte bonorum, vel ex certo tempore non faciendam, vel circa liberorum exhaerationem, & alia hujusmodi quæ suo infra loco exactius exponentur.

Hujus privilegii militaris vis ac potestas ut clarius cognoscatur, duas primæ illius restrictiones advertemus, deinde vero quinque ejus extensiones subjungemus.

Prima restrictio, quæ Justinianum habet auctorem, in eo posita est, ut milites catenùs tantum illo fruantur privilegio, quatenus, id est quamdiu sunt in expeditione; non si in ædibus suis aut in aliis locis degant, accepto comedatu. (*ayant congé de leur Capitaine*) Expeditio † appellatur locus ubi copiæ degunt sub vexillis, & omnis etiam peregrinatio & occupatio militaris, suscepta belli publici causâ. Imò vero & milites ipsi, qui sunt in sedetis & praefidiis (*dans les garnisons*) & qui militant Romæ sub Præfecto vigilium (*les soldats du guet*) privilegio militari perfrauentur, *l. 1. §. pen. de bon. possess. ext. test. mil. & l. 8. §. plane, ff. de excus.*

Cæterum male videtur hoc loco Theophilus translatus à Curtio quasi dixerit milites qui sunt in sedetis ex privilegio militari testari non posse, nec rectè videtur eum nomine reprehensus: ejus enim verba sunt. *Εἰ οὖς δέ χρόνοις ἐν ἑτεροῖς στατιβοῖς τόποις, οὐ ἐν τοῖς λεγομένοις αὐτῶν σεδετοῖς, τατεσιν ἐνθα διάγειν αὐτοὺς ἀνάγκη τῶν σφατιωτικῶν εν τῷ διατεθεῖσαι προνομιῶν ἐκ ἀπολαυστέσι.* In illis vero temporibus in quibus in aliis locis commorantur quam in illis, quæ dicuntur Sedeta, id est ubi degere ipsos necesse est, militaribus in testando privilegiis non fruuntur. Ex quibus apparet Theoph. sedeta ubi militantes ex necessitate degunt, distinguere voluisse ab ædibus, & ab aliis locis in quibus milites degunt citra expeditionis necessitatem, ubi privilegia militare interim cessant. Erroris causam Curtio dedisse videtur particula non, quam utitur Theoph. Hæc apud Græcos significat vel, & significat etiam quam. Cum enim textus Justinianus haberet particulam vel, credidit quoque Theop. eamdem particulam habuisse.

Olim igitur milites jure militari testari poterant in solo procinctu: postmodum invaluit ut quocumque in loco degerent in suo illo jure uti possent: Justinianus denique Imp. medium viam fecutus, solis militibus in expeditione degentibus hoc jus competere voluit, *l. pen. cod. b. t.*

Ad §. I.

**P**LAn è de testamentis militum Divus Trajanus Catilio Severo ita rescripsit: Id privilegium, quod militantibus datum est, ut quoquomodo facta ab his testamenta rata sint; sic intelligi de-

bet, ut utique prius constare debeat, testamentum factum esse, quod & sine scriptura & à non militantibus fieri potest. Si ergo miles, de cūjus bonis apud te quæritur, convocatis ad hoc hominibus, ut voluntatem suam testaretur, ita locutus est, ut declareret, quem vellet sibi hæredem esse, & cui libertatem tribueret; potest videri sine scripto hoc modo esse testatus, & voluntas ejus rata habenda est. Cæterum si ( ut plerumque sermonibus fieri solet ) dixit alicui, *Ego te hæredem facio, aut, bona mea tibi relinquō;* non oportet hoc pro testamento observari. Nec ullorum magis interest, quām ipsorum, quibus id privilegium datum est, ejusmodi exemplum non admitti. Alioqui non difficultè post mortem alicujus militis testes existerent, qui adfirmarent se audisse dicentem, aliquem relinquere, se bona, cui visum sit, & per hoc vera judicia subverterentur.

**A L T E R A** restrictio ex edicto D. Trajani fluxit, quo cautum est, ut non valeat testamentum militis, nisi constet de voluntate ipsius; quod scilicet miles serio testari voluerit, l. 24. ff. b. t. neque enim verum est sine ullo teste id fieri posse: alioquin enim vera militum judicia subverterentur, & privilegia in gratiam militum introducta in eorum injuriam retorquerentur, quod ius civile non patitur, l. 6. C. de legib. Falsum quoque quod dixit Theoph. noster unicum testem sufficere; quia unus testimonium non admittitur, etiam si præclaræ Curiæ honore prefulgeat, l. 9. §. I. C. de testib. & l. 20. ff. de quest. Unde vulgo dicitur *vox unius, vox nullius;* & rursùm, *unus testis, nullus testis:* & singularibus testibus non est credendum. Poterit autem constare de voluntate militis, si duo testes adhibeantur, qui audiant voluntatem ipsius, vel videant scribentem, vel saltem scripturam ejus agnoscant. Idque colligitur ex eo quod D. Trajanus testes adhiberi voluerit, his verbis *convocatis ad hoc hominibus.* Ubi enim Lex testes requirit nec numerum adjicit, duo testes sufficiunt, l. ubi lex, ff. de testibus.

*Ad §. Quin imò.*

**Q**UIN imò & mutus & surdus miles testamentum facere potest.

**E X T E N S I O N E S** supradicti privilegii militaris quinque sunt advertendæ. Prima est, quod licet muti aut surdi pagani testari cupientes, solerent ac deberent olim ante constitutionem Justiniani impetrare à Principe remissionem solemnium, l. ex facto 43. in pr. ff. de hæred. inst. milites tamen muti aut surdi dum testantur, non debent ut illâ imperatione rescripti: quia frustra precibus impetratur, quod lege permisum est, l. un. C. de thesaur. lib. 10.

## Ad §. Sed hactenus.

**S**ED hactenus hoc illis à principibus constitutionibus conceditur, quatenus militant, & in castris degunt. Post missionem verò veterani, vel extra castra [ alii, ] si faciant adhuc militantes testamentum, communi omnium Civium Romanorum jure id facere debent. Et quod in castris fecerint testamentum, non communi Jure, sed quomodo voluerint; post missionem intra annum tantum valebit. Quid ergo si intra annum quis decesserit, conditio autem hæredi adscripta post annum extiterit? An quasi militis testamentum valeat? Et placet valere quasi militis.

**S E C U N D A** ampliatio privilegii militaris est, ut licet intra locum & tempus expeditionis restringatur privilegia illa testandi facultas; nihilominus tamen si miles intra annum post missionem decesserit, testamentum militare in castris factum valeat. Imò verò si in eodem testamento sub conditione hæredem scripserit, & intra annum missionis decesserit; quamvis ea conditio post annum dumtaxat missionis extiterit, valet nihilominus hæredis institutio; quia ea est natura conditionum ut retrò trahantur, l. 8. §. quod si pendente, ff. de peric. & commod. rei vend. Dixi post missionem, videlicet honestam aut causariam. Missio † dicitur abeundi licentia in perpetuum concessa; Commeatus verò † est abeundi licentia temporalis. Uno verbo sicut commeatus est missio ad tempus, ita quoque ex diverso missio est commeatus perpetuus. Honesta missio † est quæ emeritis stipendiis & tempore militiae expleto conceditur. Causaria missio † est, quæ propter vitium animi vel corporis minus idoneis ad militiam conceditur, l. milites, s. missionum, ff. de re militari. Aliud dicendum est de missione ignominiosa, † quæ quis propter delictum tamquam indignus sacramento solvit & exauctioratur, (est degrado) d. §. missionum; quia iniquum erat gloria militiae præmia ad ignominiosos & immerentes extendi, l. 1. C. de his qui non impletis stipend. sacram. soluti sunt, lib. 10. & l. 26. ff. h. t.

## Ad §. Sed &amp; si quis.

**S**ED & si quis ante militiam non jure fecit testamentum, & miles factus, & in expeditione degens resignavit illud, & quædam adjecit, sive detraxit, vel alias manifesta est militis voluntas hoc valere volentis; dicendum est valere hoc testamentum, quasi ex nova militis voluntate.

**T E R T I A** privilegii militaris extensio est, ut si quis paganus non jure fecit testamentum, deinde cinctus sive miles factus declaravit velle se illud valere, vel resignando, id est aperiendo illud, vel aliquid addendo, vel alio quocumque modo valeat hujusmodi testamentum quasi tempore militare factum, l.

**20. §. 1. & l. 25. ff. b. t.** At si nihil horum fiat, testamentum illud antea factum ad privilegia militum non pertinet; quia constitutionibus Principum non conservantur indistinctè omnia testamenta militum, sed ea dumtaxat quæ à militibus facta sunt, *d. l. 20. §. 1. & d. l. 25.* Cautè igitur advertendum est quod ait Imp. testamentum valere quasi ex nova militis voluntate. Prior enim voluntas robut habere non potest; quia testamentum quod initio non valet, tractu temporis convalescere non potest, *l. pen. ff. de reg. jur. & in princ. inf. de ex-hered. liber.*

*Ad §. pen.*

**D**E NIQUE & si in adrogationem datus fuerit miles, vel filiusfamilias emancipatus est, testamentum ejus quasi ex nova militis voluntate valet, nec videtur capitis diminutione irritum fieri.

**QUARTA** ampliatio est, ut militare testamentum minimâ capitis diminutione irritum non fiat, putâ si miles filiusfamilias emancipatus fuerit, aut si miles paterfamilias se dederit adrogandum. Aliud tamen dicendum est de testamento paganico, sicut Deo favente, proprio infra titulo commodius exponetur.

*Ad §. ult.*

**S**CENDUM tamen est, quòd cùm ad exemplum castrensis peculii, tam anteriores leges, quam principales constitutiones quibusdam quasi-castreña dederant peculia, & horum quibusdam permisum fuerat, etiam in potestate degentibus, testari; nostra [id] constitutio latius extendens, permiserit omnibus in hujusmodi peculiis testari quidem, sed jure communi. Cujus constitutionis tenore perspecto, licentia est, nihil eorum, quæ ad præfatum jus pertinent, ignorare.

**QUINTA** denique ampliatio privilegii militaris est, ut filiusfamilias omnes quibus concessum antea fuerat quasi-castreñense habere peculum, possint de illo deinceps testari; non quidem jure militari, sed jure communi, *l. ult. C. de inoff. test. & l. ult. C. qui test. fac poss.* quia habent copiam jurisperiti in urbibus in quibus degunt; vel etiam jurisperiti sunt, quibus turpe esset jus in quo versantur ignorare, *l. 2. §. Servius, ff. de orig. jur.* Ante quas prefatas constitutiones, illi tantum filiusfamilias, quibus concessum erat quasi-castreñense habere peculum & de illo testari, poterant de illo testamentum facere; non vero cæteri: quia in legibus novis, quæ juris veteris emendationem inducunt, id quod expressum non est, sub veteribus juris regulis relictum intelligitur, *l. precipimus, §. ult. C. de appellat.*

# T I T U L U S X I .

*Q U I B U S N O N E S T P E R M I S S U M  
facere testamentum.*

*Ad Princ.*

**N**ON tamen omnibus licet facere testamentum. Statim enim ii, qui alieno juri subjecti sunt, testamenti faciendi jus non habent: adeò quidem, ut quamvis parentes eis permiserint, nihilo magis jure testari possunt; exceptis iis, quos antea enumeravimus, & præcipue militibus qui in potestate parentum sunt; quibus de eo, quod in castris acquisierunt, permisum est ex constitutionibus Principum testamentum facere. Quod quidem jus ab initio tantum militantibus datum est tam ex auctoritate Divi Augusti, quam Nervæ, nec-non optimi Imperatoris Trajani: postea vero subscriptione Divi Hadriani, etiam dimissis à militia, id est veteranis, concessum est. Itaque si quidam fecerint de castrensi peculio testamentum, pertinebit hoc ad eum quem hæredem reliquerunt. Si vero intestati deceperint, nullis liberis vel fratribus superstribus, ad parentes eorum jure communi pertinebit. Ex hoc intelligere possumus, quod in castris acquisierit miles, qui in potestate patris est, neque ipsum patrem adimere posse, neque patre mortuo cum fratribus commune esse; sed scilicet proprium ejus esse, qui id in castris acquisierit; quamquam jure civili omnium, qui in potestate parentum sunt, peculia perinde in bonis parentum computentur, ac servorum peculia in bonis dominorum numerentur; exceptis videlicet iis, quæ ex sacris constitutionibus, & præcipue nostris, propter diversas causas non acquiruntur. Præter hos igitur, qui castrense peculium vel quasi-castrense habent, si quis alias filiusfamilias testamentum fecerit, inutile est, licet suæ potestatis factus deceperit.

**E**O RUM qui testari non possunt, tria sunt præcipua genera. Alios enim excludit defectus bonorum, alios infirmitas animi vel corporis, alios denique status sive conditio.

Et primò quidem filiusfamilias testari non potest , quoniam nihil suum habet , ut testari de eo possit , *Vlp. tit. 20. §. filiusfamilias.* Neque enim quidquam potest possidere ille , qui ab alio possidetur , *l. 54. §. ult. ff. de acquir. rer. dom.* Possideri autem filiusfamilias à patre , & in dominio ejus esse videtur ex jure Quiritium ; atque ideo potest illum pater vindicare adjectâ causâ ex jure Quiritium , *l. 1. §. pen. ff. de rei vind.* Verum filiusfamilias castrense vel quasi-castrense peculium habentibus de illo testari permittitur. Quod jus militibus dumtaxat ab initio concessum est , Augusti , Nervæ & Trajani Imp. auctoritate , id est suasione sive oratione ad Senatum habitâ : postmodum verò subscriptione Imp. Hadriani , qui primus ex Imperatoribus videtur sine interventu Senatus Romæ leges sanxisse : est reverâ is antiquissimus omnium Principum , quorum habemus leges in Codice Justinianæ collectas. Ex his facile inferri potest cur Juvenalis Trajani coartaneus ante Imperium Hadriani ita scripsit , *Sat. ult.*

*Solis præterea restandi militibus jus  
Vivo patre datur. Nam que sunt parta labore  
Militie, placuit non esse in corpore census,  
Omne tenet cuius regimen pater. Ergo Coranum  
Signorum comitem, castrorumque era merentem,  
Quamvis jam tremulus captat pater. Hunc labor æquus  
Provebit, & pulchro reddit sua dona labori.*

Tertiò denique Proconsulibus , Præfectis legionum , & aliis in majori aliqua dignitate constitutis sequentes Imp. idem jus concederant : sed Justinianus id extendit ad caesarum patronos , ad Archiatros , ad Magistros liberalium artium , & ad omnes qui stipendia percipiunt publica , *l. ult. C. de inoff. test.* Ratio omnibus his communis est ; quia in bonis ejusmodi filiusfamilias pro patrefamilias habetur , *l. 2. ff. de S. C. Maced.*

At si filiusfamilias testamentum non fecerit , hoc peculium ad liberos ejus transmittitur. Si deficiant liberi , ad fratres pervenit , jure Institutionum nostrarum & Codicis , *l. ult. C. commun. de success.* Deficientibus denique his omnibus personis , ad parentes ejus hæc bona pertinebunt jure communi , id est jure peculii , non jure hæreditatis , *l. 44. in pr. ff. de leg. 1.* & magis illud peculium retinebit pater , quâ de novo acquiret ; & ut dicitur in *l. 3. C. de bonis de proscript.* & in *l. 1. §. si is qui, ff. de collat.* peculium patri non acimitur. Dixi jure *Instit.* & *Codicis* ; quia illud obtinet jure Novellarum , quod sequenti libro , proprio loco explanabitur.

De pagano vero peculio etiam cum consensu patris filiusfamilias testari numquam potest ; quamvis possit , patre consentiente , aliquid ex eo donare mortis causâ , *l. 25. §. 1. ff. de mort. cau. donat.* & *l. pen. C. b. t.* vel etiam inter vivos , *l. 7. in pr. ff. de donat.* Ratio disparitatis est , quia testamenti factio non est privati juris , sed publici , *l. 3. ff. eod.* hoc est , solum publicâ legis auctoritate , non privatâ alicujus privati concessione alicui potest competere. Neque potest quisquam privatus ius sibi à lege concessum in alterum transferre , *l. 1. ff. de off. ejus cui mand. est jurid.* & *l. nec mandante, ff. de tut.* & *curat.* Jus autem donandi non est certâ lege proditum , sed omnibus competit jure gentium , *arg. §. per traditionem sup. de rerum divis.* Et quamvis hodie inductum sit ut filiusfamilias plenam interdum habeant proprietatem peculii adventitii , non tamen de eo testari possunt , *l. pen. C. b. t.* quia illud quod non exprimitur in jure aliquo

novo, quod veteris correctionem inducit, sub antiqui juris regulis relictum intelligitur, *I. præcipimus in fine, C. de appellat.* Cæterum in Augustissimo Senatu Tolosano constanter judicatur, filium familias posse testari favore pœx causæ & liberorum, ita ut nihil eo casu relictum extraneo validum sit, ut testis est Dom. Cambolassius, *lib. 2. cap. 31.* & *Ferrerius ad qu. Duranti 21.*

*Ad §. I.*

**P**RÆTEREA testamentum facere non possunt impuberes; quia nullum eorum animi judicium est. Item furiosi; quia mente carrent. Nec ad rem pertinet, si impubes, postea pubes; aut furiosus, postea compos mentis factus fuerit, & decesserit. Furiosi autem, si per id tempus fecerint testamentum, quo furor eorum intermissus est, jure testati esse videntur; certè eo, quod ante furorem fecerint, testamento valente. Nam neque testamentum rectè factum, neque ullum aliud negotium rectè gestum, postea furor interveniens perimit.

**I**N FIRMITAS animi ac judicii, impuberes, furiosos & prodigos à testandi jure excludit: impuberes quidem, licet sint milites; quia nullum eorum animi judicium est, nec creduntur posse sapientum hominum jura tractare, *I. ult. C. de test. mil.* Id tamen ita intelligendum est, ut dies ultimus anni 14. in masculis, & 12. in feminis inceptus, pro completo habeatur, *I. 5. ff. b. t.* Quod autem dicitur in *I. 5. ff. de reg. jur.* pupillum qui fari potest omnia negotia tutori auctore agere posse, ad lolos contractus restringendum est, ut appareat ex his verbis *d. I. 5.* (*in negotiis contrahendis;*) quia verba contraxerunt, gesserunt, ad jus testandi non pertinent, *I. 20. ff. de verb. sign.*

Furiosi vero, si habeant dilucida intervalla, per illud tempus rectè testantur, *I. 9. C. b. t.* & rectè contrahunt, *I. 2. de contr. empt.* Sed qui nullas habent furoris inducias, nihil omnino gerere possunt, *d. I. 5.* etiam si habeant aliquod tempus & conspectum inumbratae quietis, ut dicitur in *I. 18. §. 1. ff. de acquir. possess.* nimis cùm quietis & sana mentis imaginem habent; quietem vero ipsam & sanam mentem non habent.

*Ad §. Item prodigus.*

**I**TEM prodigus, cui bonorum suorum administratio interdicta est, testamentum facere non potest: sed id, quod antè fecerit, quam interdictio bonorum suorum ei fiat, ratum est.

**P**RODIGUS olim cum testamentum per æs & libram celebrabatur, testari non poterat; quia illi per sententiam Prætoris commercium ademptum fuerat, & ob id familiam mancipare non poterat, *Vlp. tit. 20. §. mutus.* Quamvis autem cesseret hodie illa solemnitas, viget tamen eadem prohibitio: primò, quia juris correctiones restrictè accipiuntur, *d. I. præcipimus:* Secundò, quia prodigi

quod ad bona ipsorum attinet , furiosis æquiparantur , l. 12. ff. de tut. & curat.

*Ad §. Item surdus.*

**I**T B M surdus & mutus non semper testamentum facere possunt. Utique autem de eo surdo loquimur , qui omnino non exaudit , non qui tardè exaudit : nam & mutus is intelligitur , qui eloqui nihil potest , non qui tardè loquitur. Sæpe enim etiam litterati & erudiri homines variis casibus & audiendi & loquendi facultatem amittunt. Unde nostra constitutio etiam his subvenit , ut certis casibus & modis secundum normam ejus possint testari , aliaque facere , quæ eis permitta sunt. Sed si quis post testamentum factum , adversa valetudine , aut quolibet alio casu mutus aut surdus esse cœperit , ratum nihilominus manet ejus testamentum.

**I N F I R M I T A S** corporis surdum & mutum impedit ne testentur , non autem cæcum. Surdum quidem ; quia verba familiæ emptoris exaudire non potest , *Vlp. d. §. mutus.* Nec potest audire testes testimonium perhibentes , quod erat necessarium  *teste Paulo , lib. 3. sent. tit. de testam. §. cæcus.* Mutus vero similiter excluditur , quoniam verba nuncupationis eloqui non potest , *d. §. mutus.* Surdus itaque & mutus cum non possent adimplere juris solemnia , solebant à Principe impetrare remissionem solemnium , atque ita testari , l. 43. in pr. ff. de *vulg. substir.* Verum hodie ex constitutione Justiniani , muti tantum , nec non etiam surdi & muti simul , testari possunt , etiam sine ulla solemnium venia impetrata ; si modò sciant scribere. Surdi vero tantum , quamvis scribere nesciant , testamentum facere possunt ; quia voce suâ mentem suam testibus nota facere possunt , *l. discretis , C. b. t.*

*Ad §. pen.*

**C**ÆCUS autem non potest facere testamentum , nisi per observationem , quam lex Divi Justini patris nostri introduxit.

**C**ÆCUS olim potuit testamentum facere , nec ea de re dubitarunt juris antecetes ; quia cæcus potest accire testes , & audire testimonium perhibentes , *d. §. cæcus.* Sed quia tenebræ in quarum perpetua caligine versatur , facilem fraudibus aditum præbent , constitutum est à Justino Imp. ut in cæci testamento aliæ solemnitates præter communes & ordinarias adhicerentur , *l. 8. C. b. t.* Prima est , ut cæcus voluntatem suam coram omnibus testibus nuncupet , sicut fit in testamento nuncupativo : Secunda , ut voluntas illa per tabellionem , vel octavum testem scribatur : Tertia denique , ut illius octavi testis subscriptio adhibeatur. Quæ omnia solemnia etiam in cæcorum codicillis sine ulla diminutione observanda sunt , *d. l. 8.*

*Ad s. ult.*

**E**JUS, qui apud hostes est, testamentum, quod ibi fecit, non valet, quamvis redierit; sed quod, dum in civitate fuerat, fecit; sive redierit, valet jure postliminii; sive illic decesserit, valet ex lege Cornelia.

**S T A T U S** denique impedit servum ne testamentum faciat; 1º quia nullam habet, neque juris civilis, neque prætorii communionem, *l. 20. §. servus, ff. qui testam. fac. poss.* 2º quia nec hereditatem, nec heredem habet, *l. servus, C. comm. de success.* Jure tamen singulari, licuit olim servo publico sive Prætoris de dimidia parte peculii testari, *Vlp. tit. 20. §. ult.* Servis quoque cubiculariis Principis de omnibus bonis testari permittitur, *l. pen. C. de prepositis sacri cubiculi, lib. 12.* Sed hoc in illis minus mirum est; quia ubi primum devotissimis cubiculariis fuerint sociati, ad conditionem libertatis ingenuitatisque rapiuntur. Hoc enim privilegium videtur principalis esse Majestatis, ut non famulorum, sicut privatae conditionis homines, sed liberorum honestis utatur obsequiis, *d. l. pen.*

Ex his sequitur, eum qui captus est ab hostibus testari non posse, cum servus hostium fiat, *§. sunt sup. de jur. person.* Sed illud testamentum, quod ante captivitatem factum est, duplice iuris fictione consistit. Nam si redeat ab hostibus, jure postliminii numquam apud hostes fuisse intelligitur, *l. postliminium, ff. de captiuis & postlimin. reversis.* Sin autem apud hostes decesserit, fictione L. Corneliae intelligitur ipso momento captivitatis decessisse; seu (ut alii loquuntur) hora præambula captivitatis, *l. 12. ff. b. t.*

Peregrini & his similes, quos pena deportationis ad peregrinitatem redigit, *l. 10. §. sed si per paenam, ff. de in jus voc. testamentum facere non possunt, l. 8. §. 1. & 2. ff. b. t.* quia hoc jus proprium est Civium Romanorum, *l. 1. in pr. ff. ad L. Falcid.* Peregrini autem & deportati, habent quidem quæ sunt juris gentium; non tamen ea quæ sunt juris civilis, *l. 15. in pr. ff. de interd. & releg.* Nec dubium esse debet, quin testamenti factio, quantum ad formam, sit juris civilis, quamvis sit juris gentium quoad originem, ut recte sensisse videtur Theoph. *ad §. 1. sup. de jur. nat.*

Idem denique sentiendum est de damnatis in metallum vel ad bestias, *d. l. 8. §. ult.* quia sunt mortui civiliter. Sicut autem illi qui passi sunt naturalem, nullos possunt exercere actus naturales; ita quoque mortui civiliter, ab omnibus civilibus actibus excluduntur.



# TITULUS XIII.

## DE EXHÆREDATIONE LIBERORVM.

*Ad Princ.*

**N**ON tamen, ut omnino valeat testamentum, sufficit hæc ob-servatio, quam supra exposuimus; sed qui filium in potestate habet, curare debet ut eum hæredem instituat, vel exhæredem eum nominatim faciat: alioqui si eum silentio præterierit, inutiliter testabitur: adeò quidem, ut si vivo patre, filius mortuus sit, ne-mo hæres ex eo testamento existere possit, quia scilicet ab initio non constiterit testamentum. Sed non ita de filiabus, & aliis per virilem sexum descendantibus liberis utriusque sexûs antiquitati fuc-rat observatum: sed si non fuerant scripti hæredes, scriptæve, vel ex-hæredati, exhæredatæve; testamentum quidem non infirmabatur, jus tamen accrescendi eis ad certam portionem præstabatur. Sed nec nominatim eas personis exhæredare parentibus necesse erat, sed licebat inter cæteros hoc facere. Nominatim autem quis exhæredari videtur, sive ita exhæredetur, *Titius filius meus exhæres esto;* si-ve ita, *filius meus exhæres esto,* non adjecto proprio nomine, scili-cet si alias filius non extet.

**V**ERBIS Legis 12. tab. amplissima potestas testandi patribus familias con-cessa fuerat. Sed id legibus, & constitutionibus, & prudentum interpretatio-ne coangustatum est, *l. 120. ff. de verb. sign.* Quod elucet maximè circa præteritionem & exhæredationem liberorum, qui sui hæredes sunt. Præteritio † est prætermissio institutionis vel exhæredationis. Idque adeò verum est, ut quam-vis liberis legata aliqua vel fideicomissa relinquantur, non tamen ideo minus dicantur testamento præteriti, §. *eadem infra de hæred. qual. & differ. & §. 1. inf. b. t.* Exhæredatio hoc loco † est hæreditatis ademptio, id est suorum hæ-re-dum à succedendi jure exclusio. Unde fit ut exhæredatio dicatur iura suitatis abs-cindere, *l. 9. §. si filium, ff. b. t.* Dixi suorum hæredum; quia ridicula res est exhæredatio in persona extranei, *l. quidam, ff. de verb. oblig.* Sui hæredes † di-cuntur liberi in potestate parentis constituti, quos nemo gradu præcedit, §. *sui autem infra de her. qual. & differ.* Suitas itaque † nihil est aliud, quām condi-tio & prærogativa suorum hæredum. Hæc tanta est, ut vivo parente rerum om-nium paternarum domini esse credantur; eoque mortuo earum dominium non tam acquirere quām acquisitum continuare intelligantur, *l. in suis, ff. b. t.* Qui-

bus ita præmissis; agemus primùm in hoc tit. de exhæredatione liberorum, postmodùm verò de illa præteritione quæ vim habet exhæredationis.

Interpretatione Prudentum inductum est, ut testamentum non valeat si in eo sui hæredes præteriti sint; vel quia testamentum sine hæredis institutione non valet, quæ est caput ac fundamentum totius testamenti, §. ante hæredis, infra de legatis. Quæ institutio videtur deficere, si liberi non fuerint instituti, quibus ratio naturalis, tamquam lex quædam tacita, paternam addicit hæreditatem, l. ult. ff. de bon. damnat. Vel quia visum est patris bona non posse in extraneum transferri, nisi prius suo hæredi adempta sint: duo siquidem uni in solidum hæredes esse non possunt, l. 141. ff. de reg. jur.

Verùm filii à filiabus & nepotibus cæterisque per virilem sexum descendentibus differunt. Nam qui filium præterit frustra testatur. Sed si filia vel simili persona præterita sit, valet testamentum, & datur tantum personæ præteritæ jus accrescendi usque ad certam portionem; ita ut virilem auferat scriptis hæredibus, si sui hæredes sint, vel dimidiā si sint extranei, Ulp. tit. 22. §. ex suis & seq. & Theoph. hoc loco. Præterea licet jure vetustissimo non minus filii quam filiæ ac cæteri liberi potuerint exhæredari inter cæteros, l. ult. §. scimus C. b. t. id tamen correctum est in persona filii ex jure posteriori, (quod comparisonē habitâ cum jure postremo quod nunc obtinet antiquum appellatur hoc loco:) ita ut filius non possit exhæredari, nisi nominatim aut per demonstrationem, quæ vice proprii nominis fungatur. Ratio diversitatis est, quia arctius esse videbatur vineulum suitatis ac potestatis in filio, quam in filia & in cæteris suis hæredibus; quod vel sola diversitas in ritu legitimæ emancipationis, ostendit, quam exposuimus ad §. præterea supra quib. mod. jus pat. pot. sol. Exhæredatio fieri dicitur nominatim, si fiat addito proprio nomine ejus qui exhæredatur; v. g. Titius filius meus exhæres esto; vel additâ demonstratione, quæ vice proprii nominis fungatur; v. g. filius meus Mævius exhæres esto. Inter cæteros vero fieri dicitur hâc formulâ; Mævius mihi heres esto, cæteri exhæredes sunt.

## Ad §. I.

**P**OStHUMI quoque liberi, vel hæredes institui debent, vel exhæredari. Et in eo par omnium conditio est, quod & filio posthumo, & quolibet ex cæteris liberis, sive foeminini sexūs, sive masculini, præterito: valet quidem testamentum, sed postea adgnatione posthumi sive posthumæ rumpitur, & eâ ratione totum infirmatur. Ideoque si mulier, ex qua posthumus aut postuma sperabatur, abortum fecerit; nihil impedimento est scriptis hæredibus ad hæreditatem adeundam. Sed foeminini quidem sexūs personæ, vel nominatim, vel inter cæteros exhæredari solebant; dum tamen, si inter cæteros exhæredarentur, aliquid eis legaretur, ne viderentur præteritæ esse per oblivionem. Masculos verò posthumos, id est, filios, & deinceps, placuit non aliter rectè exhæredari, nisi nominatim exhæredarentur, hoc scilicet modo, *Quicumque mihi filius genuitus fuerit, exhæres esto.*

**P O S T H U M I** sunt qui post mortem vel post testamentum patris nascuntur; idque indistinctè verum est sive vivo sive mortuo patre nascantur, *l. i. c. de posthum. hæred. instit. l. 12. in princ. de injust. rmp. & irrit. fact. test.* Et Cuiacius, *lib. 2. Instit. tit. de testamentis, §. posthumus*, in quibus locis fit expressa mentio posthumi, qui vivo patre natus est. Et reverà vox hæc *posthumus* ex se nihil aliud significat quam *posterior* & *postremus*; & videtur fuisse superlativus positivi *posterus*: ut sicuti pro *extremus* dicitur *extimus*, ita etiam pro *postremus* dictum fuerit *posthumus*, remanente litterâ *V* ex usu Veterum, qui dicebant, *optimus*, *peffimus* & *maximus*, cuius rei plurima extant exempla apud Plautum passim. Id probant loci duo Tertulliani. Nam *in suo Scorpiaco adversus Gnosticos, cap. 1.* caudam ait esse quodcumque de posthumo corporis propagatur & verberat. Et rursùm *in libro de resurrectione carnis, cap. 45.* et si ordine posthemat, effectu tamen anticipat. Confirmat insuper doctissimus Savaro *ad lib. 3. Sidon. Apollin. Epist. 12. ex glossis Mss. Isidori*, ubi *posthumus* explicatur *ultimus*, *novissimus*. Ex quibus apparet, non esse assentiendum A. Gellio, *lib. 2. cap. 16.* redarguenti Cæsellium vindicem, quod *posthumam prolem* exposuerit, quæ *postremo loco nata est*, in illis versibus Poëtae 6. Æneid.

*Sylvius Albanum nomen, tua posthuma proles,*

*Quem tibi longevo serum Lavinia conjux*

*Educet sylvis Regem, Regumque parentem.*

Duo obstat evidenter argumenta, quibus utuntur adversarii ut vulgatam opinionem tueantur. Primus est, quod *posthumus* scribatur cum nota aspirationis, & ira dicatur, quasi post humatum patrem natus: ad quod respondeo primum *ex Aulu-Gell. lib. 2. cap. 3.* Veteres eam notam saepius inseruisse vocibus firmans, ut sonus earam esset viridior ac vegetior: præterea vocem illam *posthumus* scribi solitam apud Veteres sine aspiratione, & apud Theoph. legi semper *πόστημα*; non vero *πόσθυμος*.

Alterum argumentum petitur *ex l. 3. §. 1. ff. de injust. rupt. & irr. fac. testam.* ubi sic loquitur Ulp. *Posthumos autem dicimus eos dumtaxat, qui post mortem parentis nascuntur.* Verum in his verbis non continentur definitio posthumorum; sed sequela tantum & expositio verborum quæ præcedunt in pr. ejusdem legis, ubi Ulp. monet posthumos ad similitudinem filiorum exhæredandos esse, id est eodem jure civili utrorumque exhæredationem fieri. Sed quia hæc juris sententia nimis est generalis, statim subjungit, sed hoc dicere seu intelligere de illis dumtaxat posthumis, qui post mortem patris nascuntur: eo quod posthumos vivo patre natos Lex Julia Velleia speciali formulâ & speciali jure exhæredari permittat. *V. Ulp. tit. 22. §. eos.*

Conveniunt in eo posthumi sui cum suis hæredibus jam natis, quod parentum testamenta infrinet eorum præteritio. Posthumos suos † appellamus illos, qui si nascerentur vivo parente, sui hæredes ei futuri essent. Quatuor ramen inter posthumos suos & jam natos suos hæredes notanda sunt discrimina. Primum est, quod melior sit conditio filiæ posthumæ, quam jam natæ. Nam filia posthuma totum rumpit paternum testamentum, in quo præterita est. Filiae vero jam natæ, quæ præterita est, datur tantum jus accrescendi usque ad certam portionem. Ratio disparitatis esse videtur, quia cum bene semper sentendum sit de paterna in liberos pietate, filiae posthume creduntur præterita per oblivionem. Sed filiae jam natæ videntur à patre præteritæ de industria & ani-

mo exhæredandi; non per oblivionem, cùm nemo liberorum quos habet facile obliviscatur. Secundum discrimen est, quòd filia posthumæ non possint exhæredari inter cæteros, nisi aliquid eis legetur; ne alioquin videantur præteritæ per oblivionem. Filia verò jam nata, in qua cessat hæc præsumptio, rectè exhæredatur inter cæteros, licet nullum ei legatum relinquatur. Tertia disparitas est, quòd testamentum, in quo sui hæredes jam nati prætereuntur, non valeat ab initio, idèque per mortem illorum antè pater non convalescat, *l. quod ab initio, ff. de reg. jur.* At verò illud, in quo posthumæ sui prætereuntur, valet ab initio; quia reverà qui est in utero nullam habet personam, sed est tantum spes animantis, *l. 2. ff. de mort. infer.* & ad summum est portio tantum quædam viscerum matris, *l. 1. §. 1. ff. de inspic. ventre.* Ideòque testamentum non rumpitur, si mulier ex qua posthumus sperabatur abortum fecerit, id est mortuum pepererit. Qui enim mortui nascuntur, procreati non videntur, *l. 129. ff. de verb. signif.* Quarta denique disparitas est, quòd melioris sit conditionis filius jam natus, quam nepos jam natus, ut supra dictum est. Posthumus verò filius & posthumus nepos eodem jure censemur. Nam uterque exhæredari dedit nominatim, & uterque præteritus totum testamentum agnascendo rumpit. Neque enim videtur filius posthumus magis patri conjunctus antequam nascatur, quam posthumus nepos: cuius posthumæ nepotis præsumetur facilè facta oblio, si inter cæteros exhæres fieret.

Formula exhæredandi posthumos hæc fuisse videtur: *Quicumque mihi filius vel nepos genitus fuerit, exhæres esto. Ceteri quoque exhæredes junto. Si qua mihi filia posthuma mihi genita fuerit, ei centum do, lego.*

*Ad §. Posthumorum.*

**P**O STHUMORUM autem loco sunt & hi qui in sui hæredis locum succedendo, quasi-agnascendo sunt parentibus sui hæredes; ut ecce: si quis filium, & ex eo nepotem neptemve in potestate habeat; quia filius gradu præcedit, is solus jura sui hæredis habet, quamvis nepos quoque & neptis ex eo in eadem potestate sint. Sed si filius ejus vivo eo moriatur, aut quâlibet aliâ ratione exeat de potestate ejus, incipit nepos neptisve in ejus locum succedere, & eo modo jura suorum hæredum quasi-agnatione nanciscuntur. Ne ergo eo modo rumpatur ejus testamentum, sicut ipsum filium, vel hæredem instituere, vel nominatim exhæredare debet testator, ne non jure faciat testamentum; ita & nepotem neptemve ex filio necesse est ei vel hæredem instituere, vel exhæredare; ne forte eo vivo filio mortuo, succedendo in locum ejus nepos neptisve, quasi-agnatione rumpat testamentum. Idque Lege Juliâ Velleiâ provisum est, in qua similis exhæredationis modus ad similitudinem posthumorum demonstratur.

V E R I S posthumis adjungendi sunt quasi-posthumæ Velleiani, † id est ne-

potes ante avi testamentum nati, qui mortuo vel emancipato post avi testamentum patre, suorum hæredum jura nanciscuntur. Nam cum hi nepotes vivo patre unam dumtaxat fuitatis conditionem habent, quod sunt in avi potestate; per mortem aut emancipationem patris, alteram acquirunt, quod scilicet nemo eos gradu præcedat. Atque ideo dicuntur quasi-agnasci; quia quantum ad jura fuitatis attinet, perinde est ac sui hæredes de novo agnascerentur. Ex sua illa quasi-agnatione rumpunt testamentum avi, in quo fuerunt præteriti. Cum igitur nepotes illi exhæredari non possint; quia inepta res est exhæredatio in persona extranei, l. quidam 132. ff. de verb. obl. ad hoc ut eorum nepotum quasi-agnatione testamentum non rumperet, Lege Juliæ Velleiæ provisum est, ut nepotes hujusmodi possent exhæredari. Eâ quoque lege formula exhæredandi illos nepotes introducta est, ad similitudinem eorum qui verè posthumi sunt: ita ut masculi nominatim, foeminae vero inter cæteros exhæredentur.

Quæ formula hujusmodi fuisse videtur; *Si filius meus vivo me morietur, aut alio modo in potestate mea esse desinet, tum nepos ex eo mihi jam natus exhares esto, ceteri quoque exhæredes sunt.*

#### *Ad §. Emancipatos.*

**E**MANCIPATOS liberos jure civili neque hæredes instituere, neque exhæredare necesse est; quia non sunt sui hæredes. Sed Prætor omnes, tam foemini sexus, quam masculini, si hæredes non instituantur, exhæredari jubet; virilis sexus nominatim; foemini vero, inter cæteros: quia si neque hæredes instituti fuerint, neque ita (ut diximus) exhæredati, permittit eis Prætor contra tabulas testamenti bonorum possessionem.

**L**IBEROS emancipatos jure quidem civili hæredes instituere vel exhæredare non est necesse; cum sui hæredes non sint, qui non sunt amplius in sacris paternis constituti. Sed Prætor naturali aequitate motus, quæ tamquam lex quædam tacita liberis paternam addicit hæreditatem, l. ult. ff. de bon. damnat. dat illis bonorum possessionem contra tabulas, id est contra illud quod scriptum est in tabulis, quæsito colore fuitatis & rescissâ emancipatione, l. 6. §. 1. ff. de bon. possess. Dixi quæsito colore; quia Prætor querit semper colorem legis, ne aliquid ex se moliri videatur; sed inniti semper principiis civilibus. Cum igitur ille color cesseret in testamentis foeminarum, quæ numquam habent suos hæredes; ideo ad testamenta foeminarum, numquam pertinet bonorum possessio contra tabulas, l. 4. §. ad testamenta, ff. de bon. poss. cont. tab.

#### *Ad §. Adoptivi.*

**A**D OPTIVI liberi, quamdiu sunt in potestate patris adoptivi, ejusdem juris habentur, cujus sunt justis nuptiis quæsiti. Itaque hæredes instituendi, vel exhæredandi sunt secundum ea, quæ de naturalibus exposuimus. Emancipati vero à patre adoptivo, ne-

que jure civili, neque [ eo jure ] quod ad edictum Prætoris attinet, inter liberos connumerantur. Quâ ratione accidit ut ex diverso (quod ad naturalem parentem attinet) quamdiu quidem sunt in adoptiva familia, extraneorum numero habeantur; ut eos neque hæredes instituere, neque exhæredare necesse sit: cùm vero emancipati fuerint ab adoptivo patre, tunc incipient in ea causa esse, in qua futuri essent, si à naturali patre emancipati fuissent.

L I B E R I adoptivi constante adoptione eadem habent jura in bonis patris adoptivi, quæ habent filii naturales integræ juris; quia adoptio naturam imitatur, §. *fæmina supra de adopt.* Sin autem adoptio fuerit per emancipationem dissoluta, nullum è pristino remanet vestigium; & jus omne filii filiæque quod per adoptionem consecuti sunt, alia civili ratione, id est emancipatione, deperdant, §. *minus autem, infra de hered. quæ ab intest. defer.* At in bonis patris naturalis, si constante adoptione moriatur, nihil juris habent filii adoptivi, nec dat eis Prætor bonorum possessionem contra tabulas; cessat quippe eo casu omnis commiserationis intuitus. Neque enim potest conqueri filius de patre naturali, qui alium ei patrem assignavit; unde jacturam paternæ illius hæreditatis compenset, leg. 18. ff. *de bon. poss. contrah.* Cujus jacturæ solitus compensanda gratia, videtur hæc bonorum possessio filiis emancipatis fuisse concessa. Sin autem filii adoptivi emancipati sint ante mortem patris naturalis in cuius testamento facerant præteriti, dabitur illis contra illud testamentum bonorum possessi, contra tabulas sicut cæteris emancipatis; quia utrobique viget eadem ratio. Ubi autem militat eadem ratio, ibi quoque idem jus servandum est, l. 32. in pr. ff. ad L. Aquil.

*Ad §. Sed hec quidem.*

S ED hæc quidem vetustas introducebat, nostra vero constitutio inter masculos & fœminas in hoc jure nihil interesse existens; quia utraque persona in hominum procreatione simili naturæ officio fungitur, & lege antiquâ [ duodecim tabularum ] omnes similiter ad successionem ab intestato vocabantur, quod & Prætores postea secuti esse videntur: ideo simplex ac simile jus, & in filiis, & in filiabus, & in cæteris descendentiibus per virilem sexum personis, non solum jam natis, sed etiam posthumis, introduxit: ut omnes, sive sui, sive emancipati sint, vel hæredes instituantur, vel nominatum exhæredentur; & eundem habeant effectum circa testamenta parentum suorum inservanda, & hæreditatem auferendam, quem filii sui, vel emancipati habent, sive jam nati sint, sive adhuc in utero constituri, postea nati sunt. Circa adoptivos autem [ filios] certam induximus divisionem, quæ in nostra constitutione, quam superadoptivis tulimus, continetur.

**SUPRADICTA** omnia liberorum discrimina, quantum ad sexum & gradum. Just. sua constitutione sustulit in suis hæredibus, sive jam natis, sive posthumis, aut quasi-posthumis; nec-non etiam in emancipatis, l. ult. C. b. t. ita ut hodie filiæ & nepotes non minus quam filii debeat hæredes institui vel nominatim exhæredari; quia qui tales sexum differentias constituunt, quasi naturæ accusatores existunt, d. l. ult. Et quia debet liberos jungere æqualis gratia, quos junxit æqualis natura. Dixi quantum ad sexum & gradum; quia Imp. neque hoc loco, neque in d. l. ult. sustulit discriminem inter suos hæredes & emancipatos; sed illud tantum tollere incepit in Nov. 118.

*Ad §. pen.*

**S**E D si in expeditione occupatus miles testamentum faciat, & liberos suos jam natos, vel posthumos nominatim non exhæredaverit, sed [ silentio ] præterierit, non ignorans, an habeat liberos; silentium ejus pro exhæredatione nominatim factâ valere, constitutionibus Principum cautum est.

**PRÆTERITIO** liberorum in testamento militis pro exhæredatione nominatim factâ habetur, si modo sciverit miles se habere liberos; quia sola militis voluntas in testando spectatur, l. ult. ff. de test. militis. Aliud dicendum est, si id ignoraverit, l. 9. & l. 10. C. eod. quia errantis nulla est voluntas, l. 8. & 9. C. de jur. & fact. ignor. Quod summâ æquitate inductum videtur; ne alioquin ex nimis exacta privilegii militaris observatione, vera militum judicia subvertantur; quod jus civile non patitur, l. 6. C. de legib.

*Ad §. ult.*

**M**ATER, vel avus maternus, necesse non habent liberos suos aut hæredes instituere, aut exhæredare; sed possunt eos silentio omittere: nam silentium matri, aut avi materni, & cæterorum per matrem ascendentium tantum facit, quantum exhæredatio patris. Neque enim matri filium filiamve, neque avo materno nepotem neptemve ex filia, si eum eamve hæredem non instituat, exhæredare necesse est; sive de jure civili queramus, sive de edicto Prætoris, quo [ Prætor ] præteritis liberis contra tabulas bonorum possessionem permittit; sed aliud eis adminiculum servatur, quod paulò post vobis manifestum fiet.

**M**ATRIS quoque & avi materni præteritio tantum facit, quantum exhæredatio patris; sive mater & avus sciverint se habere liberos, sive ignoraverint; quia hujusmodi personæ suos hæredes non habent, l. 4. §. ad testamenta, ff. de bon. possess. cont. tab. Sed datur liberis præteritis eo calu inofficiosi querela, de qua infra proprio titulo agetur,

Ceterū hodie ex Nov. 115. cap. 3. patris & matris testamenta in hac parte non differunt; ita ut utraque persona æqualiter teneatur filios suos hæredes instituere, aut additā justā causā exhäuserare, quæ cūusa debet esse una ex quatuordecim causis enumeratis in d. cap. 3. Alioquin enim inutile erit hujusmodi testamentum. Prima causa est, si quis parentibus suis manibus intulerit. II. Si gravem & inhonestam injuriam eis ingesserit. III. Si eos in criminalibus causis accusaverit, quæ non sunt adversus Principem, sive Rempublicam, quod crimen ideo excipitur, quia privatorum commodis derogandum est, ut publicæ utilitati consulatur, auth. res que, C. commun. de legat. IV. Si cum maleficiis hominibus ut maleficus versatur. V. Si vitæ parentum suorum per venenum aut alio modo insidiari tentaverit. VI. Si novercæ aut concubinæ patris filius se immiscuerit. VII. Si delator, id est calumniator, συνοργαντης, contra parentes filius extiterit, & per suam delationem gravia eos dispendia fecerit sustinere. VIII. Si pro patre in carcerem conjecto fidejubere noluerit. IX. Si prohibuerit patrem testamentum condere. X. Si præter voluntatem parentum, inter arenarios vel mimos sese filius sociaverit; nisi fortè parentes ejusdem professionis fuerint. XI. Si filia parenti volenti eam in matrimonio collocare & dotem constitueret non consenserit; sed luxuriosam vitam degere maluerit; nisi fortè parentes ejus matrimonium usque ad 25. annos completos distulerint. XII. Si filius patrem furiosum curare vel nutritre neglexerit. XIII. Si patrem captivum filius redimere recusaverit. Nam pater reversus poterit eum exhäuserare: si autem in captivitate decesserit, bona auferuntur filio tamquam indigno, & applicantur Ecclesiæ, & in captivorum redemptionibus expenduntur; ut unde illi à suis non sunt redempti, aliorum redemptio procuretur. XIV. Denique causa est, si filius sit hæreticus. Hæc tamen non sufficit in hoc regno, ubi Edicto Nanneuenti permisus est Calvinistis liber usus suæ religionis ad compescenda belli civilis incendia. Sed in locum ejus addenda est nova causa exhäuserationis ab Henrico II. Galliarum Rege instituta: si filius minor 30. annis vel filia minor 25. sine consensu parentis matrimonium contraxerit. Ex his sequitur, filium posthumum aut puerum recens natum, exhäuserari hodie non posse. Quid enī potuit commissile talis puer unde exhäuserari mereatur? Quibus convenit illud Canaces apud Ovid. in Epist. ad Macareum.

*Quid puer admisit tam paucis editus horis?*

*Quo lœsi facto, vix bene natus, avum?*



## T I T U L U S X I V.

### D E H Ä R E D I B U S I N S T I T U E N D I S.

*Ad Princ.*

**H**ÆRDES instituere permisum est, tam liberos homines, quam servos; & tam proprios, quam alienos.

Proprios autem olim quidem, secundum plurium sententias non

aliter, quām cum libertate, rectē instituere licebat: hodie verō etiam sine libertate, ex nostra constitutione hæredes eos instituere permisum est. Quod non per innovationem induximus, sed quoniam æquius erat, & Atilicino placuisse Paulus suis libris, quos tam ad Maserium Sabinum, quām ad Plautium scriptis, refert. Proprius autem servus etiam is intelligitur, in quo nudam proprietatem testator habet, alio usumfructum habente.

Est tamen casus in quo nec cum libertate utiliter servus à domina hæres instituitur, ut constitutione Divorum Severi & Antonini cayetur, cujus verba hæc sunt: Servum adulterio maculatum, non jure testamento manumissum ante sententiam ab ea muliere videri, quæ rea fuerat ejusdem criminis postulata, rationis est. Quare sequitur, ut in euindem à domina collata hæredis institutio, nullius momenti habeatur. Alienus servus etiam is intelligitur, in quo usumfructum testator habet.

**H**UJUS tituli tres sunt partes. I. Exponit qui possint hæredes institui. II. Docet ex qua parte fiat institutio. III. denique, modos hæredis instituendi variis complectitur. Institutio hæredis † nihil est aliud, quām hæredis scriptio aut nuncupatio testamento facta. Hæres † est ille, qui sucedit in universum jus quod defunctus habet tempore mortis, leg. hereditas 63. ff. de regulis iuris. Possunt autem hæredes institui, non tantum liberi homines, sed etiam servi; nec solum proprii servi, sed etiam alieni. Servus proprius testatoris † intelligitur, sive plenam sive nudam tantum in eo proprietatem habeat, alio usumfructum habente. Et vice versa, alieni servi † dicuntur non tantum illi, in quibus testator nullum jus habet; sed etiam illi quorum habet usumfructum, dominio penes alterum remanente. Servus proprius olim non potuit hæres institui, nisi cum libertate. Sed ex constitutione Justiniani firmata est quorumdam veterum sententia existimantium, eum sine libertatem hæredem scriptum tacitè libertatem directam accepisse videri, l. pen. C. de necessar. serv. hæred. instit. Sed hoc non procedit, quando servus adulteri cum domina commissi accusatus, ab ea quomodocumque hæres scriptus est, sive cum libertate, sive absque ulla libertatis mentione: tunc enim illa institutio ipso jure nulla est, l. 48. ff. b. t. ne ex suo scelere lucrum percipere possit servus, qui ex illo pœnam debuit formidare.

*Ad §. I.*

**S**ERVUS autem à domino suo hæres institutus, siquidem in eadem causa manserit, sit ex testamento liber, hæresque ei necessarius. Si verō à vivo testatore manumissus fuerit, suo arbitrio adire hæreditatem potest; quia non sit hæres necessarius, cùm utrumque ex domini testamento non consequatur. Quod si alienatus fuerit, jussu novi domini adire hæreditatem debet, & cā ratione per

eum dominus sit hæres : nam ipse alienatus , neque liber , neque hæres esse potest , etiamsi cum libertate hæres institutus fuerit : destitisse enim à libertatis datione videtur dominus , qui eum alienavit. Alienus quoque servus hæres institutus , si in eadem causa duraverit , jussu ejus domini adire hæreditatem debet. Si vero alienatus fuerit ab eo , aut vivo testatore , aut post mortem ejus , antequam adeat , debet jussu novi domini adire. At si manumissus est vivo testatore , vel mortuo antequam adeat , suo arbitrio adire potest hæreditatem.

**EFFECTUS** institutionis in servo proprio & alieno diversus est. Nam servus proprius si in eodem statu permanferit , atque ita libertatem simul & hæreditatem ex testamento ipsius consequatur , fiet ei statim ipso jure hæres necessarius. Aliud juris est , si à vivo domino manumissus fuerit vel alienatus : nam si manumissus sit , fiet ei per aditionem hæres extraneus ac voluntarius. Sin autem fuerit alienatus , novo domino acquirat hæreditatem , postquam jussu ejus adierit : hæreditas enim servo relicta cum dominio ambulat , l. 2. §. ult. ff. de bon. possess. sec. tab.

*Ad §. Servus etiam.*

**S**ERVUS etiam alienus post domini mortem , rectè hæres instituitur ; quia & cum hæreditariis servis est testamenti factio. Nondum enim adita hæreditas , personæ vicem sustinet , non hæredis futuri , sed defuncti ; cùm etiam ejus , qui in utero est , servus rectè hæredis instituatur.

**QUAMVIS** servus ex se personam non habeat , eamque accipiat à domino , ideoque nihil ex testamento capere possit , nisi dominus ejus testamenti factionem passivam habeat ; rectè tamen instituitur hæres servus , cuius dominus jam mortuus est , & jacente etiamnum illâ hæreditate : & valet quoque ista institutio , *Siclus post domini mortem hæres meus esto* ; quia hæreditas jacens vicem defuncti sustinet , l. 34. ff. de acquir. rer. domin. à qua hæreditate jacente servus hæreditarius utroque hoc casu testamenti factionem passivam accipit. Dixi vicem defuncti sustinet ; non autem dixi quod sustineat vicem hæredis futuri ; quia certum est , etiam ex veteri jure , servum ejus qui est in utero rectè hæredem institui. Atqui ille servus testamenti factionem , quam habet , non habet à se ipso , cùm nullam juris civilis aut Prætorii habeat communionem , l. 20. §. servus , ff. qui testam. fac. poss. Rursus non potest eam accipere ab illo posthumo , cùm illam posthumus non habeat , saltem ex jure antiquo , §. incertis infra de legat. Necessarium est igitur , ut eam accipiat à defuncto.

## Ad §. Servus autem.

**S**ERVUS [autem] plurium, cum quibus testamenti factio est, ab extraneo institutus hæres, unicuique dominorum, cuius jussu adierit, pro portione dominii acquirit hæreditatem.

SERVUS communis plurium dominorum, cum quibus testamenti factio est, institutus hæres ab extraneo, uniuscujusque domini jussu adeundo, hæreditatem unicuique acquirit pro portione dominii, quam quisque habet in eo servo: ita ut qui dominus est servi ex triente, acquirat tertiam partem hæreditatis, & sic de cæteris. Sed uno ex dominis repudiante, cæteris dominis jubentibus aditionem, ejus pars accrescit, *l. servus communis, ff. de acquir. hered.* ne alioquin defunctus pro parte bonorum testatus, & pro parte intestatus reperiatur; quod jus nostrum in paganis non patitur, *l. 7. ff. de reg. jur.* Dixi ab extraneo, id est ab eo qui dominus non est; quia si unus ex dominis servum communem hæredem scripserit, aliud juris est: tunc enim cessante, ut diximus, veteri jure accrescendi, *§. ult. sup. de donat.* libertas ei servo competit, & sit domino illi suo hæres necessarius, *l. un. in pr. & §. I. Cod. de commun. servo manum.*

## Ad §. Et unum.

**E**T unum hominem, & plures, usque in infinitum, quot quis hæredes velit facere, licet.

UNIUS & ejusdem hominis plures hæreditates esse non possunt, *l. 33. ff. de excus.* possunt tamen esse plures hæredes, idque in infinitum: ita ut nullus sit certus hæredum numerus legibus definitus. Quo casu singuli in solidum hæredes non sunt, *l. 141. §. I. de reg. jur.* sed pro partibus dumtaxat hæreditatiis onera & lucra ejus hæreditatis inter se invicem partiuntur. Par est igitur ut hæreditatis in partes suas distributionem expendamus; quæ est secunda pars tituli.

## Ad §. Hæreditas.

**H**ÆREDITAS plerumque dividitur in duodecim uncias, quæ assis appellatione continentur. Habent autem & hæ partes propria nomina ab uncia usque ad assem, ut putà hæc: sexcunx, sextans, quadrans, triens, quincunx, semis, septunx, bes, dodrans, dextans, deunx, as. Non autem utique [semper] duodecim uncias esse oportet: nam tot unciae assem efficiunt, quot testator voluerit: & si unum tantum quis ex semisse (verbi gratiâ) hæredem scripserit, totus as in semisse erit. Neque enim idem ex parte testatus, & ex parte intestatus decedere potest,

nisi

nisi sit miles , cuius sola voluntas in testando spectatur. Et è contrario , potest quis in quotcumque voluerit plurimas uncias suam hæreditatem dividere.

HÆREDITAS tota solet dividiri in duodecim partes , quæ singulæ habent propria nomina quæ sequuntur : **Uncia** , **sexcunx** , **sextans** , **quadrans** , **triens** , **quinquacunx** , **semis** , **septunx** , **bes** , **dodrans** , **dextans** , **deunx** , **as**. **Uncia** † ab unitate dicta , significat duodecimam partem assis : **Sexcunx** , † id est uncia & dimidia pars assis : **Sextans** † dictus quasi sexta pars assis , continet duas uncias. **Quadrans** , † id est quarta pars assis , est trium dumtaxat unciarum. **Triens** , † id est tertia pars assis , quatuor uncias complectitur. **Quincunx** , † ut patet ex sola vocis pronunciatione , quinque uncias designat. **Semis** † *quasi semi-as* dictus est , & constat sex unciiis , quæ dimidium assis constituant. **Septunx** † septem uncias aperte demonstrat. **Bes** † accipitur pro octo unciiis. Ratio nominis obscura est. Nec placet sententia Varronis , lib. 4. de ling. Lat. quodd sit dictus bes quasi des , à dempto triente. Magis placeret quod ait Salmasius , lib. 1. de medo usurarum , cap. 6. hoc nomen ita dictum esse quasi dues , quia continet duas partes assis : hucuti dixerunt Latini *bellum pro duello* , & *bis* pro *duis* ; & *bonum* pro *duonum* apud Festum. Nam & Græci appellant *bessem* διποίγον , id est duas partes ex tribus. **Dodrans** † dicitur quasi demptus est quadrans , & significat novem uncias. **Dextans** † fuit appellatus quasi demptus sextans , & continet uncias decem. **Deunx** † à dempta uncia una nuncupatus , sumitur pro undecim unciiis. Duodecim denique unciae as appellantur. Videntur etiam fuisse appellatae *pondo* , vel *libra*. Nam Cicero lib. 7. ad Atticum *libellam* appellat ; & in iure nostro , viginti-quatuor unciae appellantur *tripondius* ; & similiter quoque *tripondii* nomine , triginta sex unciae significantur. Sunt & aliæ minores partes assis v. g. *semuncia* , id est dimidiapars unciae , & *sesquicunx* , sive *sesuncia* , id est una uncia & dimidia pars alterius unciae.

His ita præmissis , videndum est primò de divisione hæreditatis intra modum assis ; postmodùm verò de divisione ipsius in plures quam duodecim uncias. Et primò quidem sciendum est , partes quas testator expresserit esse servandas , ita ut si pauciores quam duodecim uncias expreaserit , iure tamen testatus fuisse videatur ; quia tot unciae alsem efficiunt , quot testator voluerit ; puta si dixerit , *Titius mihi ex uncia heres esto*. Quo casu , totus as in illa uncia continetur ; quia paganus non potest pro parte una bonorum testatus , & pro alia parte intestatus decidere , l. 7. ff. de reg. jur.

*Ad §. Si plures*

**S**I plures instituantur hæredes , ita demum in hoc casu partium distributio necessaria est , si nolit testator eos ex æquis partibus hæredes esse. Satis enim constat , nullis partibus nominatis , ex æquis partibus eos hæredes esse. Partibus autem in quorumdam personis expressis , si quis alius sine parte nominatus erit , siquidem aliqua pars assi deerit , ex ea parte hæres fit. Et si plures sine parte scripti sunt , omnes in eamdem partem concurrunt. Si verò totus as

completus sit, ii, qui nominatim expressas partes habent, in dimidiā partē vocantur; & ille vel illi omnes in alteram dimidiā. Nec interest, primus, an medius, an novissimus, sine parte hæres scriptus sit: ea enim pars data intelligitur, quæ vacat.

**A**t si partes nullas testator exp̄resserit, æquales secis̄e intelligitur, v. g. *Primus, Secundus, Tertius & Quartus mihi hæredes sunt*. Sed si partes in quibusdam hæredibus expressæ sint non in omnibus, illi qui sine parte scripti sunt, ad eamdem partem vocantur quæ vacat. Nam si dixerit testator, *Primus ex sextante, Secundus ex beſſe mihi hæres eſt*; *Tertius & Quartus mihi hæredes sunt*; eo casu *Tertius & Quartus ex eo sextante qui vacat instituti intelliguntur*, eumque inter se æqualiter partiuuntur: ita ut testator partem nulli concessam hæredi sine parte scripto intelligatur assignare voluisse, *l. quo loco, §. 1. ff. b. t.* Quod si nulla pars vacet, sed per partes jam expressas totus as completus sit, illi qui scripti sunt sine parte, oblinebunt dimidiā partem hæreditatis, inter se æqualiter dividendam. Qui autem scripti sunt ex parte, alteram dimidiā nanciscuntur, observata illâ divisione quam testator præscriperit; quia hæc intelligitur fuisse voluntas testatoris, ut totam hæreditatem in duos as̄es divideret.

*Ad §. Videamus.*

**V**IDEAMUS, si pars aliqua vacet, nec tamen quisquam sine parte sit hæres institutus, quid juris sit, veluti si tres ex quartis partibus hæredes scripti sunt. Et constat vacantem partem singulis tacitè pro hæreditaria parte accedere, & perinde haberri, ac si ex tertii partibus hæredes scripti essent. Et ex diverso si plures hæredes scripti in portionibus sint, tacitè singulis decrescere, ut si (verbi gratiâ) quatuor ex tertii partibus hæredes scripti sint, perinde habeantur, ac si unusquisque ex quarta parte hæres scriptus fuisset.

**S**IN autem partes à testatore malè exp̄ressæ sint, eo quod pars aliqua vacet intra alsem nulli adscripta; tunc ea pars hæredibus accrescit, pro portione partis ex qua scripti sunt hæredes, v. g. si *Primus ex quadrante, & Secundus ex semiſſe hæredes instituti sint*; ex quadrante reliquo qui vacat, unica uncia primo hæredi, duæ secundo accrescent. Et vice versa, si in sua institutione duodecim uncias testator excesserit, illud quod alsem excedit tacitè singulis pro hæreditaria parte decrescit, *l. 13. §. sed si excesserit, ff. b. t.* Ceterū facilior erit numerandi ac dividendi methodus, si statuerimus hereditatem non plures vel pauciores partes habere, quam testator exp̄resserit, cuius voluntas in testamento totum facit, *l. 35. §. rerum, ff. eod.*

Quo etiam modo ex eodem principio facile deciditur subtilis illa & elegans quæſtio, huic loco maximè conveniens, quam Arithmetici solent libris suis inferere, depromptam ex *l. 13. in princ. ff. de lib. & post. Titius in testamento suo ita scripſerat: Si filius mihi natuſ fuerit, ex beſſe hæres eſt*; ex

*reliqua parte uxor mea heres esto. Si vero filia nibi nata fuerit, ex triente heres esto; ex reliqua parte uxor heres esto. Mortuo testatore, filius & filia nati sunt ex eadem uxore. Quæsircum est, quomodo dividenda esset hæreditas? Respondet Julianus, asem distribuendum esse in septem partes; ut ex his filius quatuor, uxor duas, filia vero unam partem habeat: ita enim secundum voluntatem testatoris; filius altero tantò amplius habebit, quam uxor; item uxor altero tantò amplius quam filia. Atque hoc modo sola voluntas testatoris, de numero partium, & de proportione dupla inter hæredes servanda, omnem nondum hujus questionis dissolvit.*

*Ad §. Et si plures.*

**E**T si plures unciae, quam duodecim distributæ sint; is, qui si ne parte institutus est, quod dupondio deest, habebit. Idemque erit, si dupondius expletus sit. Quæ omnes partes ad asem postea revocantur, quamvis sint plurimum unciarum.

**Q**UÆCUMQUE dicta sunt de ase, eadem & de dupondio sunt intelligenda: ita ut si testator plures quam duodecim uncias distribuerit, & aliquem postmodum sine parte hæredem scriperit, is qui sine parte scriptus est, id quod dupondio deest nanciscatur. Et similiter quoque si testator plures quam viginti - quatuor uncias distribuerit, qui sine parte scriptus est, illud quod tripontio deest consequetur.

*Ad §. Hæres.*

**H**ÆRES & purè & sub conditione institui potest; ex certo tempore, aut ad certum tempus non potest: veluti, post quinquennium, quam moriar: vel ex Kalendis illis, vel usque ad Kalendas illas hæres esto. Denique diem adjectum, haberi pro supervacuo placet: & perinde esse, ac si purè hæres institutus esset.

**S**UPEREST ut varios modos quibus fit hæredis institutio, expendamus. Et primò quidem ex die certo, non rectè hæres instituitur: v. g. à quinto anno post mortem meam, *Mevius mihi heres esto*: ne aliquin defunctus pro una parte temporis testatus, & pro alia intestatus decebat; quod jus civile non patitur, l. 7. ff. de reg. jur. Non potest etiam usque ad certum tempus hæres institui, v. g. usque ad quintum annum post mortem meam, *Titius mihi heres esto*. Idque non solum propter eamdem rationem, sed etiam propter aliam; quia qui semel est hæres, non potest hæres esse delinere, l. 88. ff. b. t. Idemque dicendum arbitror, si institutus sit hæres usque ad certam conditionem. Sed tamen his casibus adjectio temporis vel conditionis pro non scripta habetur; & vitio illo sublato, valet hujusmodi institutio, l. 34. ff. eed. quia ex vulgata juris regula, ea quæ abundant, non solent vitiare scripturas. Sub conditione vero possibili rectè sit hæredis institutio, v. g. si navis ex Asia venerit, *Titius hæres esto*. Neque recurrit eo casu præsumptum juris impedimentum; quia conditionum ea

natura est, ut retrotrahantur, l. 8. §. quod si pendente, ff. de peric. & commod. rei vend. & l. 54. ff. de acquir. hered. tempus vero non retrotrahitur. Conditio † est adjectio quæ actum aliquem in futurum eventum suspendit, l. 37. cum duabus seqq. ff. de rebus cred.

*Ad §. Impossibilis.*

**I**MPOSSIBILIS conditio in institutionibus & legatis, nec non in fideicommissis & libertatibus, pro non scripta habetur.

**SIC U T** certi temporis, ita & conditionis impossibilis adjectio pro non scripta habetur in testamentis, l. 3. ff. de cond. & demonst. & pro mendo habetur, l. 1. ff. de condit. inst. Conditiones impossibilis † appellamus, non solum illas quibus natura impedimento est, quominus existant, v. g. si cælum digito tetigeris; sed etiam quæ legibus aut bonis moribus refragantur, v. g. si homicidium feceris, vel nudus per urbem ambulaveris; quia ea quæ facta lœdunt pietatem, existimationem, & verecundiam nostram; & generaliter quæ contra bonos mores sunt, neminem facere posse credendum est, l. 15. ff. de condit. inst. Dixi in testamentis; quia contrarium obtinet in omnibus contractibus, l. non solum, ff. de oblig. & act.

*Ad §. pen.*

**S**I plures conditiones in institutionibus adscriptæ sunt, si quidem conjunctim; ut putâ, si illud & illud factum fuerit, omnibus parendum est. Si separatim, veluti, si illud, aut illud factum erit; cuilibet [conditioni] obtemperare satis est.

**C O N D I T I O N E S** plures possibiles additæ testamento per particulam conjunctivam &, debent omnes adimpleri, ad hoc ut valeat institutio; quia omnes unius loco habentur, l. 5. ff. de condit. inst. & l. 129. ff. de verb. oblig. v. g. si navis ex Asia venerit, & Titius Consul fuerit, Mævius mihi heres esto. Sin autem disjunctim adjiciantur, id est per particulam disjunctivam aut, satis est uni & cui libuerit ex his conditionibus obtemperare; quia in alternativis alterutrum adimpleri sufficit, cap. in alternativis, de reg. jur. in 6.

Nihilominus tamen quoties pater filio suo ita substituit, si intestatus defecerit filius meus aut sine liberis, Mævius mihi heres esto: numquam admittitur Mævius substitutus, nisi utraque conditio fuerit adimplenta. Neque enim fessendus est is intellectus, ut propter verborum angustias, liberi omni penè fructu paterno defraudentur, l. 6. C. de inst. & substit. Ad extraneos quoque heredes ita institutos, eadem constitutio extensa est, d. l. 6.

*Ad §. ult.*

**I**LI, quos numquam testator vidit, heredes institui possunt: veluti si fratris filios peregrinantes, ignorans qui essent, heredes

instituerit. Ignorantia enim testantis inutilem institutionem non facit.

**Q**UAMVIS institutio hæredis certo testatoris iudicio fieri debeat, ideoque incertæ personæ ante constitutionem Justiniani hæredes institui non potuerint, *s. incertis infra de legatis*; numquā tamē dubium fuit, quin testator ignotus homines & quos numquam vidit rectè hæredes instituat, v. g. fratri filium peregrinantem, vel (sicut legit Cujacius) peregrini natum, quem Veteres auctore Festo, Proculum appellabant; quia incertæ personæ ab ignotis valde difserunt, ut ad d. *s. incertis explicabitur.*



## T I T U L U S X V.

### D E V U L G A R I S U B S T I T U T I O N E.

*Ad Princ.*

**P**O TEST autem quis in testamento suo plures gradus hæredum facere; ut putà, *Si ille hæres non erit, ille hæres esto*: & deinceps, in quantum velit testator: ut novissimo loco in subsidium vel servum necessarium hæredem instituere [possit.]

**N**ON tantum ex L. 12. tab. descendit institutio hæredis, sed etiam substitutionis. Institutionis nomen generaliter sumptum † continet quamcumque datiōnem hæreditatis. Sed cùm opponitur substitutioni, specialiter sumitur † & definiti potest datio hæreditatis quæ sit in primo gradu. Substitutione vero † est institutio, quæ sit directis verbis in secundo gradu vel ulterioribus. Dicitur *directis verbis*, ad differentiam fideicommissi, quod sit verbis precariis. Unde sit ut hæc substitutione dicatur *directa*. Fideicommissum vero appellatur substitutione fideicommissaria. Diximus autem in secundo gradu, potius quam in secundo loco; quia secundus locus † dicitur secundum ordinem scripturæ: v. g. si dictum sit, *Titium & Mævium hæredes instituo*; eo casu Mævius in secundo loco, est hæres institutus; non tamen in secundo gradu. Secundus gradus † dicitur secundum ordinem successionis; v. g. si dixerit testator, *Sempronius mihi hæres esto*; si *Sempronius mihi hæres non erit, Seius mihi hæres esto*. Seius eo casu scriptus dicitur in secundo gradu; quia est in secundo ordine successionis. Et dicitur etiam scriptus in secundo loco, propter ordinem scripturæ. Unde sit ut sapissime qui sunt scripti in secundo gradu, dicantur etiam scripti in secundo loco, sed non omnes qui in secundo loco scripti sunt hæredes: dicuntur etiam instituti in secundo gradu, ut jam dixi. Additur denique in prædicta definitione, *vel ulterioribus*, idque indefinitè; quia in quantum velii substituere potest testator, l. 36. ff. b. t. Quod autem dicitur in Nov. 159. ultra quartum

gradum non posse substitui, ad fideicommissarias dumtaxat substitutiones pertinet, non ad directas, de quibus solis hic agitur.

Cæterum, probandum non videtur quod ait Theoph. *hoc loco*, gradum continere duodecim uncias, id est totum alsem: quasi vero non valeat substitutio, si quis heredi ex uncia vel ex triente instituto fuerit substitutus.

Substitutionis directæ † tres sunt species, vulgaris, pupillaris, & exemplaris. Substitutione vulgaris † est qua sit in casum non acquisitæ hereditatis, hæc formulæ; *Titius mihi heres esto. Si Titius mihi heres non erit, Mævius mihi heres esto*; qui casus vulgo dicitur *primus casus*. Nec videntur plenè illum exponere, qui eum vocant *casum delata hereditatis*; cum vulgaris sit, & valeat haud dubiè substitutio, si heres scriptus vivo testatore deceperit, quo tempore nondum hereditas delata est. Dicitur *Vulgaris*, quod vulgo fiat, id est cuilibet heredi instituto, & à quocumque testatore; quod non accidit in cæteris substitutionibus: vel etiam quia teste *Appiano lib. 2. de bellis civil. sub finem*, hæc erat apud Romanos consuetudo, ut heredibus institutis alios adscriberent, si forte priores illi heredes non forent. Sed id maximè post leges caducarias frequens fuit, ut earum effectus impediretur, l. 1. in pr. C. de cad. toll.

Ex quibus sequitur, post aditam aut alio modo acquisitam hereditatem vulgarem substitutionem expirare, l. 5. C. b. t. quia deficit eo casu conditio illius substitutionis. Non tamen Theophilo assentendum est in princ. tit. seqn. ubi definit non esse locum substitutioni vulgari, si filius heres institutus, patri superstes fuerit; ed quod filius ipso jure fiat heres patris, neque abstinendo nomen heredis ponat. Verum licet id indubitatum sit, quantum ad juris civilis subtilitatem, aliud tamen dicendum est ex æquitate Prætoria, §. 1. infra de her. qual. & differ. quia Prætor filium qui abstinuit non habet heredis loco, l. 12. ff. de interrog. act.

#### Ad §. 1.

**E**T plures in unius locum possint substitui, vel unus in plurimum, vel singuli in singulorum, vel invicem ipsi, qui heredes instituti sunt.

**CIRCA** substitutionem vulgarem quatuor casus sunt advertendi. Primus est si unus pluribus, vel plures uni, vel singuli singulis substituantur, vel invicem illi qui heredes instituti sunt: tunc enim dubium esse non debet, quin valeat substitutio. Sed cum heredes scripti sibi invicem substituantur, substitutione illa reciproca appellatur, & interdum breviloqua; ed quod sub brevibus verbis seu breviloquo, omnes substitutiones interdum reciprocè contineat, in hunc modum: *Titium & Mævium heredes instituo*, eosque invicem substituo, l. 4. §. 1. & 2. ff. b. t.

#### Ad §. Et si ex disparibus.

**E**T si ex disparibus partibus heredes scriptos invicem substituerit, & nullam mentionem in substitutione partium habuerit;

ead videtur in substitutione partes dedisse, quas in institutione expressit: & ita Divus Pius rescripsit.

**S E C U N D A** species est: Titius in testamento suo ita scripsérat, *Primum ex triente, Secundum ex sextante, Tertium ex semisse heredes instituo, eosque invicem substituo.* Mortuo testatore, Tertius hæres esse noluit, aut non potuit: an ejus pars, id est semis inter Primum & Secundum æqualiter dividatur; an verò pro portionibus hæreditariis, quæsitum est? Respondet Imp. testatorem videri eas in substitutione partes dedisse, quas in institutione expressit, id est Primum ex semisse vacante quatuor uncias habiturum, Secundum verò, duas tantum. Quamvis enim nullis partibus designatis hæredes scripti ex æquis partibus instituti fuisse videantur, §. si plures sup. tit. cessat tamen hæc regula in hoc casu; quia viderur testator eundem servasse amoris gradum in substitutione, quem in institutione expressit, l. 1. C. b. t. & l. 24. ff. eod. Quà etiam ratione legata ab institutis hæredibus relicta à substitutis quoque repetita esse intelliguntur, l. licet 74. ff. de leg. 1. Cæterum cavendum est hoc loco à Theophilo, quæ constat errasse in specie hujus §. constituenda. Supponit enim, duos dumtaxat fuisse hæredes scriptos ex disparibus partibus, & unum ex his repudiasse. Quo casu nulla potest esse controversia de partium diversitate; cùm sit unicus substitutus, qui totum obtinet.

*Ad §. pen.*

**S**E si instituto hæredi, cohærede substituto dato, alius ei substitutus fuerit; Divi Severus & Antoninus sine distinctione rescripsérunt, ad utramque partem substitutum admitti.

**T E R T I U S** casus est: Titius Primum & Secundum ex semisse singulos hæredes scripsérat, & adjecterat: *Si Primus mihi hæres non erit, Secundus mihi hæres esto: Si Secundus mihi hæres non erit, Tertius mihi hæres esto.* Mortuo testatore, neque Primus hæres exitit, neque Secundus: an Tertius utramque partem indistinctè obtineret, quæsitum est? Divi Severus & Antoninus rescripsérunt ad utramque partem sine ulla distinctione substitutum admitti. Cujus rei duæ possunt afferri rationes. Primo, quia substitutus substituto intelligitur etiam substitutus instituto: tum etiam quia jure accrescendi portio portioni accrescit sicut alluvio, l. si Tito, ff. de usufructu. Dixi sine ulla distinctione, id est siue Tertius ante institutionem Secundi fuerit substitutus, siue post ipsam: Et rursus, siue Secundus ante Primum hæredem, vel post eum deceperit; quia in his omnibus casibus vigent æqualiter præfatæ rationes, l. 41. in pr. ff. b. t.

*Ad §. ult.*

**S**I servum alienum quis patremfamilias arbitratus, hæredem scripsérit; & si hæres non esset, Mævium ei substituerit: isque servus jussu domini adierit hæreditatem; [Mævius] substitutus in

partem admittitur. Illa enim verba, *si hæres non erit*, in eo quidem, quem alieno juri subjectum esse testator scit, sic accipiuntur; si neque ipse hæres erit, neque alium hæredem effecerit: in eo vero, quem patremfamilias esse arbitratur, illud significant; si hæreditatem sibi, vel ei cuius juri postea subjectus esse cœperit, non acquisierit. Idque Tiberius Cæsar in persona Parthenii servi sui constituit.

**U L T I M A** species ita singi potest. Mævius Titium Seii servum, quem ingenium & patremfamilias esse credebat, testamento hæredem scripserat, & ad dederat: *Si Titius heres non erit, Sempronius mibi heres esto.* Mortuo testatore, Titius iussu domini sui adiit hæreditatem, Sempronius vero substitutus eam hæreditatem petiit. An recte peteret, quæsumus est: Militabant ultero citroque in hac causa, magna rationum momenta. Favebat Seio servi domino hæc ratio, quod post aditam hæreditatem vulgaris substitutione expiret, l. 5. C. h. t. Aliunde vero contra dominum & pro substituto, pugnabat hæc ratio, quod Titius servus Seii, non fuisset hæres eo modo quo testator voluerat. Nam ille qui loquitur de libero homine aut de illo quem liberum credit, quoties his verbis utitur, *si hæres non erit*, ita intelligit, si ille hæres institutus, neque sibi hæreditatem acquisierit, neque alteri in cuius potestatem deinde pervenerit. Atqui Titius servus in hac specie neque sibi hæreditatem acquisivit, neque alteri in cuius potestatem deinde pervenerit, sed Seio tantum dominio suo in cuius potestate jam erat tempore conditi testamenti. Non videatur igitur hæres extitisse, sicut voluerat & intellexerat testator; ac proinde locus esse videtur substitutioni vulgari. Cum itaque extrema, quæ plerumque vitiosa sunt, vitari debeant, ideo in hac specie obscura æqualiter dividitur hæreditas inter substitutum & dominum servi instituti, l. *si patremfamilias*, ff. *de hæred. instit.* atque ita in dubio medium viam amplexi sunt Jurisconsulti juxta exemplum Tiberii Imperatoris, qui idem judicaverat in persona Parthenii servi sui, l. 41. ff. eod. Partes quoque æquales videtur admittere Justinianus hoc loco, dum ait, substitutum in partem admitti. Quoties enim partes non fuerunt nominatae, æquales fieri debent, l. 43. ff. *de usu fr. &c.* l. 164. §. 1. ff. *de verb. sign.* Quo etiam modo hæres institutus sub formula creationis imperfæctæ, si non adierit, sed tantum pro hærede gesserit, cogitur hæreditatem cum substituto partiri; quia non fuit hæres eo modo quo testator voluit, *Ulp. lib. reg. tit. 22. §. ult.* Sanè non videtur recte Theoph. imputare Divo Pio, vel Imp. Antonino *sicut habetur in editione Fabroti*, tribus Regis MSS. munita; quod Imperator noster hoc loco, & Ulp. in d. l. 41. tribuunt Tiberio Imperatori.



modicam, amicidam, etiamque amicorum, et amicorum amicorum  
bonum: amicidam in universo, etiamque non a se, sed a  
m. amicidam, etiamque amicorum amicorum amicorum.

# TITULUS XVII.

## DE PUPILLARI SUBSTITUTIONE.

*Ad Princeps.*

**L**IBERIS suis impuberibus, quos in potestate quis habet, non solum ita, ut suprà diximus, substituere potest; id est, ut si hæredes ei non extiterint, alius sit ei hæres; sed et amplius ut si hæredes ei extiterint, & adhuc impuberis mortui fuerint, sit eis aliquis hæres: veluti si quis dicat hoc modo, *Titius filius meus hæres mihi esto. Et si filius meus hæres mihi non erit, sive hæres erit, & prius moriatur, quam in suam tutelam venerit,* (id est antequam pubes factus sit) *tunc Seius hæres esto.* Quo casu, siquidem non extiterit hæres filius, tunc substitutus patri sit hæres. Si vero extiterit hæres filius, & ante pubertatem decesserit, ipsi filio sit hæres substitutus. Nam moribus institutum est, ut cum ejus ætatis filii sint, in qua ipsis sibi testamentum facere non possunt, parentes eis faciant.

**SUBSTITUTIO** pupillaris est illa quæ sit in casum mortis pupilli intra pupillarem ætatem; hæc plerumque formulâ, *Si pupillus prius moriatur quam in suam tutelam venerit, Seius ei hæres esto.* Qui casus appellatur secundus in l. preciis 8. C. b. t. Dixi plerumque; quia non tantum pupillo instituto, sed etiam ex hæredato pupillariter potest substitui, s. non solum infra eod. Differt hæc substitutio à vulgari in multis, sed in tribus potissimum. Primo, quod quilibet possit vulgariter substituere & cuicunque hæredi instituto; pupillariter vero soli parentes substituunt liberis suis impuberibus dumtaxat, quos habent in potestate, & qui post mortem testatorum in alterius potestatem non sunt recessuri, l. 2. ff. b. t. Præterea substitutus vulgariter est hæres testatoris; substitutus vero pupillariter sit hæres pupillo. Unde fit, ut pupillaris substitutio sit & appelletur testamentum ipsius pupilli: ita ut pater pupillariter substituendo non tantum disponat de bonis suis, quæ ad pupillum transmittit, sed etiam de bonis alienis, quæ post mortem patris aliunde quam à patre ad pupillum perventura sunt; putà ex successione matris. Quod videtur inductum eo colore, quod pater & filius eamdem personam constitueret intelligentur, l. ult. C. b. t. Tertiè denique, vulgaris substitutio critur, ex l. 12. tab. pupillaris vero moribus inducta est; eam, ut videtur, ob causam, ne pupillaris ætas multis fraudibus obnoxia, propinquorum infidiis exponcretur.

## Ad §. 1.

**Q**Uâ ratione excitati , etiam constitutionem posuimus in nostro Codice , quâ prospectum est , ut si qui mente captos habeant filios , vel nepotes , vel pronepotes , cuiuscumque sextis vel gradus ; liceat eis , & si puberes sint , ad exemplum pupillaris substitutionis , certas personas substituere . Sin autem resipuerint , eamdem substitutionem infirmari sancimus ; & hoc ad exemplum pupillaris substitutionis , quæ postquam pupillus adoleverit , infirmatur .

**E X E M P L A R I S** sive Justinianæ substitutione fuit illa quæ fit liberis furiosis aut mente captis , sub ea conditione si decesserint ante resipescientiam ; ita dicta quod eam Justinianus ad exemplum pupillaris induxit , l. humanitatis , C. b. t. Sicut enim ideo inducta est pupillaris ; ut cum ejus aetatis filii sunt ; ut testamentum sibi facere non possint , parentes eis faciant ; quod non solum eis honorificum est , sed etiam utile , l. 42. in pr. ff. de acquir. hered. ita quoque humanitatis intuitu inductum est , ut cum liberi propter judicij infirmitatem testari nequeunt , parentes idem eis praestent officium . Quia in re olim necessarium erat , ut substituendi venia à Principe impetraretur , l. 43. b. t. Differunt tamen à se invicem ambæ substitutiones . Primo quidem , matres possunt substituere exemplariter liberis suis , non pupillariter , d. l. humanitatis , & l. 2. ff. b. t. quia exemplaris substitutione non ratione patriæ potestatis inducta est , sed solo humanitatis intuitu , d. l. humanitatis ; pupillaris vero substitutione inducta est ratione patriæ potestatis , d. l. 2. juncta l. 9. ff. de his qui sui vel al. jur. sunt . Secundo , non qualibet personas exemplariter substituere permisum est , sed certas dumtaxat ; videlicet liberos furiosi , & liberis deficientibus fratres aut sorores ipsius ab eodem testatore descendentes . Quibus personis deficientibus , qualibet alias eo modo substituere parentes possunt , d. l. humanitatis . Pupillariter vero omnes omnino indistinctè quos testator voluerit , substitui possunt . Tertiò denique , pupillo exhereditato pater substituere potest , §. non solum infra eod. exemplariter vero nemini potest substitui , nisi heredi instituto , saltem ex legitima portione , d. l. humanitatis .

## Ad §. Igitur.

**I**GITUR in pupillari substitutione secundum præfatum modum ordinata , duo quodammodo sunt testamenta , alterum patris , alterum filii ; tamquam si ipse filius sibi heredem instituisset : aut certè unum testamentum est duarum causarum , id est , duarum hereditatum .

**Q**UIBUS ita de pupillari substitutione generaliter præmissis , tria deinceps exequuntur b. t. & primum effectus pupillaris substitutionis scrutabimur ; dein-

de formulam ejus trademus ; tertio denique , quæ illam impedit generaliter attingemus .

Effe<sup>c</sup>tus pupillaris substitutionis est , ut ratione hæreditatum duo testamenta in ejus ordinatione esse videantur , unum patris , & alterum filii ; atque ideo duplex aditio sit necessaria , d. l. 2. §. 1. ideoque tale testamentum duplex appellatur , l. in duplicitibus , ff. ad L. Falc. & ea quoque substitutio secundum testamentum & secundæ tabulæ solet nominari . Nihilominus tamen unicum est testamentum , ratione scilicet testatoris & solemnium , l. patris , ff. b. t. Et quod notatu dignissimum est , in tabulis patris & filii unica servatur Falcidia , l. 1 t. §. quod vulgo , ff. ad L. Falcid. & jus accrescendi locum habet inter utriusque testamenti legatarios , tamquam re conjunctos , l. plane §. sed si , ff. de leg. t.

*Ad §. Sin autem.*

**S**I N autem quis ita formidolosus sit , ut timeat , ne filius suus pupillus adhuc , ex eo , quòd palam substitutum acceperit , post obitum ejus periculo insidiarum subjaceat ; vulgareni quidem substitutionem palam facere , & in primis testamenti partibus ordinare debet : illam autem substitutionem , per quam , si hæres extiterit pupillus , & intra pubertatem decesserit , substitutus vocatur : separatis in inferioribus partibus scribere , eamque partem proprio lino , propriaque cerâ consignare ; & in priore parte testamenti cavere , ne inferiores tabulæ vivo filio & adhuc impubere aperiatur . Illud palam est , non ideo minus valere substitutionem impuberis filii , quòd in eisdem tabulis scripta sit , quibus sibi quisque hædem instituisset , quamvis pupillo hoc periculosum sit .

**F**ORMULA pupillaris substitutionis hoc habet singulare , quòd in ea non sit necessarius unus contextus , sicut in reliquis testamenti partibus . Nam si quis timeat ne illius substitutionis occasione , pupillus periculo insidiarum subjaceat , propter malignam suspicionem quæ habenda est de substituto , l. 2. ff. ubi pupillus educari vel mor. deb. suadet ei Imp. ut pupillarem substitutionem in ultima testamenti parte faciat , eamque partem proprio lino , propriaque cerâ obsignet , & caveat in prima parte testamenti , ne vivo adhuc & impubere filio ea pars aperiatur . Quo juris remedio & consilio si testator uti voluerit , sicut usus est olim Julius Phœbus , l. ult. ff. ad SC. Trebell. non est timendum ne substitutus propter spem hæreditatis , quam sibi delatam ignorat , pupillo struat insidiæ : ut enim vulgo dicitur .

*Ignoti nulla cupido.*

*Ad §. Non solum.*

**N**ON solum autem hæredibus institutis impuberibus liberi ita substituere parentes possunt , ut si hæredes eis exitenterint , &

ante pubertatem mortui fuerint, sit eis hæres is, quem ipsi voluerint, sed etiam exhæredatis. Itaque eo casu si quid exhæredato pupillo ex hæreditatibus, legatisve aut donationibus propinquorum atque amicorum acquisitum fuerit, id omne ad substitutum pertinebit. Quæcumque diximus de substitutione impuberum liberorum, vel hæredum institutorum, vel exhæredatorum; eadem etiam de posthumis intelligimus.

**S U B S T I T U T I O N I S** pupillaris formula duplex statui potest. Nam pupillo hæredi instituto ita pater substituit: *Filius meus hæres esto; si hæres erit & priusquam in suam tutelam venerit moriatur, Mævius ei hæres esto.* Pupillo vero exhæredato ita substituitur: *Titus hæres esto, filius meus Mævius exhæres esto.* Si filius impubes moriatur, *Sempronius ei hæres esto.* Nec dubium esse debet, quin valeat hæc substitutio, cum non fiat ratione institutionis, ut ait Theophilus; sed ratione dumtaxat patriæ potestatis. Idemque dicendum est de filiis posthumis. Cæterum jure novo vix est ut hoc obtineat *Nov. 115. cap. 3.* quia pupilli raro, postumi vero numquam rei sunt ingratitudinis, propter quam exhæredari mereantur, ut supra dictum est.

#### *Ad §. Liberis.*

**L**IBERIS autem suis testamentum nemo facere potest, nisi & sibi faciat. Nam pupillare testamentum pars & sequela est paterni testamenti: adeo ut si patris testamentum non valeat, nec filii quidem valebit.

Quoties aliquis filio suo impuberi testamentum vult facere, debet prius sibi ipsi testari, nisi sit miles; quia pupillare testamentum penderet a paterno. Ubi autem non consistit principale, neque etiam accessoria locum habent, *I. 178. ff. de reg. jur.* Debet autem prius sibi, deinde filio hæredem scribere, & non convertere ordinem scripturarum, *I. 2. §. prius, ff. b. t.* Qui ordo si non fuerit observatus, valebit tamen substitutio pupillaris, *d. I. 2. §. pen.* Ex quibus sequitur, rupto aut irrito facto testamento patris, pupillare quoque testamentum rumpi aut irritum fieri, *d. I. 2. §. si 1. & I. sed si plures, §. si ex asse, ff. b. t.*

#### *Ad §. Vel singulis.*

**V**E L singulis liberis, vel ei, qui eorum novissimus impubes morietur, substitui potest. Singulis quidem, si neminem eorum intestatum decidere voluerit; novissimo, si jus legitimarum hæreditatum integrum inter eos custodiri velit.

**Q**U I plures filios relinquit impuberis, potest illis singulis pupillariter substituere, vel illi qui eorum ultimus impubes moriatur; *I. 37. ff. b. t.* Singulis

quidem substituendo efficiet, ut nullus eorum in pupillari aetate decedat intestatus; quia quo sunt pupillares substitutiones, totidem sunt pupillorum testamenta, ut antea diximus. Sin autem ultimo impuberi morienti substituat, efficiet ut qui priores decesserint, intestati moriantur: ac proinde jus legitimarum hæreditatum, quæ ab intestato ex l. 12. tab. deferuntur, integrum inter eos custodietur. Novissimus vero solus qui impubes decesserit, habiturus est hæredi testamentarium, videlicet pupillariter substitutum.

Cæterum, quoties testator plures simul hæredes instituit, aut pluribus eundem fundum legat; eique qui ultimus decesserit mandat ut totam hæreditatem, vel totum fundum legatum restituat alteri; toties videtur tacitum ac reciprocum fideicommissum inter hujusmodi personas reliquise, l. Titia Seio s. Scia, ff. de leg. 2. Neque enim ultimus potest totam hæreditatem vel totam rem legatam alteri præstare, nisi totam acceperit. Cum autem pater ei qui ex filiis suis novissimus impubes morietur, substituit Sempronium; uno ex his mortuo, cæteri ab intestato succedentes non solum bona acquirunt fideicommissio obnoxia, sed etiam illa quæ fideicommissi onus non patiuntur, cujusmodi est portio legitima; l. omnimodo 30. in pr. l. quoniam 32. C. de inoff. test. & l. cum patronus 28. ff. de leg. 2. & bona quæ post mortem patris pupillus aliunde acquisivit, s. 1. infra de sing. reb. per fideic. relic. & l. 14. C. de fideicom. Omnibus autem liberis mortuis, ad substitutum omnia devolvuntur.

*Ad s. substituitur.*

**S**UBSTITUITUR autem impuberi aut nominatim; veluti, Titius hæres esto; aut generaliter, ut, *Quisquis mihi hæres erit.* Quibus verbis vocantur ex substitutione, impubere mortuo filio, illi, qui & scripti sunt hæredes, & extiterunt, & pro qua parte hæredes facti sunt.

**S**UBSTITUTIO pupillaris aut sit nominatim hoc modo; *Si filius mens decesserit ante pubertatem, Titius ei hæres esto;* vel generalibus verbis; *Quisquis mihi hæres erit, idem filio meo hæres esto.* Quorum verborum triplex est effectus: I. Ut qui non fuerunt hæredes patri, à substitutione excludantur; ad quam illi soli vocantur, qui scripti sunt hæredes & extiterunt: II. Ut qui patri extiterunt hæredes, eam tantum in bonis pupillaribus partem obtineant, quam in patris bonis obtinuerunt: III. denique, ut illi dumtaxat substituti intelligantur, qui suo nomine à patre hæredes scripti sunt, idèque dominus cui per servum suum hæreditatis paterna portio aliqua acquisita est, non potest fieri hæres impuberi filio ex illa substitutione, si servus ille jam exierit ejus potestate, l. 3. & l. 8. s. 1. ff. h. t. quia hæreditas servo relicta cum dominio ambulet at l. 2. s. ult. ff. de bon. poss. sec. tab.

*Ad s. pen.*

**M**ASCULO igitur usque ad quatuordecim annos substitui potest; sceminae usque ad duodecim annos: & si hoc tempus excederint, substitutio evanescit.

**E**x his quæ diximus constat, necessarium esse in pupillari substitutione, ut testator habeat filium in potestate, & ut filius ille impubes sit. Unde sequitur, duo esse ejus substitutionis impedimenta, defectum scilicet patriæ potestatis in testatore; & pubertatem in eo cui substituitur. Pubertate igitur illius cui substituitur, substitutione evanescit; quia post pubertatem potest pupillus sibi ipse testamentum facere. Sed cum substitutione intra tempus minus pubertate facta est, eo tempore expletio, substitutione evanescit, etiam ante pubertatem adimpletam, putâ cum ita dictum est: *Si filius meus intra decimum annum decesserit, l. 21. & l. 43. §. 1. ff. h. t.* Sin autem longius pubertate tempus testator expresserit, v. g. octodecim annos, hoc modo: *Si filius meus intra octodecim annos decesserit, Titius heres esto;* expirat eo casu substitutione pubertate, *l. in pupillari, ff. eod.* nisi forte testator miles fuerit. Quo casu post pubertatem substitutione illa iure fideicommissi defenditur: ita ut si filius militis decebat impubes, omnia ejus pupilli bona undecimque acquisita deferantur substituto: sed si decesserit post pubertatem, ea dumtaxat bona substituto deferuntur, quæ filius à patre acceperit, *l. Centurio, ff. b. t. & l. precibus, C. eod.* Neque enim quisquam plus cogitur restituere jure fideicommissi, quam à defuncto accepit, *§. 1. infra de sign. reb. per fideic. relictis.* Verum ex jure civili Justiniano, hæc in pagano locum non habent, sed ex jure Pontificio dumtaxat, quod in foro nostro prævaluit, *cap. Raynatus ext. de testam.* Ex quo capite inducta est substitutione compendiosa in paganis, quæ fit hæc ferè formulâ: *Quandcumque filius meus decesserit sine liberis, Titius heres esto;* ita nuncupata, quod sub verborum compendio, plura tempora pluresque substitutiones contineat. Habet enim vim vulgaris, si hæres scriptus ante acquisitam hæreditatem decesserit; continet pupillarem, si hæres institutus decebat ante pubertatem exemplarem, si ante relipiscentiam; fideicommissariam denique, si post pubertatem vel post relipiscentiam mortuus fuerit.

*Ad s. ult.*

**E**XTRANEO vero, vel filio puberi hæredi instituto, ita substituere nemo potest, ut si hæres extiterit, & intra aliquod tempus decesserit, alius ei sit hæres: sed hoc solùm permisum est, ut cum per fideicommissum testator obliget alii hæreditatem ejus, vel totam, vel pro parte restituere. Quod jus quale sit, suo loco trademus.

**Q**UOTIES igitur vult aliquis puberi filio vel alicui extraneo substituere, per fideicommissum id facere debet, neque debet aut potest substituere directo. Neque credendum illa verba directa, si adhibita sint, trahenda esse ad fideicommissum, *l. 1. ff. de jure codicil.* quamvis specialiter in quibusdam causis id receptum sit, *l. Scavola, ff. ad SC. Trebell.*

# T I T U L U S X V I I.

## Q U I B U S M O D I S T E S T A M E N T A infirmantur.

*Ad Princ.*

**T**E STAMENTUM jure factum, usque eo valet, donec rumpatur, irritumve fiat.

TESTAMENTUM duobus modis infirmatur, † ipso jure, vel officio Judicis. Ipso jure infirmum est † si rumpatur, vel irritum fiat, vel si ab initio imperfectum fuerit, seu non jure factum.

*Ad §. I.*

**R**UMPI TUR autem testamentum, cum in eodem statu manente testatore, ipsius testamenti jus vitiatur. Si quis enim post factum testamentum adoptaverit sibi filium per Imperatorem, eum, qui est sui juris; aut per Praetorem, secundum nostram constitutionem, eum, qui in potestate parentis fuerit; testamentum ejus rumpitur, quasi agnatione sui haeredis.

TESTAMENTUM ruptum † dicitur, quod in eodem statu remanente testatore per agnationem sui haeredis, aut per testamentum posterius infirmatur. Agnascitur autem suus haeres variis modis, ut constat ex *Vlp. tit. 23. I.* quidem per procreationem posthumi sui, §. I. *sup. de exhaer. liber. II.* Per adrogationem aut adoptionem illius qui non sit extraneus; quia adoptio naturam imitatur, §. *femina suprà de adopt.* III. Si nepos per mortem aut emancipationem patris sui, a quo suo quasi agnascatur suus haeres, §. *posthumorum suprà de exhaer. liber. IV.* Per in manum conventionem, quae non absimiles adoptioni habet effectus; cum efficiat ut uxor sit sua haeres marito, & consanguinea sive soror suorum filiorum, qui ex matrimonio postea procreantur, ut patet ex *veteri diagrammate cognationis*, quod refert *Cujacius lib. 6. observat. cap. ult. V.* denique, per manumissionem filii, si nimis filius post primam vel secundam emancipationem manumisitus, in patris sui potestatem revertatur.

*Ad §. Posteriore.*

**P**O STE RIORE quoque testamento, quod jure perfectum est, superius rumpitur. Nec interest, extiterit aliquis haeres ex eo, an non: hoc enim solum spectatur, an aliquo casu existere potuerit.

Ideoque si quis noluerit hæres esse , aut vivo testatore , aut post mortem ejus ante quam hæreditatem adiret , decesserit ; aut conditione , sub qua hæres institutus est , defectus sit : in his casibus paterfamilias intestatus moritur . Nam & prius testamentum non valet , ruptum à posteriore ; & posterius æque nullas habet vires , cùm ex eo nemo hæres extiterit .

**P O S T E R I O R E** quoque testamento rite perfecto prius rumpitur ; quia ambulatoria est hominis voluntas usque ad **extremum vitæ spiritum** , *I. 4. ff. de adm. legat.* adèò ut testator eam legem sibi dicere in testamento non possit , à qua sibi recedere non licet , *I. si quis in principio , ff. de leg. 3.* Nemini enim licet potestatem auctoritate publicâ sibi concessam suo arbitrio dimittere : ideoque Legatus Cæsaris , id est Præses Provinciæ , abdicando se non amittit imperium , *I. Legatus , ff. de offic. Praef.* Neque necesse est ad ruptionem prioris testamenti ut hæres scriptus in secundo testamento ex eo hæres existat ; sed tantum ut ex eo hæres possit existere . Atque ita facile eveniet , ut qui duo testamenta jure fecit , intestatus nihilominus decedat ; si nimicùm hæres rite scriptus in posteriori testamento , aut noluerit aut non potuerit hæres esse .

Cæterùm , usu invaluit ut prius testamentum posteriori præpolleat , si in priori addita fuerit clausula derogatoria , v. g. hoc modo : (Si ullum posthac testamentum fecero , nolo illud valere , nisi in eo adscripta sint hæc verba : ) *Diligamus Dominum qui prior dilexit nos* ; vel quid simile . Quo casu necesse est ad dandum robur secundo testamento , ut in eo appareat testatorem à priori illa voluntate recessisse ; alioquin posterior voluntas sine effectu est , *d. I. si quis , in principio.*

*Ad §. Sed & si quis.*

**S**E & si quis , priore testamento jure perfecto , posterius æque jure fecerit , etiam si ex certis rebus in eo hæredem instituerit ; superius tamen testamentum sublatum esse , Divi Severus & Antoninus Augusti rescripsérunt . Cujus constitutionis verba [ & hic ] inseri jussimus , cùm aliud quoque præterea in ea constitutione expressum sit . *Imperatores Severus & Antoninus Cocceio Campano.* Testamentum secundo loco factum , licet in eo certarum rerum hæres scriptus sit , perinde jure valere , ac si rerum mentio facta non esset ; sed & teneri hæredem scriptum , ut contentus rebus sibi datis , aut suppletâ quartâ ex Lege Falcidia , hæreditatem restituat his , qui in priore testamento scripti fuerant , propter inserta fideicommissi verba , quibus , ut valeret prius testamentum , expressum est ; dubitari non oportet . Et ruptum quidem testamentum hoc modo efficitur .

A T si testator hæredibus quibusdam institutis in priore testamento rite condito , posterius quoque rite fecerit , & in eo unicum tantum hæredem ex re certâ

certâ scripsiterit, adjiciens velle se ut prius testamentum valeret; perinde valet secundum testamentum, ac si nullius rei mentio facta esset in institutione; sicut in simili casu dictum est supra, vitio temporis sublatu institutionem manere, *l. 34. ff. de hered. instit.* Atque ita hæres institutus ex re certa, nullo cohærede addito, hæderetur pro hærede ex asse instituto, *l. quoties, C. eod.* Nihilominus tamen tenetur ille hæres scriptus propter supradictum fideicommissum hæreditatem restituere illis, qui in priori testamento scripti fuerant hæredes; suppletâ quartâ ex *L. Falcidia*, si fortè in ea re ex qua fuit hæres scriptus, quarta illa non contineatur. Quod jus infra tit. 23. diligentius explanabitur.

*Ad §. Alio.*

**A**LIO autem modo testamenta jure facta infirmantur; veluti cùm is qui fecit testamentum, capite diminutus sit. Quod quibus modis accidat, primo libro retulimus.

**IRRITUM** testamentum † dicitur quod quacumque capitis diminutione testatoris, vel non aditâ ex eo hæreditate inutile factum est, *l. 1. ff. b. t.* Sed exceptitur ab ea regula testamentum militis, quod minima ejus capitis diminutione non infirmatur ex privilegio militiae, *§. pen. supra de milit. testamento.* Desertum autem seu destitutum testamentum, quod generali irriti nomine continetur, † specialiter appellatur illud testamentum, quod per non aditam ex eo hæreditatem infirmatur; quia si nemo adeat hæreditatem, nihil valet ex his quæ in testamento scripta sunt, *l. 9. ff. de testam. tut.*

*Ad §. Hoc autem.*

**H**Oc autem casu irrita fieri testamenta dicuntur, cùm alioqui & quæ rumpuntur, irrita fiunt; & ea, quæ statim ab initio non jure fiunt, irrita sint. Sed & ea, quæ jure facta sunt, & postea per capitis diminutionem irrita fiunt, possumus nihilominus rupta dicere. Sed quia sanè commodius erat singulas causas singulis appellationibus distingui, ideo quædam non jure facta dicuntur, quædam jure facta rumpi, vel irrita fieri.

**CETERUM** multum interest cognoscere, vitium quodlibet testamenti proprio aliquo sibi nomine designari ex usu in jure recepto; quamvis inspectâ vi vocabuli, nomen unius vitii alteri vitio conveniat. Neque enim nomina secundum vim suam, sed secundum usum dumtaxat interpretanda sunt, ut mouet Horatius in libro de Arte Poëtica.

*Penes quem arbitrium est, & jus, & norma loquendi.*

*Ad §. Non tamen.*

**N**ON tamen per omnia inutilia sunt ea testamenta, quæ ab initio jure facta, per capitis diminutionem irrita facta sunt.

Nam si septem testium signis signata sunt, potest scriptus hæres secundum tabulas testamenti bonorum possessionem agnoscere; si modò defunctus, & Civis Romanus, & suæ potestatis mortis tempore fuerit. Nam si ideo irritum factum sit testamentum, quia civitatem, vel etiam libertatem testator amisit, aut quia in adoptionem se dedit, & mortis tempore in adoptivi patris potestate sit; non potest scriptus hæres secundum tabulas bonorum possessionem petere.

**Q**UAMVIS testamentum jure civili per capitis diminutionem irritum fuit; puta si testator se dederit adrogandum; jure tamen Prætorio firmatur datâ hæredi scripto bonorum possessione secundum tabulas, si modò testamentum septem testium signaculis munitum sit, & testator Civis Romanus & suæ potestatis dececerit. Hæc autem bonorum possessio erit cum re, si ille sit hæres scriptus, qui rem ab intestato potuit auferre, l. 2. §. idem & circa, ff. de injust. rup. & irr. fatt. test. & Ulp. tit. 23. §. si septem. Si vero scriptus sit hæres extraneus, hæc bonorum possessio erit sine re, & titulo tenus; quia bonorum possessor opposita dolii mali exceptione ab hæredibus legitimis repelletur, l. pen. §. ult. ff. de bon. poss. sec. tab. Quam exceptionem uno dumtaxat casu infirmabit, si docere possit novâ voluntate testatoris in pristinum statum restituti testamentum illud fulse confirmatum. Verum hæc probatio non exigitur ab hæredibus legitimis in eo testamento institutis, d. §. ult.

Dixi 1. *Si testamentum septem testium signaculis munitum sit*; quia jure Prætorio testamentum non valet, nisi fuerit ita obsignatum, §. sed predicta sup. de testam. ordin. l. 12. in pr. ff. de injust. rup. & irr. fac. test. Ulp. tit. 23. §. si septem, & tit. 28. §. si septem. Dixi 2. *si testator Civis Romanus & suæ potestatis dececerit*; quia Prætor exigit tantum, ut testator jus faciendi testamenti habuerit dupli tempore, videlicet cum testamentum fecit, & cum mortuus est, l. 1. §. exigit, ff. de bon poss. sec. tab. Specialiter tamen ab hac regula excipit Ulp. eum casum; si quis mortis tempore testamenti factionem ideo amiserit quod furiosus factus fuerit, vel quod ei bonis interdictum sit, aut quod ei simile quid accidit, d. l. 1. §. si quis. Neque enim testamentum aut ullum aliud negotiorum rectè peractum furor interveniens perimit, §. 1. & 2. sup. quib. non est perm. fac. test. Ratio ejus exceptionis hæc esse videtur; quia cum maneant Cives Romani & patresfamilias, magis suspenditur quam extinguitur in hujusmodi personis testamenti factio, & potius versatur impedimentum facti quam juris.

Similiter quoque si quis post conditum testamentum deportetur, & postmodum a Principe restituatur, testamentum ejus convalescit; quia tunc omnia pristinum statum recipiunt, §. 1. sup. quib. mod. jus pat. pot. solv. & ad restitutionem tantum valet Principis indulgentia, quantum ad correctionem sententia valuit: & sicut deportationis ipsum per se nomen rerum omnium spoliatio est, ita indulgentia restitutio omnium uno nomine amissorum est recuperatio, l. ult. §. ult. C. de sent. passis & restit. Quamvis autem in d. l. pen. §. ult. de bon. poss. sec. tab. solius minimæ capituli diminutionis exemplum statuatur; hoc tamen non impedit, quin ad cæteras quoque capituli diminutiones idem jus pertineat; quia ea est exemplorum natura ut non cœstrigant; & quia indiscretè hæc re-

gula generalis proponitur in hoc §. n. & d. l. 1. §. exigit; si testator utroque prædicto tempore jus faciendi testamenti habuit, licet medio tempore non haberit, bonorum possessionem secundum tabulas peti posse. Quin etiam major esse videtur ratio in media capitum diminutione, quæ invitis accidit; quam in minimâ, quam subeunt volentes tantum. Quo casu mutasse voluntatem eos credendum est, qui dando se in adrogationem, cum capite fortunas quoque suas in familiam & domum alienam transtulerunt, d. l. pen. §. ult.

In rupto insuper testamento eadem bonorum possesso interdum locum obtinet. Nam si posthumus post testamentum ritè signatum natus, vivo patre deceperit, dabitur scriptis hæredibus hæc bonorum possesso cum re. Idque etiam rescriptis Principum confirmatum est, l. posthumus 12. in pr. ff. de injust. rup. & irr. fac. test. Eiusdem juris est testamentum priore loco factum, quod posteriore ritè perfecto ruptum est. Ideoque si supremas tabulas testator inciderit, ut priores supremas relinqueret, hæres scriptus in prioribus tabulis eadem bonorum possessione uti potest, d. l. pen. §. ult. Dixi interdum, quia non est generaliter verum quod ait Theoph. vitia non jure facti, rupti & irriti testamenti ad Prætorium testamentum non pertinere. Nam si ideo testamentum non jure factum sit, quia testator non habuit jus faciendi testamenti; cessat bonorum possesso secundum tabulas d. §. exigit; idemque dicendum est, cùm deficiantur juris solemnia, l. si unus, C. de testam. Præterea cùm prius testamentum posteriore rumpitur, quod defectu conditionis, vel non aditâ ex eo hæreditate inutile factum est; paterfamilias his casibus intestatus moritur, §. posteriore sup. h. t. Cessat quoque bonorum possesso si testator ipse linea quibus ligantur tabulæ inciderit, l. 1. §. pen. ff. de bon. poss. sec. tab. si modò probatum non sit hanc fuisse defuncti voluntatem, ut priores tabulæ valerent. Certi insuper juris est, si posthumus post conditum patris testamentum nascatur, & post mortem patris decebat; patrem intestatum deceisse, l. 1. & 2. C. de post. hæred. inst. Constat denique ex d. l. pen. §. ult. testamentum Prætorium propter capitum diminutionem testatoris, oppositâ dolî mali exceptione infirmari. Ex his evincitur testamentum Prætorium his tribus vitiis sèpius esse obnoxium.

## Ad §. pen.

**E**X eo autem solo non potest infirmari testamentum, quod postea testator id noluerit valere; usque adeò, ut & si quis post factum prius testamentum posterius facere cœperit; & aut mortaliitate preventus, aut quia cum ejus rei poenituit, id non perfecerit; Divi Pertinacis oratione cautum sit, ne aliâs tabulæ priores jure factæ irritæ fiant, nisi sequentes jure ordinatæ & perfectæ fuerint. Num imperfectum testamentum sine dubio nullum est.

TESTAMENTUM imperfectum dicitur illud, quod necessariis juris solemnibus destitutum est, maximè si subscriptum & signatum non fuerit. Hoc etiam injustum dicitur, & non jure factum, l. 1. ff. de injust. rup. & irr. fac. test. de quo generaliter statuendum est, hujusmodi ultimam voluntatem cui juris auctoritas deest, nullius esse momenti. Idque maximè elucet ex oratione D. Pertinacis, cujus quatuor capita distinguenda sunt.

Primum est, ut nuda atque imperfecta voluntas posterior non sufficiat ad revocationem prioris testamenti ritè perfecti; quia sola voluntate contraria solemnis ille actus infirmari non debet, *l. 36. §. pen. ff. de militari testam.* & (ut ait Theoph.) Quæ jure confecta sunt, jure etiam tolli & subverti debent. Dixi sola voluntate; quia si testator cupiens intestatus decadere linea inciderit, vel testamentum cancellaverit, vel alio simili facto voluntatis mutationem ostenderit, ad hæredes legitimos hæreditas pertinebit, *l. 1. §. pen. ff. de bon. poss. sec. tab.* & *l. 1. §. pen. ff. si tab. test. null. ex tab.* non verò ad hæredem scriptum; quia majorem habent vim facta quam verba. Videtur quoque revocatio testamenti ritè facta, si fiat à testatore coram septem idoneis testibus rogatis, *arg. l. 35. ff. de reg. jur.* vel si coram tribus dumtaxat testibus facta sit; & post eam decem anni effluxerint vivo testatore, *l. 27. C. de testam.* Cæterum, si posterius testamentum imperfectum fiat in favorem liberorum, dubium esse non debet quin priori præpollet, *l. 21. §. ex imperfecto, C. eod.* quia parentum testamenta, nulla solemnitatis adminicula desiderant, solis nixa radicibus voluntatis, *l. 1. C. Theod. fam. ercisc.* Et ut dicitur in *Nov. Just. 107. juncta glossa*, erubescit lex parentes supponere solemnitatibus juris communis. Idem quoque sentiendum est de aliis testamentis imperfectis, quæ jure aliquo municipali vel privilegio aliquo singulari nituntur; & in quibus nulla aut saltem pauciora exiguntur solemnium adminicula.

*Ad §. ult.*

**E**ADEM oratione expressit, non admissurum se hæreditatem ejus, qui litis causâ Principem reliquerit hæredem: neque tabulas non legitimè factas, in quibus ob eam causam hæres institutus erat, probaturum: neque ex nuda voce hæredis nomen admissurum: neque ex ulla scripture, cui juris auctoritas desit, aliquid adepturum. Secundum hoc Divi Severus & Antoninus sæpissime rescriperunt. Licet enim (inquiunt) legibus soluti simus, atamen legibus vivimus.

**S E C U N D O** capite suæ orationis, idem Imp. Pertinax professus est, nullius se aditum hæreditatem, quæ ei delata esset lite perplexâ, id est eo animo ut testator potentiores adversarium, nimitem Principem adversario suo subjiceret. Nimis enim invidiosum est calumniæ facultatem ex principali Majestate capere, *l. pen. ff. de hæred. instit.*

Tertio capite suæ orationis idem Imp. declaravit, se tabulas non legitimè factas non probaturum, in quibus ob eam causam hæres fuisset institutus. Per hæc autem verba *ob eam causam*, non intelligitur litis causa de qua mox actum fuit; sed ea tantum, quod tabulæ non essent legitimè factæ, forte si defuerint aliqua solemnia, vel si libertus ut patronum debitâ legibus portione fraudaret; vel filius emancipatus ut patri manumissori portionem legitimam admiseret; vel pater ut filium à legitimo bonorum subsidio excluderet; vel denique adrogator ut impuberem adrogatum quartâ D. Pii spoliaret, Principem testamento suo hæredem scriperit. Nam ut aiebat Imp. Pertinax, teste *Capitolino*.

in ejus vita, sanctius est inopem rem publicam (*id est fiscum*) obtinere, quam ad divitiarum cumulum per discriminum & dedecorum vestigia pervenire. Cæterum, hoc caput tertium ejus orationis Theophilus cum superiori confudit, nullâ ut videtur idoneâ ratione suffultus, cum verba textus otiosa aestimari non debeant. Nam si tabulae legitimis solemnibus munitæ, in quibus Princeps litis causâ hæres scriptus est, vires non habeant, qui fieri potest ut sit aliqua dubitandi ratio de tabulis eamdem ob causam litis non legitimè factis?

Quarto denique capite ejusdem orationis D. Pertinax expressit, se ex nuda voce, *id est ex supra*ma alicujus voluntate juris solemnibus denudata hæreditatem aut legatum non adepturum. Licet enim Principes sint legibus soluti, tamen secundum leges vivunt. Qua in re elegans est omnino Lex 4. *C. de legib.* Digna vox est Majestate regnantis, legibus alligatum se Principem profiteri. Adeo de auctoritate juris nostra pendet auctoritas, ut reverâ aliquid sit Imperio majus, legibus submittere Principatum. Et ut ait Theodahadus Rex *apud Cassiodorum lib. 10. Ep. 16.* licet, Deo præstante, Princeps possit omnia, sola tamen sibi licere credit laudanda.

Admonendi denique sumus malè Theophilum interpretari hunc locum, quasi Princeps non possit hæres institui in testamento nuncupativo; quia certè Principi denegandum non est quod privatis permittitur, *i. un. C. rem alien. gerent. non interd. rer. suar. alien.* Sed id potius videtur ab eo Imp. in Senatu pronuntiatum, ut feliciora se imperante expectarentur tempora quam ante extitissent. Nam sub Imperio Domitiani, *ut narrat Suet. in ejus vita, cap. 12.* confiscabantur alienissimæ hæreditates; vel existente uno, qui diceret audisse se ex defuncto cum viveret heredem sibi Casarem esse. Nec meliorem fuisse Domitiano Commodum Pertinacis proximum decessorem credendum est, cum apud Lampridium in *Commodo-Antonino sub finem*, inter graves Senatus de ipso acclamations extent aliquæ, quibus appellatur saevior Domitiano, & dicitur delevisse testamenta, & filiis paternam abstulisse hæreditatem. Et rursus idem scriptor circa principium ejusdem vite, multos à Perenni calumniis oppressos & interemptos propter divitias: & addit, His autem quibus deerat ficti criminis appositi, obijiciebatur, quod scribere voluissent Commodum heredem.



## T I T U L U S X V I I I.

### D E I N O F F I C I O S O T E S T A M E N T O.

*Ad Princeps.*

**Q**UIA plerumque parentes sine causa liberos suos exhæredant, vel omittunt; inductum est, ut de inofficio testamento agere possint liberi, qui queruntur, aut iniquè se exhæredatos, aut iniqùe præteritos; hoc colore, quasi non sanæ mentis fuerint, cum testamentum ordinarent. Sed hoc dicitur, non quasi verè furiosus sit,

sed recte quidem secerit testamentum , non autem ex officio pietatis. Nam si verè furiosus fit , nullum testamentum est.

**O F F I C I O** Judicis infirmatur testamentum , cùm illud inofficium esse pronunciat , & propter eam causam rescindit. Testamentum inofficium † est in quo liberi parentes aut fratres immerito exhæredantur aut prætereuntur , ita dictum quòd contra pietatis officium factum sit. Præteritionem autem hoc loco intelligimus , non factam à patre , quæ ipso jure testamentum infirmat in pr. sup. de exhær. lib. sed à matre dunitaxat vel simili persona , cui præteritus non est suus hæres ; quia haec præteritio tantum facit , quantum exhæredatio patris , s. ult. eod. tit.

Inofficisi igitur querela † nihil est aliud , quām officii Judicis imploratio , quā testamenti alicujus velut inofficisi rescissio postulatur. Idque fit eo colore , quasi testator non sanæ mentis fuerit , dum testamentum ordinaret , l. 2. ff. b. t. Sic testamentum Tiberii a Senatu rescissum est tamquam insani , apud Dionem , lib. 59. Sic apud Sallustium Jugurtha vult rescindere testamentum Micipse patris , quòd confectus annis Micipsa parùm animo valueret. Sic denique in poëmate de Æneide non comburendā , & de Virgillii testamento non observando , in quo id præscriptum fuerat , Imp. Augustus aut incertus auctor ejus nomine , eodem colore utitur.

*Si forte furentis*

*Erravit in morte dolor : si lingua locuta est  
Nescio quid , titubante animo ; non sponte , sed altis  
Expugnata malis , odio languoris iniqui :  
Si mens cæca fuit , iterum sentire ruinas  
Troja suas ; iterum cogetur reddere voces ;  
Ardebit misera post vulnera vulnus Elysæ.*

Hoc tamen ita intelligendum non est , ut auctor furorem testatoris probare debat ; quia testamentum in eo casu esset ipso jure nullum , sed tantummodo se fuisse immerito exhæredatum , l. 3. ff. cod.

Circa hanc querelam duo nobis sunt perscrutanda , quibus scilicet casibus concedatur , & quibus casibus denegetur. Et primò quidem liberis conceditur , si a parentibus suis sine justa causa fuerint exhæredati ; quia non est consentendum parentibus , qui injuriam aduersus liberos suos testamento inducunt ; quod plerumque faciunt malignè circa sanguinem suum inferentes judicium , novercalibus delinimentis instigationibusque corrupti , l. 4. ff. b. t. Idem quoque dicendum de liberis præteritis à matre vel ayo materno propter similem rationem.

*Ad §. I.*

**N**ON autem liberis tantum permisum est testamentum parentum inofficium accusare , verū etiam liberorum parentibus. Soror autem & frater , turpibus personis scriptis hæredibus , ex factis constitutionibus prælati sunt. Non ergo contra omnes hæredes agere possunt. Ultra fratres igitur & sorores cognati nullo modo aut agere possunt , aut agentes vincere.

**C E S S A N T E** cauſā liberorum, hēc querela conceditur parentibus præteritis contra teſtamenta filiorum à ſe emincipatorum. Licet enim parentibus non debeatur filiorum hæreditas, propter votum parentum & naturalem erga liberos charitatem; turbato tamen ordine mortalitatis, non minus parentibus quam liberis pīe relinquī debet, l. 15. ff. eod. Sed ex ſpeciali privilegio hēc querela cefſat, cūm filius familias de caſtrenſi vel quaſi-caſtrenſi peculio teſtatus eſt, l. ult. C. eod.

Ceſſante cauſā liberorum & parentum, hēc querela conceditur fratribus & fororibus teſtamento præteriti, modò non fuerint uterini, id eſt per matrem ſolam coniuncti, & modò personæ turpæ fuerint iſtitutæ, l. fratres 27. C. eod. quia ut ait Val. Maximus, lib. 7. cap. 8. prælatio turpium personarum in teſtamento contumelioſa videtur. Turpæ personæ ex Theoph. ſunt aurigæ, miui, arenarii, & quorum familiaritas ex turpi conſuetudine quaſita eſt; quibus addendi ſunt quaicumque ignominia notati, d. l. 27.

Ceſſante denique cauſā liberorum, parentum & fratribus aut fororum, cæteri cognati ab hac querela excluduntur, & ut dicitur in l. 1. ff. b. t. melius facerent ſi ſe inanibus ſumptibus non vexarent, cūm obtinendi ſpem nullam habeant. Hi tamen omnes ſimul ſolent hodie honorari legato quinque affiū, dicis cauſā dumtaxat; ideoque ſi id legatum omissum fit, non tamen ideo teſtamenti viribus ullatenus derogatur.

*Ad §. Tam autem.*

**T**AM autem naturales liberi, quam ſecundūm noſtræ conſtitutionis divisionem adoptati, ita demum de inofficioſo teſtamento agere poſſunt, ſi nullo alio jure ad defuncti bona venire poſſint. Nam qui ad hæreditatem totam vel partem ejus alio jure veniunt, de inofficioſo agere non poſſunt. Posthumi quoque, qui nullo alio jure venire poſſunt, de inofficioſo agere poſſunt.

**D E N E G A T U R** inſuper hēc querela ſupradictis omnibus personis & præcipue liberis, tam naturalibus quam adoptiuis, in duobus caſibus. Prior eſt, ſi ad defuncti bona vel partem eorum alio jure venire poſſunt; quia ad extraordiňarium illud remedium configere non debet, qui ordinario jure munitus eſt, l. 16. in pr. ff. de minor. Extraordinarium appello remedium inofficioſi querelæ, quod etiam ultimum adjutorium dicitur, in l. ult. C. de lib. præter. Unde fit ut impubes adrogatus hac querelâ uti non poſſit; quia ex conſtitutione D. Pii ad quartam hæreditatis potest pervenire, l. 8. §. ſi quis impubes, ff. b. t. Inde etiam ſequitur, cæteros liberos qui alio jure quam iſtitutionis, ad defuncti bona, vel partem eorum venire poſſunt, ab ea querela excludi; ideoque ſui hæredes præteriti eā non utuntur, quia illorum præteritio patrem intestatum facit, ſup. de exher. in princ. Idemque dicendum eſt de emancipatis, quibus Prætor dat bonorum poſſeſſionem contra tabulas, §. emancipatos eod. nr. Dixi vel partem eorum, id eſt legitima, de qua mox agetur,

## Ad §. Sed hæc ita.

**S**E d hæc ita accipienda sunt, si nihil eis penitus à testatoribus testamento relictum est. Quod nostra constitutio ad verecundiam naturæ introduxit. Sin verò quantacumque pars hæreditatis, vel rei eis fuerit relicta; de inofficio quoquerelâ quiescente, id, quod eis deest, usque ad quartam legitimæ partis repleatur; licet nou fuerit adjectum, boni viri arbitratu debere eam compleri.

**A N T E** Justinianum Imp. liberi quibus minus aliquid quartâ parte hæreditatis legitimæ relictum fuisset, id est ejus hæreditatis, quæ ab intestato liberis ex lege competit, hanc querelam movere potuerunt; duobus casibus exceptis, in quibus solis ejus quartæ supplementum peti poterat. Primus erat, si filio ex minori parte instituto fratres cohæredes adjecti fuissent, *Paulus lib. 4. sent. b. t. ff. filius.* Secundus casus erat, si testator qui minus eâ quartâ filio reliquistet, in testamento suo addidisset velle se, ut boni viri arbitratu quod deesset usque ad quartam legitimæ partis completeretur, *l. 44. C. Theod. h. t.* Sed Justinianus idem jus generaliter constituit in omnibus omnino casibus, id est etiam extra-neis scriptis hæredibus; & licet non fuerit adjectum à testatore, boni viri arbitratu quartam illam debere compleri, *l. omnimodo, C. h. t.* Idque ait se constituisse ad verecundiam naturæ, nec immerito; quia in verecundum est, ut filius contra patrem sepultum eam actionem moveat, quæ patrem furoris atque impietatis quodammodo insimulat, & ut ait Val. Maximus *lib. 7. cap. 8. patris manes quietos esse non patitur.*

## Ad §. Si tutor.

**S**I tutor nomine pupilli, cuius tutelam gerebat, ex testamento patris sui legatum acceperit, cùm nihil erat ipsi tutori relictum à patre suo; nihilominus poterit nomine suo de inofficio patris testamento agere.

**P O S T E R I O R** casus in quo liberis vel similibus personis denegatur querela, est si judicium defuncti semel approbaverint; forte si legatum ex eo testamento acceperint, *l. 10. §. 1. & l. 12. in pr. ff. b. t.* quia remittentibus actiones suas non est regressus dandus, *l. queritur, §. pen. ff. de adil. edic.* Verum ab hac regula excipiendus est tutor à patre suo exhæredatus, qui nomine pupilli sui legatum ei relictum in testamento illo petiit & obtinuit; quia cum in omnibus necessitas officii satis excusat, *l. 5. §. advocatione, ff. de his quæ ut indig. aufer.* Aliud tamen dicendum est de advocate, qui patris sui testamento exhæredatus est. Nam si nomine alicujus legatarii legatum aliquod ex paterno illo testamento, advocationem præstanto petierit, ab inofficio querela excluditur, *l. ult. in pr. ff. b. t.* quia officium advocate est voluntarium. Additur altera ratio in d. l. ult. quia agnovisse videtur qui quale judicium defuncti comprobavit

vit. Id autem non recte videtur Antonius Faber exponere in suis Rationalibus, dum pro his verbis quale quale, legit qualiter qualiter. Primum, quia id maximè abhorret ab usu castæ Latinitatis, & à stylo Pauli ejus legis auctoris: tum etiam, quia textuum correctiones pernicioseas habent consequencias. Denique, quia etiam ad excludendam inofficii querelam non sufficit qualiscumque approbatio voluntatis testatoris, ut constat ex §. n. & ex l. 10. §. ult. ff. eod. Verius itaque esse arbitror Paulum his verbis in d. l. ult. non rationem decidendi afterre voluisse; sed solutionem dumtaxat tacita & innata huic quæstioni objectionis, quod qui approbat legatum non ideo videatur testamentum approbare; ideoque legatarii non arcentur à testimonio in testamentis prohibendo, §. legatariis sup. de testam ordin. l. 20. in pr. ff. & l. 22. C. eod. cum totum id negotium ad hæredes dumtaxat pertinere intelligatur.

## Ad §. pen.

**S**E D si è contrario pupilli nomine, cui nihil relictum fuerat, de inofficio egerit, & superatus est; ipse [tutor,] quod sibi in testamento eodem legatum relictum est, non amittit.

Ex diverso, licet ille qui egit inofficii querelâ legatum amittat quod sibi in eo testamento relictum est, l. 8. §. meminisse, ff. eod. tutor tamen, qui pupilli sui exhereditati nomine eam querelam movit nec obtinuit, non impeditur suo nomine legatum ex eo testamento petere; quia, ut jam diximus, necessitas officii cum excusat. Dixi nec obtinuit, quia si obtinuerit, totum omnino testamentum corruit; ita ut nihil ex eo debeatur, saltem jure Institutionum & Digestorum, l. nec fideicomissa 36. ff. de leg. 3.

## Ad §. ult.

**I**GITUR quartam quis debet habere, ut de inofficio agere non possit; sive jure hæreditatio, sive jure legati, vel fideicommissi; vel si mortis causâ ei quarta donata fuerit, vel inter vivos; in iis tantummodo casibus, quorum mentionem facit nostra constitutio; vel aliis modis, qui [in nostris] constitutionibus continentur. Quod autem de quarta diximus, ita intelligendum est, ut sive unus fuerit, sive plures, quibus agere de inofficio testamento permittitur; una quarta eis dari possit, ut ea pro rata eis distribuatur; id est, pro virili portione quarta.

Ex superioribus sequitur, jure nostrarum Inst. denegari inofficii querelam liberis illis, qui habent quartam legitimæ partis ex judicio defuncti, & illis etiam qui habent aliquid minus eā quartā; quia (ut jam dictum est) inofficii querelâ quiescente, permisum est ipsi, ejus dumtaxat petere supplementum. Nec interest ex nostris Institutionibus, utrum liberi quartam hujusmodi obtinuerint jure legati, vel fideicommissi, vel donationis causâ mortis, vel

etiam donationis inter vivos in casibus constitutione Justiniani expressis, l. 30. C. b. t. vel in aliis constitutionibus, l. 17. C. de collat. & l. 29. C. b. t. Verum jure Novellarum sanctum est, ut portio legitima titulo institutionis liberis relinquatur, Nov. 115. cap. 3. Quod jus novum non tantum liberis prodest ad h. norem, ut injuriam & ignominiam ex hæredationis vel præteritionis devitent, sed etiam ad utilitatem; ut cæteris hæredibus deficientibus, jure accrescendi totam hæreditatem obtineant. Sciendum est itaque quid sit legitima, & quæ fuerit ejus quantitas jure veteri definita: tum deinde speciali appendice adjecta, quis sit usus inofficiosi querelæ ex jure Novellarum, & quæ sit quantitas legitimæ breviter indicabitur.

Legitima † dicitur debita liberis & parentibus & interdum fratribus ac sororibus portio in bonis eorum vicissim. Dicitur *debita*, quia filiis debetur jure naturæ. Licet enim ejus quantitas jure civili fuerit definita; ejus tamen obligatio oritur ex naturali ratione, quæ tamquam lex quædam tacita liberis paternam hæreditatem addicet, l. 7. ff. de bon. damnat. Parentibus vero debetur ex jure civili turbato orçine mortalitatis, solo pietatis & commiserationis intuitu, l. 7. §. ult. ff. si ab testam. null. ext. & l. 15. ff. h. t. ne filiorum amissorum & substantiæ etiam eorum jacturam & dolorem patientur, l. 6. ff. de jur. dot. ita ut verè dici possit hoc calu, quod ait Val. Max. in simili: videri posse id fieri contra naturam, nisi diligere parentes prima naturæ lex esset, lib. 5. cap. 4. Fratribus quoque & sororibus debetur etiam jure civili, si turpes personæ fuerint institutæ, ne eam ob causam ignominia afficiantur.

Quantitas legitimæ est, jure nostrarum Institutionum, quarta pars portionis legitimæ, id est ejus partis, quæ cuique debetur ab intestato; quia successio legitima & portio legitima dicitur illa quæ ab intestato competit, solo legis suffragio. Vel si mavis, (hæc enim re ipsa non differunt) quantitas legitimæ est virilis pars quartæ partis omnium bonorum. Quo sensu Imp. ait hoc loco, unam quartam liberis omnibus dandam esse, ut pro rata eis distribuatur. Virilis enim portio quartæ partis omnium bonorum, & quarta pars virilis portio ejusdem patrimonii synonyma sunt: & sic de cæteris.

## APPENDIX DE USU ET EFFECTU inofficiosi querelæ, & de quantitate legitima ex jure Novellarum.

**U**SUS inofficiosi querelæ nullus est ex Nov. 115. cap. 3. & 4. præterquam in duobus casibus; videlicet cum ex hæredatio facta est adjecta falsa causa, quæ una sit ex quatuordecim illis quæ ibidem recensentur; vel cum fratres præteriti sunt, turpi aliquâ personâ institutâ. Circa illum enim casum nihil iure novo immutatum est, ideoque sub veteris juris dispositione relictus intelligitur, l. præcipimus, §. ult. C. de appellat.

Effectus ejus querelæ non est hodie, ut per ipsam totum testamentum rescindatur sicut fiebat antiquitus, l. 36. ff. de leg. 3, sed sola hæredis institutio-

nes : cetera autem firma permanent, d. cap. 3. & 4. & auth. ex causa, C. de liber. prater. Quod ideo inductum est, quia testator in sola hæreditis institutione peccavit. Quamvis enim filios hæredes scripsisset, legata tamen aliaque hujusmodi relictorum fuisse credendum est : & in eo viaetur Justinianus fecutus fuisse vestigia D. Hadriani & DD. Severi & Antonini, qui in similibus certis casibus idem antea decreverant, l. cum mater, ff. b. t. & l. ult. ff. de hæred instit. Neque enim dubium est, quin ius commune sèpius fecerit, quod ad initio proprium ac singulare fuerat, in una aut altera facti specie §. extraneis, & §. sed nostra, sequ. tit. & §. 1. & 2. & §. sed nostra infra de SC. Terryll.

Quantitas legitima filiis debitæ jure novo diversa est hodie, pro diverso numero superstitionis liberorum. Hæc enim portio aucta est ex Nov. 18. de triente & semisse, cap. 1. ita ut si super sint tantum quatuor, vel pauciores liberi ; habeant omnes simul jure legitimæ, trientem totius hæreditatis inter se æqualiter dividendum ; aut (quod perinde est) singuli obtineant trientem portionis virilis, quam habuissent ab intestato. Si vero sint quinque liberi vel plures, debebitur eis omnibus simul semis omnia bonorum inter eos pro virili portione dividendus, vel (quod ejusdem erit effectus) singuli obtinebunt semilsem sive dimidiam partem ejus portionis, quam quisque ab intestato obtineret. Notandi itaque sunt, memoria juvandæ gratiâ, sequentes versus gloisse ad cap. Raynulfi extra de testam. in quibus id totum breviter indicatur.


*Quatuor aut infra natis dant jura trientem :*

*Semissim vero, fuerint si quinque, vel ultræ.*

*Pars at opum quocumque modo sit terna parentum.*

Ex quibus sequitur, portionem legitimam lex filiorum minorem non esse, quam si fuerint quatuor tantum superstitiones ; & rursus quinque liberos maiorem obtinere portionem quam quatuor. Cuius juris non alia occurrit ratio, quam quod dicitur in l. non omnium, ff. de legibus, non omnium quæ jure constituta sunt rationem reddi posse. Hæc autem diversitas portionum ex tabula apposita clarius innotebet.

Parentum legitima hodie semper est triens, eijuscumque numeri sint, idemque etiam ius pertinet ad fratres & sorores, turpibus personis scriptis hæredibus. Constat enim ex d. Nov. 18. cap. 1. omnium legitimam esse auctam, quibus ius agendi de inofficio testamento antea competebat.



**S T N O P S I S   P O R T I O N I S**

legitimæ, quæ jure novo liberis om-  
nibus & singulis debetur, pro va-  
rio ipsorum numero.

**E X E M P L U M**  
*in patrimonio*  
**12000. lib.**

| Numerus<br>libero-<br>rum. | Legitima<br>omnium<br>simul. | Legitima singu-<br>lorum.                                    | Legitima<br>omnium. | Legitima<br>singulo-<br>rum.             |
|----------------------------|------------------------------|--|---------------------|--|
| 1.                         | Triens.                      | Triens.  | 4000. l.            | 4000. l.                                 |
| 2.                         | Triens.                      | Sextans.   | 4000. l.            | 2000. l.                                 |
| 3.                         | Triens.                      | Triens trientis,<br>nona pars bo-<br>norum.                  | 4000. l.            | 1333. l.<br>6. f. 8. d.                  |
| 4.                         | Triens.                      | Quadrans trientis,<br>Uncia five duode-<br>cima pars bonorū. | 4000. l.            | 1000. l.                                 |
| 5.                         | Semis.                       | Uncia & pars quin-<br>ta unciae, decima<br>pars bonorum.     | 6000. l.            | 1200. l.                                 |
| 6.                         | Semis.                       | Uncia, five duo-<br>decima pars bo-<br>norum.                | 6000. l.            | 1000. l.                                 |
| 7.                         | Semis.                       | Decima - quarta<br>pars bonorum.                             | 6000. l.            | 857. l. 2. f.<br>10. d. 2. $\frac{2}{7}$ |
| 8.                         | Semis.                       | Decima-sexta pars<br>bonorum.                                | 6000. l.            | 750. l.                                  |
| 9.                         | Semis.                       | Decima - octava<br>pars bonorum.                             | 6000. l.            | 666. l.<br>13. f. 4. d.                  |
| 10.                        | Semis.                       | Vigesima pars bo-<br>norum.                                  | 6000. l.            | 600. l.                                  |



## T I T U L U S X I X.

### D E H Ä R E D U M Q U A L I T A T E & differentia.

*Ad Princ.*

**H**ÄREDES autem, aut necessarii dicuntur, aut sui & necessariae, aut extranei.

**O**MNIA quæ de solemnitatibus ac vitiis testamentorum hactenus dicta sunt, ad eum dumtaxat scopum collimant; ut cognoscatur quemadmodum hæreditas sit modus acquirendi dominii per universitatem. Id nunc tandem exponitur *hoc ist.* in quo primum varias hæredum qualitates ac species, deinde verò illorum differentias exponemus: ut clarius appareat quomodo illi hæredes à se invicem differant circa acquisitionem & admissionem hæreditatis, quod ultimo loco exponetur. Omnes autem hæredes † sunt vel necessarii tantum, vel sui & necessarii, vel extranei seu voluntarii.

*Ad §. I.*

**N**ECESSARIUS hæres est servus hæres institutus. Ideoque sic appellatur, quia sive velit, sive nolit, omnino post mortem testatoris protinus liber & necessarius hæres fit. Unde qui facultates suas suspectas habent, solent servum suum primo aut secundo, aut etiam ulteriore gradu hæredem instituere; ut si creditoribus satis non fiat, potius ejus hæredis bona, quam ipsius testatoris à creditoribus possideantur, vel distrahantur, vel inter eos dividantur. Pro hoc tamen incommodo, illud ei commodum præstatur; ut ea, quæ post mortem patroni sui sibi acquisierit, ipsi reserventur. Et quamvis bona defuncti non sufficiant creditoribus, [iterum] tamen ex ea causa res ejus quas sibi acquisierit, non veneunt.

**N**ECESSARII hæredes † dicuntur servi, qui ex domini sui testamento libertatem simul & hæreditatem consequuntur; ita dicti quod mortuo testatore protinus hæredes sint, neque habeant ullam abstinenti facultatem, *i. necessariis,* *§. ult. ff. de acquir. hered.* ac proinde mortuo testatore qui solvendo non fuerit, illa ignominia servi hujusmodi efficiuntur, ut creditores hæreditarii bona defunctorum distrahant eorum nomine. Quidquid tamen post mortem domini alien-

de acquisierint, creditoribus non erit obnoxium; si modò antequam bona ejus attigerint, impetraverint a Prætore beneficium separationis, l. 1. §. ult. ff. de separat. Separatio generaliter † est honorum discretio atque distinctio. Hoc autem loco separatio † specialiter dicitur Prætoria bonorum hæreditariorum discretio, ab his quæ hæres nec slacius post mortem domini acquisivit, vel quæ ipsi naturaliter a domino debebantur, d. §. ult. Dico *hoe loco*, quia alibi frequentissime sumitur pro discretione honorum hæreditariorum a bonis hæredis, quam Prætor concedit creditoribus defuncti. Non tamen conceditur creditoribus hæredis, d. l. 1. §. ex contrario, & §. quæsum; neque post lapsum quinquennii, d. l. 1. §. quod dicitur. Dico insuper *Prætoria discretio*; quia jure civili per aditionem hæreditatis inducit utriusque patrimonii confusio, l. Stichum, §. aditio, ff. de solut. quia hæredis & defuncti eadem persona esse creditur. Ex edicto autem Prætoris conceditur servo hæc separatio jure singulari & quasi in mercedem illius contumelias, ut rectè Theoph. sed ita demum si noncum bona attigerit d. §. ult. Alioquin enim valde admodum esset fraudis suspecta illius separationis petitio.

*Ad §. Sui autem.*

**S**U I autem & necessarii hæredes sunt, veluti filius, filia, nepos, neptisve ex filio, & deinceps cæteri liberi, qui in potestate mortis modò fuerint. Sed ut nepos, neptisve sui hæredes sint, non sufficit eum eamve in potestate avi mortis tempore fuisse; sed opus est, ut pater ejus vivo patre suo desierit suus hæres esse; aut morte interceptus, aut quâlibet aliâ ratione liberatus à patris potestate: tunc enim nepos neptisve in locum patris sui succedit. Sed sui quidem hæredes ideo appellantur, quia domestici hæredes sunt, & vivo quoque patre quodammodo domini existimantur. Unde etiam si quis intestatus moriatur, prima causa est in successione liberorum. Necessarii verò ideo dicuntur, quia omnino, sive velint, sive nolint, tam ab intestato, quam ex testamento [ex lege duodecim tabularum] hæredes sunt. Sed his Prætor permittit volentibus abstinere hæreditate, ut portius parentis, quam ipsorum bona, similiter à creditoribus possideantur.

**S**U I & necessarii hæredes † dicuntur liberi in potestate parentis constituti, quos nemo gradu præcedit tempore delata hæreditatis; seu qui in familia defuncti primum gradum obtinent. Dicuntur *sui*, quasi domestici, proprii & naturales hæredes, vel etiam quod sui etiam ipsorum hæredes esse videantur; quatenus vivo patre rerum omnium paternarum domini intelliguntur; & (ut loquitur senex Terentianus) patris participes, Hauton. ad. 1. sc. 1. Ideoque parente mortuo sit in illis dominii continuatio; ita ut post mortem patris non hæreditatem percipere videantur, sed tantummodo magis liberam bonorum administrationem consequi, l. in suis, ff. de liber. & post. & ut ait Plin. in panegyr. numquam ut aliena & speranda, sed ut sua semperque

possessa capiunt. Dicuntur etiam *necessarii*; quia sive veline, sive nolint omnino hæredes sunt. Sed Prætor dat illis beneficium abstentionis, *l. necessariis, ff. de acquir. hæred.* atque ita filiorum pudori & existimationi parcitur, si pater solvendo non fuerit: ita ut bona hæreditaria non sibi nomine, sed nomine patris defuncti distrahantur à creditoribus, *l. paterfamilias, ff. de reb. auct. jud. possid.*

Illud omittendum non videtur quod in jure civili *suis heres & hæres suis* diversa sint nomina & diversi usus. Nam cùm vox *suis* sequitur *hæredis* nomen, intelligitur hæres sive domesticus, sive extraneus illius cuius nomen anteà præcessit; ut cùm dicitur: Titia fidei hæredis sui commisit, Titius stipulatus est ut sibi hæredi suo uti frui liceret. Cùm verò vox *suis* præcedit, significatur eo nomine unus ex liberis. *Ex l. 12. tabularum, l. 7. ff. de bon. dam.* si eum in familia nemo gradu præcedat; ut cùm dicimus, fœminas suos hæredes non habere, & filios vivo patre desinere esse suos hæredes, si capite fuerint diminuti, *l. 1. §. si filius, ff. de suis & leg. hered. & leg. 29. §. & videtur de lib. & post. Suis* denique interdum accipitur pro eo qui sui juris est, *§. præferuntur inf. de SC. Tertyll.*

#### *Ad §. Ceteri.*

**C**ÆTERI, qui testatoris juri subjecti non sunt, extranei hæredes appellantur. Itaque liberi quoque nostri, qui in potestate nostra non sunt, hæredes à nobis instituti, extranei hæredes nobis videntur. Qua de causa, & qui hæredes à matre instituuntur, eodem numero sunt; quia fœminæ in potestate liberos non habent. Servus quoque hæres à domino institutus, & post testamentum factum ab eo manumissus, eodem numero habetur.

**E X T R A N E I** hæredes † sunt illi qui in potestate morientis non fuerunt, & ex quorum pendet arbitrio adire vel repudiare hæreditatem: unde fit ut voluntati etiam hæredes appellantur, *l. 12. ff. de cond. instit. & l. 15. & sequ. ff. de acquir. hæred.* Tales sunt qui à matre sua, vel ayo materno, vel etiam ab extraneo hæredes scripti sunt.

#### *Ad §. In extraneis.*

**I**N extraneis hæredibus illud observatur, ut sit cum eis testamenti factio, sive hæredes ipsi instituantur, sive hi qui in potestate eorum sunt. Et id duobus temporibus inspicitur: testamenti quidem [facti] tempore, ut constiterit institutio; mortis verò testatoris, ut effectum habeat: hoc amplius, & cùm adit hæreditatem, esse deberet cum eo testamenti factio, sive purè, sive sub conditione hæres institutus sit. Nam jus hæredis eo maximè tempore inspicendum est, quo acquirit hæreditatem. Medio autem tempore inter-

factum testamentum, & mortem testatoris, vel conditionem institutionis existentem, mutatio juris non nocet hæredi; quia ( ut diximus ) tria tempora inspici debent. Testamenti autem factio non solum is habere videtur, qui testamentum facere potest; sed etiam qui ex alieno testamento vel ipse capere potest, vel alii acquirere, licet non possit facere testamentum. Et ideo furiosus, & mutus, & posthumus, & infans, & filius familias, & servus alienus, testamenti factio habere dicuntur. Licet enim testamentum facere non possint, attamen ex testamento, vel sibi, vel alii acquirere possunt.

Ex diversis illis hæredum qualitatibus, multæ nascuntur ipsorum inter se invicem differentiae. Et primò quidem inter se differunt, quoad capacitem; quia cum hæredibus necessariis non potest non esse testamenti factio: quippe qui vel sunt Cives Romani, si sui & necessarii hæredes sint; cum sint in potestate patris, quæ potestas propria est Civium Romanorum, §. pen. sup. de patr. potest. Sin autem sint hæredes necessarii tantum, ex sola hæredis institutione jura libertatis & civitatis acquirunt, l. pen. C. de necess. hered. inst. Constat autem, omnes Cives Romanos eam testamenti factio habere, nisi specialiter legibus adempta sit. At vero in extraneis hæredibus institutis, illud semper observatur & disquiritur, an sit cum eis testamenti factio; idque triplici tempore, videlicet conditi testamenti; quia quæ ab initio non valent, trætu temporis convalescere non possunt, l. i. ff. de reg. Caton. tempore mortis, ut effectum habeat institutio; quia testamentum morte confirmatur: vel etiam quia aditio hæreditatis quocumque tempore facta, ad tempus mortis retrotrahitur, l. 193. ff. de reg. iur. tempore denique aditæ hæreditatis; quia jus hæredis eo maxime tempore spectatur quo vult eo uti, l. 49. §. i. de hered. inst. Medio autem tempore mutationis juris non nocet hæredi: in persona autem testatoris exigitur testamenti factio duplici tempore, cum testatur, & cum moritur, l. i. §. exigit, ff. de bon. poss. sec. tab. Unde apparet, duplē esse testamenti factio, activam scilicet, & passivam. Testamenti factio activa est jus faciendi testamenti. Testamenti factio passiva est jus capiendi ea quæ relinquuntur in alieno testamento. Ut cum dicitur; Cum Titio est testamenti factio: qui modus loquendi passivæ tantum convenit, non activæ.

#### *Ad §. Extraneis.*

**E**XTRANEIS autem hæredibus deliberandi potestas est de adeunda hæreditate, vel non adeunda. Sed sive is cui abstinenti potestas est, immiscuerit se bonis hæreditatis, sive extraneus, cui de adeunda hæreditate deliberare licet, adierit; postea relinquendæ hæreditatis facultatem non habet, nisi minor sit viginti-quinque annos. Nam hujus ætatis hominibus, sicut in ceteris omnibus causis deceptis;

deceptis ; ita & si temerè damnosam hæreditatem suscepint , Prætor succurrit. Sciendum est tamen, Divum Hadrianum etiam majori viginti-quinque annis veniam dedisse , cùm post aditam hæreditatem grande æs alienum , quod aditæ hæreditatis tempore latebat , emerisset. Sed hoc quidem Divus Hadrianus cuidam speciali beneficio præstítit : Divus autem Gordianus postea militibus tantummodo hoc concessit.

DIFFERUNT secundò à se invicem hæredes , quoad jus deliberandi. Nam hæredes necessarii ipso jure hæredes existunt , etiam invitati , statim à morte testatoris : atque ideo inutilis & superflua videtur in illis deliberatio. Sui tamen hæredes , licet jure civili sint etiam necessarii , jure Prætorio quod eis tribuit abstinendi facultatem , etiam jus deliberandi habent , l. 8. & l. 9. ff. de *jur. delib.* Extranei verò , hæredes non sunt priusquam adeant : ideoque eis pertinentibus Prætor solebat olim dare jus deliberandi intra centum dies. Quod spatiū Just. prorogavit usque ad annum : ita ut sine ulla petitione hæredum , ipsis competenteret , & sine ulla concessione Prætoris , l. 19. C. cod. Verùm postquam extraneus adiisset hæreditatem , vel suos hæres se immiscuisset , relinquentiae postea hæreditatis facultatem non habebat ; quia qui semel est hæres non potest definire esse hæres , l. 88. ff. de *hered. inst.* Sed excepti sunt primò minores viginti-quinque annis. Cùm enim fragile sit eiusmodi ætatis consilium , & multis captionibus suppositum ; ideo Prætor naturalem æquitatem fecutus , auxilium eis dedit edicto suo , & adversus captiones opitulationem , l. 1. in pr. ff. de *minor.* Postea verò D. Hadrianus hoc privilegium concessit majori cuidam viginti-quinque annis ; cùm latens æs alienum post aditam hæreditatem emerisset , ne ultra vires ejus hæreditatis teneretur. Sed quia constitutiones personales ultra casum suum extensionem non patiuntur , quoniam non hoc Princeps vult , §. sed & quod sup. de *jure natur.* necessarium fuit , ut Gordianus Imp. cupiens id privilegium omnibus militibus competere , novā id constitutione sanciter. Quæ hac ratione æquitatis innititur , quod milites magis arma quam leges scire intelligantur , l. ult. C. de *jur. delib.*

*Ad s. pen.*

SEb nostra benevolentia commune omnibus subjectis Imperio nostro hoc beneficium præstítit : & constitutionem tam æquissimam , quam nobilissimam scripsit : cuius tenorem si observaverint homines , licet eis adire hæreditatem , & in tantum teneri , quantum valere bona hæreditatis contingit: ut ex hac causa neque deliberationis auxilium sit eis necessarium , nisi omisssā observationē nostræ constitutionis , & deliberandum existimaverint , & fese veteri gravamini aditionis supponere maluerint.

JUSTINIANUS denique Imp. hoc beneficium omnium hæredum suorum atque extraneorum commune fecit , tam in paganiis , quam in militibus , ne

ultra facultates hæreditarias teneantur; si modò inventarium confecerint intra tempus ejus constitutione definitum, d. l. ult. Inventarium † est series ac enumeratio rerum omnium ad defuncti hæreditatem pertinentium. Unde oritur altera hæredum divisio quoad proxim scitu pernecessaria; quod alii sint hæredes puri ac simplices, † qui scilicet inventarium intra legitima tempora non confecerunt, atque ideo creditoribus & legatariis obligantur in solidum: (*heritiers purs & simples*) alii verò dicuntur hæredes beneficiarii, † qui inventarium intra constituta legibus tempora confecerunt, & obligantur tantum creditoribus & legatariis secundum vires hæreditatis: (*heritiers bénéficiaires, ou par benefice d'inventaire.*)

*Ad §. ult.*

**I**T B M extraneus hæres testamento institutus, aut ab intestato ad legitimam hæreditatem vocatus, potest aut pro hærede gerendo, aut etiam nudā voluntate suscipienda hæreditatis hæres fieri. Pro hærede autem gerere quis videtur, si rebus hæreditariis tamquam hæres utatur, vel vendendo res hæreditarias, vel prædia colendo locandove, & quoquo modo voluntatem suam declareret, vel re, vel verbo de adeunda hæreditate; dummodò sciat eum, in cuius bonis pro hærede gerit, testatum, intestatumve obiisse, & se ei hæredem esse. Pro hærede enim gerere, est pro domino gerere. Veteres enim hæredes pro dominis appellabant.

**D I F F E R U N T** tertio hæredes necessarii ab extraneis in acquisitione hæreditatis; quia necessarii mortuo testatori & fine ulla aditione vel simili aliquo facto hæredes existunt. Sed tamen in suis propter prefatum abstentionis beneficium à Prætore indultum ad hoc ut certius hæredes sint, requiritur immixtio, id est † declaratio sui hæredis constituentis velle se parentis hæreditatem retinere.

Extranei verò acquirere possunt hæreditatem aditione, pro hærede gestione, vel nudā agnitio. Aditio † erat olim declaratio hæredis extranci, in jure & solemniter profitentis velle se hæredem esse. Hæc vel fiebat ex testamento, vel ab intestato. Quæ fiebat ab intestato, vel ex testamento, in quo nullum tempus adeundi fuerat præscriptum, speciali nomine donata non fuerat. Cretio verò specialiter † dicebatur aditio illa quæ fiebat ex deliberatione testamento præfinita. Hoc etiam nomen † sumitur pro spatio certorum dierum, id est pro concessione ejus spatii, quod à testatore datur instituto hæredi ad deliberandum, utrum expediat ei adire hæreditatem, nec-ne, *Vlp. tit. 22. §. cretio & sequentibus.* Sæpiissime enim testator his verbis utebatur: *Titius hæres esto, certi quoque diebus centum proximis, quibus scieris, poterisque.* *Nisi ita creveris, ex hæres esto; tunc Marcius hæres esto, cernitoque in diebus, &c.* Ex qua formula sequitur duplex divisio creationis. Prima est, † quod quædam sit vulgaris, quædam verò continua. Cretio vulgaris † est, in qua adjiciuntur hæc verba, *quibus scieris, poterisque;* uno verbo, cujus dies sunt utiles. Cretio continua † est in qua hæc verba adjecta non sunt, & cujus dies sunt continuū. Secunda cre-

tionis divisio est, † quod vel sit perfecta, vel imperfecta. Cretio perfecta † est, quæ fit adjectis his verbis: *Si non creveris, exhaeres esto.* Cretio imperfecta † dicebatur, in qua hæc verba adjecta non fuerant; *Si non creveris, exhaeres esto.* Quo etiam modo lex aliqua dicitur imperfecta, quæ aliquid fieri prohibet; sed si id factum sit, non rescindit, *Vlp. in princip. lib. sign. regul.*

Pro hærede gestio sive geritio † est declaratio hæredis extranei per nudam hæreditiarum rerum administrationem, & sine ulla solemnibus profitentis, velle se hæredem esse; ita dicta, quod pro hærede gerere † sit pro domino gerere. Nam antiqui hæredes pro dominis appellabant, ut docet *Festus in voce, Heres.* Imò vero in jure nostro hæc vox heres, eo sensu usurpatur, *l. pen. §. pen. ff. de castr. pecul.*

Nuda denique agnitio † est declaratio hæredis extranei, absque omni solemnitate & facto profitentis velle se hæredem esse. Hæc dicitur fieri nudâ voluntate; quia nec requirit solemnitatem, sicut acitio; neque factum ullum, sicut geritio. Hodie aditionum & cretionum solemnia sublata sunt: unde sequitur, extraneum solâ pro hærede gestione vel agnitione, (quæ etiam dicitur aditio) hæredem fieri, si modò intelligat quid agat; & sciat se hæredem esse, & quo jure hæres sit, vel ex testamento, vel ab intestato. Ideoque mutos & surdos posse hodie hæredes fieri pro hærede geritione vel agnitione certum est. In Gallia denique nostra omnes generaliter hæredes, solâ suâ existentiâ hæredes sunt ipso jure; & absque ullo facto aut declaratione voluntatis, propter generalem Regni consuetudinem, quæ dicitur *le mort sait le viv.*

#### *Ad Vers. Sicut autem.*

**S**I C U T autem nudâ voluntate extraneus hæres sit, ita contrariâ destinatione statim ab hæreditate repellitur. Eum, qui surdus vel mutus natus, vel postea factus est, nihil prohibet pro hærede gerere, & acquirere sibi hæreditatem; si tamen intelligit quod agit.

**D I F F E R U N T** denique prefati hæredes in amissione hæreditatis; quia illi qui sunt necessarii tantum hæredes, numquam possunt illam detrectare. Sui vero hæredes Jure Civili semper hæredes sunt. Sed tamen Jure Prætorio (ut supra dictum est) per abstentionem quodammodo hæredes esse desinunt. Abstentio † est declaratio sui hæredis profitentis nolle se hæredem esse; propter quam ex edicto Prætoris à paterna vel avita hæritate immunis fit. *Vixi ex editto Prætoris;* quia ex Jure Civili, is qui se abstinuit, hæres permanet, *l. 30. §. sed ei si fuit, ff. de fidic. libert.*

Extranei vero amittunt hæreditatem tribus modis, repudiatione, recusatione, & omissione. Repudatio † dicebatur olim declaratio hæredis extranei, in jure & solemniter profitentis nolle se hæredem esse. Recusatio † est non solemnis declaratio hæredis extranei, quæ renunciat delatae sibi hæreditati. Omissio denique † est declaratio hæredis extranei, per aditionem intra debitum tempus prætermissam tacite profitentis, nolle se hæredem esse; putâ si hæres sub prædicta cretionis formula institutus, intra centum dies non adierit. Qui enim

omittit hæreditatem intra tempus legitimū , renunciare ipsi videtur. Sublati sīgūrū hodie solemnitatum ambagib⁹, extraneus hæres amittit hæreditatem duob⁹ modis ; recusatione , ( quæ etiam vocatur repudiatio ) & omissione.



## T I T U L U S X X .

### D E L E G A T I S .

*Ad Princeps.*

**P**Ost hæc videamus de legatis ; quæ pars juris extra proposi-  
tam quidem materiam videtur : ( nam loquimur de iis juris fi-  
guris , quibus per universitatem res nobis acquiruntur ) sed cùm  
omnino de testamentis , & de hæredibus , qui in testamento insi-  
tuuntur , locuti sumus , non sine causa sequenti loco potest hæc  
juris materia tractari .

**T R A C T A T U M** de legatis & fideicommissis superius de industria præter-  
missum , commode incipit Imp. hoc loco , post expositionem testamentorum ,  
quorum sunt partes : atque ideo ab eorum robore pendent ut plurimum . Et I.  
quidem legatorum hoc tit. naturam explicat . II. rerum legatarum diversa jura  
distinguit . III. personarum quibus legatur capacitem scrutatur . IV. deni-  
que , scrupulosas tres Veterum in legatis observationes explodit .

*Ad §. I.*

**L**E G A T U M itaque est donatio quædam à defuncto relictæ , ab  
hærede præstanta .

**L**E G A N D I verbum in L. 12. tab. generale est : *Uti paterfamilias super pecunia tutelave rei sue legasset , ita jus esto ;* & significat hæredis institutionem , tutoris dationem , & alia quæ in testamento imperantur , seu legis modo in testamento dicuntur . Quo etiam sensu accipitur apud Servium lib. 12. Æneid . ad hæc verba , ubique remittunt . Postea , inquit , Duellio Consule Senatus prohibuit , & legavit ne quis in urbe sepeliret : *Ita Savaro ad lib. 3. Sid. Apollin. Ep. 12. in Epitaphium Apollinaris.* Hic autem specialiter sumitur legatum , & definitur † donatio quædam à defuncto relictæ , ab hærede præstanta . Dicitur I. *donatio* , quia legatum est liberalitas , l. 32. ff. si cui plus quam per L. Falcid . nec ulli oneri aut damno admixtum est , l. 6. ff. *mandat.* & l. 1. C. si cert. pet. sed merum dumtaxat lucrum continet . Dicitur II. *quædam* ; id est àmproprium quoddam genus donationis à cæteris yerbis donationibus distinc-

tum. Neque enim est irrevocabile, sicut donatio inter vivos ; nec solâ convalescentiâ donatoris infirmatur, sicut donatio causa mortis ; neque præsentiam & acceptionem requirit, sicut hæc utraque donatio. Dicitur III. à defuncto, id est à testatore : extra testamentum enim non rectè legatur, §. præterea inf. de fidic. hæred. ideoque legatum definitur à Modestino, donatio testamento relicta, l. legatum, ff. de leg. 2. Additum est denique ab herede præstanda ; quia licet interdum legatarius dominus fiat rei legatae sine facto hæreditis, l. 80. ff. de leg. 2. & l. à Tito 64. §. 1. de furt. non tamen transit possessio in legatarium sine traditione hæreditis ; & quod legati nomine occupaverit legatarius, hæredi restituere cogitur per interdictum quod legatorum. Etenim æquissimum Prætori visum est, unumquemque non libi ipsi jus dicere occupatis legatis, sed ab hærede petere : ita tamen ut perinde legatarii possint eum convenire, l. 2. §. & continet, ff. quod legatorum. Præterea præstare in jure non solùm significat dare vel facere, sed etiam damnum rei omne ac periculum sustinere : quo sensu dicitur casus fortuitos à nemine præstari, l. 23. ff. de reg. jur. At vero hæres tenetur præstare legatario evictiōnem, si legatum jure consistat, arg. l. 77. §. evictis, ff. de leg. 2. & expresso textu in l. 72. hæres, ff. ad SC. Trebell. Si res legata sit obligata, debet hæres eam luere, §. sed & si rem, b. t. si autem res sit aliena, debet eam redimere, & redemptam legatario præstare, §. non solùm inf. eod. Non est igitur approbanda apud Theoph. earum vocum rejectio. Majoris momenti esse videretur sententia Summi Antecessoris ; qui licet uteretur exemplari in quo hæc verba deerant de illis, tamen sic loquitur in suo Parat. ff. de leg. 1. Evidēt (inquit) semper existimavi manare ea verba ex antiqua prudentia juris, & fortasse ea fuisse etiam ab ipso Modestino in suam definitionem injecta. Multa enim ad nos permanus, perque ora majorum venerant, qua in libris nostris non extant, admodum congruentia antiqua prudentia ; qua existimator doctus & intelligens neque præterire, neque aspernari debet.

## Ad §. Sed olim.

**S**E O LIM quidem erant legatorum genera quatuor, per vindicationem, per damnationem, sinendi modo, per præceptiōnem : & certa quedam verba cuique generi legatorum adsignata erant, per quæ singula genera legatorum significabantur. Sed ex constitutionibus Divorum Principum solemnitas hujusmodi verborum penitus sublata est. Nostra autem constitutio, quam cum magna fecimus lucubratione, defunctorum voluntates validiores esse cupientes, & non verbis, sed voluntatibus eorum faventes, disponuit ; ut omnibus legatis una sit natura, & quibuscumque verbis aliquid relictum sit, liceat legatariis id persequi, non solùm per actiones personales, sed etiam per in rem, & per hypothecariam. Cujus constitutionis perpensum modum ex ipsius tenore perfectissimè accipere possibile est.

LEGATORUM antiquius quatuor erant genera, per vindicationem, per

damnationem, finendi modo, & per præceptionem; ex quibus primum Theophilus non rectè appellat vindicationem. Nam sanè aliud est vindicatio, aliud legatum per vindicationem. Hæc legata non tantum differebant formulâ seu verbis typicis (ut ait Theoph.) sed etiam rebus legatis & actione ex his promanante, nec-non etiam aliis juris effectibus.

Per vindicationem ita legabatur, *dō, lego, capito, sumito, habeto*. Eoque genere poterant illæ res tantum relinquī, quæ testatoris propriæ erant utroque tempore, mortis scilicet, & conditi testamenti. Ex eoque legato oriebatur actio in rem quæ *vindicatio* dicitur: unde hoc legatum nōmen assumpsit. Ideo autem datur hæc actio legatario, quæ soli domino competit, *l. in rem, ff. de rei vindic.* quia mortuo testatore dominium rei legatæ rectâ viâ transit in legatarium, numquam factum hæreditis, *l. 80. ff. de leg.* Scindum est insuper, competere ex hoc legato actionem in personam, *l. 33. l. 84. §. ult. & l. 85. ff. de leg. 1. licet id Auctor noster omiserit; quia hæres cum omnibus legatariis quasi-contraxisse intelligitur, l. 5. §. hæres quoque, ff. de oblig. & alt.*

Legati per damnationem hæc erat plerumque formula: *Hæres meus damnas esto dare vel facere: vel hæres meus dato, facito.* Hoc legato res omnes relinquī poterant, sive essent testatoris, sive hæreditis, sive alicujus extranei. Ex eoque competebat in hæredem actio personalis, quæ dicitur *actio ex testamento*; quia, ut jam dictum est, hæres adeundo hæreditatem, cum legatariis quasi-contraxisse intelligitur.

Legatum finendi modo ita siebat: *Damnas esto hæres meus finere Mærium sumere illam rem sibiique habere, vel finito hæres meus, &c.* Eo modo res proptiæ testatoris vel hæreditis relinquī poterant; & in eo quoque legato actio in personam locum habuit.

Legatum denique per præceptionem hæredi uni ex parte scripto ita siebat: *Titius, Mævius & Sempronius mihi hæredes sunt.* *Titius hæres meus rem illam vel summam illam præcipito vel præcipuam habeo.* Præcipere autem dicitur à particula *præ*, & *capiendo*; eo quod hæres ante divisionem hæreditatis rem aliquam capiat. Nostro idiomate id appellatur (*un prælegat, un legat par præcipit.*) In hoc genus legati eadem cadunt, quæ per vindicationem legari possunt. Verum ex hoc legato non competebat vindicatio, sed actio dumtaxat familiæ exciscundæ, de qua inferius suo loco agetur.

Hoc jus vetus constitutionibus Principum immutatum est: primò enim Constantinus, Constantius, & Constans imp. necessitatem solemnitatis hujusmodi verborum penitus sustulerunt, *l. in legatis, C. b. t. deinde veð Just. imp.* utramque actionem, in rem & in personam omnibus legatariis concessit indistinctè; & tacitam insuper dedit eis hypothecam in bonis defuncti: ita ut tertia actione, videlicet hypothecariæ, uti possint legatarii contra quoscumque rerum hæreditiarum possessores, *l. 1. C. comm. de legat.* Quod autem ciximus indistinctè intelligendum est sine illa distinctione verborum & formulæ legandi, non tamen sine aliqua rerum distinctione: quia si legata fuerit certa quantitas, vindicatio legatario non competit, sed sola actio in personam. Idemque dicendum est, si testator legaverit rem alienam; quia dominium rei alienæ testator transferre non potuit, ut possit legatario competere rei vindicatio, *arg. l. 54. ff. de reg. jur.*

Quamvis autem præfatæ inter hujusmodi legata differentia multa supersint

vestigia, non tamen assentendum est existimantibus omnes legatorum differentias non esse sublatas; cum Justinianus afferat suâ constitutione dispositum esse, ut omnibus legatis una sit natura, hoc §. n. & l. 1. C. comm. de leg.

*Ad §. Sed non usque.*

**S**ED non usque ad eam constitutionem standum esse existimavimus. Cum enim antiquitatem invenimus legata quidem strictè concludentem, fideicommissis autem, quæ ex voluntate magis descendebant defunctorum, pinguiorum naturam indulgentem; necessarium esse duximus, omnia legata fideicommissis exæquare, ut nulla sit inter ea differentia; sed quod deest legatis, hoc repleatur ex natura fideicommissorum: & si quid amplius est in legatis, per hoc crescat fideicommissorum natura. Sed ne in primis legum cunabulis permisum de his exponendo, studiosis adolescentibus quamdam introducamus difficultatem; operæ pretium esse duximus, interim separatim priùs de legatis, & posteà de fideicommissis tractare; ut naturâ utriusque juris cognitâ, facile possint permissionem eorum eruditî subtilioribus auribus accipere.

**I**DEM Imp. legata insuper fideicommissis per omnia & in omnibus exequavit, l. 2. C. eod. Quod non est ita intelligendum, quasi legata cum fideicommissis confusa sint, & quasi utrisque una sit natura; ita ut iisdem verbis ac modis relinqui possint; sed ita dumtaxat ut legata, quæ jure legati valere non possunt secundum rigorem juris civilis, trahantur ad fideicomissa, quorum natura pinguior est, quatenus valent ex sola voluntate defuncti, l. pen. ff. de leg. 1. & l. 21. ff. de leg. 3. etiam sine ullo solemnium adminiculo, si hæc fuerit voluntas testatoris, l. ult. C. de fideicom. Ex diverso quoque, fideicomissa quæ valebant anteà solâ Prætoris tuitione, & peti non poterant, nisi per extraordinariam persecutionem, ut constat ex Vip. tit. 25. possunt hodie peti per actionem ordinariam, in rem, vel in personam, vel hypothecariam, sicut legata.

*Ad §. Non solum.*

**N**ON solum autem testatoris vel hæredis res, sed etiam aliena legari potest; ita ut hæres cogatur redimere eam, & præstare; vel si eam non potest redimere, æstimationem ejus dare. Sed si talis sit res, cuius commercium non est, [ vel adipisci non potest ] nec æstimatio ejus debetur, veluti si campum Martium, vel basilicas, vel templa, vel quæ publico usui destinata sunt, legaverit. Nam nullius momenti [ tale ] legitum est. Quod autem diximus alienam posse legari, ita intelligendum est, si defunctus sciebat alienam

rem esse, non si ignorabat. Forsitan enim si scivisset alienam rem esse, non legasset: & ita Divus Pius rescripsit. Et verius est, ipsum qui agit, id est legatarium, probare oportere, scivisse alienam rem legare defunctum; non hæredem probare oportere, ignorasse alienam: quia semper necessitas probandi incumbit illi qui agit.

**S E C U N D A** pars tituli quæ longior ac perplexior est cæteris, pertinet ad res legatas. Circa quas quinque sunt inspectiones 1. est de legato rei alienæ; 2. de jure accrescendi; 3. de legato rei propriæ legatarii vel testatoris; 4. de periculo & commodo rei legatae; 5. denique de rebus quæ legari possunt.

Non solum testator res proprias legare potest vel hæredis sui, qui eamdem cum ipso personam constituit, sed etiam res omnino alienas. Quo etiam casu de suo disponere intelligitur; quia hæc est vis & potestas eius legati, ut hæres cogatur eas redimere a vero domino, si velit ipsas vendere justo pretio, easque redemptas teneatur hæres præstare legatario. Sin autem dominus nolit vendere, seu (quod perinde est) si velit vendere immenso pretio, ut teneatur hæres eorum rerum estimationem præstare legatario, *l. non dubium, §. ult. ff. de leg. 3.* duas tamen hoc patitur exceptiones: prima est, quod non valeat legatum rei alienæ, si non sit in commercio, cujusmodi sunt res publicæ, sacrae, religiosæ & sanctæ, vel (quod perinde est) si legatarius eius rei commercium non habeat, quale est mancipium Christianum respectu Judæi vel Pagani, *toto tit. C. ne Christ. mancip. hæred. vel Jud. vel Paganus habeat.* Altera exceptio est, quod ex sententia Neratii Prisci, & ex D. Pii rescripto succursum est hæredibus, ne cogerentur præstare & redimere quod testator suum existimans reliquit. Sunt enim magis in legandis suis rebus, quam in alienis comprandis & onerandis hæredibus faciliores defunctorum voluntates, *L. unum ex familia, §. si rem tuam, ff. de leg. 2.* Uter autem probare debeat scientiam vel ignorantiam testatoris, an hæres vel legarius, non est dubitandum; quia necessitas probandi incumbit illi qui agit, *l. verius, ff. de probat.* tum etiam quia affirmanti incumbit probatio, non neganti, *l. 2. ff. eod.* & ut dicitur in *l. actor,* *C. eod. per rerum naturam factum negantis nulla est probatio.*

*Ad §. Sed & si rem.*

**S**E & si rem obligatam creditori aliquis legaverit, necesse habet hæres [eam] luere. Et [in] hoc quoque casu idem placet, quod in re aliena; ut ita demum luere necesse habeat hæres, si sciebat defunctus rem obligatam esse: & ita Divi Severus & Antoninus rescripserunt. Si tamen defunctus voluerit legatarium luere, & hoc expresserit, non debet hæres eam luere.

**L E G A T U M** rei obligatae, legato rei alienæ possumus conjungere. Primò enim res obligata quodammodo est aliena, quatenus rei obligata pretium nobis abest, quod pro ea liberanda præstare cogimus, *arg. l. 14. ff. de verb. signif.* unde & pignoris obligatio interdum pro alienatione habetur, *l. ult. C. de rebus alien.*

*alien. non alien.* Secundò , quia eodem modo distinguitur in legato rei obligatæ , an testator sciverit vel ignoraverit rem quam legat esse obligatam ; sicut distinximus in legato rei alienæ : ita ut si testator nesciverit obligatam , legatarius teneatur eam luere ; sin autem id sciverit , hoc omnis incumbat hæredi , nisi aliud testator expresserit. Aliud tamen dicendum est in donationibus. Neque enim donator aut hæres donatoris tenetur hypothecas rerum donatum suis sumptibus expurgare , aut sumptus eo nomine factos à donationis acceptore ei restituere ; quia ut ait Paulus lib. 5. sen. tit. 11. §. *invitus* , lucrativæ rei possessor ab evictionis actione ipsa juris ratione depellitur. Juris ratio † hæc esse videtur , quod iniquum sit ut donator evictionem & pecuniam sçx liberalitatis sustineat , l. 62. ff. de adil. editio , & l. Aristo , §. ult. ff. de donat. At verò in testamentis pleniū interpretantur morientium voluntates , l. 12. ff. de reg. jur. Præterea ut supra dictum est , quoties legatum jure consistit , ab hærede præstandum est , ut voluntas testatoris effectum habeat.

Quod autem diximus legatario non hæredi incumbere onus rei legatæ liberalandæ , si testator ignoraverit esse obligatam , duplice restrictionem patitur ex l. 57. ff. de leg. 1. Prior est , nisi testator vel hanc vel aliam relicturus fuisset , si scivisset obligatam , quæ limitatio locum etiam habet in legato rei alienæ , l. 10. C. b. t. Posterior restrictio est , nisi non potest aliquid esse superfluum ex soluto ære alieno , ( ita legitur apud Ruffardum & in multis vulgatis ) id est si nulla sit hyperocha , ut vocat Tryphoninus , l. pen. ff. qui pot. in pign. hab. & x̄ alienum cuius nomine res obligata est , absorbeat omne pretium rei. Idemque à fortiori dicendum est , si ultra rei pretium res fuerit obligata ; quia scilicet contra naturam legati est ut merum onus contineat , vel ut nihil lucri afferat legatio , l. 32. ff. mandari , & §. 1. sup. eod.

### Ad §. Si res aliena.

**S**i res aliena legata fuerit , & ejus rei vivo testatore legatarius dominus factus fuerit , si quidem ex causa emptionis , ex testamento actione pretium consequi potest. Si verò ex causa lucrativa , veluti ex donatione , vel ex alia simili causa , agere non potest. Nam traditum est duas lucrativas causas in eundem hominem & eamdem rem concurrere non posse. Hic ratione , si ex duobus testamentis eadem res eidem debeat ; interest utrum rem , an æstimationem ex testamento consecutus sit : nam si rem habet , agere non potest , quia habet eam ex causa lucrativa ; si æstimationem , agere potest.

R 51 alienæ legatum infirmatur si legatarius ex causa lucrativa dominus ejus factus sit ; quia omnes debitores qui speciem aliquam ex causa lucrativa debent liberantur , cùm ea species ex alia causa lucrativa ad creditorem pervenerit , l. omnes , ff. de obl. & atl. Aliud dicendum est si ea species ad legatarium pervenerit ex causa onerosa ; quia alioquin non haberet legatarius lucrum , quod ei testator reliquit. Causa lucrativa † est illa , ex qua acquirenti nihil abest de suo , ut donatio , legatum , & fideicommissum. Causa verò onerosa † dicitur per quam

acquirens ; aliquid amittit de suo , ut emptio & permutatio. Circa causas lucrativas hæc regula tradita est , duas causas lucrativas in eundem hominem & eamdem rem non posse concurrere. Rei nomine intelligimus certum corpus , v. g. fundum ; non verò quantitatem , putè centum nummos. Nihil enim obstat , quin eadem summa , v. g. centum nummorum , mihi ex duabus causis lucrativis acquiratur , l. *Titio Seio in pr. ff. de leg. 2.* & l. *planè §. sed si non corpus , ff. de leg. 1.* Ex his sequitur eum , cui duorum testamentis eadem res relata est , si ex uno testamento rem ipsam consecutus sit , nihil posse ex altero petere , non rem ; quia eam jam habet ex causa lucrativa : non etiam rei aestimationem ; quia aestimatio inest rei. Neque permittendum est cuiquam ut petat quod intùs habet. Sin autem ex uno testamento aestimationem consequatur , nihil prohibet quin rem ipsam postea petat ex altero ; quia in pretio rei rès ipsa non continetur ; & absurdum esset dicere , eum qui habet centum nummos , singula habere videri quæ possunt eo pretio comparari.

*Ad §. Ea quoque res.*

**E**A quoque res , quæ in rerum natura non est , si modò futura est , rectè legatur ; veluti fructus , qui in illo fundo nati erunt , aut quod ex illa ancilla natum erit.

**A**D E ò autem verum est posse legari id quod nostrum non est , ut ea quoque quæ nondum sunt , rectè legentur , v. g. fructus in fundo Tusculano nascituri. Quo casu tacita inest conditio , si nascantur , l. 1. in fine , ff. de condit. & demonstr. Ideoque , si nihil natum fuerit , nihil debetur. Hoc tamen legatum quoad transmissionem purum est , l. 99. ff. eod. & l. 25. §. 1. ff. quando dies leg. vel fideicomm. ced.

*Ad §. Si eadem res.*

**S**I eadem res duobus legata sit , sive conjunctim sive disjunctim ; si ambo perveniant ad legatum , scinditur inter eos legatum : si alter deficiat ( quia aut spreverit legatum , aut vivo testatore defecserit , vel alio quoquo modo defecerit ) totum ad collegatarium pertinet. Conjunctim autem legatur , veluti si quis dicat ; *Titio & Seio hominem Stichum do , lego* : disjunctim ita ; *Titio hominem Stichum do , lego. Seio hominem Stichum do , lego.* Sed etsi expresserit eundem hominem Stichum , æquè disjunctum legatum intelligitur.

**U**T cognoscatur quale sit in legatis jus accrescendi , supponendum est ex l. triplici 142. ff. ad verb. signif. legatarios † tripliciter posse conjungi , re & verbis simul ; re per se , id est re tantum ; & verbis tantum. Re & verbis conjuncti † dicuntur illi quibus res eadem cādem oratione legatur , v. g. si testator ita dixerit ; *Titio & Seio fundum Tusculanum do , lego.* Hi sunt qui in jure plerumque appellantur *conjuncti* , nullo alio addito ; & eorum legatum dicitur *con-*

*junctim factum*; quia ut dicitur *in d. l. triplici*, dubium non est, quin coniuncti sint, quos & nominum & rei complexus jungit. Re tantum conjunguntur † quibus eadem res diversa oratione legatur; v. g. hoc modo: *Titio fundum Tusculanum do, lego*; *Seio fundum Tusculanum do, lego*: vel quod idem est, *Seio eundem fundum Tusculanum do, lego*. Hoc legatum, ait Imperator, fieri disjunctum, habitâ scilicet ratione verborum, non rei. Verbis conjuncti † dicuntur qui solâ verborum conceptione junguntur: v. g. *Titio & Seio fundum Tusculanum ex eis partibus do, lego*. In hoc casu manifestum est, legatarios ad diversas partes vocari à testatore, ac proinde illos verbis tantum, sed nullatenus re esse conjunctos.

Quibus ita præmissis, jus accrescendi hoc loco † potest definiri jus acquirendæ vel retinendæ partis illius conjuncti qui non concurredit: circa quod statui debet hæc regula, jus accrescendi locum habere in collegatariis qui ab initio partem non faciunt, sed tantum per concursum, *l. 1. §. interdum, & l. 3. ff. de usufr. accresc.* Unde sequitur, in conjunctis re & verbis, & in conjunctis re tantum, jus accrescendi locum habere, non in conjunctis verbis tantum. Nam cum in duobus prioribus legatis res tota singulis legata sit, & tota singulis debeatur; si ambo concurrant in petitione legati, quia ejusdem rei duo domini simul in solidum esse non possunt, *l. 5. §. uit. ff. commod.* necesse est in illo concursu, ut res legata dividatur; atque ita partes fiant, quas testator ab initio non fecerat. Si autem unus ex illis deficiat, aut quia noluit, aut quia non potuit legatum acquirere; tunc totum legatum alteri collegatario acquiritur jure accrescendi, & nullo concursu ullatenus diminutum, atque ita legatum agnoscendi pars collegatarii deficientis accrescit.

Est tamen aliqua differentia advertenda inter conjunctos re tantum, & inter eos qui re & verbis simul conjuncti sunt. Namque ille qui re tantum conjunctus est, deficiente collegatario partem ejus non tam acquirit, quam retinet; & potius jure suo & jure non decrescendi, quam jure accrescendi habet: ideoque onus quod ei collegatario fuerat impositum sustinere, non cogitur, *l. un. §. ubi autem, vers. si autem, C. de cad. toll.* At vero illi qui re & verbis simul conjuncti sunt, juris potestate ab initio partes faciunt propter conjunctionem; ideoque uno deficiente, pars ejus collegatario acquiritur jure accrescendi: ita ut onus ei impositum sustinere teneatur, *d. §. ubi autem, vers. si vero*. Neque enim ferendas est ille, qui in jus alterius succedens, lucrum quidem amplectitur, onus autem ei annexum contemnit, *§. profecundo, Cod. eod.*

Quod autem attinet ad illos qui verbis tantum conjuncti sunt, cessat in illis regulariter jus accrescendi; quia ab initio ex judicio testatoris partes faciunt. Uno itaque ex his spernente legatum, pars ejus remanet apud heredem, *l. 1. in pr. ff. de usufr. accresc.* & hæc videtur causa cur Imp. hoc loco de illa conjunctione nullam fecerit mentionem; quia in ea cessat omnino jus accrescendi. Cujus juris hæc ratio afferri potest; quia jus accrescendi comparatur alluvioni, *l. si Titio, ff. de usufruct.* Cum igitur alluvio cesseret in agris limitatis, *l. in agris, ff. de acquir. rer. dom.* æquum etiam fuit, ut cessaret jus accrescendi in illis legatis quæ certos fines ex judicio defuncti accepissent, ne ultra eos fines extendi possent. Certum enim est, ejus juris naturam ex voluntate testatoris esse metiendam. Cæterum hoc jus accrescendi locum olim non habebat in legato per damnationem. Nam si disjunctim duobus aliquid ita legatum esset, uni qui actione ex testamento agere

præoccupasset, res præstabatur, alteri verò æstimatio; *Ulp. tit. 24. §. si per damnationem, l. 33. ff. de leg. 1. & l. qui duos, §. ult. ff. de leg. 2.* Si autem coniunctim ita legatum esset, singulis partes debebantur, & pars non capientis in hereditate remanebat, aut in fiscum cadebat ex L. Julia & Papia, d. §. si per damnationem 34. §. si coniunctim, ff. de leg. 2. sed sublato hodie illo legatorum discrimine, locum habet in omnibus jus accrescendi. Verùm in hereditibus disjunctis vim nullam habet hæc ratio, sed jus accrescendi constanter observatur, si conjuncti defuerint, d. l. un. §. his ita definitis; ne alioquin defunctus pro parte testatus & pro parte intestatus decedat; quod in paganis jus civile non patitur, l. 7. ff. de reg. jur.

*Ad §. Si cui.*

**S**i cui fundus alienus legatus sit, & emerit proprietatem deducto usufructu, & usufructus ad eum pervenerit, & postea ex testamento agat; rectè eum agere, & fundum petere, Julianus ait; quia usufructus, in petitione, servitus locum obtinet. Sed officio Judicis continetur, ut deducto usufructu, jubeat æstimationem præstari.

**Q**UÆSTIO hujus §. aptius videtur potuisse subjungi post §. si res aliena; ut appareat ex specie ipsius. Titius fundum alienum Mævio legaverat, cumque fundum Mævius vivo testatore, deducto usufructu, à domino comparaverat. Cumque is usufructus per mortem aut capitis diminutionem fructuarii consolidatus fuisset proprietati, an legatarius fundum petens rectè eum ageret, an verò incideret in penam plus petitionis, ( quæ erat antiquitus causæ amissio, ) quæsum est? Consultus Julianus respondit, rectè eum agere, & fundum petere. Dubium movebat quod sicut totum legatum extinguitur, cum legatarius totam rem sibi legatam acquisivit ex alia causa lucrativa, l. 82. §. *Marcellus, ff. de leg. 1.* ita & pro parte extinguiri debet, si pars rei legatae ex alia causa lucrativa ad eum pervenerit, l. *qua de toia, ff. de rei vind.* Videbatur igitur dicendum, fundum in hac specie non rectè peti; quo solo nomine non tantum proprietas continetur, sed etiam usufructus, l. 19. ff. de usu & usufr. leg. quem usumfructum rei partem esse constat, l. 4. ff. de usufructu, & l. 88. ff. de verb. oblig. Ratio tamen decidendi fuit, quod legatarius in nostra specie omnes & singulas fundi partes ex causa emptionis ( quæ est onerosa ) acquisivit: ac proinde non videtur rem legatam, aut ullam ipsius partem habere; cum pretium ei absit, l. *Labeo, ff. de verb. sign.* Neque obstat quod in rationem dubii allatum est; quia licet usufructus in multis pars dominii sit, d. l. 4. non tamen id verum est in omnibus. Constat enim, usumfructum in petitione, servitus locem obtinere, l. *recte, ff. de verb. signif.* Ex his patet, stricta juris ratione nihil impedire quia legatarius totum fundum petat in hac specie, hoc est plenam rei proprietatem. Verùm quia æquitas stricto juri præferenda est, l. *placuit, C. de judiciis, & l. 91. de reg. jur.* non immerito idem Jurisconsultus addidit, officio Judicis contineri, ut deducto usufructu jubeat fundi æstimationem præstari; quia revera usufructus, licet pars fundi nulla sit, totius tamen rei emolumentum continet, l. 66. §. pen. ff. de leg. 2.

## Ad §. Sed si rem.

**S**ED si rem legatarii quis ei legaverit, inutile est legatum; quia quod proprium est ipsius, amplius ejus fieri non potest: & licet alienaverit eam, non debetur nec ipsa res, nec aestimatio ejus.

**S**equitur tertia inspectio circa res proprias legatarii, vel testatoris, de quibus permixtum Imp. tractavit. Et primo quidem haec generaliter regula statuenda est, proprias res nemini posse legari, *i. proprias, C. b. t.* quia quod semel nostrum est, amplius nostrum fieri non potest, *s. sic itaque infra de art.* Nec interest utrum legatarius res eas alienaverit vivo testatore, nec-ne; quia legatum quod ab initio non valet, non potest tractu temporis convalescere, *i. cetera, s. 1. ff. de leg. 1. & i. 1. ff. de reg. Caton.*

## Ad §. Si quis rem suam.

**S**I quis rem suam quasi alienam legaverit, valet legatum: siam plus valet quod in veritate est, quam quod in opinione. Sed & si legatarii esse putavit, valere constat; quia exitum voluntas defuncti habere potest.

**N**ON tamen haec regula ita latè sumenda est, ut ex ea inferamus, legatum esse inutile si testator falso existimaverit rem quam legat, esse legatarii. Quamvis enim error testatoris cum falso existimat rem suam esse, legato noceat, *s. non solum, suprà eod.* non tamen idem dicendum est de quolibet errore; quia in illo priore casu succursum est haeredibus propter difficultatem solvendi legati: quæ difficultas cessat in nostra specie; ubi defuncti voluntas facilè exitum habere potest. Quâ etiam ratione utitur Papin. in simili specie, *i. 67. s. si rem, ff. de leg. 2.* Ac proinde regulariter & in casibus specialiter non exceptis, magis inspicitur quod in veritate est, quam quod in opinione, ut ait Imp. hoc loco.

Idem juris axioma probat insuper, non ideo infirmari legatum, quod testator rem suam quam legat falso existimaverit alienam. Quod alia potest ratione firmari; quia testator eo animo fuisse intelligitur, ut si suam esse cognovisset, multò magis eam legaturus fuisse. Nam qui majus onus haeredi ignorans imposuit, minus quoque creditur, si rei statum cognovisset, impositurus fuisse.

## Ad §. Si rem suam.

**S**I rem suam legaverit testator, posteaque eam alienaverit, Celsus putat, si non adimendi animo vendidit, nihilominus deberi. Idemque Divi Severus & Antoninus rescriperunt. Idem rescripsent eum, qui post testamentum factum prædia, quæ legata erant,

pignori dedit, ademisse legatum non videri; & ideo legatarium cum hærede [ ejus ] agere posse, ut prædia à creditore luantur. Si vero quis partem rei legatae alienaverit; pars, quæ non est alienata omnino debetur; pars autem alienata ita debetur, si non adimendi animo alienata sit.

**S**I C U T non infirmatur legatum rei propriæ, ex eo quod testator eam cre-  
didi alienam; ita quoque nec minus validum est, quanvis post conditum testa-  
mentum eam fecerit alienam vel totam vel pro parte; nisi forte alienando,  
legati adimendi animum habuerit. Præsumitur autem testator eum animum  
non habuisse, si vendiderit coactus necessitate rei familiaris urgente, *l. fidei-  
commissa*, §. si rem suam, ff. de leg. 3. Contrà vero præsumitur indistinctè ani-  
mus adimendi, si testator rem legatam alteri donaverit inter vivos. Dixi  
indistinctè; quia præfata distinctio in donantis munificentiam non cadit; cùm  
nemo in necessitatibus liberalis existat, *l. rem alienam*, ff. de adim. leg. Idem-  
que juris esse videtur, si testator rem quam legavit sponte alteri vendiderit.  
Si quis querat, quis debeat probare mutatam aut non mutatam fuisse defuncti  
voluntatem, an hæres, an legatarius respondendum videtur, hæredem probare  
oportere mutatam fuisse defuncti voluntatem, eo casu, quo necessitate ali-  
quæ urgente alienatio facta fuerit, *d. §. si rem suam*; contrà vero onus proba-  
tionis incumbere legatario, si rem donaverit testator, vel sponte vendiderit,  
*l. cum servus*, ff. de adim. legat. quia quoties præsumptio militat pro aliquo litigante,  
toties ejus adversario onus probationis incumbit, *l. 24. & 25. §. sin vero*, ff. de probat. & *l. ult. ff. quod met. causâ*. Sin autem testator rem legatam,  
post testamentum conditum oppigneraverit, non ideo credendum est, mutatam  
fuisse ipsius voluntatem. Neque enim rei oppigneratio plus roboris habere  
potest, quam alienatio. Tenebitur itaque hæres eo casu & rem legatam luere, &  
liberare ab omni pignore, *l. 3. C. b. t.*

*Ad §. Si quis debitori.*

**S**I quis debitori suo liberationem legaverit, legatum utile est;  
& neque ab ipso debitore, neque ab hærede ejus potest hæres pe-  
tere, neque ab alio, qui hæredis loco sit. Sed & potest à debitore  
conveniri, ut liberet eum. Potest etiam quis vel ad tempus jube-  
re, ne hæres petat.

Cùm creditor debitori suo liberationem legavit, eo casu dubitari potest,  
an id quod relictum est, testatoris proprium sit vel legatarii; quia debitores eo-  
rum quæ debent domini sunt, *l. 1. de lib. leg.* licet soleant appellari aë alienum.  
Aliunde vero is qui habet actionem ad rem obtinendam, ipsam rem habere vi-  
detur, *l. rem in bonis*, ff. de acquir. rer. dom. Non tamen hodie dubitatur, quin  
valeat id legatum; quia scilicet sicut obligationum substantia non in eo con-  
sistit, ut aliquid nostrum fiat, sed ut alium nobis obstringat ad dandum aliquid  
vel faciendum, *l. 3. in pr. ff. de oblig.* & act. ita quoque ex diverso liberatio-

nis legatum non in eo consistit, ut dominium rei debitæ transferatur in legatum; sed ut debitor ab eo nexus & obligatione liberetur. Quod tamen ita intelligendum non est, ut ipso jure per legatum liberationis tollatur obligatio: neque enim legatum est modus tollendæ obligationis, *toto tit. infrà quibus modis toll. obligatio*; sed tantum ut ope exceptionis infirmetur hæc obligatio, *l. 3. §. 2. ff. de lib. leg.* Verum ex eo legato competit insuper actio legatario contra hæredem, ad hoc ut per acceptilationem liberet eum, *l. 7. §. 1. ff. cod.* vel per pactum *d. l. 3. §. 1.* Potest etiam hæres damnari à testatore, ne intra certum tempus petat à debitore, v. g. intra quinquennium. Idque legatum non tantum assert quietem debitori quoad fortē, sed eum insuper liberat ab usurris medii temporis, *l. 8. §. 1. & 2. ff. cod.* quia usuræ debentur ex mora, *l. mora ff. de usuris.* Mora autem nulla committitur, ubi nulla petitio esse potest, *l. nulla 88. ff. de reg. jur. & l. 127. ff. de verb. oblig.* At si liberatio in personam solius debitoris collata sit, mortuo debitore, hæres ejus potest conveniri; quia quæ personis coherent, cum anima ipsarum expirant, *l. non solum 8. §. tale, ff. de liber. leg. l. pen. C. de usur. & l. 3. §. ult. ff. quib. mod. usur. amitt.*

*Ad §. Ex contrario.*

**E**X contrario, si debitor creditori suo quod debet legaverit, inutile est legatum, si nihil plus est in legato, quam in debito; quia nihil amplius per legatum habet. Quod si in diem, vel sub conditione debitum ei pure legaverit, utile est legatum propter repræsentationem. Quod si vivo testatore dies venerit, vel conditio extiterit, Papinianus scripsit, utile esse nihilominus legatum, quia semel constitit: quod & verum est. Non enim placuit sententia existimantium, extinctum esse legatum; quia in eam causam pervenerit, à qua incipere non potest.

**D**UBITARI quoque potest, an res testatoris vel legatarii relicta sit, cum debitor creditori suo quod ei debet legaverit. Eo autem casu certum est valere legatum, dummodo in legato nova aliqua utilitas contineatur, quæ non fuerat in obligatione, *l. si debitor, & l. legavi, ff. de liber. leg.* cuiusmodi est commodum repræsentationis, id est præsentis solutionis: ut si quis centum, quæ Maxvio debet, in diem vel sub conditione ei pure legaverit. Repræsentatio f est præsens & maturata solutio, atque ita in *l. 1. C. Theod. de matern. bon.* si pater filium suum emancipaverit, repræsentare & maternam debebit substantiam, *& apud Val. Maximum lib. 6. cap. 5. n. ult.* Charundas Thurius cum posset culpam vel dissimulare vel errore defendere, pœnam tamen repræsentare maluit; nequa fraus justitiæ fieret, id est pœnam statim sustinere. Intedum tamen repræsentare est pœnam sine dilatatione exigere, ut apud Suer. in *Claudio cap. 34.* pœnasque paricidarum repræsentabat *& ibi Casaubonus, & apud Tertull. in Apolog. Majore formidine & callidiore timiditate Cesarem observatis, quam ipsum de Olymbo Jovem: & meritò si sciatis.* Quis enim ex viventibus non cuilibet mortuo prior? Sed nec loc vos ratione facius potius, quam metu repræsentare potestatis.

Major est difficultas in hac specie. Titius debebat centum Mævio sub conditio-  
ne , si navis ex Asia veniret. Idem Titius Mævio centum illa quæ ei ita de-  
bebat , purè legavit : deinde post conditum testamentum , & vivo adhuc testato-  
re navis venit ex Asia , atque ita conditio extitit ; an legatum valerer , quæsi-  
tum est ? Paulus sentiebat esse inutile , *l. debitor 82. in pr. ff. de leg. 2.* eique fave-  
bat vulgare juris axioma. Ea quæ ab initio constiterunt infirmantur ; si in eum  
casum pervenerint à quo incipere non possunt , *l. 83. §. sacram , vers. nam & cùm,*  
*ff. de verb. oblig.* Contrà verò Papinianus legatum irritum non fieri dicebat ;  
eiusque sententiam firmabat favor ultimarum voluntatum , & hæc insuper ra-  
tio , quod facilius sit acquisita retineri , quam de novo aliquid acquiri , *l. ut po-*  
*mum , §. 1. ff. de servitut. l. pen. §. ult. ff. de verb. obl. & l. 1. in pr. ff. de pignor.*  
*& hypothec.* Hanc posteriorem sententiam Justinianus confirmat hoc loco , hac  
ratione adducta ; quia hoc legatum semel constituit. Neque obstat regula juris  
opposita ; quia sicut ait idem Paulus , non est novum ut ea quæ semel utiliter  
constituta sunt durent , licet is casus extiterit , à quo incipere non potuerunt ,  
*l. in ambiguis , §. 1. ff. de reg. jur.*

*Ad §. Sed si uxori.*

**S**E si uxori maritus dotem legaverit , valet legatum ; quia ple-  
nius est legatum , quam de dote actio. Sed si , quam non acce-  
pit dotem , legaverit , Divi Severus & Antoninus rescriperunt ; si  
quidem simpliciter legaverit , inutile esse legatum : si verò certa pe-  
cunia , vel certum corpus aut instrumenta dotis in prælegando de-  
monstrata sunt , valere legatum.

**E**X his sequitur , maritum uxori suæ dotem suam rectè legare si in rebus mo-  
bilibus consistat , *l. 1. §. 2. ff. de dote præleg.* ( quamvis dos sit proprium patri-  
monium mulieris , *l. 3. §. ergo , ff. de minor.* ) quia ut ait Imp. plenius est legatum  
quam de dote actio , quod appetet ex inspectione juris tam antiqui , quam novi.  
Ex antiquo enim jure , mariti hæres soluto matrimonio res pondere , numero ,  
vel mensurâ constantes , annuâ bimâ trimâ die reddere tenetur ; id est tribus  
æqualiter divisis pensionibus , quarum prima post annum , secunda post duos  
annos , tertia post tres annos præstanda est : reliquæ dotes statim redduntur ,  
*Vlp. lib. regul. tit. de dotibus.* Ex novo autem jure , id est ex constitutione  
Justiniani , omnes res mobiles intra annum , immobiles verò illico reddendæ  
sunt , *l. un. §. exaltio , C. de rej. ux. aet.* Præterea per actionem de dote uxor  
non consequitur solidum , *§. item si de dote infra de att.* Sed si legata dos fuerit ,  
statim & sine mora dos integra debebitur , *l. 2. in pr. ff. de dot. præleg.* Dicitur autem dos uxori legari , relegari & prælegari. Legatur dos uxori , sicut  
alia quæ debentur cæteris creditoribus legari possunt. Relegari dicitur , qua-  
tenus uxori res sua quodammodo legater , & redditur potius quam datur ,  
*l. cùm pater , §. fiduci , ff. de leg. 2.* & magis uxor dotem recipere , quam accipere  
dicitur ex eo legato , *l. 2. in fine ff. de dote præleg.* Prælegari denique dos dicitur ;  
quia testator per hujusmodi legatum jubet dotem solvi ante tempus legibus de-  
finitum. At si maritus nullam dotem accepit , distinguendum est an simpli-  
citer

citer dotem uxori legaverit, vel cum aliqua corporis aut quantitatis, aut instrumenti dotalis designatione. Priore casu inutile est legatum; quia non constat quid & quantum testator legari uxori voluerit. Altero casu, id est si dixit testator, *Uxori mea centum quae ab ipsa dotis nomine acceperam*; vel *fundum Tusculanum, quem mihi in dotem dedit*; vel *centum quae in instrumento dotali conscripta sunt, do, lego, valet legatum*, l. 1. §. si quis uxori, l. 6. in pr. & l. ult. ff. de dot. praleg. quia falsa demonstratio legatum non viriat, §. huic proxima infra eod. Idem sentiendum est si testator instrumentum dotale uxori legaverit, arg. l. 44. §. cum qui, ff. de leg. 1. & l. 59 ff. de leg. 3. ubi legato chirographo, actio qua in eo continetur intelligitur esse legata.

*Ad §. Si res legata.*

**S**i res legata sine facto hæredis perierit, legatario decedit. Et si servus alienus legatus, sine facto hæredis manumissus fuerit, non tenetur hæres. Si vero hæredis servus legatus sit, & ipse eum manumiserit, teneri ipsum Julianus scripsit. Nec intereat, sciverit, an ignoraverit a se legatum esse. Sed & si alii donaverit servum, & is, cui donatus est eum manumiserit; tenetur hæres, quamvis ignoraverit, a se eum legatum esse.

**S**E QUITUR, ut disquiramus de periculo & commodo rei legatae; qua in causa quatuor principia statuuntur. Primum est, liberari hæredem, si res legata sine facto hæredis perierit; putat si fundus inundatione aut chasmate, id est hiatus terre absorptus sit; quia rei debitor rei interitu liberatur, l. 45. ff. de oblig. & ali. Dixi 1. *Si res perierit, id est si certum corpus quod legatum est perierit*: nam quantitates & genera per rerum naturam perire non possunt, l. 30. ff. ad l. falcid. Dixi 2. *sine facto hæredis*, id est sine dolo, culpâ, mortâ aut alio facto hæredis, l. 47. §. item si, & duobus seqq. ff. de leg. 1. Idem quoque sentiendum est, si servus alienus legatus post conditum testamentum sine facto hæredis manumissus sit; quia manumissio servi, morti æquiparatur, l. 33. ff. de verb. oblig. Si vero testator hæredis servum legaverit, eumque hæres manumiserit vel donaverit alteri, qui eum deinde manumiserit; tenetur hæres indistinctè ad estimationem servi praestandam: quia ipsius hæredis facto manumissus est, & mortuo similis factus, l. si quis, §. 1. ff. de leg. 1. Idque procedit indistinctè sive sciverit, sive ignoraverit hæres eum servum a se legatum esse, quia nemo potest suo facto se obligatione liberare, & alteri damnum afferre, l. quidam 25. §. si quis, ff. ad SC. Treb. & l. 91. ff. de verb. oblig. Servum ab aliquo legare aut relinquare, tamen nihil est aliud, quam alicui hoc onus imponere, ut servum legatum præstet legatario. Eum vero servum alienum aut hæredis legatum, qui manumissus est, remanere liberum, dubium non est; quia libertas semel data non revocatur, §. semel, supra quibus ex cau. manum. non lic. Sed si servum testatoris alteri legatum hæres manumiserit, libertas servo non competit, l. 11. ff. de manumiss. quia dominium rei legatae mortuo testatore recta via, transit in legatarium numquam hæredis factum, l. 80. ff. de leg. 2. Constat autem neminem posse alieno servo libertatem largiri.

*Ad §. Si quis ancillas.*

**S**i quis ancillas cum suis natis legaverit, etiam si ancillæ mortuæ fuerint, partus legato cedunt. Idem est, & si ordinarii servi cum vicariis legati fuerint; quia licet mortui sint ordinarii, tamen vicarii legato cedunt. Sed si servus fuerit cum peculio legatus, mortuo servo, vel manumisso, vel alienato, peculii legatum extinguitur. Idem est, si fundus instructus, vel cum instrumento legatus fuerit. Nam fundo alienato, & instrumenti legatum extinguitur.

**S E C U N D U M** juris principium est, legata eorum quæ accessionum locum obtinent, extingui quæcies legata rerum principalium extincta sunt; quod tunc maximè accidit, cum res principales peremptæ fuerint, l. 2. ff. de pecul. leg. Ex quo principio duæ proponuntur illationes devitandæ, & duæ itidem amplectendæ. Et primò quidem cavendum est, ne inde inferamus, si ancilla cum suis natis legata fuerint, mortuis ancillis natorum legatum extingui, l. si ancilla 62. ff. de leg. I. quia illo casu duo legata sunt æque principalia, quorum unum alterius accessorium non est. Dignitas enim hominis non patitur, ut homo inter res accessorias numeretur, l. in pecudum, ff. de usuris. Eadem cautio adhibenda est propter eamdem rationem, si servi ordinarii cum vicariis legati fuerint. Servus ordinarius † est qui in alterius servi peculio non est, seu qui domino suo immediate subjicitur. Servus vero vicarius † dicitur qui in alterius servi peculio est, l. 17. ff. de pecul. & ut ait Theophilus, servus alterius servi. Unde fit ut servus ordinarius, dominus appelletur, d. l. 17. quo alludit Martialis lib. 2. Ep. 18.

*Esse sat est servum, jam nolo vicarius esse.*

*Qui Rex est, Regem maxime non habeat.*

Rectè autem ex prædicta regula colligere est, si servus cum peculio legatus fuerit, perempto servi legato, eo quod servus mortuus est, aut manumisitus, aut adimendi animo alienatus, etiam peculii legatum extingui; quia peculium, servi accessio est, l. 2. ff. de pecul. leg. Similiter quoque quando fundus instructus vel cum instrumento legatus est, si fundus périerit, aut adimendi animo alienatus fuerit, instructi quoque & instrumenti legatum (quod accessio est fundi) extinguitur. Instructi & instrumenti nomina interdum confunduntur, l. 18. §. cui fundum, ff. de instructo vel instrum. leg. Invaluit tamen, ut uberior sit legatum, si fundus instructus, quam si fundus cum instrumento legetur, l. quæsumus, §. sed si fundus, ff. eod. Instrumentum † appellatur illud omne sine quo fundus coli non potest, nec fructus percipi, ut plaustra, boves, ligones, & similia; instructi vero nomine † continentur omnia quæ in fundo collocata sunt, ut instructior esset paterfamilias; atque ita supellex omnis instructi, non instrumenti, legato continetur, d. l. quæsumus, §. supellex.

## Ad §. Si grex.

**S**I grex legatus fuerit, & postea ad unam ovem pervenerit; quod supersuerit, vindicari potest. Grege autem legato, etiam eas oves, quæ post testamentum factum gregi adjiciuntur, legato cedere, Julianus ait. Est autem gregis unum corpus ex distantibus caputibus, sicut ædium unum corpus est ex coherentibus lapidibus.

**T**ERTIUM juris principium est, quoties perit res legata, quæcumque subsunt ex illa, debentur legatario; ut si grex legatus ad unam ovem pervenerit: quo casu gregem periisse certum est; quia ad gregem constituendum necessaria sunt saltem decem capita, l. ult. ff. de abigeis. Idem dicendum est si dominus legata, ad aream redacta sit, l. 21. & l. 22. ff. de leg. 1. quia quod superest ex re mea meum est, & à me vindicari potest, l. 49. §. 1. ff. de rei vind. Aliud dicendum est de usufructu domus vel gregis legato, l. 5. §. rei mutatione, & l. ult. ff. quib. mod. ususfr. amitt. quia usufructus in residuis non permanet, cum sit jus in certo corpore; quo sublato, & ipsum tolli necesse est, l. 2. ff. de ususfr.

Quartum denique juris principium est, omne quod rei legatae accedit vel decedit ante diem legati cedentem, legatarii lucro vel damno est; quod maximè appetet in legato gregis, vel ædium vel peculii. Et in legato quidem gregis dubium esse non debet, quin oves quæ post testamentum factum gregi adjiciuntur, legato cedant; quia quidquid alteri rei ita adjicitur ut pars ejus fiat, id toto cedit, l. sed si meis, ff. de acquir. rer. domin. Nam sicut ædium unum corpus est connexum ex coherentibus sibi invicem partibus, ita etiam gregis unum corpus est disjunctum ex distantibus partibus unius nomini subjectis, l. rerum, ff. de ususfr.

## Ad §. Edibus.

**A**D EDIBUS denique legatis, columnas & marmora, quæ post testamentum factum adjecta sunt, legato [dicimus] cedere.

**I**N EDIBUS denique legatis idem jus obtinet, ut columnæ & marmora, quæ post factum testamentum adjiciuntur, eamdem ob causam legato cedant. Imò vero si area legate domus imposita sit, utrumque debebitur legatario, & solum & superficiem, l. si area 39. ff. de leg. 2. & l. servum, §. si area, ff. de leg. 1.

## Ad §. Si peculium.

**S**I peculium legatum fuerit, sine dubio quidquid peculio accedit, vel decedit vivo testatore, legatarii lucro vel damno est. Quod si post mortem testatoris ante aditam hæreditatem [aliquid] servus acquisierit, Julianus ait, si quidem ipsi manumisso peculium legatum fuerit, omne quod ante aditam hæreditatem acquisitum

est, legatario cedere; quia hujusmodi legati dies ab adita hæreditate cedit: sed si extraneo peculium legatum fuerit, non cedere ea legato, nisi ex rebus peculiaribus auctum fuerit peculum.

**M A J O R** adhibenda est disquisitio in peculio legato: sed prius cognoscendum est, quando dies legatorum cedat aut veniat. Cedere diem legati est legatum incipere deberi quoad transmissionem. Venire ciem significat cum diem venisse, quo legatum peti possit, *l. cedere diem 213. ff. de verb. signif.* Unde fit ut mortuo legatario post ciem legati cedentem, etiamsi dies nondum venerit, legatum tamen plerumque ad hæredem transmittatur, *l. 5. in pr. ff. quando dies leg. ced.* Quod ut clarius intelligamus, distinguenda videntur quatuor jura, vetustissimum, *vetus*, novum, & novissimum. Jure vetustissimo, ut testatur Theophilus, *hoc loco*, in legatis puris, dies cedebat & veniebat simul ab adita hæreditate. Sed quia hæredes dum viderent aliquos legatarios in vita periculo constitutos, differebant særissime aditionem hæreditatis, ut possent illis mortuis legata retinere; idèo posterius jus inductum est (quod distinctionis gratia *vetus* appellavimus) ut legatorum dies cederet à morte testatoris, ad hoc ut transmitti possent ad hæredes legatarii; quoniam hoc tempus in arbitrio hæredum non est. Verum quia in legatis puris personæ coherentibus, quorum nulla potest fieri ad hæredes transmissio, cessabat hæc ratio; idèo in illis jus vetustissimum perseveravit. Quocirca ususfructus legati dies cedit, & venit simul ab adita tantum hæreditate, *l. 1. ff. quando dies ususfr. leg. cedit.* Nam cum ad hæredem non transferatur, frustra est si ante id tempus quis diem ejus cedere dixerit, *l. 2. & 3. ff. quando dies leg. cedat.* Idem juris est propter eamdem rationem, cum servo datur libertas testamento; aut cum servo testamento manumisso aliquid legatur; quia illud legatum pendet à datione libertatis: ac proinde dies ejus non cedit, nisi ab adita hæreditate, *l. 7. §. ult. ff. cod.* Jure novo, id est ex Lege Julia & Papia, dies cedit tantum ab apertis tabulis, *Vlp. lib. reg. b. tit. §. pen.* Jure denique novissimo, id est Justinianæ, quo illud jus novum abrogatum est, dies cedit à morte testatoris, sicut jure veteri, id est secundo illo jure, quod immediate processit Legem Julianam & Papiam, *l. un. §. I. C. de cad. toll.* At vero in legatis in diem dies cedit à morte testatoris, & venit tantum ab adita hæreditate. In conditonalibus vero legatis dies numquam cecit, nisi postquam conditio fuerit adimpta, *l. 5. §. 1. & 2. ff. quando dies leg. cedat.*

Quibus ita discretis, operosum non erit species tres priores nostri §. dirimere & explanare. Prima est hæc: Mævius peculium Pamphili servi sui, quod erat tunc temporis centum nummorum, Titio vel ipsimet Pamphilo cum libertate legaverat. Vivo testatore id peculium usque ad alios centum nummos excœvit: an centum vel ducenti nummi legatario deberentur, quæsumus est? Respondeat Imp. ducentos deberi; quia omne quod accedit vel decedit rei legata ante diem legati cedentem, legatarii lucro vel damno est. Constat autem ex superioribus, numquam vivo testatore ciem legati cedere, cuicunque relictum sit, *l. 5. ff. quando dies legat. vel fideicommis. cedat.*

Secunda species ita singi potest. Titius Eroti servo suo libertatem testamento dederat, eique peculium suum legayerat, quod erat tunc temporis centum nummorum. Mortuo testatore ante aditam hæreditatem, id peculium usque ad

trecentos aureos auctum est : cuius sit hoc incrementum queritur ; an haeredis , an servi manumissi ? Respondet Imp. esse Erotis legatarii ; quia eius legatis dies non cedit à morte testatoris , sed ab adita dumtaxat haereditate , l. 7. §. ult. ff. cod. Constat autem ex superioribus omne commodum , quod accedit rei legata ante diem legati cedentem , legatarii lucro esse .

Tertia species ita debet constitui : Titius Mævio peculium Stichi servi sui legaverat , quod erat tempore mortis testatoris centum nummorum huic peculio ; mortuo testatore & ante aditam haereditatem , accesserunt alii ducenti nummi : an haec accessio legatario deberetur , quæsum est ? Respondet Imp. non deberi ; quia eius legati dies non cedit ab adita haereditate , sed tantum à morte testatoris , sicut antea præmonuimus . Verum huic tertiae definitioni addenda est exceptio , nisi ex rebus peculiaribus auctum sit peculium , v. g. ex fœtu pecorum quæ sunt in peculio , l. 8. §. ult. ff. de pecul. leg. quia accessiones rerum principalium naturam sequuntur , cap. accessorum , de reg. jur. in 6.

#### *Ad Vers. peculium.*

**P**ECULIUM autem , nisi legatum fuerit , manumissio non debetur ; quamvis si vivus manumiserit , sufficit , si non adimatur : & ita Divi Severus & Antoninus rescriperunt .

SUPER SUNT aliæ tres definitiones de peculio exponendæ , quæ ad incrementum vel periculum & diminutionem ejus non pertinent ; sed quas solâ peculi occasione videtur Imp. subjecisse , eò quod in illis de lucro ipsius peculii quæstio sit . Prima est , quando servus testamento manumittitur , nullo alio addito , non videtur ei peculium suum legatum ; quamvis servo inter vivos manumisso , tunc donatum intelligatur ; si modò nominatim ademptum non sit , l. 2. C. de peculio ejus qui libertatem meruit , & l. si Sticho , ff. de peculio . Ratio disparitatis est , quia in hoc posteriore casu , dominus peculium neque sibi retinuit , neque donavit alteri : at verò in testamento creditur testator omne ius suum translusse in haeredem tamquam universi juris successorem : cui in dubio parcendum est , l. 47. ff. de leg. 2.

#### *Ad Vers. Idem rescriperunt.*

**I**dem rescriperunt , peculio legato , non videri id relictum , ut petitionem habeat pecunia , quam in rationes dominicas impenderit .

SECUNDA juris definitio est , servum testamento manumissum , cui dominus peculium legavit , repetitionem non habere ejus pecunia , quam in rationes dominicas impenderit . Licet enim illud quod dominus servo debet , peculium ejus augeat , l. 8. §. pen. ff. de pecul. legato ; ferenda tamen non est impudentis legatarii avaritia , qui post acceptum cum peculio inæstimabile beneficium libertatis , summo jure agere velit contra haeredes liberalissimi domini . Et re-

vera testator ea dumtaxat legasse videtur, quæ in promptu & in parato sunt;  
ut ait Thcophilus.

*Ad Vers. Idem rescriperunt.*

**I**dem rescriperunt, peculum videri legatum, cùm rationibus redditis liber esse iussus est, & ex eo reliqua inferre.

**T**ERTIA & ultima juris definitio est, peculum servo dispensatori legatum intelligi, si dominus eum testamento liberum esse voluerit, post rationes redditas; & iussit, eum ex peculio reliqua inferre. Neque enim servus potest ex peculio reliqua inferre, nisi peculum habeat. Reliqua † appellantur hoc loco quæ rationibus subductis acceptisque, & expensis computatis, debita remanent & supersunt solvenda, l. 81. & 82. & 111. ff. de condit. & demonstr. unde tales debitores reliquatores appellantur, Gallicè (*reliquataires*; ) & eodem quoque nostro idiomate, (*prêtre le reliqua*) nihil est aliud quam solvere, & præstatre summam reliquam, quam quis debet alteri, post redditas rationes.

*Ad §. Tam autem.*

**T**AM autem corporales res legari possunt, quam incorporeas; & ideo quod defuncto debetur, potest alicui legari ut actiones suas hæres legatario præstet; nisi exegerit vivus testator pecuniam: nam hoc casu legatum extinguitur. Sed & tale legatum valet; *Damna esto hæres meus demum illius reficere; vel illum re alieno liberare.*

**SUPEREST** circa secundam partem tituli expendendum, quæ res legui possunt. Non solum autem res corporales legari possunt, sed etiam incorporatae & facta. Incorporalis res legata dicitur, si quis ita legaverit: *Centum quæ mihi Titinus debet, Mævio do, lego.* Quo casu non tenetur hæres centum præstare Mævio, sed suas ei adversus Titium actiones directas mandare, ut eas legatarius procuratorio nomine exerceat; quia non præsumuntur faciles in onerandis hæredibus defunctorum voluntates, l. unum, §. si rem, ff. de leg. 2. Quid si hæres eas actiones cedere noluerit, cogi potest eas cedere legatario postulantem. Licet tamen legatario, spredo illo circuitu, & non expectata cessione actionis directæ, adversus illum debitorem actionem utilē mouere, l. 18. C. b. t. sed si exegerit vivus testator pecuniam, censetur eo casu adimendi legati animum habuisse; quia solutione ejus quod cebetur, tollitur omnis obligatio, in pr. infra quib. mod. obl.

Ex his apparet, actionem directam legatario ipso jure non competere, cui testator chirographum sui debitoris legavit; quia legatarii juris successores non sunt, §. legatarii, sup. de testam. ordin. sed soli hæreces; quia non mirū illis quam sibi defunctus intelligitur contrassisce, l. 9. ff. de prob. & quia unam cum ipso per eam constituant. Obligationes autem personis contrahentium collarent, & earum mutationem stricto jure non admittunt. Ieque accèd verum est, ut

adversus debitorem capite diminutum actio non competit; nisi vi ac potestate restitutionis in integrum quam eo nomine Praetor concedit, l. 2. ff. de cap. minut. Carterum hodie haec juris subtilitas supervacua est; quia utrum directa, vel utili actione agatur, nihil interest; maximè cum utraque actio ejusdem potestatis sit, eundemque habeat effectum, l. actio 47. ff. de neg. gest.

Hac igitur verba §. nostri *tam res corporales &c.* ita accipi debent, quasi scriptum esset, *tam res incorporales, quam corporales*; quia in jure frequentissimum est, ut mutatis vocibus adhibeantur, sicut tamdiu & quamdiu, l. 1. ff. si ag. vecl. id est emph. pet. cum alioquin particula *tam ea* potestas & natura sit, ut jungatur difficultiori & minus probabili; altera vero particula *quam* faciliori & magis probabili. Sic denique Just. ait non minus ex dolo, quam ex culpa aliquem L. Aquiliæ teneri, §. 3. inf. de *Lege Aquil.* id est non minus ex culpa, quam ex dolo.

Facta denique testamento recte legantur; idque dupli modo: Primò quidem, cum testator imperat heredi, ut aliquid faciat in gratiam legatarii: v. g. si jubeat heredi, ut domum alterius reficiat, vel ut alterum liberet ære alieno. At si heres id non fecerit, tenebitur legatario, ejus quod interest estimacionem præstare, l. 18. §. ex his, ff. de leg. 3. quia (ut vulgo dicitur) obligationi facti succedit obligatio ad id quod interest, l. 72. ff. de verb. oblig.

#### *Ad §. Si generaliter.*

**S**i generaliter servus vel res alia legetur, electio legatarii est, nisi aliud testator dixerit.

**L**E G A N T U R eriam facta altero modo; cum scilicet dat testator alicui jus aliquid faciendi, v. g. jus eligendi aut optandi. Et circa electionem quidem advertendum est, rerum que non habent certam definitam naturam, legatum generaliter relictum inutile esse & derisorium, quale est dominus legatum vel fundi, l. 69. §. gener. ff. de jure dot. & l. si dominus 71. in pr. ff. de leg. 1. Fundorum enim & dominorum nomina nostra destinatione, non natura constituuntur, l. 60. ff. de verb. sign. & l. 24. §. pen. ff. de leg. 1. Aliud dicendum est, si generaliter legetur servus vel res similis, cuius natura est certa & definita: tunc enim vallet legatum, & electio legatarii est, sive per vindicationem, sive per damnationem legatum sit; sublatâ veterum distinctione inter legata per vindicationem & per damnationem, l. 1. C. comm. de leg.

#### *Ad §. Optionis.*

**O**PTIONIS legatum, [ id est, ] ubi testator ex servis suis, vel aliis rebus, optare legatarium jussicerat, habebat olim inse conditionem; & ideo nisi ipse legatarius vivus optasset, ad heredem legatum non transmittebat. Sed ex constitutione nostra & hoc in meliorem statu n reformatum est; & data est licentia heredi legatarii, optare [ servum ] licet vivus legatarius hoc non fecerit. Et

diligentiore tractatu habito , & hoc in nostra constitutione additum est ; sive plures legatarii extiterint , quibus optio relicta est , & dissentiant in corpore eligendo ; sive unius legatarii plures hæredes [ sint , ] & inter se circa optandum dissentiant , alio aliud corpus eligere cupiente , ne pereat legatum , ( quod plerique prudentium contra benevolentiam introducebant ) fortunam esse hujus optionis judicem , & sorte hoc esse dirimendum , ut ad quem sors pervenerit , illius sententia in optione præcellat .

**L**E<sup>G</sup>A<sup>T</sup>O generaliter relict<sup>o</sup> & electioni legata non omnino simile fuit antiquitus optionis legatum ; quia optio erat actus legitimus , atque ideo certam & solemnem verborum conceptionem exigebat , l. 77. ff. de reg. jur. ele<sup>c</sup>tio non item. Præterea legatum electionis purum est , & ad hæredem transmittitur , etiam si legatarius deceperit ante electionem factam , si modò superstes fuerit testatori , l. illud aut illud , ff. de optione leg. legatum vero optionis tacitam olim in se habebat conditionem , si optasset legatarius ; quia actus legitimi cohærent personæ , & per alium peragi non possunt , v. g. per hæredem aut per procuratorem , l. 9. ff. de acquir. hæred. ac proinde si legatarius decessisset ante optionem factam , legatum ad hæredem non transmittebat , quia legatum extinguitur quoties legatarius ante conditionis eventum decessit , l. un. §. fin autem , C. de cad. toll. & l. 7. §. sed si sub conditione , ff. quando dies leg. ced. Sed hoc jus vetus constitutione Justiniani emendatum est ; cuius duo sunt capita . Primum est , ut legatum optionis sit hodie purum , atque ideo ad hæredem transmittatur , etiam si legatarius ante factam optionem deceperit , l. 3. C. comm. de leg. Secundo capite caveretur , ut si pluribus legata sit servi optio vel alterius rei , aut si uni tantum ele<sup>c</sup>tio relicta sit , qui plures hæredes reliquerit ; iisque omnes non possint convenire de corpore eligendo , jurgium eorum sorte dirimatur ; & cui fors facerit , illius sententia in optione præcellat , d. l. 3. ubi eleganter adnotavit Baldus , à judicio fortunæ appellari non posse ; quia fortuna , cuius dux est Deus Opt. Max. superiorum nullum habet .

Quamvis autem legato generaliter relict<sup>o</sup> veluti hominis id observandum sit , ne pessimus accipiat vel optimus , v. g. actor ; aliud tamen dicendum est de optione legata , l. 37. in pr. de leg. I. & l. 9. §. I. de dol. mal. nisi forte optio ita legata sit , ut eligat non legatarius , sed tertius aliquis : tunc enim tertio intra annale tempus non eligentie , legatario ita defertur eligendi facultas , ut optimum servum non eligat , sed media estimationis cumtaxat , l. 3. §. I. C. commun. de legat. quia testator , qui electionem non detulit legatario , non viceatur ei optimum legare voluisse ; sed quod tertius dignum legatario , & meritis ejus congruum judicaret : Idque ait ibicem Just. Imp. se constituisse , ne dum soventur legatarii , hæredis commoda defraudentur .

*Ad §. Legari.*

**L**EGARI autem illis solùm potest , cum quibus testamenti factio est .

**S E Q U I T U R** tertia pars tituli de capacitate personarum quibus legatur; in qua statuitur hæc regula generalis: legari illis dumtaxat posse, cum quibus testamenti factio est. Unde sequitur, neque peregrinis legari posse, neque de-ditius, *Ulp. tit. 22. §. 1. & l. 1. C. de her. inf.* neque deportatis. *l. 16. ff. de interdic.* & releg. neque servis propriis sine libertate, saltem ante constitutionem Justiniani, *l. pen. C. de necess. hered. instit.* neque incertis personis, in quo numero est posthumus alienus.

## Ad §. Incertis.

**I**N CERTIS vero personis neque legata, neque fideicommissa olim relinqui concessum erat. Nam ne miles quidem incertæ personæ poterat relinquere, ut Divus Hadrianus rescripsit. Incerta autem persona videbatur, quam incertâ opinione animo suo testator subjiciebat; veluti si quis ita dicat: *Quicumque filio meo filiam suam in matrimonium dederit, ei heres meus illum fundum dato.* Illud quoque, quod iis relinquebatur, qui post testamentum scriptum primi Consules designati essent, & que incertæ personæ legari videbatur; & denique multæ aliæ hujusmodi species sunt. Libertas quoque incertæ personæ non videbatur posse dati, quia placebat nominatim servos liberari. Sub certa vero demonstratione, id est ex certis personis incertæ personæ rectè legabatur; veluti: *Ex cognatis meis qui nunc sunt, si quis filiam meam uxorem duxerit, ei heres meus illam rem dato.* Incertis autem personis legata vel fideicommissi relicta, & per errorem soluta, repeti non posse, sacris constitutionibus cautum erat.

**I N C E R T A** persona † dicitur illa, quam testator incertâ opinione animo suo subjecit, & de qua rogatus nihil certi potest dicere, v. g. quicumque primus ad funus meum venerit, *Ulp. d. tit. 22.* Ignota vero persona † dicitur illa, quam licet testator numquam viderit, ejus tamen familiam, mores, facultates vel nomen cognoscit: ita ut possit certâ aliquâ demonstratione illam designare; v. g. fratri filios peregrinos, *§. ult. sup. de hered. instit.* Ignota itaque persona potuit olim hæres institui, incerta vero non potuit; quia, *ut ibidem ait Ulp.* visum est antiquis Prudentibus, certum esse debere testantis consilium: eaque ratio faciebat ut incertæ personæ legari aut per fideicommissum relinqui nihil posset. Incertæ autem personæ libertas dari non potuit propter aliam dumtaxat rationem; videlicet quia Lege Fusiâ-Caniniâ cayebatur, ut servi nominatim liberarentur, *Ulp. tit. 1. §. ult.*

Eius regulæ duæ fuerunt exceptiones. Prior fuit, quod incertæ personæ sub certa demonstratione legari potuit; id est incertæ personæ desumptæ ex numero certarum personarum, v. g. *Ex cognatis meis qui nunc sunt, si quis filiam meam uxorem duxerit, ei heres meus centum dato;* & hæc est causa cur paulò antè achibauimus particulam dumtaxat. Si quis enim dixerit, *Quisquis ex ser-*

*vis meis in Capitolium primus ascenderit, liber esto; cum haud dubie servum incertum desumit ex numero certarum personarum. Altera exceptio est, quod sacris constitutionibus cautum erat, legata incertis personis relictæ & per errorrem soluta repeti non posse; quia intervenit in hoc casu naturalis obligatio, quæ soluti inhibet repetitionem, l. 3. §. null. ff. quod quisque juris in alter. statuerit, &c.*

*Ad §. Posthumo.*

**P**O STHUMO quoque alieno inutiliter [anteā] legabatur. Est autem alienus posthumus, qui natus inter suos, hæres testatori futurus non est. Ideoque ex emancipato filio conceptus nepos, extraneus erat posthumus avo.

**P**O STHUMORUM † duo sunt genera, sui, & alieni. Posthumus suus † est qui natus suus hæres testatori futurus est; id est, qui si nasceretur vivo testatore, in potestate ejus & in proximo gradu futurus esset. Posthumus vero alienus † est ille qui natus, inter suos hæres testatori futurus non est; id est, cui deest utraque vel alterutra tantum conditio suitatis, superius tradita. Ideoque ex emancipato filio conceptus nepos, extraneus est posthumus avo; & similiter quoque nepos ex filio, qui est in potestate, quandiu vivit filius, eidem avo est posthumus alienus. Posthumo itaque alieno olim legari non potuit; quia posthumus non sunt certæ personæ, at ne personæ quidem, sed portiones quædam viscerum matris, l. 1. §. 1. ff. de inspic. ventre. Unde merito apud Quintil. declam. 338. filium matri eripere conaris, & partem viscerum avellis. De suis posthumis non fuit dubitatio, ut constat ex pr. sup. de exhib. liber. quia illi qui sunt in utero, pro jam natis habentur, quoties de commodis eorum agitur, l. qui in utero, ff. de stat. hom. Dixi de commodis eorum, id est de commodis quæ ipsis debentur ex justa causa, l. 7. ff. de bon. damnat. Quod juris axioma ad posthumos alienos porrigi non debet: hoc enim esset ius civile calumniari & verba captare, sicut circa similem speciem dicitur in l. 3. §. si mecum, & l. pen. ff. ad exhib.

*Ad §. Sed nec hujusmodi.*

**S**E nec hujusmodi species penitus & sine justa emendatione relicta; cùm in nostro Codice constitutio posita sit, per quam & huic parti medemur, non solum in hæreditatibus, sed etiam in legatis & fideicommissis; quod evidenter ex ipsius constitutio- nis lectione clarescit. Tutor autem nec per nostram constitutio- nem incertus dari debet; quia certo judicio debet quis pro tu- tela suæ posteritati cavere.

**J**US totum illud antiquum Justiniani constitutione sublatum est, l. un. C. de *incert. pers.* cuius duo fuerant capita. Primo. cavebatur, ut cum incertis perso- nis esset testamenti factio; quod ita limitandum est, dummodo illa incertitudo ex post facto tollatur, sicut accidit quoties posthumis alienis, collegiis lici-

tis, vel pauperibus legatur; vel ei qui primus venerit ad funera testatoris. Aliud itaque dicendum est, si testator dixerit se habitationem vel quid aliud relinquare libertis illis, quos in posterioribus codicillis designasset; nec tamen ullos postea codicillos fecerit, l. 18. ff. de usu & usufr. leg. quia haec incertitudo tolli non potest.

Secundo capite suae constitutionis prohibuit Imp. ne quis tutorem incertum dareret testamento; quia debet quisque certo iudicio pro tutela suae posteritati care, maximè cum tutores testamentarii non satiscent, in pr. sup. de satisd. tut.

*Ad §. Posthumus.*

**P**OStHUMUS autem alienus haeres institui & antè poterat, & nunc potest, nisi in utero ejus sit, quæ jure nostro uxor esse non potest.

CIRCA institutionem posthumi alieni, nulla ferè juris mutatio intercessit; quia posthumus alienus olim haeres institui poterat, & nunc potest. Olim quidem jure civili posthumi alieni, tamquam incerti hominis institutio non valebat, sed jure Praetorio firmabatur, datâ illi bonorum possessione secundum tabulas, in pr. infra de bonorum possessione. Nunc verò potest etiam de jure civili haeres institui, ex praefata constitutione Justiniani de incert. person. quam constitutionem certum est esse speciem juris civilis, sicut sunt cæteræ constitutiones Principum, l. 7. ff. de iust. & jure. Sed excipiens est ab hac regula posthumus ille alienus, qui est in utero illius mulieris, quæ jure nostro uxor esse non potest, id est quæ jure civili non potest cum ullo nuptias contrahere; cuiusmodi est Latina mulier vel peregrina, vel deportata; quia partus ventrem sequitur, l. 7. C. de rei vind. Constitutæ autem tales personas non posse justas nuptias contrahere, in pr. sup. de nupt. quia non sunt Cives Romani: ac proinde non potest propter eamdem juris rationem ullatenus esse cum illis ulla testamenti factio; cum sit juris civilis, ac proinde propria Civium Romanorum.

*Ad §. Si quis in nomine.*

**S**I quis in nomine, cognomine, prænomine, [ agnominé ] legatarii testator erraverit, cum de persona constat, nihilominus valet legatum: ideinque in hæredibus servatur, & recte. Nomina enim, significandorum hominum gratiâ reperta sunt: qui si alio quolibet modo intelligantur, nihil interest.

AD personarum incertitudinem quodammodo spectat illa quæstio, an error testatoris in nomine, prænomine, cognomine, vel agnominé legatarii vel hæredis vitiet legatum vel hæredis institutionem? Respondetur, non viuare, si de persona constat, l. 33. §. 1. ff. de condit. & demonstr. quia nomen dictum est quasi novum; eò quod significandorum & cognoscendorum hominum gratiâ repertum est; qui homines si alio quolibet modo intelligantur, nihil inten-

rest, ut ait Imp. hoc loco. Quæ autem abundant, non solent vitiare scripturas; l. non solent 64. ff. de reg. jur. Eam juris regulam Imp. duobus aliis exemplis illustrat.

*Ad §. Huic proxima.*

**H**UIC proxima est illa juris regula, falsâ demonstratione legatum non perimit; veluti si quis ita legaverit, *Stichum servum meum vernam do, lego*: licet enim non verna, sed emptus sit (si tamen de servo constat) utile est legatum. Et convenienter, si ita demonstraverit: *Stichum servum, quem à Seio emi*, sitque ab alio emptus; utile est legatum si de servo constat.

**P R I M U M** exemplum, in quo superflua scriptaram non vitiant, in eo situm est, quod falsitas demonstrationis circa rem legatam vel personam legatarii, legatum non viriet; quoties de re legata, vel de persona legatarii aliunde constat, l. 17. in pr. §. 1. & l. 33. ff. de condit. & demonstr. quia quidquid additur rei satis demonstratæ, frustra est, l. 1. §. si quis uxori, ff. de dot. præleg. v. g. *Stichum servum meum vernam Titio do, lego*. Licet enim Stichus non sit verna, sed emptus, nihilominus debetur. Verna † dicitur servus domi natus, auctore Festo, ita dictus à verè; quia id tempus duce naturâ fœturae est. Unde formatur *vernula diminutivum*; ideoque etiam vernaculum dicitur illud quod domesticum est. Idem juris est, si certa quantitas legetur sub falsâ demonstratione, v. g. *centum nummos Titio do, lego, quos ei debo*: quamvis enim nihil Titio debetur, valet tamen legatum, l. si sic legatum 75. §. 1. ff. de leg. 1. Aliud est, si legetur certa quantitas quasi certum corpus, v. g. *centum que in arca habeo, Mavio do, lego*. Nam si nihil reperiatur in arca nihil debetur, d. l. 1. §. sed & si dotem, ff. de dot. præleg. quia quoties corpus legatum sine facto hæredis periit, evanescit legatum, §. si res aliena sup. eod.

Hinc pendere arbitror solutionem certissimam difficilis illius quæstionis; utrum assignatio testatoris adjecta legato limitationem inducat; an vero nudam tantum demonstrationem, & ut dicitur in foro (si l'assignat est limitatif ou demonstratif:) ita ut limitatio inducatur per illam assignationem quoties certa quantitas quasi certum corpus relinquitur, v. g. *centum nummos quos in arca habeo, Mavio do, lego*; ex diverso autem assignatio solius demonstrationis vice fungitur, si certa quantitas legetur, non quasi certum corpus, sed tantum ut quantitas, v. g. *centum nummos annos Seio do, lego*; eosque ex reditu fundi *Tusculani prestare volo*. Quamvis enim reditus illi minores sint, debetur tamen legatario quot annis integrâ illâ summa centum nummorum. Quam distinguendæ assignationis regulam si quis velit alia methodo firmare, videat an assignatio pertineat ad dispositionem voluntatis testatoris, vel ad ejus executionem dumtaxat. Priori casu limitationem inducit, v. g. si testator dixerit: *Titio centum que mihi Seius deber, do, lego*, l. si sic, §. 1. ff. de leg. 1. *I. Lucius §. civibus, ff. de leg. 2. & l. cum certus, ff. de trit. vino & ol. legato*. Siu autem assignatio ad solam executionem voluntatis referatur, nudam demonstrationem inducit, cuius falsitas legatum nec vitiat, nec minuit, v. g. si quis dixerit: *aureos quadrigentos Pamphile dari volo à Julio auctore tot, in castris quos habeo tot, in numerato quos habeo tot*, l. quidam testament-

so, ff. de leg. 1. l. Paula Callinico, §. ult. ff. de leg. 3. & l. Lucius, ff. de alim. legat.

Non est autem assentiendum Cujacio ad d. l. quidam, pro his verbis *in cas- tris quos habeo tot, emendant i creditis quos habeo tot;* quia (inquit) pecuniae in castris non servabantur. Verum summus Antecessor convictus postmodum ex Vegetio, lib. 2. cap. 20. de re militari, dimidiam partem donativi apud signa sequestrari solitam, ut milites desertionis animum non haberent; sed alacrius pro signorum & patriæ tuitione pugnarent; & ne per luxum & inanum rerum comparationem eam absumerent; palinodiam cecinit ad lib. 39. *Juliani Digest.*

*Ad §. Longè magis.*

**L**ONGÈ magis legato falsa causa [adjecta] non nocet; ve- luti cùm quis ita dixerit: *Titio, quia me absente negotia mea curavit, Stichum do, lego;* vel ita: *Titio, quia patrocinio ejus capitali criminis liberatus sum, Stichum do, lego.* Licet enim neque negotia testatoris umquam gesserit Titius, neque patrocinio ejus liberatus sit, legatum tamen valet. Sed si conditionaliter enunciata fuerit causa, aliud juris est; veluti hoc modo: *Titio, si negotia mea curaverit, fundum [meum] do, lego.*

Ex præfato quoque juris principio, quòd ea quæ abundant non vitiant testamen- tum, deducitur altera juris regula multò evidenter; videlicet quòd falsitas causa legatum non vitiet. Idque Papinianus alia firmat ratione; quia ratio legandi legato non cohæret, l. cùm tale, §. falsam, ff. de condit. & demonstr. Quæ verba hanc vim habent & potestatem, ut legati substantia consistat in sola vol- luntate testatoris circa rem aliquam alteri relinquendam; quamvis aliam nullam rationem habeat suæ voluntatis, præter suam hujusmodi voluntatem. Cùm itaque legato non noceat falsitas in nomine, vel demonstratione rei legata aut personæ legatarii, quæ duo legato cohærent, multò minus nocere poterit falsitas causæ; quia abundans cautela non nocet.

Unde colligere est, id jus non pertinere ad causam principalem legati, sine qua testator legaturus non fuisset; quia hæc causa legato cohærente videtur. At que idē si hæc causa falsa fuerit, repellitur legatarius exceptione doli mali, d. §. falsam, vers. sed plerumque. Causa vero de qua loquimur in hoc §. n. est tan- tū adjuvans, commentitia seu adjectitia, quam testator idē tamum addidit, ut colorem sui legati quereret; & cum cui honorem legato suo habere voluit, officiosā insuper causæ adjectione honoraret; putā si testator dixerit: *Titio, quia me absente negotia mea curavit, centum do, lego.* Sublatā enim hac causā legandi, remanet adhuc liberalitas & voluntas testatoris, quæ sola est sufficiens causa legandi, & sola in testamento totum facit, l. ex facto, §. rerum, ff. de hered. inst.

Sed si conditionaliter enunciata fuerit aliqua causa legandi, aliud dicendum est; v. g. *Titio, si negotia mea curaverit, fundum Tusculanum do, lego;* quia tuic non est causa adjecta, sed conditio quæ legato cohæret, l. 7. §. pen. ff. de cond. & demonstr.

Quæ ut clarius pateant, hæc tria à se invicem distinguenda sunt in legatis,

conditio, modus, & causa. Conditio † est adiectio quæ actum aliquem in futurum eventum suspendit, l. 37. & 2. seqq. ff. de reb. cred. & solet fieri per particulam si, vel per particulam quando, aut similem; v. g. cum navis ex Asia venerit; quia dies incertus pro conditione habetur, l. 75. de cond. & demonstr. Estque triplex conditionis genus: † vel enim est potestativa, vel casualis, vel mixta. Potestativa † dicitur quæ pendet ex mero arbitrio & potestate illius in quem confertur; v. g. *Titio centum do, lego, si in Capitolium ascenderit.* Casualis † est, quæ ex mero fortunæ pendet eventu, puta si *navis ex Asia* venerit. Mixta denique † appellatur illa, quæ partim ex fortunæ eventu pendet, & partim etiam ex voluntate ejus in quem confertur; v. g. *Titio fundum Cornelianum do, lego, si Consul factus fuerit.*

Quæcumque autem fuerit illa conditio, hunc semper habet effectum, ut suspicat legatum cui adjicitur: ita ut dies ejus nec cedat nec veniat, nisi post conditionis eventum, l. 5. §. sed si sub conditione, ff. quando dies leg. ced. Sed exceptitur ab hac regula conditio quæ in non faciendo consistit; v. g. *Titio si in Capitolium non ascenderit, Stichum do, lego;* quia si legatarius præstiterit cautionem Mutianam, licet ei statim legatum accipere. Cautio Mutiana † est illa promissio, quâ legatarius, cui aliquid relictum est sub conditione quæ in non faciendo consistit, promittit se rem restituturum cum fructibus, si id fecerit quod fieri ab eo testator noluit, l. 7. l. 8. & l. 79. §. qui post, ff. de cond. & dem. ita dicta à Qu. Mutilio Scævola ejus auctore. Quâ cauzione cessante, non debetur legatum, nisi post mortem legatarii; quia quamdiu vivit, certum numquam esse potest, cum in Capitolium non ascensurum.

Modus † est adiectio legatum non suspendens, quâ onus aliquod imponitur legatario, vel designatur quid ex legato fieri testator velit: hæc effertur per particulam ut, Gallicè (*à la charge de faire, ou de bailer*) v. g. *Titio centum do, lego, ut monumentum mihi extruat,* l. 17. in fine, ff. de cond. & demonstr. Effectus modi est, ut ille cui legatum est sub modo, possit statim legatum acquirere, cautione præstâ de modo sibi præscripto adimplendo, l. si legatum, ff. de leg. 3. & l. 44. ff. de manum. testam. ita ut cogatur officio Jucicis ad id adimplendum; & legatum amittat, si id non fecerit: ideoque dicitur modus pro conditione observari, l. 1. C. de his quæ sub modo relinqu. At si per legatarium non steterit, quin testatoris voluntati obtemperet; v. g. quia uxorem ducat Maeviam, quæ non vult ei nubere, legatum non amittit, d. l. Aliud tamen jus obtinet si conditonaliter hæ nuptiæ in legato continentur, l. 31. ff. de cond. & dem.

Causa denique † est ratio legandi in præteritum tempus collata: hæc effertur per particulam quia, circa quam superius dicta sufficient.

*Ad §. An servo.*

**A**N servo hæredis rectè legemus, quæritur: & constat purè inutiliter legari, nec quidquam proficere, si vivo testatore, de potestate hæredis exierit; quia quod inutile foret legatum, si statim post factum testamentum deceperisset testator, hoc non debet ideo valere, quia diutiùs testator vixerit. Sub conditione vero rectè legatur [servo,] ut requiramus, an quo tempore dies legati cedit, in potestate hæredis non sit.

**N**UNC à diverticulo ad propositum redit Imperator, ut duas quæ supersunt Quæstiones dirimat circa personas quibus legari potest, videlicet an servo hæreditis instituti, vel domino servi hæreditis instituti, rectè legetur.

Ad primam, ut debito ordine progrediamur, supponendum est, hæredi unico instituto à se ipso frustra legari, l. 116. s. 1. ff. de leg. 1. quia illud quod semel nostrum est, amplius nostrum fieri non potest, §. sic itaque infra de aet. Unde sequitur, servo illius, qui solus hæres scriptus est, purè inutiliter legari; quia quod servo purè legatur, ipsi domino legari intelligitur, l. 30. ff. de hered. inst. & domino invito, & ignorantí statim à morte testatoris acquiritur, §. item vobis, sup. per quas personas cuique acquir. atque ita si valeret ejusmodi legatum, dominus servi, idem esset hæres ex asse & legatarius, quod jus civile non patitur. Quamvis itaque servus ille vivo testatore manumittatur, aut alienetur; non tamen hoc proderit legatario, aut novo ejus domino, propter regulam Catonianam, quæ definit, ut quod legatum non valeret, si testator statim deceperet, non idè debeat valere, quod testator diutius vixerit, l. 1. ff. de reg. Caton. & l. cetera, §. tractari, ff. de leg. 1.

Dixi 1. Servo illius qui solus hæres scriptus est: nam si plures sunt hæredes scripti, non solum servo unius ex hæredibus, sed etiam uni hæredi per præceptionem legari posse non ambigitur, l. 1. cod. si cert. petetur.

Dixi 2. Purè inutiliter legari; quia aliud dicendum est de legato conditionali: ideoque si ante conditionis eventum servus alienatus fuerit vel manumissus, novo suo domino vel sibi legatum acquirat. Regula siquidem Catoniana ad legata conditionalia non pertinet, d. §. tractari, & l. pen. ff. de reg. Caton. Sin autem is servus in eadem causa semper manserit, & tempore conditionis existentis in domino hæreditis sit, legatum procul dubio inutile est; quia ejus dominus cù ratione esset hæres simul & legatarius.

*Ad §. Ex diverso.*

**E**X diverso, hærede instituto servo, quin domino rectè etiam sine conditione legetur, non dubitatur. Nam et si statim post factum testamentum deceperit testator, non tamen apud eum qui hæres sit, dies legati cedere intelligitur; cùm hæreditas à legato separata sit, & possit per eum servum alius hæres effici, si priùs quam jussu domini adeat, in alterius potestatem translatus sit; vel manumissus ipse hæres efficitur: quibus casibus utile est legatum. Quod si in eadem causa permanserit, & jussu legatarii adierit, evanescit legatum.

**S**ECUNDÆ quæstionis hæc est species: Titius Stichum servum Mævii ex aſſe hæredem scripſerat, & Mævio domino centum purè legaverat; an valeret legatum, quæsum est? Respondet Imp. Justinianus, legatum illud eo tantum casu fieri inutile, cùm servus in eadem causa remanserit, & jussu legatarii adierit hæreditatem: ac proinde si servus ille manumissus fuerit vel alienatus, & suo arbitrio vel jussu novi domini adierit hæreditatem, valere legatum: ita ut

Mævius prior dominus centum petere possit, vel ab ipso servo manumisso, vel à novo ipsius domino.

Neque obstant ea quæ dicta sunt in §. superiore; quia valde dispar est ratio utriusque speciei. Nam cùm servo hæredis instituti legatur, statim a morte testatoris legatum domino acquiritur etiam invito & ignorantia, d. §. item vobis; adeò ut dominium rei legatae rectâ viâ, ipso jure & fine ullo facto hæredis transeat in servum legatarium, l. 80. legatum, ff. de leg. 2. & l. a Titio, ff. de furt. & per eum servum eodem momento, domino acquiratur, l. 79. ff. de acquir. hered. atque ita idem sit hæres & legatarius. Unde sequitur, legatum relictum servo hæredis, ab initio inutile fore, si testator statim moreretur; & juxta regulam superioris traditam ex postfacto convalescere non posse. At verò in nostro casu, ubi domino servi hæredis instituti pure legatum est, quamvis testator statim decesserit, non tamen apud eum qui hæres est dies legati cedere intelligitur; id est non statim idem est hæres & legatarius: dominus quidem statim est legatarius ex hypothesi. Verum non est statim hæres, quia dominus per servum suum ab alio institutum numquam fit hæres statim a morte testatoris: sed tunc demum, postquam servus hæres scriptus iussu domini sui præcedente adierit hæreditatem, l. 25. §. jussum, ff. de acquir. hered. & §. item vobis, sup. per quas personas cuique acquir. In cuius §. expositione diversitatis ejus inter hæreditatem & legatum rationem jam exposuimus.

Sunma hæc est utriusque §. Si dominus solus hæres instituatur, servo ejus non rectè legatur pure, sed sub conditione dumtaxat. Contra verò, si servus hæres instituatur ex ase, domino ejus etiam pure legatum rectè relinquitur. Sed si servus in eadem causa manserit, legatum in utroque casu inutile est.

#### Ad §. Ante hæredis.

**A**NTE hæredis institutionem inutiliter anteà legabatur; scilicet quia testamenta vim ex institutione hæredis accipiunt, & ob id veluti caput atque fundamentum intelligitur totius testamenti, hæredis institutio. Pari ratione nec libertas ante hæredis institutionem dari poterat. Sed quia incivile esse putavimus, scripturæ ordinem quidem sequi (quod & ipsi Antiquitati vituperandum fuerat visum) sperni autem testatoris voluntatem; per nostram constitutionem & hoc vitium emendavimus: ut liceat & ante hæredis institutionem, & inter medias hæredum institutiones, legatum relinquare; & multò magis libertatem, cuius usus favorabilior est.

**SUPEREST** ultima pars tituli, in qua juris veteris scrupulosa triplex observatio abrogatur. Ac primò quidem recepta fuit apud Antiquos sententia, ante hæredis institutionem non posse legari, sed post hæredis institutionem dumtaxat, vel inter medias hæredum institutiones; quia potestas testamenti ab hæredum institutione incipit, Ulp. hoc tit. §. ante hæredis, & l. 10. ff. de jure codicill. & ob id veluti caput ac fundamentum, intelligitur totius testamenti hæredis institutio. Unde eleganter ait Theophilus, illud quod ante hæredis institutionem scriptum fuit, extra testamentum esse videri. Idque adeò verum erat, ut libertas ipsa, quæ omnibus

omnibus rebus favorabilior est , ab alio quam à milite eo modo frustra reclameretur. Sed hoc jus Imp. noster abrogavit ; quia incivile esse credidit , id est contra præcepta juris civilis , ut ordo scripture majoris momenti haberetur , quam voluntas testatoris , quæ sola ( ut suprà diximus ) debet in testamento totum facere , l. 35. §. rerum , ff. de hered. instit.

Ad s. pen.

**P**ost mortem quoque hæredis aut legatarii simili modo inutiliter legabatur ; veluti si quis ita dicat : *Cum heres meus mortuus fuerit , do , lego.* Item , pridie quam heres aut legatarius morietur . Sed simili modo , & hoc correximus , firmitatem hujusmodi legatis ad fideicommissorum similitudinem praestantes ; ne in hoc casu deterior causa legatorum , quam fideicommissorum inveniatur.

**S E C U N D U S** scrupulus Antiquorum hic iuit , ut generaliter definirent ; post mortem hæredis aut legatarii , vel pridie quam heres vel legatarius moretur , inutiliter legari ; sed legatum his verbis relictum , *cum heres aut legatarius moreretur* , non improbabant. Ratio diversitatis fuit , quia cum legatur post mortem hæredis , ab hæredis hærede legari videtur , quod juris ratio non patitur , *Vlp. b. t. §. post mortem.* Hæc autem juris ratio pendet ex veteri juris regula , quæ statuebatur , ut actiones quæ à defuncto vel contra defunctum non inceperunt , non possint ab hæredibus vel contra hæredes incepere , ut docet Theoph. Post mortem vero legatarii legare non licuit ; quia hæredi legatarii legatum aut fideicommissum relinqui non potuit , eò quod esset incerta persona. Idemque juris erat si ita legatum fuisset , *pridie quam heres aut legatarius morietur* ; eò quod propter incertitudinem horæ mortis , nesciri unquam possit nisi post mortem , quandam fuerit illud pridie. At secundum legatum & multò magis fideicommissum ita factum , *cum morietur heres aut legatarius* , validum erat , l. 45. ff. de verb. oblig. & *Vlp. d. §. post mortem* : è ratione , quod tempus morienti sive tempus illud quod est in ultimo vite & mortis confinio , vite adnumeratur , l. qui duos 18. §. 1. ff. de manumiss. testam. Ideoque non obstabat prædicta vetus regula , quin heres vel legatarius posset commodum vel onus actionis , quæ sibi vel in se semel competierat , in hæredem suum transmittere. Hoc amplius , fideicomissa post mortem hæredis vel legatarii , id est ab hærede hæredis vel legatarii recte relinquuntur , l. 5. §. ult. ff. de leg. 3. & *Vlp. tit. de fideicommissis* , §. fideicomissa. Ratio diversitatis fuit , quia legata jure magis stricto & rigore juris continebantur , quam fideicomissa , quibus antiqui Legislatores pinguorem naturam indulgebant , quam legatis , §. sed non usque , supra hoc tit. Neque præfata vetus regula de actionibus ad hæredem non transmittenda , obstabat hujusmodi fideicomissis ; quia ex fideicommissis non comperebat ulla actio , sed extraordinaria tantum persecutio.

Totum illud jus antiquum funditus evertit Just. Imp. tribus constitutionibus , quæ rotidem illius fundamenta diruerunt. Prima fuit quæ legata & fideicomissa sibi invicem exequavit , l. 3. C. commun. de legatis. Secunda fuit per

quam constituit, ut legata & fideicomissa incertis personis relinquī possent, *toto tit. C. de incert. person.* Tertia denique, quā regulam juris contrariam constituit de transmittendis ad hæredes & in hæredes actionibus, quæ defuncto vel in defunctum non competebant, *toto tit. C. ut actiones ab hæredibus & contra hæredes incipiunt;* quod jus etiam ad stipulationes pertinet, *l. scrupulosam II. C. de inut. stipul.*

*Ad §. ult.*

**P**OENÆ quoque nomine inutiliter [anteà] legabatur, & adimberbatur, vel transferebatur. Poenæ autem nomine legari videtur, quod coercendi hæredis causā relinquitur, quò magis aliquid faciat, aut non faciat; veluti si quis ita scriperit: *Hæres meus si filiam suam in matrimonium Titio collocaverit;* vel ex diverso, *si non collocaverit,* dato decem aureos Seio; aut si ita scriperit: *Hæres meus si servum Stichum alienaverit;* vel ex diverso, *si non alienaverit,* Titio decem aureos dato. Et in tantum hæc regula observabatur, ut quām plurimis principalibus constitutionibus significaretur, nec principem agnoscere, quod ei poenæ nomine legatum sit. Nec ex militis quidem testamento talia legata valebant, quamvis aliæ militum voluntates in ordinandis testamentis valde observabantur. Quin etiam nec libertates poenæ nomine dari posse placebat. Eò amplius nec hæredem poenæ nomine adjici posse, Sabinus existimabat; veluti si quis ita dicat: *Titius hæres est,* si *Titius filiam suam in matrimonium Seio collocaverit,* Seius quoque hæres est. Nihil enim intererat, quā ratione Titius coerceretur, utrū legati datione, an cohæredis adjectione. Sed hujusmodi scrupulositas nobis non placuit; & generaliter ea, quæ relinquuntur, licet poenæ nomine fuerint relicta, vel adempta, vel in alium translata, nihil distare à cæteris legatis constituimus, vel in dando, vel in adimiendo, vel in transferendo; exceptis videlicet iis, quæ impossibilia sunt, vel legibus interdicta, aut alijs probrosa: hujusmodi enim testamentorum dispositiones valere, secta meorum temporum non patitur.

**T**ERTIA denique Veterum scrupulositas fuit, ut omnia quæ poenæ causā in testamento relinquebantur vel jubebantur, improbarent. Poenæ causā legari dicitur, quod coercendi hæredis causā relinquitur, quò magis aliquid faciat vel non faciat. Ex. gr. si testator præcepisset hæredi, ut filiam suam Titio in matrimonium collocaret, & deinde adjectisset testamento: *Hæres meus, si filiam suam Titio in matrimonium non collocaverit,* dato centum aureos Seio; atque ita metu illius poenæ voluisset illum adstringere ad obtemperandum suæ voluntati. Contrà verò si testator hæredi prohibueret, ne filiam suam Sempronio nupti

daret; pœna nomine ita legabat antiquitus; *Heres mens, si filiam suam Sempronio in matrimonium collocaverit, centum aureos dato Mævio.* Primus Divus Pius, teste Capitolino in ejus vita, hujusmodi legata inutilia esse constituit; quia (ut ait Theophilus) contra naturam legatorum esse videbatur, ut pœna honori inesset. Legata enim ex affectu & ob merita legatarii fieri cebent, non ex odio hæredis. Iisque adeò verum ac severum erat, ut neque in favorem Principis vel militum vel libertatis ab hac regula discederetur, quamvis Princeps legibus solitus sit, *I. Princeps, ff. de legib. & licet militibus testari licet, quomodo possunt, & quomodo volant, l. 1. & l. ult. ff. de testam. mil.* id est neglectis juris solemnibus & præceptis; quamvis cœnique alias in favorem libertatis multa fuerint constituta, contra communes juris regulas, *§. ult. sup. de donat.*

Hoc jus antiquum Justinianus suâ constitutione abrogavit, *l. un. C. de his que pœna causa relinquentur;* quia voluntates defunditorum ad effectum perduci publicè interest, *l. 5. ff. testam. quemadmodum aper.* Nec ulla est in eo iniquitas, quod metu pœnae testator hæredem suum aliquid facere cogat vel prohibeat; cum nihil sit quod magis hominibus debeatur, quam ut supremæ hominum voluntatis, post quam tam aliud velle non possunt, liber sit stylus, & licitum quod iterum non credit arbitrium, *l. 1. C. de sacros. Eccles.*

Ab illa tamen generali sua definitione excipi voluit Imp. ea legata, quæ pœna nomine relicta sunt, sub conditione impossibili, vel legibus interdicta, vel alias probrosa, v. g. *si heres meus digito cælum non tetigerit, aut si nudus per urbem non ambulaverit, Mævio centum dato;* & addit hanc rationem, quia hujusmodi legata valere, sc̄cta meorum temporum non patitur, id est disciplina & justitia ipsius saeculo observata. Cujus discipline ratio manifesta est; quia bonis moribus refragatur, ut quis ideo pœnam sustineat, quod non fecerit rem impossibilem vel probrosam vel legibus interdictam, cum juris nostri principiis magis conveniat, nocentem dimitti, quam innocentem condemnari, *l. absentem in pr. ff. de pœnis.* At si conditio impossibilis non sit imposita ei a quo legatum reliquitur, sed ei tantum in cuius favorem factum est, pro mendō habetur & pro non scripta, *l. 1. ff. de cond. insit. & §. impossibilis sup. de hared. insit.*



## T I T U L U S X X I.

### DE ADEMPTIONE LEGATORVM.

*Ad Princ.*

**A**DEMPTIO legatorum (sive eodem testamento adimantur, sive codicillis) firma est: sed & sive contrariis verbis fiat ademptio; veluti si quis ita quid legaverit, *do, lego:* ita adimatur, *Non do, non lego;* sive non contrariis, sed & aliis quibuscumque verbis.

**S E Q U I T U R** ut videamus quemadmodum legata infirmentur; vel minuantur. Infirmantur tota legata per ademptionem aut translationem; minuantur vero ex L. Falcidia.

Ademptione est revocatio eorum quae testamento data sunt, per declarationem contrariae voluntatis. Hæc olim fieri debebat eodem modo, quo legatum relictum fuerat, *Vlp. tit. 24. §. legatum*, id est contrariis verbis: ita ut si testator his verbis legalisset, *do, lego*, ademptione fieri deberet per hæc verba contraria, *non do, non lego*, juxta regulam juris antiqui, quæ postulat unumquodque eodem genere vinculorum dissolvi, quo colligatum est, *l. 35. ff. de reg. jur.* sed ex constitutione Justiniani ademptione legati quibuscumque verbis fieri potest, sive contrariis, sive non contrariis; quia quemadmodum verus verborum solemnitas in legatis relinquendis jam dudum sublata fuerat, *l. 21. C. de legat.* ita etiam æquum erat veterem in admendis legatis solemnitatem abrogari.

Imò vero solâ contraria voluntate legata infirmantur; putâ si post conditum testamentum, capitales inimicities exortæ fuerint inter testatorem & legatarium, *l. 3. §. ult. ff. eod.* non quidem ipso jure, sed tantum doli mali exceptione oppositâ, *d. §. ult.* Nihil autem refert, an quis actionem non habeat ipso jure, an per exceptionem infirmetur, *l. nihil 112. ff. de reg. jur.* Nihil quoque interest, utrum ademptione legati fiat in eodem testamento vel in codicillis posterioribus; quia hujusmodi codicilli partem faciunt testamenti, quemadmodum in *tit. ult. hujus libri*, Deo propicio, discutietur.

### Ad §. 1.

**T R A N S F E R R I** quoque legatum ab alio ad alium potest; veluti si quis ita dixerit: *Hominem Stichum, quem Titio legavi, Seio do, lego;* sive in eodem testamento, sive in codicillis hoc fecerit: quo casu simul [&] Titio adimi videtur, & Seio dari.

**T R A N S L A T I O** est eorum quæ relicta sunt mutatio per diversam testatoris voluntatem: hæc fit quatuor modis. Primò enim à persona in personam transfertur legatum, v. g. *hominem Stichum quem Titio legavi, Seio do, lego;* quo casu Titio adimi videtur, & Seio dari, *l. 5. ff. b. t.* Nec obstat quod dictum est *superiore tit. ad §. si eadem res, legatarios esse disjunctos*, cum ita legatum est, *Titio fundum Tusculanum do, lego;* *Mavio eundem fundum Tusculanum do, lego;* quia ut colligi potest ex *l. non ad ea 89. ff. de condit. & demonst.* multum interest, an secundum legatum purè factum sit, vel cum commemoratione prioris legati: ita ut priore casu, duo sint legata utilia; in posteriore vero specie secundum dumtaxat legatum validum sit, sicut sit in hoc titulo. Uno verbo, decisio hujus difficultis quæstionis tota pendet ex diversa voluntate testatoris.

Potest 2. ita fieri translatio ab eo qui dare iussus est, ut alter det; v. g. *quod à Titio herede legavi, hoc ab herede Mavio do, lego.* 3. cùm res pro re datur; v. g. pro fundo, decem aurei. 4. Denique cùm illud quod purè datum est, transfertur sub conditione, *l. 6. in pr. ff. b. t.*



# T I T U L U S X X I I .

## D E L E G E F A L C I D I A .

*Ad Princ.*

**S**UPEREST ut de Lege Falcidia dispiciamus, quā modus non vissimē legatis impositus est. Cūm enim olim lege duodecim tabularum libera erat legandi potestas, ut liceret vel totum patrimonium legatis erogare ( quippe [ cūm ] eā lege ita cautum esset, *uti quisque legasset sue rei, ita jus esto* ) visum est hanc legandi licentiam coarctare: idque ipsorum testatorum gratiā provisum est, ob id, quod plerumque intestati moriebantur, recusantibus scriptis hæredibus pro nullo aut minimo lucro hæreditates adire. Et cūm super hoc tam Lex Furia, quam Lex Voconia latae sunt, quarum neutra sufficiens ad rei consummationem videbatur; non vissimē lata est Lex Falcidia, quā cavetur, ne plus legare liceat, quam dodrantem totorum bonorum; id est, ut sive unus hæres institutus sit, sive plures, apud eum eosve pars quarta remaneat.

**E**x amplissima illa testandi licentia, quam Lex 12. tab. patribus familias concesserat, multa oriebantur incommoda; sed illud maximē, quod hæredes instituti a testatore, qui totum aut ferè totum patrimonium legatis exhauserat, propter nullum aut minimum lucrum repudiarent hæreditatem: atque ita multi intestati decederent, neque legata ulla tenus valerent eo testamento relicta, l. 9. ff. de testam. tut. ideoque lata est primū Lex Furia, quā cavebatur, ne cui plus legaretur, quam mille asses. Sed hæc Lex sublata est, quia non erat perfecta: quamvis enim poenam quadrupli interrogaret legatariis, qui plus accepissent; non tamen rescindebat legatum, Vip. lib. reg. in pr. Præterea hæc Lex huic cause non plenē consulebat. Nam si quis haberet in bonis quatuor tantum millia assium, poterat legatarios quatuor constituere, & singulis milletos asses relinqueret; atque ita sine ulla fraude Legi Furiae facta, nullum lucrum hæredi relinquebat, & dabat locum hæreditatis ejus repudiationi.

Quocirca lata est secundo loco Lex Voconia, quā cautum est, ne ulli legatario plus relinqueretur, quam hæredi. Sed hæc etiam Lex facile cludebatur. Nam si quis centum dumtaxat solidos in bonis habens nonaginta-novem legatariis constitutis, singulos solidos, singulis relinqueret, Legem Voconiam non transgrediebatur; & tamen propter minimum lucrum, quod relinquebat hæredi, locum etiam dabat simili repudiationi. Ex quibus apparet, utramque Legem insufficientem fuisse ad rei propositæ consummationem.

Hac de causa temporibus Augusti lata est Lex Falcidia à Falcidio Tribunō plebis: cuius Legis five plebisciti duo fuerunt præcipua capita, *l. 1. in pr. ff. b. t.* Primo capite liberam dedit omnibus testandi facultatem, atque ita legandi fines prædictis legibus constitutos sustulit, ut novos induceret. Secundo capite cautum est, ut ne plus legare liceret, quam dôdrantem totorum bonorum; ita ut penes hæredem vel hæredes quadrans illibatus remaneret. Post illam itaque legem latam, licuit testatoribus delibare hæreditatem legatis, id est intra modum dôdrantis legare; non verò licuit onerare, id est supra dôdrantem legare; & multò minus licuit exhaustire, id est universum patrimonium legatis erogare.

Hujus Legis potestas ad fideicommissa universalia & singularia relictæ, tam ab intestato quam ex testamento postmodum extensa est, *§. sed quia, sequ. tit. & l. 48. ff. b. t.* nec non etiam ad donationes causâ mortis, *l. 2. C. de donat. causâ mort.* & ad donationes inter virum & uxorem, quæ morte confirmantur, *l. 12. C. h. t.* Verum huic Legi Falcidiæ Justinianus *Nov. suâ 1.* multum derogavit; quæ permisit testatoribus, ut detractionem illius quartæ hæredibus proliberent; quamvis regulariter nemo possit in suo testamento cavere, ne Leges in eo locum habent, *l. nemo 55. ff. de leg. 1.* Quibus ita præmissis, circa Legem Falcidiæ triplex statuenda est regula.

*Ad §. 1.*

**E**T cùm quæsumum esset, duobus hæredibus institutis (veluti Titio & Seio) si Titii pars, aut tota exhausta sit legatis, quæ nominatim ab eo data sunt, aut supra modum onerata; à Seio verò aut nulla relictæ sint legata, aut quæ partem ejus dumtaxat in partem dimidiā minuant; an quia is quartam partem totius hæreditatis, aut amplius habet, Titio nihil ex legatis, quæ ab eo relictæ sunt, retinere liceat, ut quartam partem suæ partis salvam habeat; placuit posse retinere. Etenim in singulis hæredibus ratio Legis Falcidiæ ponenda est.

**P**RIMA regula est, quod hæc quartæ deductio non tantum omnibus simul hæredibus competat, sed etiam singulis. Nam si Sempronius Titium & Seium ex æquis partibus hæredes scripsérunt, & a Seio nihil legaverit, sed Titii semissem legatis oneraverit vel exhaustiverit; poterit Titius quartam partem sui semissem, id est sescunciam ex legatis detrahere: quod enim jus est in toto, idem etiam & in parte observandum est, *l. que de tota 76. ff. de rei vind. & l. an pars, ff. pro derelicto.*

*Ad §. pen.*

**Q**UANTITAS autem patrimonii ad quam ratio Legis Falcidiæ redigitur, mortis tempore spectatur. Itaque (verbi gratiâ) si is, qui centum aureorum patrimonium in bonis habeat, centum aureos legaverit; nihil legatariis prodest, si ante aditam hæreditatem per servos hæreditarios, aut ex partu ancillatum hæ-

reditiarum, aut ex foetu pecorum tantum accesserit hæreditati, ut centum [ aureis ] legatorum nomine erogatis hæres quartam partem hæreditatis habiturus sit: sed necesse est ut nihilominus quarta pars legatis detrahatur. Ex diverso, si septuaginta-quinque legaverit, & ante aditam hæreditatem in tantum decreverint bona ( incendiis fortè, aut naufragiis, aut morte servorum ) ut non amplius, quam septuaginta quinque [ aureorum substantia ] vel etiam minus relinquatur; solida legata debentur: Nec ea res damnosa est hæredi, cui liberum est non adire hæreditatem: quæ res efficit, ut sit necesse legatariis, ne destituto testamento nihil consequantur, cum hærede in portione pacisci.

**S E C U N D A** regula est. In facienda deductione atque estimatione quartæ ex Lege Falcidia, patrimonii quantitatem, ex qua legata erogari oportet, mortis tempore esse spectandam. Nam si Titius, qui centum dumtaxat aureos in bonis habebat, centum aureos legaverit; eoque mortuo ante aditam hæreditatem, ex foetu pecorum vel aliâ ratione auctum sit ejus patrimonium usque ad alios centum aureos; poterit nihilominus hæres quartam ex legatis retinere: quoniam hæreditates & legata a tempore mortis deferuntur & cedunt, l. un. §. cùm igitur, C. de caduc. toll. ideoque quidquid accrescit hæreditati post mortem testatoris, accrescit hæredi, nec proficit legatariis, l. 3. in pr. & l. 73. in pr. ff. b. t. Altera insuper ratio reddi potest; quia sicut omnes obventiones, que post aditam hæreditatem contingunt, hæredis lucro sunt; ita quoque idem dicendum est de omnibus quæ accedunt post mortem testatoris; cùm hæreditas quandocumque adita sit, semper ex die mortis adita censematur, l. 138. ff. de reg. jur. & l. 54. ff. de acquir. hered.

Ex diverso quoque, si Titius qui centum aureos in bonis habebat, septuaginta-quinque solummodo legaverit; & mortuo testatore bona in tantum decreverint, naufragiis fortè aut morte servorum, ut septuaginta-quinque tantum super sint, non potest hæres quartam partem deducere propter prædictam rationem, argumento à contrario ducto quod in jure fortissimum est, l. 1. ff. de offic. ejus cui mand. est jurisd. Neque hoc damnosum est hæredi, cùm non possit cogi ad adeundam hæreditatem. Äquum enim non est, ad hoc aliquem compelli adire hæreditatem, ut emolumentum quidem hæreditatis refundat; ipse vero oneribus hæreditatis obstrictus relinquatur, l. 14. §. non omnis, ff. ad SC. Trebell. Unde sequitur, necessitatem incumbere legatariis cum hærede in portione pacisci; id est pacta iura conosciendi, ut hæres adiens eam hæreditatem, quartam ex Lege Falcidia detrahere possit, aut aliquid etiam amplius vel minus; ne aliquoquin testamentum corruat: quia ex his quæ in testamento scripta sunt, nihil valet, si nemo ex eo hæreditatem adierit, l. 9. ff. de test. tut. Atque ita, ut ait Theophilus, minitando repudiationem legatariis, hæres ab eis pacto extorquebit quartam, quam Lex ei Falcidia in isto casu denegavit. Unde verissimum esse convincitur, quod ait M. Tull. lib. 2. de invent. Pactum ita justum putatur, ut juri præstare dicatur.

Ad §. ult.

**C**UM autem ratio Legis Falcidiæ ponitur, antè deducitur æs alienum: item funeris impensa, & pretia servorum manumissorum: tunc demum in reliquo ita ratio habetur, ut ex eo quarta pars apud hæredem remaneat, tres vero partes inter legatarios distribuantur; pro rata scilicet portione ejus, quod cuique eorum legatum fuerit. Itaque si singamus quadrigentos aureos legatos esse, & patrimonii quantitatem, ex qua legata erogari oportet, quadrigentorum esse; quarta pars legatariis singulis debet detrahi. Quod si trecentos - quinquaginta legatos singamus, octava debet detrahi. Quod si quingentos legaverit, initio quinta, deinde quarta detrahi debet. Ante enim detrahendum est quod extra bonorum quantitatem est, deinde quod ex bonis apud hæredem remanere oportet.

**TERTIA** & ultima regula est; in ponenda ratione Legis Falcidiæ priùs deducenda esse hæc tria, æs alienum defuncti, funeris impensa, & pretia servorum testamento manumissorum. Et primò quidem, æs alienum defuncti ex bonis ejus deducitur; quia bona non intelliguntur, nisi quæ supersunt deducto ære alieno, l. 39. §. 1. ff. de verb. signif. quod & ipsum xris alieni nomen satis demonstrat. Nam si æs alienum est, nostrum igitur non est. Funeris quoque impensæ deducuntur; quia sunt æs alienum defuncti, l. 1. ff. de relig. & sumpt. fun. quatum impensarum tantum est privilegium, ut cùm bona solvendo non sunt, omne aliud creditum præcedant, l. 45. ff. eod. non immeritò igitur præferuntur legatis. Satius enim est de suo testatorem funerari, quam alias legata consequi, l. 14. §. 1. ff. eod. Deducuntur denique pretia servorum, quos dominus testamento manumisit; quia xris alieni loco sunt, l. xris alieni 39. ff. b. t. quibus adnumerandi sunt illi qui tempore mortis testatoris conclamati sunt; eaque valetudine affecti, ut eos non posse vivere certum sit, l. in ratione, §. si servus, ff. b. t. mors enim servi & manumissio æquiparantur, l. 92. ff. de solut. & l. 42. de furt. Neque minus extra bonorum quantitatem est servus mortuus aut manumissus, quam æs alienum defuncti.

His ita præcognitis, operosum non erit colligere & intelligere, quod Imp. statuit hoc loco, in triplici casu, ubi semper supponitur patrimonii quantitatem, ex qua legata erogari oportet, esse quadrigentorum solidorum mortis tempore. Cujus patrimonii quarta pars ut hæredi tribuatur, vel impleatur; modò quarta; modò quinta; modò septima ex singulis legatis detrahitur, secundum diversitatem speciei. Verum in secunda specie textus nostri octava debet intelligi omnium bonorum, non vero singulorum legatorum; ne alioquin Tribonianus turpissimi paralogismi arguatur. Ex singulis enim legatis singulæ septimæ partes detrahendæ sunt, quæ simul junctæ consciunt octavam omnium bonorum, id est quinquaginta nummos. In prima vero & tertia specie, quarta & quinta pars intelliguntur respectu habito singulorum legatorum, vel etiam omnium bonorum: quod perinde est in utroque casu.

TITULUS



## T I T U L U S   X X I I .

**D E F I D E I C O M M I S S A R I I S H Ä R E D I T A T I B U S ,**  
*& ad Senatusconsultum Trebelianum.*

*Ad Prince.*

**N**UNC transeamus ad fideicommissa. Sed prius est, ut de hæreditibus fideicommissariis videamus.

**E X P O S I T I S** legatis sequitur, ut fideicommissa, quæ in testamentis etiam relinquuntur, exponamus. Fideicommissum ex *Vlp. tit. 25.* † est quod non civilibus verbis, sed precativè telinquitur, nec ex rigore juris civilis proficietur, sed ex voluntate datur relinquenter. Brevius sic videtur posse definiti. Fideicommissum est id omne quod quis rogatus est dare vel facere supremā aliquā defuncti voluntate. Est autem † duplex fideicommissum, universale, & singulare. Universale † est quod tota hæreditas vel pars hæreditatis, v. g. triens, alicui relinquitur. Idque vulgo appellatur *substitutione fideicommissaria*, vel simpliciter *substitutione*. Cum igitur ordo tractatum recte institutus postulet, ut prius exponantur universalia quam singularia, ideo remissa in sequentem titulum fideicommissorum singularium expositione, fideicommissorum omnium in hoc titulo originem & historiam generaliter *primum delineabimus*; deinde fideicommissorum universalium formam & effectus scrutabimur, & personas à quibus relinquere possunt recensebimus; novum denique privilegium fideicommissis à Justiniano concilium in ultima parte tituli enarrabimus.

*Ad §. I.*

**S**CENDUM itaque est, omnia fideicommissa primis temporibus infirma fuisse; quia nemo invitus cogebatur præstare id, de quo rogatus erat. Quibus enim non poterant hæreditatem, vel legata relinquere, si relinquenter, fideicommittebant eorum, qui capere ex testamento poterant [ hæreditatem. ] Et ideo fideicommissa appellata sunt; quia nullo vinculo juris, sed tantum pudore eorum, qui rogabantur, continebantur. Postea Divus Augustus primus, semel iterumque gratiâ personarum mortus, vel quia per ipsius salutem rogatus quis diceretur, aut ob insignem quorumdam perfidiam, jussit Consulibus auctoritatem suam interponere. Quod quia justum videbatur, & popularē erat, paulatim conversum est in assiduum

jurisdictionem ; tantusque eorum favor factus est , ut paulatim etiam Prætor proprius crearetur , qui de fideicommissis jus diceret , quem fideicommissarium appellabant.

**Q**UOD ad originem attinet , fideicomissa primis temporibus infirma fuerunt. Cùm enim lege 12. tab. ea tantum confirmarentur , quæ legis modo & directis verbis testamento relicta essent ; hinc eveniebat , ut relicta verbis precariis ex sola fide & pudore eorum penderent , qui rogati fuerant. Augebat infirmitatem fideicommissorum ; quod plerumque ab initio in favorem eorum fierent , qui non erant capaces , & cum quibus non erat testamenti factio , atque ita per fideicomissa legibus illudebatur , ut ait D. Hieronymus in Epist. ad Nepotianum.

Sed totum hoc ius hodie immutatum est. Primo enim Imp. Augustus fideicommissis robur dedit , commotus gratia personarum , & maximè L. Lentuli , ut constat ex pr. infra de codic. vel quia per salutem ipsius aliqui rogati , ejus jurisjurandi religionem contempserant ; vel denique quia insignis quorundam perfidia ei fuit denunciata , qui rogati à testatore hereditatem restituere pauperibus defuncti liberis vel parentibus , fidem fregerant. His de causis jussit Consulibus , ut suā auctoritate , hujusmodi personas compellerent ad fideicomissa adimplenda. Quod ius cùm esset populo gratum , paulatim conversum est in assiduam jurisdictionem ; ita ut Magistratus posset hanc potestatem exercere jure jurisdictionis suo magistratu cohaerenti , & sine speciali mandato Principis. Imò verò Prætor proprius creatus est , qui de fideicommissis jus diceret , atque ideo appellatus est Prætor fideicommissarius. Præterea fideicomissa tacita incapacibus relicta , nullas hodie habent vires , Ulp. d. tit. 25. l. 1. & 3. ff. de jure fisci , & l. 1. C. de delator. lib. 10. quia non est permittendum ut fraus legit , l. 5. C. de legibus.

*Ad §. In primis.*

**I**N primis igitur sciendum est , opus esse , ut aliquis recto jure testamento heres instituat ; ejusque fidei committatur , ut eam hereditatem alii restituat : alioqui inutile est testamentum , in quo nemo heres instituitur. Cùm igitur aliquis scriperit , *Lucius Titi heres esto* ; potest adjicere , *Rogo te , Luci Titi* , ut cùm primum poteris hereditatem meam adire , eam *Caio-Seio reddas , restituas*. Potest autem quisque & de parte restituenda heredem rogare. Et liberum est , vel purè , vel sub conditione relinquere fideicommissum ; vel ex certo die.

**F**ORMA fideicomissi in testamento relinquendi talis est , ut testator heredem sibi recto jure , id est directo instituat ; quia heredis institutio est caput ac fundamentum totius testamenti , §. ante heredis , sup. de legat. cumque deinde roget , ut hereditatem illam alteri totam vel pro parte restituat. Nihil autem prohibet id fideicommissum ex certo tempore vel ad certum tempus relinquiri ;

quamvis directa hæreditis institutio ita fieri non possit, §. *hæres sup. de hæred.*  
*inst. t.* Ratio diversitatis est, quia qui semel est hæres, non potest hæres esse de-  
finere, l. 88. ff. *ead.* & quia nemo potest pro parte temporis testatus, & pro  
parte intestatus decedere, l. 7. ff. *de reg. jur.* Illæ autem rationes in directa dum-  
taxat hæreditis institutione locum habent, non in fideicommisso; quia hæres di-  
rectus ante & post restitutionem fideicommissi, semper hæres existit, ut consi-  
tabit ex sequentibus. Neque ullum potest affigari tempus in quo defunctus sit  
ullatenus intestatus in proposita hypothesi.

*Ad §. Restitutam.*

**R**ESTITUTA autem hæreditate, is quidem, qui restituit, ni-  
hilominus hæres permanet; is vero qui recipit hæreditatem,  
aliquando hæreditis, aliquando legatarii loco habetur.

**E F F E C T U S** fideicommissi non est, ut qui restituit ex eo hæreditatem, hæ-  
res esse definit; quia, ut mox dictum est, qui semel est hæres, non potest hæres  
esse desinere, d. l. 88. sed tantum ut ille cui restituitur hæreditas, aliquando  
hæreditis, aliquando legatarii loco habeatur. Quod jus quale sit perspecta diver-  
sitate temporum facilem digneatur. Est autem tempus quadruplex distinguen-  
dum: I. ab Augusto ad Neronem: II. a Neronem ad Vespasianum: III. a Ves-  
pasiano ad Justinianum: IV. denique post constitutionem Justiniani. Ante  
Neronem, teste Theop. ne post restitutam hæreditatem aliquid lucrum vel  
damnum penes hæredem directum seu fiduciarium remanceret; hæres ille coram  
quinque testibus & libripende, hæreditatem mancipabat fideicommissario, &  
cum eo contrahebat stipulationes emptæ & venditæ hæreditatis in hunc modum:  
(Spondes fideicommissarie, si creditores hæreditatii exegerint a me quadraginta  
aureos, te mihi illos redditum?) Spondeo. Et vice versa, ita stipulabatur  
fideicommissarius ab hærede: (Spondes hæres, si exegeris quadraginta aureos a  
debitoribus hæreditariis, te mihi illos redditum?) Spondeo. Quatam sti-  
pulationum vi & potestate, quidquid hæres solvisset creditoribus, repetere deinde  
poterat a fideicommissario; & vice versa, quidquid exegerat a debitoribus  
hæreditariis, id omne fideicommissario restituere cogebatur; qui nihil alias po-  
tuisset ab illis debitoribus exigere, cum non esset juris successor.

*Ad §. Et Neronis.*

**E**T Neronis quidem temporibus, Trebellio Maximo & An-  
næo Senecâ Consulibus, Senatusconsultum factum est, quo  
cautum est, ut si hæreditas ex fideicommissi causa restituta sit, om-  
nes actiones, quæ jure civili hæredi, & in hæredem competenter,  
ei, & in eum darentur, cui ex fideicommisso restituta esset hære-  
ditas. Post quod Senatusconsultum Prætor utiles actiones ei, & in  
eum, qui recipit hæreditatem, quasi hæredi, & in hæredem dare  
cœpit.

**S**ED cùm hæres cā de causā duplices litium sumptus sustineret, & multas interdum lites calumniæ causā pateretur, quarum sumptus repetrere non poterat à fideicommissario, repudiabantur sèpissime hujusmodi hæreditates, & fideicomissa extinguebantur. Huic incommodo partim remedium attulit SC. Trebellianum editum temporibus Neronis, Luc. Annæo Sénecæ & Trebellio Maximo Consulibus, sufficitis seilicet non ordinariis; idemque sentiendum est de Pegaso & Pusione, de quibus mox agetur, ut constat ex fastis Consularibus. Quo SC. cautum est, ut post restitutam hæreditatem omnes actiones, quæ hæredi & in hæredem competebant, fideicommissario & adversus fideicommissarium competenter ipso jure, id est absque ullis stipulationibus. Unde factum est, ut fideicommissario & adversus fideicommissarium Prætor actiones utiles daret, quasi hæredi & in hæredem. Utiles (inquam) non directas; quia Senatus, quem constat hæredem facere posse, s. *quos autem, infra de bon. possess.* noluit fideicommissarium hæredem facere, sed quasi hæredem tantum, & hæredis loco; ne receptæ juris regulæ derogaret, quæ non patitur eum qui semel est hæres, hæredem esse desinere, d. I. 88. Non potuit itaque fideicommissarius habere actiones directas, quæ soli vero hæredi competunt; sed utiles dumtaxat, quæ illis competunt, qui hæredum loco sunt. Directæ igitur actiones post hoc Senatus-consultum manserunt apud hæredem directum, sed sine effectu; quia si agere voluisse contra debitores hæreditarios, repellebatur exceptione SC. Trebelliani: & vice versa creditores hæreditarios adversus se agentes cādem exceptione repellebat. Utiles verò actiones erant penè fideicommissarium, & plenissimum effectum pro ipso & adversus ipsum obtinebant. SC. igitur Trebelliano effectum est, non solum ut fideicommissarius loco hæredis haberetur, sed etiam ut hæres directus indemnus & securus factus, non posset amplius sicut anteā, metu damni, sumptuum & laborum sibi inutilium, repudiare hæreditatem, atque ita fideicomissa extingueret.

*Ad §. Sed quia hæredes.*

**S**E quia hæredes scripti, cùm aut totam hæreditatem, aut péné totam plerumque restituere rogabantur, adire hæreditatem ob nullum, vel minimum lucrum recusabant, atque ob id extinguebantur fideicomissa; postea Vespasiani Augusti temporibus, Pegaso & Pusione Consulibus, Senatus censuit, ut ei, qui rogatus esset hæreditatem restituere, perinde liceret quartam partem retinere, atque ex Lege Falcidia ex legatis retinere conceditur. Ex singulis quoque rebus, quæ per fideicommissum relinquuntur, eadem retentio permitta est: post quod Senatus-consultum ipse hæres onera hæreditaria sustinebat. Ille autem, qui ex fideicommisso recipiebat partem hæreditatis, legatarii partiarii loco erat, id est, ejus legatarii, cui pars bonorum legabatur: quæ species legati, partitio vocabatur; quia cum hærede legatarius partiebatur hæreditatem. Un-

de quæ solebant stipulationes inter hæredem & partiarium legatarum interponi, eadem interponebantur inter eum, qui ex fideicommisso recepit hæreditatem & hæredem; id est, ut lucrum & damnum hæreditarium pro rata parte inter eos commune esset.

**V E R U M** cùm illo Senatusconsulto de lucro aliquo hæredi acquirendo cautum non esset, sed tantum de damno vitando, eveniebat sèpissime, sicut antea, ut hæredes scripti propter nullum, aut minimum lucrum sibi relictum, repudiarent delatam sibi hæreditatem; atque ita extinguebantur fideicommissa, *l. 9. ff. de test. tut.* Quocirca Vespasiani temperibus, Pegaso & Fusione Consulibus factum est SC. Pegasianum, cujus duo erant capita. Primo capite cavebatur, ut hæredi non habenti quartam hæreditatis ex iudicio defuncti, perince liceret quartam partem ex fideicommissis retinere, sicut per Legem Falcidiam ex legatis retinere conceditur.

Post quod SC. hæres omnia onera hæreditaria sustinebat; fideicommissarius verò pro legatario partiario habebatur, hoc est † pro eo, cui pars bonorum relicta fuerat, eo genere legati, quod partitio dicebatur; quodque fiebat in hunc modum, teste *Theoph. & Ulp. tit. 24.* (*Tuus mihi hæres esto, partitoque hæreditatem meam cum Scio parte cimiciâ, vel tertia vel quartâ prout visum fuisset testatori.* Inter legatarium autem partiarium & hæredem solebant fieri stipulationes partis & pro parte, hoc modo: (*Spondes legatarie, si creditores hæreditarii exegerint à me quadraginta aureos, te mihi viginti redditum?*) Spondeo. Et vice versa legatarius stipulabatur ab hærede: (*Spondes hæres, si exegeris à debitoribus hæreditariis quadraginta aureos, te mihi viginti redditum?*) Spondeo. Ita quoque hæres retentâ quartâ hæreditatis, stipulabatur in hunc modum à fideicommissario, cui dodrantem restituerat: (*Spondes fideicommissarie, si creditores hæreditarii exegerint à me quadraginta solidos, te mihi triginta redditum?*) Spondeo. Et vice versa stipulabatur fideicommissarius ab hærede. (*Spondes hæres, si exegeris à debitoribus hæreditariis quadraginta solidos, te mihi triginta redditum?*) Spondeo. Earumque stipulationum vis & potestas hæc erat, ut licet legatarius & fideicommissarius, qui juris successores non sunt, *§. legatariis sup. de testam. ordin.* nullam actionem movere possint, neque ullum onus æris alieni sustinere cogantur; fierent tamen participes commodi ex actionibus hæreditariis promanantis; & onus quoque æris alieni, pro parte hæreditatis per legatum aut fideicommissum relictâ, sustinerent.

Secundo capite SC. Pegasiani cavebatur, ut si hæres directus delatam sibi hæreditatem adire nollet, fortè quia ei suspecta videtur, cogi posset à Prætore (si id postularet fideicommissarius universalis) ad adeundam & restituendam sibi illam hæreditatem. Dixi *fideicommissarius universalis*; quia neque legatarii, neque fideicommissarii singulares possunt postulare, ut hæres cogatur ad hæreditatem adeundam, *arg. l. 14. §. non omnis, ff. b. t.*

Ex his constat SC. Pegasiano effectum fuisse ut hæres directus aliquâ lucri spe illiceretur ad adeundam hæreditatem restitutiōni obnoxiam; quod si illâ spe non moveretur, auctoritate Prætoris cogi potuisse ad illam additionem faciendam, ut fideicommissa nullo casu intercederent.

## Ad §. Ergo.

**E**R 99 siquidem non plus quam dodrantem hæreditatis scriptus hæres rogatus sit restituere, tunc ex Trebelliano Senatusconsulto restituebatur hæreditas, & in utrumque actiones hæreditariæ pro rata parte dabantur: in hæredem quidem jure civili; in eum vero, qui recipiebat hæreditatem, ex Senatusconsulto Trebelliano, tamquam in hæredem. At si plus quam dodrantem, vel etiam totam hæreditatem rogatus esset, locus erat Pegasatio Senatusconsulto, & hæres, qui semel adierat hæreditatem (si modò suâ voluntate adierat,) sive retinuerat quartam partem, sive retinere noluerat; ipse universa onera hæreditaria sustinebat. Sed quartâ quidem retentâ, quasi partis & pro parte stipulationes interponebantur, tamquam inter partiarium legatarium & hæredem. Si vero totam hæreditatem restitueret, emptæ & venditæ hæreditatis stipulationes interponebantur. Sed si recusabat scriptus hæres adire hæreditatem ob id quod diceret eam sibi suspectam esse, quasi damnosam; cavebatur Pegasiano Senatusconsulto, ut desiderante eo, cui restituere rogatus esset, ius suu Prætoris adiret, & restitueret hæreditatem; perindeque ei & in eum, qui reciperet hæreditatem, actiones darentur, ac juris est ex Trebelliano Senatusconsulto: quo casu nullis stipulationibus est opus; quia simul & huic, qui restituit, securitas datur; & actiones hæreditariæ ei & in eum transferuntur, qui recipit hæreditatem, utroque Senatusconsulto in hac specie concurrente.

Hoc Senatusconsulto Pegasiano nulla siebat mentio de illo casu, quo hæres ex judicio defuncti quartam habens, delatam sibi adibat hæreditatem. Quocirca in ea specie vigebat adhuc pristinum SC. Trebellianum; quia quoties agitur de novo aliquo jure quod veteris emendationem inducit, quidquid in eo expressum non est, sub veterum legum & constitutionum regulis relictum intelligitur, *I. precipimus, §. ult. C. de appellat.* Ut igitur vim ac potestatem utriusque SC. clarius dignoscamus, tres casus in hac causa distinguendi sunt: in primo locum habuit solum Senatusconsultum Trebellianum; in secundo, solum Pegasianum; in tertio, utrumque simul.

Soli Trebelliano locus fuit, si hæres non plus quam dodrantem hæreditatis rogatus esset restituere. Quo casu, restituto illo dodrante, actiones hæreditariæ ex antiquo jure civili remanebant penè hæredem, exque directæ & cum effectu pro quadrante illo quem retinebant; utiles autem transibant in fideicommissum pro reliquo dodrante; non quidem quod SC. Trebelliano de dividendis

actionibus expressè cautum esset, sed tacitè tantùm ; quoniam in toto pars continetur, & quod jus obtinet in toto, idem etiam in parte intelligitur constitutum, *i. que de tota, ff. de rei vind. ac proinde cùm SC. Trebellianum restituâ totâ hæreditate omnes actiones transferret in fideicommissarium, intelligitur quoque voluisse, ut pro parte dumtaxat transferrentur actiones, si restituta tantum esset pars hæreditatis.*

Soli SC. Pegaliano locus fuit, si plûs quam dodrantem vel etiam totam hæreditatem restituere hæres rogatus esset. Quo casu hæres directus post restitutam totam hæreditatem, omnia onera hæreditaria sustinebat, & quarta ex fideicommisso deducere poterat. Sed quartâ retentâ stipulationes siebant partis & pro parte, ut supra exposuimus. Sin autem quartam hæres noluisset retinere, interponebantur stipulationes emptæ & venditæ hæreditatis, ut heredis indemnitate & securitati consuleretur, sicut ante Neronis tempora ; quia ex SC. Pegasiano fideicommissarius habetur pro legatario, qui nullis creditorum actionibus obnoxius est, *i. 1. C. si certum petatur.*

Utrumque denique Senatusconsultum simul locum habuit, si hæres cui suspecta videbatur hæreditas, spe illius quartæ adduci non posset ad illam adeundam, sed eam adire recusaret. Quo casu ex secundo capite SC. Pegaliani, postulante fideicommissario universaliter, eam adire cogebatur, & fideicommissario restituere : & ex SC. Trebelliano post restitutam hæreditatem, omnes actiones fideicommissario & adversus fideicommissarium competebant, ipso jure & sine ullis omnino stipulationibus. Cæterum nulluni tertio isto casu damnum aut commodum penes hæredem remansit. Damnum quidem hæres non sustinuit ; quia contemplatione alterius coactus adiit : nemini autem officium suum debet esse damnolum, *i. 1. ff. de contr. tut. act. & i. 29. ff. ex quib. cau. major. Comm. vero nullum habuit, ne quidem ipsam quartam ; quoniam adiit periculo alieno, i. 4. ff. h. t.*

*Ad §. Sed quia stipulationes.*

**S**E d quia stipulationes ex Senatusconsulto Pegasiano descendentes, & ipsi Antiquitati displicuerint, & quibusdam casibus captiosas eas homo excelsi ingenii Papinianus appellat, & nobis in legibus magis simplicitas, quam difficultas placet : ideo omnibus nobis suggestis tam similitudinibus, quam differentiis utriusque Senatusconsulti ; placuit, exploso Senatusconsulto Pegasiano, quod posteà supervenit, omnem auctoritatem Trebelliano Senatusconsulto præstare, ut ex eo fideicommissariæ hæreditates restituantur ; sive habeat hæres ex voluntate testatoris quartam, sive plus, sive minus, sive nihil penitus : ut tunc, quando vel nihil, vel minus quarta apud eum remanet, licet ei vel quartam, vel quod deest ex nostra auctoritate retinere, vel repetrere solutum quasi ex Trebelliano Senatusconsulto ; pro rata portione actionibus, tam in hæredem, quam in fideicommissario.

sarium competentibus : si verò totam hæreditatem spontè restituerit , omnes hæreditariæ actiones fideicommissario , & adversus eum competant. Sed etiam id , quod præcipuum Pegasiani Senatus-consulti fuerat , ut quando recusaret hæres scriptus sibi datam hæreditatem adire , necessitas ei imponeretur totam hæreditatem volenti fideicommissario restituere , & omnes ad eum & contra eum transferre actiones : & hoc transposuimus ad Senatusconsultum Trebellianum , ut ex hoc solo necessitas hæredi imponatur , si ipso nolente adire , fideicommissarius desideret restitui sibi hæreditatem , nullo nec damno nec commodo apud hæredem remanente.

Ex his constat , immensas fuisse juris ambages in restitutione fideicommissi ; post Vespasianum Imp. propter præfatas stipulationes , quæ plurimas ambages continebant , & multis casibus erant captioæ , id est damnoæ hæredi ; puta si fideicommissarius totum patrimonium decoxiisset : quia inanis est actio , quam inopia debitoris excludit , l. 6. ff. de dolo male. Hac de causa Just. Imp. Senatusconsultum Pegasianum , ex quo illæ stipulationes descendebant , in Trebellianum transfudit , quod erat antiquius & minus intricatum ; quodque insuper necessarium fuerat in secundo capite SC. Pegasiani exequendo , ut restitutâ totâ hæreditate vel parte ipsius , actiones omnes , vel pro rata parte in fideicommissarium ipso jure transferrentur ; omnes quidem , si tota restituatur hæritas ; pro parte verò , si pars dumtaxat , v. g. triens restituatur.

Secundum caput SC. Trebelliani est , ut hæres possit quartam vel quod deest ex fideicommissis retinere , vel repetere solutum , sicut ex legatis potest retinere vel repetere per L. Falcidiam. Unde fit , ut hæc quarta appelletur quarta ex L. Falcidia , §. sed si quis , sup. quib. mod. testam. infirm. l. 52. §. 2. & l. 58. §. 3. ff. b. t. Interpretes verò & Pragmatici eam vocant quartam Trebellianicam , non quod ex SC. Trebelliano descendat , sed ex Pegasiano tantum , quod à Just. in Trebellianum transfusum est.

Dixi vel repetere solutum ; quia id expressè assertur hoc §. n. & rursùm in l. 9. Cod. ad L. Falcid. ubi error facti , quartæ ex causa fideicommissi non retentæ repetitionem non impedit. Quin etiam hæredi ejus quartæ vindicationem competere , manifestè convincitur , ex l. 35. §. 1. ff. de hær. inst. & l. 73. §. ult. ff. ad L. Falcid. ubi si quis legatis hæreditatem exhauserit , legata per L. Falcidiam rescinduntur ipso jure pro rata portione. Et cum in linea margaritorum triginta-quinque legatâ , quæ fuerat apud legatarium mortis tempore , testator modum Falcidiæ excessit , potest hæres consequi ut sibi restituatur ; vel ( si malit ) potest vindicare in ea linea partem , quæ propter L. Falcidiæ rationem deberet remanere , l. 26. in pr. ff. eod. Per Legem denique Falcidiam , res legata sit communis inter hæredem & legatarium , l. 49. ff. eod. Hæredem igitur fieri dominum quartæ partis necesse est ; ac proince ipsi competere rei vindicationem , quæ omnibus competit , qui jure civili vel gentium domini sunt , l. in rem in pr. ff. de rei vind. Ambigere itaque non operet , quin hæres habeat quartæ retentionem ex L. Falcidia , nec non etiam soluti repetitionem , & rei vindicationem.

Tertium

Tertium denique caput Senatusconsulti Trebelliani est hodie, ut si heres directus hereditatem adire noluerit, cogi possit ad illam adeundam & restituendam fideicommissario. Verum in Gallia nostra propera generalem illam regni consuetudinem, quae dicitur (*le mort saisit le vif*) abique illo circuitu additionis & restitutionis, recta viâ hereditas ad fideicommissarium illo casu convolvitur, ut testatur *Rebuffus in proemio suo ad constitutiones Regias*, n. 73.

*Ad §. Nihil autem.*

**N**IHL autem interest, utrum aliquis ex asse heres institutus, aut totam hereditatem, aut pro parte restituere rogatur; an ex parte heres institutus, aut totam eam partem, aut partem partis restituere rogatur. Nam & hoc casu eadem observari præcipimus quæ in totius hereditatis restitutione diximus.

**QUEMQUIS** haec tenuis dicta sunt de tota hereditate restituenda, eadem quoque ad illum casum transferenda sunt, quo heres ex parte, v. g. ex semelle scriptus, rogatus est totam eam partem, vel partem illius partis alteri restituere; quia (ut antea saepius dictum fuit,) idem ius valet in parte, quod in toto constitutum est, *i. que de rotâ, ff. de rei vindic.* & quia in singulis hereditibus ratio *L. Falcidiae* ponenda est, *i. in singulis, ff. ad L. Falc.* Cum igitur de partis hereditariae restitutione agitur, locum habet præfata actionum divisio inter heredem & fideicommissarium, nec non etiam quarta deductio, & adeundi ac restituendi necessitas.

*Ad §. Si quis unâ.*

**S**i quis unâ aliquâ re deductâ, sive præceptâ, quæ quartam continet (veluti fundo, vel aliâ re) rogatus sit restituere hereditatem; simili modo ex Trebelliano Senatusconsulto restitutio fiet, perinde ac si quartâ parte retentâ rogatus esset reliquam hereditatem restituere. Sed illud interest, quod altero casu, id est, cum deductâ, sive præceptâ aliquâ re, restituitur hereditas, in solidum ex eo Senatusconsulto actiones transferuntur; & res quæ remanet apud heredem, sine ullo onere hereditatio apud eum remanet, quasi ex legato ei acquisita: altero vero casu, id est, cum quartâ parte retentâ, rogatus est heres restituere hereditatem, & restituit; scinduntur actiones, & pro dôdrante quidem transferuntur ad fideicommissarium, pro quadrante remanent apud heredem. Quinetiam licet unâ re aliquâ deductâ, aut præceptâ, restituere aliquis hereditatem rogatus sit, in qua maxima pars hereditatis continetur, æquè in solidum transferuntur actiones; & secum delibere debet is, cui restituitur hereditas, an expediatur sibi restitui.

Eadem scilicet interveniunt, & si duabus pluribusve deductis præceptis rebus, restituere hæreditatem rogatus sit. Sed & si certâ summâ deductâ præceptâve, quæ quartam vel etiam maximam partem hæreditatis continet, rogatus sit aliquis hæreditatem restituere, idem iutis est. Quæ [ autem ] diximus de eo, qui ex asse institutus est, eadem transferemus & ad eum, qui ex parte hæres scriptus est.

**L**I D E M juris effectus ad eum quoque transferendi sunt, qui certâ aliquâ re vel summâ deductâ, quæ quartam continet, iussus est alteri eamdem restituere hæreditatem, ita ut cogi possit rogante fideicommissario, ad adeundam & restituendam hæreditatem, & ut aliam quartam petere non possit. Una tamen est inter utrumque casum disparitas advertenda; videlicet quod inter illum, qui retentâ quartâ, vel aliâ parte hæreditariâ, iussus est hæreditatem restituere & fideicommissarium, actiones pro rata parte dividantur. Sed si testator hæredi permiserit certi fundi vel certæ quantitatis deductionem, nullæ apud eum remanent actiones, sed omnes transeunt in fideicommissarium; & hæres eo casu, quantum ad onus æris alieni pro legatario habetur; quia res aut summa certa, sui naturâ æris alieni diminutionem non patitur, l. 16. ff. b. t. Quo etiam modo ille cui certa pars bonorum donata est, dimidia v. g. vel tercia aut quarta, onus æris alieni pro ratione illius partis cogitur sustinere; quia scilicet hæredis loco est. Ille vero cui aliquod certum corpus donatum est, fundus putâ vel domus, ab omni onere æris alieni immunis fit; quia habetur pro legatario, ad quem onus æris alieni non pertinet, l. 1. C. si cert. petetur, & l. ult. ff. de usu & usufr. leg. atque ita definitum fuisse Tolosæ ab amplissimo Senatu refert D. Cambolassius, lib. 2. cap. 9. Dixi quantum ad onus æris alieni; quia hæres ex certo fundo institutus in hac specie non est omnino legatarius, nec capit eum fundum jure legati, cum à se ipso accipiat. Constat autem hæredi à se ipso legari non posse, l. 116. §. 1. ff. de leg. 1. Præterea si hujusmodi hæres directus in omnibus pro legatario haberetur, sequeretur permittendum esse ipsi alterius quartæ detractionem, cum hæres ea tantum in quartam imputare tenetur, quæ capit jure hæreditario; non quæ capit jure legati aut fideicommissi, l. in quartam, ff. ad L. Falcid. quod esset iniquissimum. Sed hujusmodi hæres est tantum similis legatario, ratione æris alieni, idque propter solam rei quam deducit naturam. Unde etiam efficitur, ut quoties nullum est fideicommissum, hæres institutus ex re certa nullo cohærede addito, habeatur pro hærede ex asse, l. 10. ff. de her. insit. sin autem cohæres ei additus sit, habeatur pro legatario, l. quoties pen. C. de hæred. insit.

*Ad §. Præterea.*

**P**RÆTEREA intestatus, quoque moriturus, potest rogare eum, ad quem bona sua, vel legitimo jure, vel honorario pertinere intelligit, ut hæreditatem suam totam, partemve ejus, aut rem aliquam ( veluti fundum, hominem, pecuniam ) ali-

cui restituat ; cùm alioqui legata , nisi ex testamento , non valeant.

**S E Q U I T U R**, ut personas aliquas enumeremus à quibus fideicommissa relinquunt possunt. Et primò quidem ab hærede fideicommissa omnia universalia & singularia relinquunt possunt ; nec tantum ab hærede testamentario , sed etiam à legitimo , id est ab eo cui ab intestato hæreditas lege defertur. In quo differunt etiam hodie fideicommissa singularia à legatis , quæ alioquin nisi ex testamento non valent. Quamvis enim legata fideicommissis per omnia & in omnibus sint exæquata à Justiniano , l. 2. C. comm. de legat. non tamen sunt confusa ; neque Justinianus substantialia legatorum & fideicommissorum immutavit. Non fecit v. g. ut fideicommissa fieri possent verbis directis , aut legata verbis precatiis. Non fecit itidem , ut legatum ab intestato relinquiri posset vel à legatio , quod natura legatorum non patitur. Sed hoc tantum effecit , ut quod deest ex natura legatorum , hoc repleatur ex natura fideicommissorum : & vice versa. In hac itaque specie , legata ab intestato relicta non valent jure legati , sed valent dumtaxat jure fideicommissi.

*Ad §. pen.*

**E**UM quoque , cui aliquid restituitur , potest rogare , ut id rursum alii aut totum , aut partem , vel etiam aliquid aliud restituat.

**P O T E S T** etiam fidéicommissum à fideicommissario universalis relinquiri , sicut ab hærede. Non tamen permittitur regulariter ei fideicommissario alterius quartæ deductio , sicut permittitur hæredi ; quia Lex Falcidia in favorem filius hæredis ad fideicommissa producta est , non in favorem fideicommissarii , l. post 71. ff. ad L. Falcidiam. Præterea licet substitutio vulgaris possit fieri in infinitum in pr. sup. de vulg. subst. fideicommissaria tamen substitutio , de qua hic agitur , ultra quartum gradum fieri non potest , Nov. 159.

*Ad §. ult.*

**E**T quia prima fideicommissorum cunabula à fide hæredum pendunt , & tam nomen , quam substantiam acceperunt ; ideo Divus Augustus ad necessitatem juris ea retraxit. Nuper & nos eundem Principem superare contendentes , ex facto , quod Tribonianus vir excellentissimus ex-Quæstor sacri palatii suggestit , constitutionem fecimus , per quam disposuimus , si testator fidei hæredis sui commisit , ut vel hæreditatem , vel speciale fideicommissum restituat , & neque ex scriptura , neque ex quinque testimoniis numero (qui in fideicommissis legitimus esse noscitur) possit res manifestari , sed vel pauciores , quam quinque , vel nemo penitus testis intervenerit ; tunc sive pater hæredis , sive aliis quicumque

sit, qui fidem hæredis elegit, & ab eo restituï aliquid voluerit; si hæres perfidiâ tentus adimplere fidem recusat, negando rem ita esse subsecutam, si fideicommissarius jurandum ei detulerit, cùm prius ipse de calumnia juraverit; necesse eum habere vel jurandum subire, quod nihil tale à testatore audiverit, vel recusantem ad fideicommissi vel universalis, vel specialis, solutionem coarctari, ne depereat ultima voluntas testatoris fidei hæredis commissa. Eadem observari censuimus, & si à legatario, vel fideicommissario aliquid similiter relictum sit. Quod si is, à quo relictum dicitur, [ postquam negaverit, ] confiteatur quidem aliquid à se relictum esse, sed ad legis subtilitatem recurrit, omnino solvere cogendus est.

SUPEREST, ut singularem prærogativam fideicommissis à Justiniano concessam vice amittat; quæ tanta est, ut licet fideicommissa nullo adhibito scripturæ testimoniis aut solemnitatis administriculo facta sint; possit tamen hæres compelli ut juret à se nullum fideicommissum relictum esse, aut ut illius fideicommissi quod petitut præstationem acimplete, *l. ult. C. de fideicommissis.* Idque indistinctè verum est, sive hæres ab initio fateatur, sive inficiatur voluntatem defuncti fidei suæ commissam. Neque obstant hæc verba nostri textus *postquam negaverit,* quæ multi suspicuntur ex margine cujusdam imperiti Glossatoris in contextum ipsum irrepsisse, & suppositiæ esse; eò quod ea neque agnoscit Cujacius in sua editione omnium castigatissima, neque Theophilus in sua paraphraſi græca; neque Justinianus ipse in *d. l. ult.* ex qua hic locus desumptus est; nec denique ullo alio juris textu defendi potest. Sed posset dici, hæc verba ad facti speciem referri. Nam Just. ait in *d. l. ult.* se quæſtionem ex facto emergentem reſecare, atque idèo in posteriori Codicis editione ea verba omisſisse, ut generalior esset constitutio; neve ad illam facti speciem adstringi videretur. Eadem quoque responsio afferri potest ad reliqua opposita; quia textuum correctio vitanda est.



## T I T U L U S X X I V.

### DE SINGULIS REBUS PER FIDEI- commisſum relictis.

*Ad Princ.*

**P**O TEST tamen quis etiam singulas res per fideicommissum relinquere; veluti fundum, argentum, hominem, vestem, [&] pecuniam numeratam: & vel ipsum hæredem rogare, ut ali-

cui restituat , vel legatarium , quamvis à legatario legari non possit.

**FIDEICOMMISSUM** singulare † est illud , quo res singulæ relinquuntur ; v. g. fundus , homo , vestis , pecunia numerata , & libertas : de quo genere fideicommissi tria sunt nobis discussienda , a quo relinquatur , quarum rerum fiat , & quibus verbis exprimatur . Non tantum ad hærede fideicommissum singulare relinquiri potest , sed etiam à legatario & à fideicommissario quocumque , quamvis legatum neque à legatario , neque ab alio , quam ab hærede relinquiri possit . Neque id sublatum est , per præfamat Justiniani acæquationem , sicut superiorè titulo ostensum est , quod & ipsum hoc loco vox possit , quæ est præsentis temporis , videtur satis innuere . Non tamen diffitor , quin legatum à legatario relictum , jure fideicommissi vires habeat , l. 2. C. comm. de leg. & fideicomm.

*Ad §. I.*

**P**O TEST autem non solum proprias res testator per fideicommissum relinquere , sed & hæredis , aut legatarii , aut fideicommissarii , aut cuiuscumque alterius . Itaque & legatarius & fideicommissarius non solum de ea re rogari potest , ut eam alicui restituat , quæ ei relicta sit ; sed etiam de alia , sive ipsius , sive aliena sit . Hoc solum observandum est , ne plus quisquam rogetur alicui restituere , quam ipse ex testamento ceperit : nam quod amplius est , inutiliter relinquitur . Cum autem aliena res per fideicommissum relinquitur , necesse est ei , qui rogatus est , aut ipsam redimere & præstare , aut æstimationem ejus solvere .

**P**ER fideicommissum res omnes relinquiri possunt , non solum propriæ testatoris , sed etiam hæredis & legatarii & fideicommissarii & cujuscumque alterius : sicut etiam de rebus legandis diximus ad §. non solum sup. de leg. ita ut eadem distinctio circa scientiam vel ignorantiam testatoris hoc loco debeat iterari . Nec solum potest rogari aliquis a testatore , ut eam rem restituat quam accipit , sed etiam aliam . Quod ita intelligendum est , ut retentâ re tibi relicta aliam restituere cogatur , non autem ut utramque simul restituat ; neque enim quisquam plus restituere cogitur , quam ex iudicio defuncti acceperit , l. 9. C. de fideicomm. & l. 1. §. si is qui , ff. ad S.C. Trebell. Neque obstat quod dictum est in §. præterea sup. tit. fideicomissa ab intestato relinquiri posse , ac proinde ab eo , qui nihil accepit ex iudicio defuncti . Namque eo casu videtur defunctus hæreditatem suam hæredibus sui legitimis reliquisse , quatenus voluit decedere intestatus ; & quatenus eam ipsis non ademit , cum posset , l. 3. in princ. & l. 8. §. 1. ff. de jur. codic.

Ad §. penult.

**L**IBERTAS quoque servo per fideicommissum dari potest, ut hæres eum rogetur manumittere, vel legatarius, vel fideicommissarius. Nec interest, utrum de suo proprio servo testator roget, an de eo qui ipsius hæredis, aut legatarii, vel etiam extranei sit. Itaque & alienus servus redimi & manumitti debet. Quòd si dominus eum non vendat, si modò nihil ex judicio ejus, qui reliquit libertatem, recepit; non statim extinguitur fideicommissaria libertas, sed differatur; quia possit tempore procedente, ubicumque occasio servi redimendi fuerit, præstari libertas. Qui autem ex fideicommissi causa manumittitur, non testatoris fit libertus, etiamsi testatoris servus sit, sed ejus qui manumittit. At is, qui directo ex testamento liber esse jubetur, ipsius testatoris libertus fit; qui etiam Orcinus appellatur. Nec aliis ullus directo ex testamento libertatem habere potest, quam qui utroque tempore testatoris fuerit, & quo faceret testamentum, & quo moreretur. Directa autem libertas tunc dari videatur, cùm non ab alio servum manumitti rogat, sed velut ex suo testamento libertatem ei competere vult.


**L**IBERTAS quoque servo per fideicommissum dati potest. Libertatis autem quæ testamento relinquitur † duo sunt genera, videlicet directa, & fideicommissaria. Libertas directa † est quæ verbis directis testamento relinquitur, hoc modo: *Stichus servus meus liber esto.* Fideicommissaria † est quæ verbis precariis relinquitur, his verbis aut similibus: *Rogo te hæres meus, ut Stichum manumittas.* Inter utramque libertatem tria sunt discrimina advertenda, quæ per sèpius dictam *l. 2. C. commun. de leg.* non sunt abrogata. Primum est, quod directa libertas competit ipso jure, statim ab adita hæreditate, & citra ullam hæredis manumissionem; fideicommissaria verò libertas servo non competit, nisi postquam hæres servum manumisit, aut hærede cessante vel absente, ei fuerit repræsentata ex Senatu consulo Dalumiano, *l. non tantum*, §. *Senatusconsulto, ff. de fideic. libert.* Præterea directa libertas non datur jure, nisi ei servo qui est in dominio testatoris utroque tempore, & cùm testatur & cùm moritur; fideicommissaria verò non tantum proprio, sed etiam alieno servo rectè relinquitur, sive testator sciverit, sive ignoraverit esse alienum, *l. Paulus respondit, ff. de fideic. libertatibus;* quamvis in ceteris aliarum terum legatis vel fideicommissis, hæc ignorantia voluntatem testatoris infirmet, §. *non solum, sup. de leg.* Ratio diversitatis est, quia non est similius causa libertatis & fideicommissi pecuniarii, *d. l. Paulus respondit.* Servus denique directè manumissus, ipsius testatoris libertus est, atque ideo Orcinus sive Charonianus appellatur, eo quòd patronum suum habeat in Orco & apud Charontem; is verò qui ex fideicommissi causâ manumittitur, est libertus ipsius hæredis, vel alterius qui cum manumisit; eique debet operas officiales præstare; sed tamen ab eo tamquam ingra-

tus accusari & revocari in servitutem non potest, *l. I. C. de libertis*; quia scilicet ab invito manumissus est: idèque nullum ab eo videtur beneficium accipisse. Id autem judicium ei soli præbetur, qui seruo gratuitam libertatem præstítit; non ei qui debitam restituit, *d. l. I.*

*Ad §. ult.*

**V**ERBA autem fideicommissorum hæc maximè in usu habentur, *peto, rogo, volo, mando, fidei tuae committo*. Quæ perinde singula firma sunt, atque si omnia in unum congesta essent.

**V**ERBA precaria in fideicommissis maximè usitata, sunt hæc: *Peto, rogo, volo, mando, fidei tuae committo*; quibus addi possunt sequentia, *deprecor, cupio, injungo, desidero*; imò verò *jubeo & impero*, non raro precaria sunt, *l. Lucius Titius 88. §. 2. ff. de leg. 2.* Sed verbum *commendo* fideicommissum non inducit, *l. II. §. 2. ff. de leg. 3. & l. 12. Cod. de fideic. libert.* Sciendum tamen est, fideicommissi, quæ ex sola voluntate testatoris vim accipiunt, ex aliis interdum verbis facile induci & effectum habere, v. g. *in l. unum ex familia 69. §. ult. ff. de leg. 2.* cùm testator ita cavisset, *Non dubito quodcumque uxor mea acceperit, eam liberis suis reddituram*: hæc verba pro fideicommisso accipiuntur, ex constitutione D. Marci, quæ summam habet utilitatem, id est æquitatem; ne scilicet honor bene transacti matrimonii, fides etiam communium liberorum decipiat patrem, qui melius de matre præsumperat.



## T I T U L U S X X V.

### D E C O D I C I L L I S.

*Ad Princ.*

**A**NTE Augusti tempora constat codicillorum jus in usu non fuisse; sed primus Lucius Lentulus, (ex cuius persona etiam fideicomissa [esse] coeperunt) codicillos introduxit. Nam cùm decederet in Africa, scripsit codicillos testamento confirmatos, quibus ab Augusto petiit per fideicommissum, ut faceret aliquid. Et cùm Divus Augustus voluntatem ejus implesset; deinceps reliqui ejus auctoritatem securi, fideicomissa præstabant; & filia Lentuli legata, quæ iure non debebat, solvit. Dicitur autem Augustus convocasse sapientes viros, interque eos Trebatium quoque, cuius tunc auctoritas maxima erat; & quæsisse, an posset recipi hoc, nec absconans à juris ratione codicillorum usus esset? & Trebatium suäsisse Augus-

to, quod diceret utilissimum & necessarium hoc civibus esse, propter magnas & longas peregrinationes, quæ apud veteres fuissent: ubi si quis testamentum facere non posset, tamen codicillos posset. Post quæ tempora, cum & Labeo codicillos fecisset, jam nemini dubium erat, quin codicilli jure optimo admitterentur.

CODICILLI dicti non sunt, sicut credidit Isidorus lib. 4. orig. cap. 24. à quodam Codicillo, qui primus (ut ipse divinat) hoc scripturæ genus instituit; sed quasi parvi & breves codices, & veluti parva quædam testamenta; quia Veteres in codicibus sua testamenta scribere solebant, §. pen. sup. de testamento ordin. Est autem codex † propriè loquendo, compages lignearum tabularum dictus quasi *candex*, quo nomine significatur truncus arboris detracto cortice. Unde & bonorum possessio contra tabulas dicitur bonorum possessio contra lignum, l. quod vulgo, ff. de bon. possess. cont. tab. Invaluit tamen ut codicis nomine testamenta & libri quilibet significantur, sed illi maximè in quibus Constitutiones Imperatoriaæ continentur. Codicilli verò significant interdum pugillares illos, in quibus diplomata sive litteræ Principum continentur, quibus hoftores & dignitates alicui deferunt, §. filius famil. sup. quib. mod. jus pat. pot. solvit. Hoc verò loco codicilli † sunt ultima voluntas minimè solemnis, nullam continens hæredis institutionem directam. De quibus codicillis tria breviter disquirenda sunt, videlicet origo, divisio, & discrimina quæ sunt inter ipsos & testamenta.

Quod ad originem attinet, Lucius Lentulus & fideicomissa & codicillos primus introduxit. Cum enim in Italia testamentum fecisset, in quo Imp. Augustum & filiam suam hæredes scriperat, codicillos postea faciendo eodem testamento confirmavit, hac aut simili formula; *si quos postea codicillos fecero, valere volo*: deinde in Africam profectus, condidit ibi codicillos, in quibus filiam suam & Augustum hæredes instituit, & a filia sua quædam legata reliquit, & ab Augusto fideicomissa; rogans eum ut faceret aliquid. Eo mortuo, & codicillis Romanis perlatis, filia Lentuli legata solvit, quæ jure non debebat, nondum scilicet inducto & moribus confirmato usu codicillorum. Augustus quoque voluntatem ejus implevit. Quo exemplo commoti cœteri, aliis deinde codicillis regati fideicomissa præstiterunt: amant quippe subdit exempla suorum Principum imitari.

Cum autem in rebus novis constituendis evidens esse utilitas debeat, l. 2. ff. de const. Princ. ex qua utilitate jus civile metimur, l. 7. & l. pen. ff. de just. & jur. ideo Imp. Augustus convocavit Jurisconsultos, & quælivit an codicillorum usus esset admittendus. Suaserunt id omnes Jurisconsulti, & maximè Trebatius, hac utens ratione; quod hoc jus esset utilissimum & maximè necessarium Civibus Romanis, qui in remotis regionibus særissime peregrinabantur, ubi plerumque testari non poterant; eo quod ibi non haberent copiam Jurisperiti, & sufficientem numerum idoneorum testimoni: ideoque etiam erat ut posse saltem codicillos facere. Post quæ tempora cum Labeo JC. codicillos fecisset, nemini dubium fuit, quin codicilli jure optimo admitterentur; nimis quia consuetudo legem imitatur, §. ex non scripto, sup. de jure natur. Hæc autem consuetudo ex interpretatione Prudentium habet originem, l. 2. §. his legibus

*legibus latiſ, ff. de or. juris; & per geminatos ādus inducitur, ex vulgari Interpretum sententia.*

Cæterū tria videntur hoc loco apud Theophilum cavenda. Prīm quidem, non est plena, quam aſert, definitio codicillorū, ut sint eorum, quæ in testamento testatoris voluntati defūnt supplementum. Conſta enim ex §. ſequ. codicillos non tantum a testato, ſed etiam ab intestato fieri poſſe. Præterea ut explicet, quæ fuerint ea legata, quæ filia Lentuli jure non debebat, fruſtra ad divinationem recurrit, quod hæc legata illis relictā fuſſent, qui capere ex teſtamento non poterant. Nam maniſtum eſt jure communi, eo tempore codicillos & legata in codicillis relictā nullam habuisse iuris auctoritatem. Filia tamen Lentuli legata illa quæ jure non debebat ſolvit; quia bonis hæredibus voluntatem defuncti intellexiſſe, pro jure eſt. Neque enim minus apud illos honestas, quam apud alios neceſſitas valet, ut ait eleganter Plin. lib. 4. Ep. 10. His denique addere poſſumus, reſiendam eſſe alteram ipſius divinationem, quæ ceteros qui Auguſtum ſecuti ſunt, ſupponit fuſſe eius cohaſedes: cum neceſſe non ſit hunc locum ita reſtringere; & longe plenior & commodior ſenſus ſit, ad enarrandam conſuetudinis inductionem juxta mentem Iuſtin. ſi ad ceteros in diſtincte aliis aliorum codicillis rogoſos, hæc verba referantur.

Ad §. 1.

**N**ON tantum aut teſtamento factō poſteſt quis codicillos face-re, ſed [&] in teſtato quiſ decedens fideicommittere codicilli poſteſt. Sed cum ante teſtamento factū codicilli facti erant, Papinianus ait, non aliter vires habere, quam ſi ſpeciali poſtea voluntate conſirmentur. Sed Divi Severus & Antoninus reſcripferunt, ex iis codicillis, qui teſtamento præcedunt, poſſe fideicommissum peti; ſi appareat eum, qui teſtamento fecit, a voluntate, quam in codicillis expreſſerat, non reſeffiſſe.

**CODICILLI** vel ſiunt cum teſtamento, vel ab in teſtato. Cum teſtamento tribus modis fieri poſſunt: videlicet ante teſtamento, poſt teſtamento, vel in ipſo teſtamento. Quæ civiſio coincidiſt cum diuiniō Pauli quatripartita; l. 8. in pr. b. t. ubi ait, codicillos confici quatuor modis; aut enim in futurum conſirmantur, aut in præteritum, aut per fideicommissum teſtamento factō, aut ſine teſtamento.

Ante teſtamento facti codicilli, ſi conſirmati teſtamento non eſſent, olim pro non scriptis haſebantur, teste Plin. lib. 2. Ep. 16. ubi profitetur hoc ius ſibi ignotum non eſſe; cum ſit iis etiam notum qui nihil aliud ſciunt. Verum hodie hujusmodi codicilli poſteriorē teſtamento conſirmati intelliguntur, niſi de contraria voluntate teſtatoris appaueerit, idēque ex reſcripto Divorum Severi & Antonini, fideicommissa ex hiſ peti poſſunt. Fideicommissa / in qua m/ non legata; quia legata ante hæredis institutionem relictā, nondum vires haſebant, §. ante hæredis ſup. de leg.

Post teſtamento quoque facti codicilli validi ſunt, quamvis ſpecialiter pri-ri illo teſtamento conſirmati non fuerint; quia partes eius eſſe cenſentur, l. pen. ff. teſtam. quemadmo. aper. ideoque illo teſtamento deſtituto deſicient codicilli; & quia teſtamento factō, etiamſi codicilli in eo conſirmati non ſint, vires ta-m en ex eo capiunt, l. 3. §. ult. ff. b. t.

N n

In testamento denique fiunt codicilli, cùm in illo apponitur clausula codicillaris hac plerumque formula: *Si hec mea voluntas valere non possit jure testamenti, volo ut valeat jure codicillorum;* & solet addi ad majorem cautelam sequens clausula, *Vel omni meliore modo quo jure valere potest.* Quibus ultimis verbis intelligitur facta donatio causá mortis, ac proinde testamentum à filiofamilias ita factum patre consentiente, effectum habebit, l. 25. ff. de mort. cau. donat. non quidem jure codicillorum; quia is demam codicillos facere potest, qui potest facere testamentum, l. 6. §. pen. ff. b. t. sed jure donationis causá mortis.

Ab intestato recte fieri codicilos non ambigitur, l. 16. ff. b. t. ita ut vicem testamenti exhibeant; & quicumque successor extiterit, relicta præstare tenetur, d. l. 16.

*Ad §. pen.*

**C**ODICILLIS autem hæreditas neque dari, neque adimi potest; ne confundantur jus testamentorum & codicillorum, & idèò nec exhæredatio scribi. Directò autem hæreditas codicillis neque dari, neque adimi potest: nam per fideicommissum hæreditas codicillis jure relinquitur. Nec conditionem hæredi instituto codicillis adjicere, neque substituere directò [quis] potest.

**SUPEREST** ut quatuor codicillorum & testamenti disparitates recenseamus. Prima est, quod hæreditas directò in codicillis reliqui non possit, sed per fideicommissum dumtaxat; ne aliqui jura testamentorum & codicillorum confundantur. Neque enim quisquam vellet testamentum facere, quod magnam solemnitatem desiderat, si idem posset præstare per codicilos, qui nullis omnino indigent solemnibus; atque ita everteretur tota observatio testamentorum, multis vigiliis excogitata atque inventa, ut dicitur in l. si quando, C. de inoff. testam.

Ex his sequitur secunda disparitas, videlicet quod licet in testamento possit fieri exhæredatio, non tamen hæreditas possit adimi in codicillis; quia unum quodque eodem genere vinculorum dissolvi debet, quo potest constitui, l. 35. ff. de reg. jur. ac proinde hæredibus in testamento pure institutis, non potest conditio adjici in codicillis; quia alioquin deficiente conditione adimeretur hæreditas institutis, l. 27. §. ult. ff. de cond. instit.

*Ad §. ult.*

**C**ODICILLOS etiam plures quis facere potest; & nullam solemnitatem ordinationis desiderant.

**TERTIUM** discriminus est, quod plura testamenta valida nemo potest relinquare, §. posteriore sup. quib. mod. testamenta infirm. sed plures ab eodem relictos codicilos valere, nihil vetat; quia testamenta dispositionem defuncti plenam de universa successione continent, non autem codicilli.

Quartum denique discriminus proponit Imp. quod testamenta plurimas in sui ordinatione solemnitates desiderant, codicilli vero nullas. Quamvis enim quinque testium in ipsis numerus exigatur, l. ult. C. b. t. hoc tamen non pertinet ad substantiam actis, sed ad probationem tantum. Quo etiam modo duo testes requiriuntur in testamentis militum, §. planè sup. de militari testamento.

## APPENDIX.

## ANTIQUUM L. CUSPIDII TESTAMENTUM.

**D**E I Optimi Maximi numine invocato, absque cuius nutu, neque quidquam inchoari, neque recte perfici potest: Hac est L. Cuspidii dispositio & ultimæ voluntatis sententia de eo, quod post mortem suam fieri cupit, decernitque: Si quid ex hoc morbo, quem nescit an ferre possit, secus ac Medici promittunt, de se contigerit. Testatus autem dum mente valeret sibi testamentum confidere placuisse; ut sine suorum injuria ex hac vita profiscatur. Hac legat.

Domesticam omnem supellecilem Nonio, qui Appolloniae Rhetoriam docet; vel si quid de eo accidisset, Nonii filiis P. & CN. Caciis. Porro quæ mihi debet Qu. Emilius, germano Emilio, liberisque ejus relinqu. Agros villasque, quascumque Lisi habeo, domumque consobrinis & Lucio præcipue, quod is nomen meum ferat, mecumque diutissime ac gratissime sit commoratus, prout decet discipulum, qui filii tenet locum, tuto hec & firmiter possidenda censemus. Fundum in Tusculano colui, cui ab Aquitane publicâ viâ, ab Auro tempulum Jovis Statoris, ab ortu solis Sext. Pomp. ab occasu Suillius Cincinnatus, Attico avunculo do. Dabit autem Hiparchus Philoratio Historico talentum; & Callino Grammatico drachmas decem; a reliqua debitione liber esto. Nisi Nicea rationem haboremus, qui nobis aliquando fuit perutilis, & nunc in suis facultatibus magnam fecit jacturam, ob fratris naufragium; profecto quæ à nobis mutuatus est, illius procurator statim cogeretur reddere. Quoniam vero hoc illi difficile fore animadverti, volo ut singulis annis victum necessarium, collactaneæ Dorphilæ suppeditet, quæ consenuit in virginitate, apud Semproniam meam: cuius desiderio mortem opto, propter fidem, probitatem, foris iudicem incredibilisque virtutes uxoris carissimæ. Ubi vetula hac deceperit, absolutus erit debito omni, & cunctis quas contraxerat stipulationibus. Si quid humanum Lampridio contigerit, priu quam ejus liberi ad etatem perveniant, cura sint Anticchio Rhetori, qui accipiatis ex opibus nostris, quacumque illis erunt necessaria, ut liberaliter educentur, insituanturque. Amo nimis & valde amo puerorum indolem, quos ad bonam frugem natas autuno. Tu Antioche, ut dignum est, tuâ erga me &

Lampridios voluntate , à pueris mutuò suscepta ; fac ut eos tueare , ne aut ipsorum ingenia perdantur , aut tui labores disperdantur . Hortum quem emi ab Herennio & deambulationem , domosque Nestorianas , quibus à Septentrione vicini sunt Cæsariani fratres , Gracchi à meridie , ab Occidentali plaga mare , ab oriente sole Eridanus est conterminus , amicis lego , litteratas litteras doctis , Gallo , Fabio , Hirro , civibus que cunctis , qui voluerint ibi vacare litteris & eloquentia : eā tamen lege , ut neque illum commutent neque alienent , neque ut proprium cuiquam sit licitum possidere ; sed velut sacrum & commune gymnasium , communiter ab omnibus possideatur . Eas autem quæ mihi erant in Egina partes , dividant gymnasii procuratores adolescentibus studiosis , in usum librorum & olei ; mercedemque condignam statuant Rhetori , quem delegerint patruelles nostri & scholæ Principem , maximeque utilem futurum existimaverint . Eis verò consentiant & reliqui necessarii , vel nominis gratiâ . Cavebunt autem ipsi , mandabuntque successoribus , ut locum hunc ita servent tradantque posteris in perpetuum . C. Atteius & Sext . Capito curam habeant sepulture & funeris ; monumentumque faciant , ut melius videbitur : & justa quæ post funus fieri solemne est , ita moderentur , ut neque illiberalia , neque superflua sint . Persuasum enim mihi est , quid conveniat honestumque sit , visuros haud segnius quam nos , neque negligentiū facturos . De his autem qui mihi servierint sic statuo : Deme-  
trio redemptionis pretium remitto ; & quinque minas do , & pallium & tunicam , ut qui mihi Araywens fuit . Tauro qui multum mecum & diu laboravit , pileum do , & talenta quatuor , ut honestè vitam degere possit . Dionysius qui vincitus est , & Syrus fugitivus , si perseveraverint esse improbi ut sunt , eos venundari mando : & pretio exacto aperi-  
riri viam ad portos Academicos ducentem , & iter proximum fieri viam , & viam publicam & vicinales vias , circumquaque mundari . Et ancillam Hermiam quod vinosa est , relinquo ; & famulos Mesum , quia erro est ; & Getam , quoniam impostor . Davum quoque ac Maurum mancipia in perpetuum esse edico , quoniam maledici & contumaces semper fuerunt , ut in pristino pænas promeritas luant . Hæredem instituere reliquum est , cui foriunas meas honeste relinquam , quibus certo scio inihiare quam plurimos . Vixisses LATE fili mihi , vixisses ( ut decuit ) Late . Non ego nunc sollicitarer & angerer ; non cum maiore nunc cogitarem , quibus potissimum relinquam patrimonium hoc tantum , tantis curis , & cruciatis tibi uni auctum ; tantâ vigilantiâ , studio & parsimoniam , tibi unâ à me servatum . Ceterum cum sive fortuna ( si qua est ) illum mihi

inviderit; sive Deus potius, qui & eum dederat, abstulerit; quod dominus mea omnis, resque una mecum intereat; nefas est divinae non acquiescere voluntati. His deductis legatis, cum duos fratris Agathonis filios, totidemque filias habeam, ex utrisque mihi heredes instituam oportet. In quo tamen (me me tristissimum) etiam atque etiam providendum mihi est, ne quid agam statuamve, quod minus honestum illis & conveniens; quodque minus equum laudabileve aliis factum videatur. Igitur Titius & Cneius Cuspidii, ita mihi heredes sunt; ut qui plus Reipublice praestiterit, habeat domos, agros, hortos, oliveta, & quemque Scodra possedi: qui minus profuerit, quae superiore anno Colchini centum octoginta supra mille jugera comparavimus, consequatur. In reliquis autem meis bonis omnibus, inque familia Faustam & Felicianam filias meas ita heredes instituo, ut quae melius nupserit ex dodrante, altera ex quadrante heres habeatur; & invicem substituo, tam has, quam illos cum suis filiis in stirpes, non in capita. Permitto autem filiabus, ut quem quaque earum voluerit, sibi virum optet, optatique per patriam potestatem compos fiat. Curatores testamenti hujus Silius necessarius, C. Attilius, M. Capitolinus, qui maxime omnium miro me affectu prosecuti sunt; qui ex omnibus amicis ac necessariis fidelissimi semper fuerunt. Vos igitur per sacra amicitiae atque condiscipulatus jura obtestor, per summum omnium opificem obsecro, curate, memores quantum vestrae fidei committam, ut omnia, mea ex sententia apud vos deposita, bene honesteque gubernentur. Verum enim verò pie amicèque & alii facient, qui nobis bene voluerunt, quamvis occupati & seniores; si hac adimpleverint, curaverintque. Testes in his tabulis sint Qu. Martius, C. Septimius, P. Curio, L. Ancapito, M. Terentius, Jul. Pansa, Caius Sextius; qui assuerunt subscripseruntque, ut suā ipsorum litterā cognosci possint. Ego idem ille L. Cuspidius testamentum manu meā exaravi, meoque annulo obsignavi, hisque testibus signandum obtuli. Et hanc meam novissimam voluntatem valere volo jure testamenti. Quod si forte non censemur, nomen & jus habere mando cuiusque alterius ultime voluntatis, quam penitus & in violabiliter observari ab omnibus heredibus & successoribus meis statuo. Valete superstites, mortalitatis non immemores.

Romæ Kal. Martii CN. CORNELIO & L. MARTIO COSS.

A D N O T A T I O N E S  
ad L. Cuspidii Testamentum.

**H**UJUS testamenti, paucissimis cogniti, citantur verba quædam à Summo Antecellore, (qui omnium maximè manuscriptis optimis manutinuit fuit;) ad l. si quis Titio 17. in pr. ff. de leg. 2. quod ex ruina & ruderibus venerandæ Antiquitatis bono publico servatum juris publici faciendum credidi, adjunctis brevibus notis; opus, ut arbitror, novis Justinianis non inutile, aut saltem non injucundum futurum.

Scribitur Latinè; quia à Cive Romano: debet enim quilibet testari juxta ritum suæ civitatis. Ideoque Ulp. ait, dedititium testari non posse; quoniam quasi Civis Romanus testari non potest, cum sit peregrinus, nec quasi peregrinus, cum non sit ullius certæ civitatis: ut adversus, id est secundum leges civitatis suæ testetur, tit. 20. §. *Latinus*. In Gallia verò nostra, decreta omnia & testamenta, & omnia omnino instrumenta contractuum Gallico idiomate fieri debent, ex constitutione Francisci 1. Illusterrimi Principis, anno salutis 1539. art. 111. quamvis antea Latinè fieri solerent, juxta l. decreta, ff. de re judic.

*Dei Opt. Max.*] Licet sapientes Ethnici plures Deos numerarent & colebant cum Populo, unicum tamen revera credebant & invocabant, ut appareat ex libris M. Tullii de nat. Deor. & ridebant interdum stolidam vulgi superstitionem. Atque ita Juven. Sat. 15. omnes Deos Ægypti irridet, & Martem egregiè traducit Sat. 14. his verbis:

*Ex quo Mars ultor galeam quoque perdidit, & res non posse  
Non potuit servare suas?*

*Et ultima voluntatis sententia.*] Hæc verba videntur suisse solemnia in testamentis veterum, & dedisse locum definitioni testamenti, quam trādidit Modestinus, l. 1. ff. qui test. fac. poss.

*Secus ac Medici promisitunt.*] Quia sæpissime quidam sunt inter eos agyrtae & præstigiatores, qui ut plures ab ægrotis suis pecunias extorqueant, salutem illis quasi certissimam pollicentur: inter optimos quoque ac synceros, quidam imminens periculum dissimulant; ne ægrotantes animum despondeant; & ab usu remediorum necessario deterreantur.

*Si quid humanum cont.*] His vocibus Antiqui mortem designare soliti sunt; quam nominare vel cogitare, mali ominis esse credebant. Atque ita intra duobus in locis mors exprimitur, & in §. 1. sup. de donat. quia nihil magis humanum, id est hominum magis proprium est, quam mori. Unde Persius Sat. 5.

*Vive memor leti; fugit hora; hoc quod loquor inde est.*

*Domeſt. ſupellecilem.*] Supellex est domesticum patrisfamilia instrumentum, quod neque argento, aurove factò, neque vesti adnumeretur, l. 1. ff.

*de supell. leg.* Idque adeò verum est, ut licet testator escarium argentum, aut penulas & togas supellestili adscribere solitus sit, non tamen idcirco supellestili legatā, ea continentur. Neque enim ex opinione singulorum, sed ex communi usu nomina exaudiri debent, l. 7. §. ult. ff. eod. Ubi contra Tuberonis sententiam, qui in verbis manifestis præfererebat mentem testatoris propriæ significationi verborum, prævaluit contraria sententia Servii Sulpitii saceri ejus: non videri scilicet quicquam aliquid cixisse, qui non suo nomine usus sit. Qui enim aliud dicit quām vult, neque id aicit quod vox significat; quia non vult, neque id quod vult; quia id non loquitur, l. 3. ff. de reb. dub. Idem est, si testator dum vult lancem relinquere, vestem leget, l. 9. §. 1. ff. de hered. inst. Sic denique, si quis alium volens scribere, alium scripsit, in corpore hominis errans; placuit neque eum heredem esse, qui scriptus est, quoniam voluntate deficitur; neque eum quem voluit, quoniam scriptus non est, d. l. 9. in pr. Quoties igitur in verbis nulla est ambiguitas, non admittitur voluntatis quæstio, neque ullus est contraria interpretationi locus, l. 25. §. 1. ff. de leg. 3. Supellex inde nomen accepit; quod sub pellibus usui sit, d. l. 7. in pr. id est in tabernaculis. Tabernacula (inquit Festus in voce *contubernales*,) dicta ex tabulis, licet ex tentoriis & ex pellibus fiant. Supellestilis itaque nomine continentur mensæ, lecti, subsellia, & his similia, l. 2. ff. eod.

*Qui Rhetoricam docet*] Rhetorica apud Romanos ab initio, & Censorio edito, & Senatusconsulto prohibita est, *Suet. in lib. de clar. Rhet.* sed pauculum utilis honestaque apparuit; multique eam clarissimi viri, etiam Principes præsidii causâ & glorie appetiverunt. Nil mirum itaque, quod clari Rethores, & legum immunitatibus & publicis stipendiis, & privatorum saepe largitatibus fuerint honorati.

*Æmilio, liberisque ejus*] Si Æmilius ille sine liberis deceperisset, hoc legatum liberationis fuisset inutile; quia eorum personæ cohæret, l. 8. §. tale, ff. de lib. leg. *V. scripta ad §. si quis debitori sup. de leg.*

*Quod is nomen meum ferat.*] Maxima est plerumque dilectio apud senes eorum juvenum, qui eodem cum ipsis utuntur nomine; vel quia similitudo affectum allicit, vel quia sperant in eorum persona se aliquatenus fore post fata superstites.

*Discipuli qui filii tenet locum*] quia sicut parentes sunt patres corporum, ita & Praeceptores sunt patres mentium, ut aiebat olim Theodos. Imp. Eleganter quoque Juven. *Sat. 7.*

*Dī majorum umbris tenucm & sine pondere terram;*  
*Spirantesque crocos & in urna perpetuum Ver;*  
*Qui Praeceptorem Sancti voluere parentis*  
*Esse loco.*

*Dabit Hiparchus, &c.*] Ab herede solo legatum relinquere potest, ut docet definitio legati: non potest igitur relinquere debitore, sed fideicommissum dumtaxat, l. 77. §. *Mavio, ff. de leg. 2.* Verum cum hoc Cispicii testamentum factum sit longo tempore ante Augusti tempora; ac proinde antequam fideicomissa vires haberent, *in pr. sup. de fideic. hered. dicendum est* cum legasse

liberationem Hiparcho, sub ea conditione, si Philotanio Historico talentum; & Callino Grammatico drachmas decem dederit; qui duo neque legatum, neque fidéicommissum acquirunt in hac specie, sed mortis tantum causâ capiant: ita ut nullam eo nomine adversus hæredes actionem sint habituri; quia legatarii non sunt, l. 8. ff. *si quis om. caus. test.*

*Collacarea.* ] Id est nutritis filiæ, & quæ eadem nobiscum saxis ubera. Hæc ferè est soror; nam matrix mater dicitur. *Plant. in Menachmis in prologo.*

*Ad etatem.* ] Intelligenda est perfecta & legitima ætas 25. annorum; sæpe enim accidit, ut nomen generis pro ea specie accipiatur, quæ intra illud genus perfectior est, *q. sed jus sup. de jur. nat.*

*Ut liberaliter educentur, instituanturque.* ] Pretiosum hoc & inæstimabile legatum educationis; quia sapientia nullo pretio nummario æstimanda est, l. 1. §. *proinde, ff. de var. & extr. cogn.* Cæterum educatio ad mores, institutio ad disciplinas pertinet. Quo etiam modo pædagogum ab educatore distinximus, *ad §. just. & sup. qui & ex quib. cau. manum. non poss.*

*Hortum quem emi, &c.* ] Legat Cuspidius prædia quædam ad usum gymnasii perpetuum; quia affectarunt semper & etiamnum affectant homines, ut post mortem ipsorum nominis perpetuò celebretur memoria, neque cum corpore intereat, l. 16. & 17. *de usu & usufr. leg.* Nulli igitur fructus debentur hujusmodi legatariis, sed solus usus prædiorum: ita ut nequeant illis esse impedimento, per quos opera rustica fiunt, §. 1. *sup. de usu & hab.* sed debent hæredes locum illum ita reficere, & farta recta præstare sumptibus suis; ut semper idoneus sit ad illum usum, cui à testatore addictus est, l. *patronus 35. §. ult. ff. de leg. 3.*

*Vel nominis gratiâ.* ] Id est saltem nominis gratiâ; quia cùm essent patruæles, erant haud dubiè agnati, ac proinde ex gente Cuspidia.

*C. Atteius & Sext. Capito.* ] In apographo Cujacii legitur C. Capito & Sex. Ålius, ut ipse testatur ad l. 17. in pr. ff. de leg. 2.

*Curam habeant sepultura.* ] Hi vocantur Curatores funeris, qui si id funus non fecerint, nullam poenam sustinent, l. 12. §. *funus, ff. de relig. & sumpt. fun.* nisi fortè pro hoc, aliquod eis emolumentum relictum sit. Tunc enim si non paruerint voluntati defuncti, ab eo repelluntur, d. §. *funus.* Sic etiam ille quem testator liberis suis tutorem dedit testamento, legatum totum amittit, si à tutela se excusaverit, l. 28. ff. de test. tut. & l. 28. §. 1. ff. de excus. idemque iuris est, si à parte bonorum administranda excusatus sit, l. etiam, ff. de leg. 1. quia parentes solent amicissimos & fidelissimos tutores eligere liberis suis; & ideo ad suscipiendum onus tutelæ, etiam honore legati eos prosequi, l. *amicissimos in pr. ff. de excus.* Atque ideo non sunt ferendi illi, qui lucrum quidem amplectuntur; sed onus adnexum contemnunt, l. 1. §. *pro secundo, C. de cac. toll.* Maximè vero laudabiles sunt duo illi veteres amici apud Lucianum, quibus cùm amicus pauperissimus filias duas suas legasset in matrimonium collocandas, legatum agnoverunt; sibi hoc honori & lucro non oneri esse crediderunt, & suo munere perfuncti sunt.

*Ita moderentur.* ] Sumptus funeris pro facultatibus & dignitate defuncti fieri debent, d. l. 12. §. *pen.* Sin autem immodicè aliquid impensum est, id non repetitur, l. 14. §. *hæc actio, ff. eod.* Idque adeò verum est, ut voluntas testatoris sequenda non sit, si res egrediatur justam sumptus rationem, d. § *hæc actio,*

*attio; l. servo 113. §. ult. ff. de leg. 1. l. 27. ff. de cond. inst. & l. ult. ff. de aur. & arg. leg. fortè si quis voluerit sēcum pecunias sepeliri aut gemmas, aut vestes, & alia supervacua in funus impendi; quod homines simpliciores faciunt.*

*De his autem.] Nunc domesticis suis debitam mercedem exsolvit, & justitiam in eos distributivam exercet.*

*Demetrio redemptionis pretium.] Tenebatur Demetrius ille testatori jure pignoris naturalis, l. 2. C. postlim. revers. & l. 15. ff. eod. ita ut donec pretium, quod Cuspidius pro eo ab hostibus recimendo præstiterat, persolvisset, posset ab eo & ejus hæredibus retineri. Quocircum licet liber homo non sit in hominum commercio, legari tamen potest sibi ipsi, l. Senatus 43. §. ult. ff. de leg. 1. ita ut proficiat legatum ad liberationem illius vinculi. Quo casu singulati insuper accidit, ut inter legatarium & rem legatam, nullum discriben esse videatur.*

*Arayvans.] Eo nomine designatur Lector ἀπὸ τῆς αραγιώσεων; id est à legendō sic dictus: quia ejus consilio, ope & ministerio Cuspidius usus fuerat in suis studiis & lucubrationibus. Anagnostas suos solent habere viri inter Magistrates eruditī, ut ciuiūs, & tutiūs, & minori labore studia peragant. Atque ita videmus hodie in claustro Ecclesiæ Metropolitanæ hujus Urbis monumentum Guillelmi Philandri Castillionei, quod ei Eminentissimus Cardinalis Armeniacus ponī jussit, tamquam fidelissimo suo Anagnostæ, anno Domini 1565. ut docet inscriptio.*

*Pileum do, &c.] id est libertatem, cuius insigne erat pileum, quo refertur illud Persii Sat. 5.*

*Hac mera libertas; hanc nobis pilea donant.*

Recte autem & ex juris principiis, prius dat libertatem testamento, & dein de legat ei talentum; quia olim servis propriis legari non potuit sine libertate, l. 76. in fine, ff. de her. inst. Hodie verò potest, l. pen. §. illo, C. de necess. serv. hæred inst. ubi præcipit Just. ne tam impii hæredes existant; ut liberalitatem testatoris & serviles labores debitā remuneratione defraudare conentur; & non derelictum, licet adhuc servis derelictis, donent.

*Dyonisius qui vincitus est.] Vilissima fuit olim inter servos conditio competitorum; quia pessimi omnium erant, & fugæ suspecti, aut nequitia convicti, de quibus exactius agetur ad §. pœna infra de injur.*

*Syrus fugitivus.] Magnum erat olim in servis vitium fuga; cuius vitii consmes erat plerumque furtum. Unde Martialis:*

*A pedibus didicere manus peccare proterve.*

*Nec miror furem qui fugitivus erat.*

*Venundari mando.] Hoc verbum non convenit legatis, sed fideicommissis tantum, §. ult. sup. de sing. reb. per fid. rel. Cùm itaque tempore hujus testamenti conditi, robur nullum haberent fideicomissa, §. 1. sup. de fid. hered. manifestum est ex hac Cuspidii voluntate nullam induci juris necessitatem. Quædam enim in testamentis sèpe scribuntur, quæ ad auctoritatem dumtaxat scribentis referuntur, nec obligationem patiunt, l. Quintus Mutius, in pr. ff. de ann. leg.*

*Viam publicam & vicinales.] Quomodo hæc distinguuntur ad §. item si insr. ad L. Aquil. indicabitur.*

*Quod vinosa est.*] Maximum erat dedecus mulieribus apud Romanos, si vinum bibissent, institutumque idèò, ut cognatis osculum ferrent, deprehendendi causâ, ut odor indicium faceret si bibissent: adeò ut ex L. 12. tab. non minus permisum esset marito uxorem occidere, quæ temetum, id est vinum bibisset, quam si adulterium commisisset, A. Gell. lib. 10. cap. 23. unde narrat Val. Maximus lib. 6. cap. 3. Egnatium Metellum (quem Plinius vocat Mecennium, lib. 14. cap. 13.) uxorem suam ob eam tantum causam fustim intermisit; idque factum & accusatore & reprehensore caruisse. Quem locum ita concludit: Et sanè quæcumque fœmina vini usum immoderatè appetit, omnibus & virtutibus januam claudit, & delictis aperit. Et rursùm lib. 2. cap. 1. Proximus à Libero patre intemperantiae gradus ad inconcessam Venerem esse consuevit. Hermiam itaque ancillam vino deditam, tamquam indignam justâ libertate (quæ erat Romæ unica tunc temporis) ancillam relinquit, & ne facta Civis Romana ceteris mulieribus Romanis pessimo esset exemplo; atque ita memoriae suæ inferretur injuria.

*Et famulos Mesum & Getam, &c.*] Justissima fuit causa non manumittendi hos servos duos. Parùm enim fidi sunt errores & impostores. Erro fugitivo similis est; sed tamen ab eo differt, quatenus erro est pusillus fugitus; fugitus verò est magnus erro, ut aiebat Labeo l. quid sit 13. §. erronem, ff. de adil. edit. Sed ex Ulp. clarius ita definitur: Erro est qui non quidem fugit, sed frequenter sine causa vagatur, & temporibus in res nugatorias consumptis, se-rius domum reddit ad §. erronem. Impostores verò qui domino suo sape impo- nunt, non possunt ei non esse invisi; quippe quibus (etiam vera dicentibus) fidem adhibere non potest.

*Davum quoque ac Maurum.*] Præcipit testator ne umquam ad libertatem perveniant. Hæc autem prohibitio personæ servorum cohæret, non hæredum: adeò ut si alienentur, cum suâ causâ transiant in potestatem emptoris, vel cu-jusque alterius possessoris, neque ab ullo umquam manumitti possint; quia hæ conditions cohærent mancipiis, arg. l. 5. C. si mancip. ita fuerit alien. ut ma-num. vel contra. Nec duodium est, quin possit dominus testamento cavere, ut ser-vus unus moretur in perpetuis vinculis; alter verò veneat exportandus, l. 5. C. fam. ercise.

*Ut in pistriño, &c.*] Triticum olim solâ vi brachiorum & corporis tunde-batur in pistrinis, quibus servi addicebantur à dominis suis; interdum etiam la-pidicinis in quibus certum lapidum numerum effodere jubebantur, ut constat ex Plauto in Captiis act. 3. scénâ ult. ubi Hegio senex sic loquens inducitur:

*Ibi cum octonos alii lapides effoderint,  
Nisi quotidanos sesquiopus confeceris,  
Sexcentoplagio nomen indetur tibi.*

*Hæredem instituere reliquum est.*] Obstat videtur quod dicitur in §. ante hæ-redis, sup. de leg. & in §. ante hæredis apud Ulp. eod. tit. iure antiquo legata ante hæredis institutionem non valuisse. Verum varii Antiquitatis gradus & variæ ejus aetas ac sectæ distinguenda sunt: nam Justinianus distinguit pristi-num familij emptorem à vetustissimo, §. sed neque, sup. de test. ordin. Et rur-sùs in d. §. ante hæredis, scrupulosam illam ordinis scripturæ inspectionem ip-

Antiquitati displicuisse afferit. Fuit enim haud dubie hac in re, sicut & in aliis multis juris partibus, mutatio, intra tam vasta antiqui temporis spatia, videlicet nongentorum annorum aut circiter; quia cum officium sit Jurisperiti, iura semper in melius producere, l. 2. §. post originem, ff. de or. jur. cumque paulatim id fiat, multa necessario ex interpretatione Prudentum iura inducta sunt, post legem 12. tab. quorum progressum nescire possumus; atque ideo Justinianus ius vetus desuetudine inumbratum pristino splendori saepe restituit, §. in quibus sup. in proem. Inst. §. ult. sup. de libert. & §. ceterum inf. de leg. agn. success. cuius restitutionis exemplum unum statui debet in d. §. ante hæredis; cum ea de re nihil cautum esset, l. 12. tab.

*Vixisses Late, fili mi, vixisses ut decuit.]* Rectè ut decuit; quia hic est ordo naturæ ut parentibus filii superstites sint. Unde Penelope Ulyssi marito sic scribit de communi filio Telemacho, apud Ovid. in Heroid. epist.

*Di precor hoc faciant, ut euntibus ordine facias,  
Ille meos oculos claudat, & ille tuos.*

Si secùs acciderit, ordo mortalitatis turbari dicitur, l. 35. ff. de inoff. test. & in Epitaphio Papiniani: ideoque tristis & luctuosa appellatur illa, quæ defertur parentibus, successio liberorum, §. postea, inf. de SC. Tert. Quem dolorem suum testamento suo parentes inserebant, l. ult. ff. de her. inf. (Quando hæredes, quos volui habere, continere non potui.) Nec hoc mirum esse debet in affectu paterno, quo nullus est major: ex quo etiam idolatriæ exordium fuit. Nam acerbo luctu dolens quidam pater, citò sibi rapti filii fecit imaginem, & illum qui tunc quasi homo mortuus fuerat, tamquam Deum colere coepit, & constituit inter servos suos sacra & sacrificia, Sapient. cap. 14.

*In reliquis autem meis bonis omnibus.]* Filias suas ex partibus hæreditariis, ex dodrante videlicet & quadrante, hæredes scribit; fratribus vero filios ex rebus certis, qui pro legatariis hoc casu habentur. Sin autem nulli essent cohæredes additi, pro hæredibus haberentur, l. pen. C. de her. inf.

*Permitto filiabus, &c.]* Magni momenti est ista permisso; quia melior est in nuptiis conditio masculorum quam feminarum, l. in multis, ff. de stat. hem. nam filius à patre suo cogi numquam potest ad ducendam uxorem, l. 12. C. de nupt. filia vero non potest dissentire à patre, qui ei sponsum elegit, nisi ei turpem & indignum moribus elegerit, l. 12. §. 1. ff. de sponsal. Quin etiam post mortem patris, pacta ab eo inita de filiæ sponsalibus adimplenda sunt, neque permittitur filiæ ab illis recedere, licet curator id approbaverit; quia plerumque feminarum adversus commoda propria inveniunt laborare consilium, l. 4. C. eodem. Cum denique mulieres propter infirmitatem sexus essent olim in perpetua tutela, neutra filiarum Cuspidii, prærogativam melius nubentis mereri posset, nisi libera nubendi facultas à patre utrique concederetur.

*Curatores testamenti,* ] id est executores testamentarii, qui etiam dispensatores dicuntur, & ministri testamenti. Hi actionem nullam habent legatorum nomine, nisi eorum pia causa sit, v. g. pro redimendis captivis, l. nulli, C. de Episc. & Cler. vel pro alimentis præstandis, l. alio, ff. de alim. leg. De superfluo id probari non potest, d. l. alio, id est de aliis pecuniis, quæ post alimenta præstata supererunt, per dispensatores in alia legata erogandis, quorum nomine nulla eis competit petitio.

*Testes in his tabulis sint, &c.]* Hoc testamentum igitur Prætorium est, cùm fiat adhibitis septem testibus & eorum signaculis, §. sed prædicta sup. de test. ordin. atque idem familiæ emptor in eo necessarius non est.

*Subscripteruntque.]* Nondum erat inducta subscriptionum necessitas, quæ ex constitutionibus Principum dumtaxat ortum habet, §. sed cùm paulatim supra eodem: sed tamen propter majorem testamentorum securitatem, ex usu hominum subscriptiones adhibebantur; ideoque addit hoc loco eam rationem Cuspidius, *ut suā ipsorum litterā cognosci possint.* Sic etiam hodie apud nos adhibentur subscriptiones in testamentis nuncupativis, quamvis non sint necessariæ, §. ult. sup. eod.

*Cn. Pompilio & L. Martio Coss.]* Mallem legere CN. Cornelio & L. Martio Consulibus. Fuerunt enim simul Consules CN. Cornelius Lentulus Marcillinus, & L. Martius Philippus anno ab urbe condita 697. juxta Chronologiam Contii, & ante Christum natum 53. ita ut ab eo testamento jam effluxerint anni 1776.

*Finis Libri secundi.*





# THEOPHILUS RENOVATUS,

S I V E

LEVIS AC SIMPLEX VIA

## AD INSTITUTIONES JURIS CIVILIS.

L I B E R T E R T I U S.

**I**N hoc Libro hæreditas quæ defertur ab intestato, & cæteri modi acquirendi dominii per universitatem exponuntur; tum deinde obligationes illæ tractantur, quæ ex contractu, vel quasi ex contractu nascuntur: ita ut omnes modi enumarentur, quibus hujusmodi obligationes contrahuntur & dissolvuntur.

---

### T I T U L U S P R I M U S.

#### DE HÆREDITATIBVS QUÆ AB INTESTATO deferuntur.

*Ad Princ.*

**I**NTESTATUS decedit, qui aut omnino testamentum non fecit; aut non jure fecit; aut id, quod fecerat, ruptum irritum-  
ve factum est; aut si ex eo nemo hæres extiterit.

**E**XPOSITIUS suprà, quid juris sit in hæreditate testamentaria: sequitur, ut illam expendamus, quæ ab intestato defertur, & quæ legitima appellatur:

èò quòd in ea maximè emineat atque eluceat potestas legis , cujus solo suffragio acquiritur. Intestatus † dicitur ille , qui cùm testamentum facere posset , aut omnino testamentum non fecit , aut non jure fecit , aut id quod fecerat ruptum irrumve factum est , aut si ex eo nemo hæres extiterit , l. 1. ff. de suis & legit. hæred. Pupilli tamen & furiosi , licet testari non possint , pro intestatis habentur , d. l. 1.

## Ad §. I.

**I**NTESTATORUM autem hæreditates **ex lege** duodecim tabularum , primùm ad suos hæredes pertinent.

HANC successionem ab intestato ex duplici jure metiri debemus ; veteri scilicet , quod in ipsis Institutionibus Justinianæs continetur ; & novo , quod jure Novellarum inductum est , quodque appendicis vice subjicietur post . tit. de bon. possess.

Jure Institutionum triplex est ordo succendentium ab intestato , videlicet suorum heredum , agnatorum , & cognatorum. Sui hæredes propriè dicti , sunt in primo ordine , ex l. 12. tab. nec-non etiam illi , qui licet non sint verè sui hæredes , inter suos tamen hæredes ex Prætoris edicto , vel ex constitutionibus recensentur.

## Ad §. Sui autem.

**S**UI autem hæredes existimantur ( ut suprà diximus ) qui in potestate morientis fuerint ; veluti filius filiave , nepos neptisve ex filio , pronepos proneptisve ex nepote , ex filio nato prognatus prognatave. Nec interest , utrùm naturales sint liberi , an adoptivi. Quibus connumerari necesse est etiam eos , qui ex legitimis quidem nuptiis , [ vel ] matrimoniiis non sunt progeniti , curiis tamen civitatum dati secundum Divalium Constitutionum , quæ super his positæ sunt : tenorem [ hæredum ] suorum iuta nanciscuntur. Nec non eos , quos nostræ amplexæ sunt constitutiones per quas jussimus , [ ut ] si quis mulierem in suo contubernio copulaverit , non ab initio affectione maritali , eam tamen , cum qua poterat habere conjugium , & ex ea liberos sustulerit ; posteà vero affectione procedente , etiam nuptialia instrumenta cum ea fecerit , & filios vel filias habuerit : non solum eos liberos , qui post dotem editi sunt , justos & in potestate patris esse ; sed etiam anteriores , qui & iis , qui postea nati sunt , occasionem legitimi nominis præstiterunt. Quod obtainere censuimus , & si non progeniti fuerint post dotale instrumentum consecutum liberi , vel etiam nati ab hac luce fuerint subtracti. Ita demum tamen nepos neptisve , pronepos proneptisve , suorum hæredum numero sunt , si præcedens persona

desierit in potestate parentis esse; sive morte id acciderit, sive aliâ ratione, velut emancipatione. Nam si per id tempus, quo quis moritur, filius in potestate ejus sit, nepos ex eo suus hæres esse non potest. Idque & in cæteris deinceps liberorum personis dictum [esse] intelligimus. Posthumi quoque, qui si vivo parente nati es-sent, in potestate [eius] futuri forent, sui hæredes sunt.

**S**U I hæredes, ut saceriore libro traditum est, † sunt liberi, qui in potes-tate ejus fuerunt tempore mortis, & quos nemo gradu præcedit tempore dela-tæ hæreditatis. Dixi liberi; quia non tantum sunt sui hæredes filii, sed etiam nepotes; nec tantum liberi ex justis nuptiis quæsiti, sed etiam adoptivi, qui na-turalibus æquiparantur, *in pr. sup. de adopt.* Verùm hæc similitudo cessat quoties agitur de privilegiis & immunitatibus, quæ parentibus competit occidente liberorum, *in pr. sup. de excus.* cui exceptioni originem dedisse videtur SC. Ne-ronis temporibus factum, teste Tacito, lib. 15. annal. quo decretum est ne si-mulata adoptio in ulla parte munera publici juvaret; postquam Patres conques-ti fuissent, tibi promissa legum in ludibrium veri, quando quis sine sollicitudine parens & sine luctu orbus, longa patrum vota repente adæquaret.

Filiis ex justo matrimonio procreatis adæquati sunt filii naturales, qui per ob-lationem curiæ, vel per subsequens matrimonium legitimorum jura obtinuerunt, *I. 3. & I. 10. C. de natur. liber.* Oblationes curiæ explicat Theoph. Decurio-nes; quod non ita probabile videtur: cùm néque omnes, qui ita sunt legiti-mi, etatem habeant necessariam, néque omnes sint idonei ci muneri exercendo, nec semper numerus Decurionum imperfectus est, ut statim possit aliquis De-curio fieri. Quibus addi potest quòd Decuriones ab his, qui sunt subæcti cu-riæ distinguantur, *I. 55. C. de Decur. lib. 10.* Non diffiteor in Decurione exem-plum recte constitui, sed restrictionem Theoph. non admitto, quæ exemplorum naturæ non convenit. Per subsequens autem matrimoniū plena fit haud dubiè legitimatio, ut dictum est ad *§. ult. sup. de nupt.* Verùm aliud dicendum est de filiis qui rescripto Principis sunt legitimi. Illi enim jura successionis non obtinent, in fraudem filiorum, qui rescripto non consenserint; quia Principes creduntur beneficia eo animo concedere, ut nolint veri in tertii detrimentum, *I. 4. C. de emanc. liber.* Posthumi denique licet verè in potestate defuncti non fuerint, *I. ult. ff. de coll. bon.* sui tamen hæredes sunt; quia in hac causa de com-modis eorum agitur, *I. qui in utero, ff. de stat. hom.*

*Ad §. Sui autem.*

**S**U I autem hæredes sunt etiam ignorantes, & licet furiosi sint, hæredes possunt existere; quia quibus ex causis ignorantibus no-bis acquiritur, ex his causis & furiosis acquiri potest. Et statim mor-te parentis quasi continuatur dominium; & ideo nec tutoris au-to-ritate opus est pupillis, cùm etiam ignorantibus acquiratur suis hæ-redibus hæreditas: nec curatoris ascensiū acquiritur furioso, sed ipso jure.

**Q**UAMVIS nullus extraneus hæres fiat, nisi sciat se hæredem esse, & quo jure sit hæres, §. ult. sup. de her. qual. & differ. sui tamen hæredes parente mortuo, hæredes ipsius sunt ipso jure, l. 14. ff. b. t. etiam ignorantes; quia ipso jure continuatur dominium quod vivo patre obtinebant; idèque si pupilli sint, tutoris auctoritate non indigent, sicut nec furiosi curatoris assensu, ad acquirendam illam hæreditatem. Sic etiam pupilli & furiosi per se obligantur quoties obligatio ex re venit, v. g. ex fundi communione, l. 46. ff. de obl. & act.

*Ad §. Interdum.*

**I**N TERRITORIUM autem, licet in potestate [parentis] mortis tempore suus hæres non fuerit, tamen suus hæres parenti efficitur; veluti [si] ab hostibus quis reversus fuerit post mortem patris [sui:] jus enim postliminii hoc facit.

**P**RÆTEREA quamvis filius in potestate patris non sit, eo tempore quo moritur pater, si ipse apud hostes fuerit; patri tamen cum hostium potestatem evaserit, suus hæres existet jure postliminii: ex quo pristina jura omnia recuperantur, perinde ac si captivus aliquis non fuisset. Quod ipsum L. Corneliae tribuitur, l. 9. C. de postlim. reversi. vel propter similem usum illius legis cum postliminio; vel quia speciali capite Lex Cornelia jus postliminii confirmaverat in successionibus. Memoria lapsum, ejus legis auctoribus cum Vinnio imputare, durum nimis ac perniciosum videtur.

*Ad §. Per contrarium.*

**P**E R contrarium autem hoc evenit, ut licet quis in familia defuncti sit mortis tempore, tamen suus hæres non fiat; veluti si post mortem suam pater judicatus fuerit perduellionis reus, ac per hoc memoria ejus damnata fuerit: suum enim hæredem habere non potest, cum fiscus ei succedat; sed potest dici ipso quidem jure suum hæredem esse, sed desinere.

**N**OTATU digna est species superiori contraria; in qua accedit, eum qui primum in familia gradum obtinuit tempore mortis, suum tamen hæredem non esse. Titius, qui rebellia contra Principem arma sumpserat, decepsit reliquo filio Mævio, quem habebat in potestate. Cum autem post mortem Titii mota esset adversus ejus memoriam perduellionis accusatio, & peracta cognitio, memoria ejus damnata est: an filius ille suus illi hæres remaneret, quæsitum fuit? Respondet Imp. Titium suum hæredem habere non posse, cum fiscus ei succedat. Neque obstat superius allata suorum hæredum definitio; quia filius verè fuit suus hæres ab initio, sed nanc esse definit. Quamvis enim qui semel est hæres non possit hæres esse desinere, l. 88. ff. de her. inst. id tamen ita restringendum est, ut nemo possit hæredis personam exuere facto suo & suo arbitrio: sed nihil yetat, quin sententiâ Judicis hæreditas alicui adimatur, putâ si testamentum

testamentum , ex quo hæres fuit , inofficium pronunciatum fuerit , *auth. ex causa* , *C. de lib. prater* . quia sententia retrotrahitur , ut his non fuise hæres ab initio intelligatur . Et rursus quamvis ulterius progredi pœnae non debeant , quia in progrediantur delicta , *I. sancimus* , *C. de pœnis* ; hoc tamen fallit in filiis ejus , qui crimen læse Majestatis admisit , in quibus paterni criminis exempla metuntur ; atque ideo ipsis jus succendi acimitur , ut in perpetua egestate fordanibus , sit mors solarium , & vita supplicium , *I. §. cod. ad L. Jul. Majest.* illud insuper in hoc crimine perduellionis est maximè singulare , quod post mortem rei possit accusatio institui , & memoria nocentis damnari , *I. ult. ff. eod.*

*Ad §. Cùm filius.*

**C**UM filius filiave , & ex altero filio nepos neptisve existunt , pariter ad hæreditatem avi vocantur ; nec qui gradu proximior est , ulteriore excludit . Æquum enim esse videtur , nepotes neptesque in patris sui locum succedere . Pari ratione & si nepos neptisve sit ex filio , & ex nepote pronepos proneptisve , simul vocantur . Et quia placuit nepotes neptesve , item pronepotes proneptesve in parentis sui locum succedere , conveniens esse visum est , non in capita , sed in stirpes hæreditatem dividi , ut filius partem dimidiam hæreditatis habeat , & ex altero filio duo pluresve nepotes alteram dimidiam . Item si ex duobus filiis nepotes neptisve existant , ex altero unus fortè aut duo , ex altero tres aut quatuor , ad unum aut duos dimidia pars pertineat , ad tres vel ad quatuor altera dimidia .

**DIXIMUS** , nepotes esse suos hæredes avo ; quod non tantum verum est , cùm nulli sunt filii superstites ; sed etiam cùm patre mortuo concurrunt cum aliis avi defuncti filiis ; quia jure representationis in primo gradu esse videntur . Et quia unicum dumtaxat representant , ideo unam dumtaxat virilem partem succedunt omnes simul , quam pater eorum si viveret esset habiturus , *I. 2. cod. b. t.* & propter eamdem rationem in excusationibus tutele , omnes nepotes ex uno filio procreati pro uno numerantur , *I. 2. §. non solum* , *ff. de excus.* Hæc successio fieri dicitur in stirpes , non in capita . Successio in stirpes † est illa , quæ jure representationis defertur : ita ut tot fiant partes , quot sunt diversæ succendentium stirpes . ( Gallicè *par souches* ) Jus itaque representationis hoc loco † est illud ; quo nepotes in locum patris sui defuncti succedunt : ita ut in eorum persona pater vivere & succedere quodammodo intelligatur . Successio in capita † est illa , quæ cessante representationis jure defertur : ita ut tot fiant partes , quot sunt capita seu personæ succendentium : nostro idiotismo dicitur ( *par têtes* . )

*Ad §. Cùm autem.*

**C**UM autem quæritur an quis suus hæres existere possit ; eo tempore quærendum est , quo certum est aliquem sine testamento deceisse , quod accidit & destituto testamento . Hac ratione , si filius ex hæredatus fuerit , & extraneus hæres institutus ; & filio mortuo , postea certum fuerit , hæredem institutum ex testamento non fieri hæredem , aut quia noluit esse hæres , aut quia non potuit , nepos avo suus hæres existet ; quia quo tempore certum est intestatum deceisse patrem familias , solus invenitur nepos ; & hoc certum est.

**D**IXIMUS denique , suos hæredes esse ; quos nemo gradu præcedit tempore delata hæreditatis ; quod ut clarius innotescat , supponenda est hæc species : ( Titius filium testamento ex hæredaverat , & extraneum hæredem scripsérat . Mortuo testatore , filius deceſſit ; extraneus verò repudiavit . ) Quæritur an nepos avo suus hæres existat ? Resp. Imp. nepotem avo suum hæredem esse ; quia tempore delata hæreditatis , id est cùm certum esse cœpit defunctum intestatum deceſſisse , solus & in proximo gradu invenitur nepos ; quod fit eâ ratione , quia hæreditas jacens defuncti personam sustinet , §. servus autem , sup. de her. instit. idèque quasi avus usque ad tempus repudiationis vixerit , nepos ei proximus intelligitur fuisse tempore mortis .

*Ad §. Et licet.*

**E**T licet post mortem avi natus sit , tamen avo vivo conceptus , mortuo patre ejus , posteaque deserto avi testamento , suus hæres efficitur . Planè si & concepius & natus fuerit post mortem avi ; mortuo patre suo , desertoque posteà avi testamento , suus hæres avo non existet ; quia nullo jure cognationis patrem sui patris attigit . Sed nec ille est inter liberos avi , quem filius emancipatus adoptavit . Hi autem , cùm non sint sui ( quantum ad hæreditatem ) liberi , neque bonorum possessionem petere possunt quasi proximi cognati . Hæc de suis hæredibus .

**N**ECUM necessarium est nepoti , ut natus sit vivo avo , dummodò eo vivente conceptus sit in ejus familia : quia in illis qui ex legitimo matrimonio suscipiuntur , tempus conceptionis inspicimus , §. pen. sup. quib. mod. jus pat. pot. solv.

*Ad §. Emancipati.*

**E**MANCIPATI autem liberi , jure civili nihil juris habent : ( neque enim sui hæredes sunt , qui in potestate parentis esse

desierunt) neque ullo alio jure per legem duodecim tabularum vocantur: sed Prætor naturali æquitate motus, dat eis bonorum possessionem. *Unde liberi*, perinde ac si in potestate parentis, tempore mortis fuissent; sive soli sint, sive cum suis hæredibus concurrant. Itaque duobus liberis existentibus emancipato uno, & eo qui tempore mortis in potestate fuerit; sanè quidem is, qui in potestate fuit, solus jure civili hæres est, & solus suus hæres; sed cum emancipatus beneficio Prætoris in partem admittitur, evenit, ut suus hæres pro parte hæres fiat.

Ex edicto Prætoris emancipati suis hæredibus æquiparantur; licet jure civili sui hæredes esse non possint, qui in potestate non sunt, §. *præterea, sup. cod. tit.* daturque illis bonorum posseslio *Unde liberi*; quæ tamen filio non datur ad obtinendam matris successionem, ut infra suo loco discutietur. In excusatione & vacatione munerum quæ datur propter numerum liberorum, non inspicitur etiam jure civili, an sint in sacris paternis vel emancipati, l. 2. §. *incolumes, ff. de vac. mun. & l. 2. §. legitimos, ff. de excus.* quia hæc immunitas est privilegium *solus natus*, non familiæ.

*Ad §. At hi.*

**A**T hi, qui emancipati à parente in adoptionem se dederunt, non admittuntur ad bona naturalis patris, quasi liberi; si modò, cùm is moreretur, in adoptiva familia fuerint. Nam vivo eo emancipati ab adoptivo patre, perinde admittuntur ad bona naturalis patris, ac si emancipati ab ipso essent, nec umquam in adoptiva familia fuissent. Et convenienter, quod ad adoptivum patrem pertinet, extraneorum loco esse incipiunt. Post mortem vero naturalis patris emancipati ab adoptivo patre, & quantum ad hunc adoptivum patrem pertinet, æquè extraneorum loco fiunt, & quantum ad naturalis patris bona pertinet, nihilo magis liberorum gradum nanciscuntur. Quod ideo sic placuit, quia iniquum erat esse in potestate patris adoptivi, ad quos bona naturalis patris pertineant, utrum ad liberos ejus, an ad agnatos.

EAM bonorum possessionem non habet filius emancipatus, qui se alteri debet in adrogationem, si eo tempore quo pater naturalis moritur, fuerit in familia patris adoptivi; quia satis absurdum est, duplicem ei patrem uno & eodem tempore assignare, naturalem, & adoptivum. Sed si ab adoptivo patre, dum vivit pater naturalis, emancipetur; cæteris filiis emancipatis æquiparatur, de quibus actum est in §. *sup.* at vero emancipati post mortem patris naturalis ab ejus bonis omni jure civili & Prætorio excluduntur; ne liceat patri adoptivo, de aliena successione disponere.

*Ad §. Minus ergo.*

**M**INUS ergo juris habent adoptivi filii, quam naturales. Namque naturales emancipati, beneficio Prætoris gradum liberorum retinent, licet jure civili perdant. Adoptivi verò emancipati, & jure civili perdunt gradum liberorum, & à Prætore non admittuntur, & rectè. Naturalia enim jura civilis ratio perimere non potest; nec qui desinunt sui hæredes esse, possunt desinere filii filiæve aut nepotes neptesve esse; adoptivi verò emancipati, extraneorum loco incipiunt esse: quia jus nomenque filii filiæve, quod per adoptionem consecuti sunt, alià civili ratione, id est emancipatione, perdunt.

**DISTINGUENDI** maximè sunt in hac causa liberi naturales ab adoptivis; quia, ut diximus, filiis naturalibus emancipatis Prætor succurrit datâ bonorum possessione *Vnde liberi*. Adoptivi autem totum jus per adoptionem acquisitum, emancipatione deperdunt: ita ut nullum ferè ex pristino remaneat vestigium, l. 13. ff. de *adopt.* Civilis enim ratio civilia jura perimere potest; naturalia verò non utique, l. 8. ff. de *cap. min.* & §. ult. sup. de *leg. agn. tut.*

*Ad §. Eadem.*

**E**ADEM hæc observantur, & in ea bonorum possessione, quam contra tabulas testamenti parentis, liberis præteritis, id est, neque hæredibus institutis, neque ut oportet ex hæredatis, Prætor pollicetur. Nam eos quidem, qui in potestate mortis tempore fuerint, & emancipatos, vocat Prætor ad eamdem bonorum possessionem: eos verò, qui in adoptiva familia fuerint per hoc tempus quo naturalis parens moreretur, repellit. Item adoptivos liberos emancipatos ab adoptivo patre, sicut nec ab intestato, ita longè minus contra tabulas testamenti ad bona ejus admittit; quia desinunt in numero liberorum ejus esse.

**QUECUMQUE** dicta sunt de bonorum possessione *Vnde liberi*, eadem etiam ad bonorum possessionem *contra tabulas* sunt transferenda, ideoque necrambe repetita fastidium pariat, his addenda sunt, quæ diximus ad §. *adoptivi*, sup. de *exhæred. lib.* Unum superest diligendum, cur dicat Imp. eos qui sunt in potestate mortis tempore & emancipatos vocari à Prætore ad eamdem utramque bonorum possessionem *contra tabulas* & *Vnde liberi*; cum non sit extraordinarium, auxilium concedendum filiis integri juris, qui ordinario jure muniti sunt, l. 16. in pr. ff. de *minor. 25. ann.* Verum prompta est & tota responsio, non tantum officium esse Prætoris emendare suis edictis jus civile, sed etiam

confirmare, in pr. inf. de bon. poss. & l. 7. ff. de just. & jur. quia ius honorarium est viva vox juris civilis, l. 8. ff. eod.

*Ad §. Admonendi.*

**A**DMONENDI tamen sumus, eos, qui in adoptiva familia sunt, quive post mortem naturalis parentis ab adoptivo patre emancipati fuerint; intestato parenti naturali mortuo, licet eā parte edicti, quā liberi ad bonorum possessionem vocantur, non admittantur; aliā tamen parte vocari, scilicet quā cognati defuncti vocantur. Ex qua parte ita admittuntur, si neque sui hæredes liberi, neque emancipati obstant; neque agnatus quidem ullus interveniat. Ante enim Praetor liberos vocat tam suos hæredes, quām emancipatos, deinde legitimos hæredes, deinde proximos cognatos.

**E M A N C I P A T I S** autem liberis naturalibus, vel in adoptionem datis quibus denegatur bonorum possessio *Vnde liberi*, aliud subsidium & administricum servatur; videlicet bonorum possessio *Vnde cognati*, cuius ordinem vim ac potestatem proprio infra loco proponemus. Non tamen credendum est, nepotem ex filio post mortem avi conceptum, cui denegatur praedicta bonorum possessio *Vnde liberi*, §. & licet sup. b. t. tamquam cognatum vocari; quia Praetor illis tantum proximitatis, id est cognitionis nomine, bonorum possessionem pollicetur, qui defuncto fuerunt cognati mortis tempore, l. 8. in pr. ff. de suis & leg. hæred. Is autem nepos nullo jure cognitionis patrem sui patris attigit, d. §. & licet.

*Ad §. Sed ea omnia.*

**S**E D EA OMNIA antiquitati [quidem] placuerunt: aliquam autem emendationem à nostra constitutione acceperunt, quam super iis personis exposuimus, quæ à patribus suis naturalibus in adoptionem aliis dantur. Invenimus etenim nonnullos casus, in quibus filii & naturalium parentum successionem propter adoptionem amitterebant; & adoptione facile per emancipationem solutā, ad neutrius patris successionem vocabantur. Hoc solito more cotrigentes, constitutionem scripsimus, per quam definivimus, quando parens naturalis filium suum adoptandum alii dederit, integra omnia jura ita servari, atque si in patris naturalis potestate permanisset, nec penitus adoptio fuisset subsecuta; nisi in hoc tantummodo casu, non possit ab intestato ad patris adoptivi venire successionem. Testamento autem ab eo facto, neque jure civili, neque Praetorio, ex hæreditate ejus aliquid persequi potest, neque contra tabulas bonorum possessione agnitiā, neque in officiō querelā institutā; cūm

nec necessitas patri adoptivo imponatur, vel hæredem eum instituere, vel ex hæredatum eum facere, utpote nullo vinculo naturali copulatum, neque si ex Sabiniano Senatusconsilio, ex tribus maribus fuerit adoptatus. Nam & in ejusmodi casu, neque quarta ei servatur, neque illa actio ad ejus persecutionem ei competit. Nostram autem constitutione exceptus est is, quem parens naturalis adoptandum suscepit. Utroque enim jure tam naturali, quam legitimo in hanc personam concurrente, pristina jura tali adoptioni servamus, quemadmodum si paterfamilias sese dederit adrogandum; quæ specialiter & singulatim ex præfatæ constitutionis tenore posse colligi.

CIRCA liberos autem adoptivos, quos pater naturalis alteri in adoptionem dedit, Just. Imp. constitutionem edidit, quâ juris veteris altercationes placavit, *l. pen. C. de adopt.* Cùm enim quereretur an filio illi competeret in officiis querela adversus testamentum patris naturalis in quo esset præteritus? quatuor erant diversæ sententiae. Prima sententia fuit eorum, qui dabant eam querelam hujusmodi filio cum plenissimo juris effectu. Et secundum eam Romæ fuisse testamentum patris recisum Centumvirali judicio refert Val. Maximus, *lib. 7. cap. 7.* propter arctissimum (ut ait) inter homines procreationis vinculum. Unde inferri potest, patris naturalis hæreditatem legitimam ei filio concessam fuisse antiquitus; quia cùm in officiis querela eis tantum detur, quibus non est concessa quarta pars ejus portionis, quæ eis debetur ab intestato, *§. ult. sup. de inoff. testam.* consequens est eum; cui nihil debetur ab intestato, cā actione uti non posse. Idque confirmat Festus in voce *mancipatus*, assérens filium adoptivum tam esse hæredem ejus qui adoptavit, quam si ex eo natus esset; & sui patris, quasi in potestate aliena non esset. Secunda sententia fuit Papiniani, qui querelam in officiis testamenti denegabat ei filio tamquam extraneo, vel maximè quod pater ei alium patrem dederit, sicut innuitur in *l. 17. ff. de bon. poss. cont. tab.* & juxta sententiam illam videtur postea receptum, quod ait Imp. filium datum in adoptionem excludi à successione patris sui naturalis. Tertia fuit sententia Pauli, qui dabat in officiis querelam, sed absque ullo juris effectu; forte quia exceptionem dabat scriptis hæredibus, quod is filius alium patrem haberet, & in alia esset familia. Constat enim actiones, quæ jure civili justæ sunt, per exceptionem fieri sëpe inutiles. Quarta denique fuit Martiani opinio, distinguens an filium pater dando in adoptionem circumvenisset, nec-ne. Priore casu dabat querelam, posteriore denegabat. Justinianus denique Imp. (spretâ Pauli sententiâ, quæ nullius usus erat, & parùm à mente Papiniani differebat; quia nihil interest an quis ipso jure actionem non habeat; an per exceptionem infirmetur, *l. nihil 112. ff. de reg. jur.*) ad exemplum Martiani quodammodo distinxit: ita ut si conjunctæ personæ datus sit filius in adoptionem, transeat filius in ejus potestatem, & sit locus Papiniani sententiae; quia in eo casu propter avitum affectum, nullius circumventionis suspicio locum habet. Sed si adoptio fiat ab extranea persona; solum jus, ei patri adoptivo succedendi ab intestato acquiritur; jura verò patris naturalis minimè dissolvun-

tur ; §. sed hodie, sup. de adop. ubi id Justin. plenè tractavit, sed pleniùs in d. l. pen. Verum si pater adoptivus testamento facto decesserit, nihil omnino juris habet in ejus bonis filius adoptivus, ne tunc quidem cum ex SC. Sabiniano ex tribus maribus fuit adoptatus, d. l. penult. §. penult. eo SC. cavebatur, ut si quis habens tres filios mares, unum ex his dedisset in adoptionem, pater adoptivus teneretur ei quartam partem suorum bonorum relinquere; aut hoc eo non faciente, quartæ illius pretio filio adoptivo competeteret. Circa filios autem qui se in adrogationem cederunt, ea constitutione nihil matatum est, d. l. pen. §. ult.

## Ad §. pen.

**I**TEM vetustas ex masculis progenitos plus diligens, solos nepotes vel neptes, qui [quæve] ex virili sexu descendunt, ad suorum vocabant successionem, & jure agnatorum eos anteponebat: nepotes autem, qui ex filiabus nati sunt, & pronepotes ex nepribus, cognatorum loco connumerans post agnitorum lineam eos vocabat tam in avi vel proavi materni, quam in aviae vel proaviae, sive paternæ, sive maternæ successionem. Divi autem Principes non passi sunt talem contra naturam injuriam sine competenti emendatione relinquere: sed cum nepotis & pronepotis nomen commune sit utrisque, tam qui ex masculis, quam qui ex foeminis descendunt; ideo eundem gradum & ordinem successionis eis donaverunt. Sed ut amplius aliquid sit eis, qui non solum naturæ, sed etiam veteris juris suffragiis muniuntur; portionem nepotum, vel neptum, vel deinceps (de quibus supra diximus) paulò minuendam esse existimaverunt, ut minus tertiam parte acciperent, quam mater eorum, vel avia fuerat acceptura, vel pater eorum, vel avus paternus, sive maternus, quando foemina mortua sit, cuius de hereditate agitur; iisque (licet soli sint) adeuntibus, agnatos minimè vocabant. Et quemadmodum lex duodecim tabularum filio mortuo nepotes vel neptes, pronepotes vel proneptes in locum patris sui ad successionem avi sui vocat; ita & principalis dispositio in locum matris suæ, vel aviae, eos cum jam designata partis tertiae diminutione vocat.

Ex constitutionibus Principum suis heredibus adnumerantur, qui stricto jure sui heredes non sunt, nepotes & pronepotes utriusque sexus, qui ex filiabus vel nepribus suscepiti sunt, nec non etiam nepotes ex filio & filiave præmortuis, qui aviae suæ paternæ vel maternæ successionem ambiunt, in quibus duo casus distingendi sunt: vel enim concurrunt cum hiis suis, qui eos gradu præcedunt, & aliis defuncti vel defunctæ liberi; vel defientibus liberis concurrunt cum agnatis. Quod ut clarius innotescat, triplex jus distingendum est, *vetus*, *novum*, & *novissimum*.

Juris veteris nomine intelligimus L. 12. tab. Jus Prætorium, & SC. Orphytianum. Ex L. 12. tab. nepotes ex filia non sunt avo sui hæredes, quia qui ex filia nascuntur, patris non matris familiam sequuntur, §. ult. sup. de pat. pot. Nepotes quoque avie non sunt sui hæredes, quia fœmina suos hæredes non habent, l. 4. §. ad testamenta, ff. de bon. poss. cont. tab. Jure Prætorio ejusmodi persona inter liberos non succedebant; sed inter cognatos dumtaxat in tertio ordine; SC. Orphytiano cayatum est, ut filius quidem intestatae marii sua succederet; sed de successione avie nihil cayebat in favorem nepotum, in pr. & §. I. inf. de SC. Orphyt. Quod SC. hoc loco appello jus vetus comparatione sequentium: nec diffitor novum alibi appellari, comparatione habitâ cum veteri jure 12. tab.

Novum jus appello constitutionem Valentiniani, Theodosii & Arcadii Imperatorum, l. 4. C. Theod. de leg. her. & l. 9. C. Just. de suis & leg. lib. quâ sanctum est, ut nepotes per muliebrem sexum descendentes succederent cum nepotibus qui per virilem sexum defuncto conjunguntur: & similiter quando fœmina decepit de cuius hæreditate agitur, statuebat eadem constitutio, ut nepos aviae succederet cum patruo suo, id est defunctæ filio. Sed quia nepotes ex filio in priore casu, & filius in secundo, non solum naturæ, sed etiam veteris juris suffragiis muniuntur; ideo Imp. illi portionem aliorum nepotum minuerunt; ita ut minus tertiam partem acciperent, quam eorum mater, vel pater si viveret, habuisset; eamque tertiam partem nepotibus ex filio in prima specie, & filio in secunda concedebant.

Jus novissimum est constitutio Justiniani, quâ plerique arbitrantur illam tertiam partis diminutionem esse sublatam. Sed certè Justinianus nullam cā de re mentionem fecit in sua constitutione; & prædictam constitutionem, quâ continetur illa distractio, Codici suo inseruit, d. l. 9. Non tamen diffitor, quin iure Novellarum sublata sit, quod proprio infra loco enarrabitur.

*Ad §. ult.*

**S**E nos, cūm adhuc dubitatio maneret inter agnatos & membratos nepotes, quartam partem substantiæ defuncti agnatis sibi vindicantibus ex cuiusdam constitutionis auctoritate; memoratam quidem constitutionem à nostro Codice segregavimus, neque inseri eam ex Theodosiano Codice in eo concessimus. Nostrâ autem constitutione promulgatâ, toti juri ejus derogatum est; & sanximus, talibus nepotibus ex filia, vel pronepotibus ex nepte, & deinceps, superstribus, agnato nullam partem mortui successioni sibi vindicare; ne hi, qui ex transversa linea veniunt, potiores iis habeantur, qui recto jure descendunt. Quam constitutionem nostram obtinere secundum sui vigorem & tempora, & nunc sancimus: ita tamen, ut quemadmodum inter filios & nepotes ex filio Antiquitas statuit, non in capita, sed in stirpes dividi hæreditatem: similiter nos inter filios & nepotes ex filia, distributionem fieri jubeamus.

jubeamus , vel inter omnes nepotes & neptes , & inter pronepo-  
tes & proneptes , & alias deinceps personas ; ut utraque progenies ,  
matri vel patris , aviæ vel avi , portionem sine ulla diminutione con-  
sequatur : ut si fortè unus vel duo ex una parte , ex altera tres aut  
quatuor extent ; unus aut duo dimidiam , alteri tres aut quatuor al-  
teram dimidiam hæreditatis habeant.

SIN autem nullus nepos aut pronepos ex filio in successione avi concurre-  
ret cum nepotibus vel pronepotibus ex filia vel nepte procreatis ; vel si nullus  
esset filius , qui in successione mulieris cum nepotibus ejus ex filio ejus præmor-  
tuо concurreret ; constitutionibus illis cautum erat , ut Falcidam quamdam  
paterentur , id est detractionem quartæ ; quam agnatis defuncti vel defunctæ  
tribuebant , ut media quædam via inter duo extrema juris novi ac veteris ser-  
varetur. Dicitur quamdam , id est impropiè dictam , sicut legatum dicitur do-  
natio quædam , § . 1 . sup . de legat.

Just. Imp. quadrantis illam detractionem sustulit ; ne agnati qui ex transver-  
sa linea veniunt , potiores his habeantur , qui rectâ linea cognationis , quæ est  
inter ascendentēs & descendētes sibi invicem conjunguntur. Ideoque illam  
constitutionem suo Codici inseri noluit , id est partem illam constitutionis : ne-  
que enim inficiari possumus , quin pars altera ejusdem constitutionis Codici  
Just. inserta sit , l. 9. C. de suis & legit. lib. Quo etiam modo Sententia pars  
appellatur Sententia , l. quædam , ff. fam. etc. Pars Edicti Prætorii , quæ succe-  
sionem inducit , appellatur successorium edictum ; & pars Legis Papia appellatur  
Lex , v. g. Lex Papia , caducaria , decimaria , &c.

Voluit denique idem Imp. ut sicut inter filios defuncti & nepotes ex filio ,  
successio dividitur in stirpes , non in capita ; ita quoque similiter dividatur inter  
memoratos nepotes sine ulla diminutione , id est sine ulla detractione quartæ ,  
de qua sola hic queritur. Tertiam verò intactam reliquit , d. l. 9. cuius legis  
dispositioni insistere tutius est , quæ Theophilo sub finem hujus tituli afferen-  
ti , nullam fieri tertia partis diminutionem.



## T I T U L U S I I.

### DE LEGITIMA AGNATORUM SUCCESSIONE.

*Ad Princ.*

SI nemo suus hæres , vel eorum , quos inter suos hæredes Præ-  
tor , vel constitutiones vocant , existat , qui successionem quo-  
quo modo amplectatur ; tunc ex Lege duodecim tabularum ad ag-  
natum proximum pertinet hæreditas.

Q q

**D E F I C I E N T I B U S** suis hæredibus, & illis omnibus, qui ex edicto Prætoris vel ex Constitutionibus inter suos enumerantur, agnati vocantur ad successionem, ex L. 12. tab. his verbis: *Si quis intestatus existat; cui suus heres non extat, agnatus proximus familiam habet.*

## Ad §. I.

**S**UNT autem agnati (ut primo quoque libro tradidimus) cognati per virilis sexus personas cognitione conjuncti, quasi à patre cognati. Itaque ex eodem patre nati fratres, agnati sibi sunt, qui & consanguinei vocantur; nec requiritur, an etiam eamdem matrem habuerint. Item patruus fratri filio, & invicem is illi agnatus est. Eodem numero sunt fratres patruelles, id est, qui ex duabus fratribus procreati sunt, qui etiam consobrini vocantur. Quâ ratione etiam ad plures gradus agnationis pervenire poterimus. Ille etiam, qui post mortem patris nascuntur, jura consanguinitatis nanciscuntur. Non tamen omnibus simul agnatis dat lex hæreditatem; sed iis qui tunc proximiores gradu sunt, cùm certum esse cœperit aliquem intestatum decessisse.

**A G N A T O R U M** nomen generaliter sumptum, suos etiam hæredes continet. Quo sensu dicitur filius patri suo agnatus proximus, l. 12. ff. de suis & leg. hæred. Sed hoc loco agnati specialiter dicuntur, cognati per virilis sexus personas cognitione conjuncti, sicut lib. 1. expositum est. Inter agnatos primum (id est secundum) gradum obtinent fratres consanguinei, id est ex eodem patre nati, qui etiam interdum consanguinei simpliciter appellantur. Sic etiam apud Virg. 6. Aeneid. consanguineus sumitur pro fratre.

*Et consanguineus lethi sopor.*

Dixi, id est secundum; quia cognatio, quæ ex transverso numeratur, à secundo gradu incipit; in pr. inf. de grad. cogn. Cæterum consanguineorum nomen sepe accipitur pro illis omnibus qui sanguine inter se connexi sunt, etiamsi sint in remoto gradu quam fratres, l. 1. §. pen. ff. de suis & leg. hæred.

## Ad §. Per adoptionem.

**P**ER adoptionem quoque agnationis jus consistit; veluti inter filios naturales, & eos quos pater eorum adoptavit. Nec dubium est, quin impropiè consanguinei appellantur. Item si quis ex cæteris agnatis, veluti frater, aut patruus, aut denique is, qui longiore gradu est, adoptaverit aliquem; agnatus inter suos hæredes esse non dubitatur.

**A G N A T I** quoque per adoptionem sunt: (quamvis cognati non sunt;

*l. 12. §. ult. ff. de rit. nupt.)* quia adoptio naturam imitatur, §. *fœmina, sup. de adopt.* Unde sequitur, fratrem adoptivum mihi esse consanguineum, saltem impropriè. Nam certè propriè loquendo, illi tantum sunt consanguinei, qui sanguine inter se connexi sunt, d. §. *pen.* Filius quoque & filia fratri adoptivi mihi agnati sunt; sed filia sororis adoptivæ neque agnationis, neque cognationis jure mihi conjungitur, §. *fratris, sup. de nupt.* Cæteri quoque agnati remotores, si quem adoptaverint: is agnasci videtur inter agnatos, qui mihi possunt jure agnationis hæredes existere.

## Ad §. Cæterum.

**C**ÆTERUM inter masculos quidem agnationis jure hæreditas, etiamsi longissimo gradu sint, ultrò citiòque capit. Quod ad fœminas vero attinet, ita placebat, ut ipsæ consanguinitatis jure tantum capiant hæreditatem, si sorores sint; ulterius non capiant, masculi autem ad earum hæreditates (etiamsi longissimo gradu sint) admittantur. Qua de causa fratri tui, aut patrui tui filiæ, vel amitæ tuæ hæreditas ad te pertinebat; tua vero ad illas non pertinebat. Quod ideo ita constitutum erat quia commodiùs videbatur, ita jura constitui, ut plerumque hæreditates ad masculos confluenter. Sed quia sanè iniquum erat, in universum eas quasi extraneas repellere, Prætor eas ad bonorum possessionem admittit eâ parte, quâ proximitatis nomine bonorum possessionem pollicetur; ex qua parte ita scilicet admittuntur, si neque agnatus ullus, neque proximior cognatus interveniat. Et hæc quidem Lex duodecim tabularum nullo modo introduxit; sed simplicitatem legibus amicam amplexa, simili modo omnes agnatos, sive masculos, sive fœminas, cuiuscumque gradus, ad similitudinem suorum invicem ad successionem vocabat. Media autem Jurisprudentia, quæ erat quidem Lege duodecim tabularum junior, Imperiali autem dispositione anterior; subtilitate quâdam excogitatâ, præfatam differentiam inducebat, & penitus eas à successione agnatorum repellebat; omni aliâ successione incognitâ, donec Prætores paulatim asperitatem juris civilis corrigentes; sive quod deerat implentes humano proposito, alium ordinem suis edictis addiderunt; & cognationis linea proximitatis nomine introductâ, per bonorum possessionem eas adjuvabant, & pollicebantur his bonorum possessionem, quæ *Unde cognati* appellatur. Nos vero, Legem duodecim tabularum sequentes, & ejus vestigia in hac parte conservantes, laudamus quidem Prætores suæ humanitatis, non tamen eos in plenum huic causæ mederi invenimus. Quare etenim uno eodemque gradu naturali concurrente; & agnationis titulis, tam in masculis, quam in fœminis æquâ

lance constitutis, masculis quidem dabatur ad successionem venire omnium agnatorum: ex agnatis autem mulieribus nulli penitus, nisi soli sorori ad agnatorum successionem patebat aditus. Ideò nos in plenum omnia reducentes & ad jus duodecim tabularum eamdem dispositionem exæquantes, nostrâ constitutione sanctimus; omnes legitimas personas, id est per virilem sexum descendentes (sive masculini generis, sive foeminini sunt) simili modo ad juri successionis legitimæ ab intestato vocari, secundum sui gradi prærogativam; nec ideo excludendas, quia consanguinitatis jura sicut germanæ, non habent.

Ex his & aliis quæ libro primo dicta sunt, intelligere possumus, quinam sint agnati: nunc videndum superest, quinam ex agnatis sint legitimi hæredes. Et primò quidem dubitatum est an foeminæ jure agnationis succedant. Quâ in causâ quatuor jura distinguit Imp. Legem antiquam 12. tabularum, medium Jurisprudentiam, jus Prætorium, & suam Constitutionem.

Ex L. 12. tabularum sicut agnatus succederet agnatae suæ, ita etiam & vicissim agnata succederet agnato suo, & in eâ simplicitas legibus amica servabatur; quia ubi militat eadem ratio, ibi quoque idem jus servandum est, l. 32. in proff. ad L. Aquil.

Ex media autem Jurisprudentia, ea fuit excogitata subtilitas, ut agnatus quidem agnatae mulieri ab intestato succederet; sed ut vice versa, mulier agnata non succederet ulli agnato, nisi esset ei soror consanguinea. Idque Paulus ait esse effectum jure civili, vel Voconia narratione, lib. 4. sent. tit. 7. id est vel in erpretatione prudentum, quæ appellatur jus civile, l. 2. §. his legibus, ff. de or. jur. & §. sed cum paulatim, sup. de test. ord. vel propter rationem Legis Voconiae; quia scilicet ejus auctoribus placuerat, non ad foeminas, sed ad masculos hæreditates pervenire: èo quod masculi familiam conservant, publica munera obeunt, rempub. domi militiaque administrant, & majori in omnibus moderatione utuntur; foeminæ verò non propagant familiam, à muneribus publicis removentur, & insolescunt adversus maritos, si ipsæ locupletiores sint. Unde meritò Juven. Sat. 6.

*Intolerabilius nihil est, quam foemina dives.*

Lege autem Voconia cautum fuerat, ne quis census ultra quadrantem mulierem hæredem scriberet, Dion. l. 56. Ascon. ad aet. 3. in Verr. & Livii Epitome lib. 41. ideoque Imp. Augustus Liviam uxorem ex triente hæredem instituens, veniam L. Voconia petuit à Senatu, Dion. d. lib. 56. Cùm autem non inveniatur uspiam L. Voconia prohibitum fuisse, ne mulier ab intestato succederet, legendum potius arbitror apud Plautum tit. 8. Voconianâ ratione, sicut in quibusdam Codicibus se legisse testatur Cujac. ibidem, quam sicut ipse corrigit Voconia rogatione.

Ex edicto Prætoris mulieres agnatae proximorum agnatorum successiones in tertio dumtaxat cognatorum ordine obtinere potuerunt.

Justinianus denique vetustissimum jus L. 12. tab. restituit, quia Lex Voconia jam exoleverat; nec placebat ipsi talis sexuum distinctio. l. ult. C. de lib. præt.

Prætor denique huic causæ in plenum non medebatur : ita ut hodie sicut agnatus succedit agnatæ, ita & vicissim agnata succedit agnato ; quia fœminæ ob hoc solum puniri non debent , quod fœminæ natæ sunt , *l. pen. C. de leg. hæred.*

*Ad §. Hoc etiam.*

**H**Oc etiam addendum nostræ constitutioni existimavimus , ut transferatur unus tantummodo gradus à jure cognationis in legitimam successionem : ut non solum fratri filius & filia ( secundum quod jam definivimus ) ad successionem patris sui vocentur ; sed etiam germanæ consanguineæ , vel sororis uterinæ filius & filia soli , & non deinceps personæ una cum his ad jura avunculi sui perveniant ; & mortuo eo , qui patruus quidem est sui fratri filiis , avunculus autem sororis suæ soboli : simili modo ab utroque latere succedant , tamquam si omnes ex masculis descendentes , legitimo jure veniant , scilicet ubi frater & soror superstites non sunt. His enim personis præcedentibus , & successionem admittentibus , cæteri gradus remanent penitus semoti , videlicet hæreditate non in stirpes , sed in capita dividendâ.

**I**DEM Imp. eâdem constitutione expressit , ut filii sororum , sive sint uterinæ ; sive consanguineæ , licet cognati sint , agnatis tamen adnumerentur , & cum fratum filiis succedant thio communi ; qui idem fratum filiis patruus est , & avunculus sororum filiis : ita ut successio fiat in capita non in stirpes , *d. l. pen. §. ult.* Sed si extiterit aliquis defuncti frater vel aliqua soror , omnes isti fratum & sororum filii æqualiter excluduntur ; quippe gradu remotores , *d. §. ult. cessante* videlicet in collateralibus jure representationis .

*Ad §. Si plures.*

**S**I plures sint gradus agnatorum , aperte Lex duodecim tabularum proximum vocat. Itaque si ( verbi gratiâ ) sint defuncti frater , & alterius fratri filius , aut patruus , frater potior habetur. Et quamvis singulari numero usa Lex duodecim tabularum proximum vocet , tamen dubium non est , quin , si plures sint ejusdem gradus , omnes admittantur. Nam & propriè proximus ex pluribus gradibus intelligitur ; & tamen non dubium est , quin licet unus sit gradus agnatorum , pertineat ad eos hæreditas.

**Q**UAMVIS itaque iure suitatis hæreditas deferatur illis qui proximi non sunt ; propter jus representationis , *§. cùm filius , sup. tit.* iure tamen agnationis nemo succedit , qui proximus non fuerit ; quia inter agnatos representationi locus non

est (saltem jure veteri:) atque ideo proximior agnatus remotiorem semper excludit, & strictè accipiuntur verba Legis 12. tab. quibus agnatum proximum vocat. Hæc tamen stricta vociis hujus acceptio non impedit, quin si plures agnati fuerint, æquali gradu defuncto proximi, omnes simul vocentur in capita; l. 2. *hæc hereditas, ff. de suis & leg. hær.* quia non oportet contra Legislatoris verba legum captare, l. pen. ff. ad exhib. & infiduciari auctio syllabarum, ut dicitur in l. 1. C. de formul. Idque Imp. confirmat ex eo quod ille qui solus est agnatus defuncti ei succedat, quamvis strictè loquendo proximus nullus gradus dicendus sit, nisi extent remotiores; quia hoc nomen proximi relationem dicit, quæ non potest confistere, nisi inter plures.

*Ad §. Proximus.*

**P**ROXIMVS autem, si quidem nullo testamento factò quisquam decesserit, per hoc tempus requiritur, quo mortuus est is, cuius de hæreditate queritur. Quod si factò testamento quisquam decesserit, per hoc tempus requiritur, quo certum esse cœperit, nullum ex testamento hæredem extitum: tunc enim propriè quisque intestatus decessisse intelligitur. Quod quidem aliquando longo tempore declaratur. In quo spatio temporis sæpe accidit, ut proximiore mortuo, proximus esse incipiat qui moriente testatore non erat proximus.

QUEMADMODUM suitatis jure illis defertur hæreditas, qui proximum gradum obtinunt eo tempore, quo certum esse cœpit defunctum intestatum decessisse, §. cum autem, sup. tit. ita quoque idem jus obtinet in successione agnatorum. Quoties igitur aliquis intestatus decedit; is tantum agnatus succedit, qui defuncto fuit proximus tempore mortis, v. g. frater. Si autem testamentum fecerit, & hæres ab eo institutus repudiaverit, fratris filius erit ei hæres legitimus, si frater defuncti, qui eum gradu solus præcedebat, ante repudiationem decesserit.

*Ad §. penult.*

**P**LACEBAT autem in eo genere percipiendarum hæreditatum successionem non esse; id est, ut quamvis proximus, qui secundùm ea, quæ diximus, vocatur ad hæreditatem, aut spreverit hæreditatem, aut antequam adeat, decesserit; nihilo magis legitimo jure sequentes admittantur. Quod iterum Prætores imperfecto jure corrigentes, non in totum sine adminiculo relinquebant; sed ex cognatorum ordine eos vocabant, utpote agnationis jure eis recluso. Sed nos nihil perfectissimo juri deesse cupientes, nostrâ constitutione, quam de jure patronatus, humanitate suggestente, protulimus, sancimus successionem in agnatorum hæreditatibus non

esse eis denegandam ; cum satis absurdum erat , quod cognatis à Prætore apertum est , hoc agnatis esse reclusum ; maximè cum in onere quidem tutelarum & primo gradu deficiente , sequens succedit ; & quod in onere obtinebat , non erat in lucro permisum .

QUIN etiam postquam alicui agnato delata est intestati hæreditas , adhuc superest disquirendum an locus sit successioni . Sed prius supponendum est , æquivocum esse id nomen successionis . Primo enim , successio † est acquisitio bonorum ad alterum pertinentium . Hæc dicitur universalis , si fiat titulo universali , hæreditatis v. g. vel bonorum possessionis , ut sit *in rubrica hoc titulo* . Dicitur vero successio singularis , si fiat titulo singulari , legati putat , vel emptoris . Unde legatarii , emptores , & alii qui juris successores non sunt , dicuntur successores singulares , vel particulares . Præterea successio † appellatur subrogatio remotionis in locum proximi facta , quasi proximus ille numquam extitisset . Atque ita si frater legitimam fratris sui hæreditatem , quæ sibi semel delata est repudiaverit , vel ante aditam hujusmodi hæreditatem decesserit , qualiter hoc loco an fratris demortui filius ei succedat , id est an proximus intelligatur , & in locum fratris qui hæres non fuit , subrogetur ? Respondet Just . ex Prudentum interpretatione successionem non esse ; sed ex Edicto Prætoris inter cognatos dumtaxat eum vocari , agnationis jure ei recluso , id est occluso : ex sua denique constitutione , quam fecit de jure patronatus , successionem ei jure agnationis patere ; quia cognati ( quorum jus multo infirmius est ) gaudent illo jure successionis ex Prætoris Edicto , quod idem *successorum* dicitur , l. 1. ff. de *success. edic.* tum etiam quia veteres in tutela agnatorum legitima successionem admittebant : æquum igitur erat , ut eadem successio in emolumento hæreditatis admitteretur ; cum secundum naturam sit , commoda cujuscumque rei eum sequi , quem sequuntur incommoda , l. 10. ff. de *reg. jur.*

*Ad §. ult.*

**A**D legitimam successionem nihilominus vocatur etiam parens , qui contractâ fiduciâ filium vel filiam , nepotem vel neptem , ac deinceps emancipationes liberorum semper videantur quasi contractâ fiduciâ fieri ; cum apud Veteres non aliter hoc obtinebat , nisi specialiter contractâ fiduciâ parens manumisisset .

**OCCASIONE** præfatae saxe constitutionis de jure patronatus , subicit Imp. aliud ipsius caput valde insigne circa successionem legitimam , ut appareat ex *Basilicis* , lib. 49. tit. 1. ubi definit , legitimam successionem filii à patre emancipati patri competere ; non quidem jure agnationis , quia agnatio minimâ capitâ diminutione tollitur , §. ult. sup. de *leg. agn. tut.* sed jure patronatus dumtaxat , ut ostendunt hæc verbi in d. tit. 1. Σογέττω δε οὐ τατφονούσιν διάσοι , καὶ τῷ τῷ οὐτε ἡ τὴν θυγατρίαν μητρὶ αὐτεγγίσται . Servetur autem jus patronatus ei qui filium vel filiam emancipavit . Præterea cum patronis jure quodam

agnationis successio liberti legitima deferatur, ut dicitur in eadem constitutione, non sine causa legitimæ agnatorum successioni, hæc successio jungitur. Olim pater filio emancipato non succedebat, nisi emancipatio facta esset contractâ fiduciâ: alioquin enim extraneo manumissori id jus comperebat, ut diximus ad §. præterea, sup. quibus modis jus patr. potest. solv. Hodie vero necessarium non est ut fiducia expressè in emancipatione contrahatur; quia semper tacitè contracta intelligitur, ex d. Just. constitutione.



## T I T U L U S I I I.

### DE SENASTVS CONSULTO TERTYLLIANO.

*Ad Princeps.*

**L**Ex duodecim tabularum ita stricto jure utebatur, & præponebat masculorum progeniem; & eos, qui per foemini sexus necessitudinem sibi junguntur, adeò expellebat, ut ne quidem inter matrem & filium filiamve ultrò citroque hæreditatis capienda jus daret; nisi quod Prætores ex proximitate cognatorum eas personas ad successionem, bonorum possessione *Unde cognati accommodata*, vocabant.

**L**EGITIMA successio non tantum defertur agnatis, sed etiam matri in bonis filii, & filio in bonis matris; licet hi revera sibi agnati non sint. De priore successione primùm quinque jura traduntur hoc titulo, quibus id lucrum successionis matri defertur: deinde onus ei adnexum proponitur: ad liberos denique vulgo quælitos totum id jus pertinere docetur. Sunt autem hæc quinque jura, Lex 12. tabularum, Jus Prætorium, Constitutio Claudi Imperatoris, SC. Tertyllianum, & Constitutio Justiniani.

Ex L. 12. tab. mater à legitima filii sui successione excluditur; quia agnata non est, sed naturali dumtaxat jure cognata, nisi forte in manum mariti convenisset. Quo casu & sua hæres marito siebat, *Ulp. tit. 23. §. agnascitur*; & filiis suis consanguinea, id est soror efficiebatur, ut constat ex veteri diagrammate cognitionum *apud Cujac. lib. 6. obs. cap. ult.*

Ex jure Prætorio succedebat tantum mater filio suo in tertio ordine cognatorum, id est deficientibus omnino suis hæredibus & agnatis.

*Ad §. I.*

**S**E d. hæjus angustiæ postea emendatæ sunt. Et primus quidem Divus Claudio matri, ad solatium liberorum amissorum, legitimam eorum detulit hæreditatem.

Ex

Ex Constitutione Claudi Imp. cuidam matri quæ liberos amiserat, in folium liberorum amissorum, legitima hæreditas in bonis eorum specialiter concessa est. Legitima (inquam) id est ante omnes cognatos. Quod jus ad exemplum trahi non potuit, quia privilegia non transgreduntur personas, quarum gratiâ data sunt, quoniam non hoc Princeps vult, §. sed & quod, sup. de jure natur.

## Ad §. Postea.

**P**O STEA autem Senatusconsulto Tertylliano, quod Divi Hadriani temporibus factum est, plenissime de tristi successione matri, non etiam aviæ deferendâ cautum est; ut ingenua trium liberorum jus habens, libertina quatuor, ad bona filiorum filiarumve admittatur intestato mortuorum, licet in potestate parentis sit: ut scilicet cum alieno juri subjecta est, iussu ejus adeat hæreditatem, cuius juri subjecta est.

Ex S C. Tertylliano tristis illa successio matri generaliter delata est, si modò mater libertina, quatuor liberorum jus haberet, vel ingenua trium. Idque adeò verum est, ut licet mater esset in potestate patris, eodem tamen jure frueretur. Quamvis enim non matri, sed matris tantum patri hæc successio prodeferset, eo quod omnia quæ filii acquirunt statim patri acquirantur in cuius potestate sunt; ita ut ne momento quidem unico apud eos acquisita consistant, l. placet 79. ff. de acquir. hered. non tamen hoc ullam juris diversitatem deber inducere, sicut nec inducit in aliis hæreditatum vel rerum singularum acquisitionibus, l. 1. §. sup. per quas personas cuique acquir.

## Ad §. Praferuntur.

**P**RÆFERUNTUR autem matri liberi defuncti, qui sui sunt, quive suorum loco sunt, sive primi gradus, sive ulterioris. Sed & filiæ suæ mortuæ filius vel filia præponitur, ex constitutionibus, matri defunctæ, id est aviæ suæ. Pater vero utriusque, non etiam hæreditate agitur. Frater autem consanguineus tam filii quam filiæ excludebat matrem: soror autem consanguinea pariter cum matre admittebatur. Sed si fuerant frater & soror consanguinei, & mater liberis onerata, frater quidem matrem excludebat; communis autem erat hæreditas ex æquis partibus, fratribus & sororibus.

SC. Tertylliani auctoritatem expendit Imp. hoc loco; aut saltem innuit in novem casibus.

Primus est, si mater cum liberis defuncti concurrat, qui sibi hæredes sunt, aut suis hæreditibus consumerantur: in quo dubium non est, quin mater ab hæreditate excludatur; quia minus parentibus debetur liberorum hæreditas, quam parentum hæreditas liberis debeatur, l. 7. in fine, ff. si tab. test. null. ext.

Secunda species est, si filia sua, id est quæ est sui juris, decesserit, relictis liberis & matre suâ superstite. Tunc autem, licet illi liberi nullo jure sui hæredes sint aut esse intelligantur; quia foeminae suos hæredes non habent, §. ceteri, sup. d. her. qual. & differ. propter prædictam rationem liberi præferuntur, & mater excluditur, l. 4. C. ad SC. Orphyt. & l. 11. C. de suis & leg. hæred. Sin autem mulier in potestate patris decessisset, de ipsius successione quæstio esse non potuit; cum bona apud patrem jure peculii remancerent, ut superiore libro tradidum est.

Tertia species est, si filius & filia sint sui juris, & sine ulla liberis decesserint, relictis patre & matre superstibus. Eo casu mater excluditur; neque peculium patri adimitur, l. 2. §. objicitur, ff. b. t.

Quartus casus est, si filius sui juris factus, avo aut proavo manumissore & matre suâ superstibus decesserit: mater in eo concursu avum & proavum excludit; videlicet si inter avum dumtaxat vel proavum & matrem de ea hæreditate agatur; quia mater gradu proximior est: gradu autem proximior remotiorum excludit, §. si plures, sup. tit. sed aliud jus statuendum est, si pater cum his personis concurrat, ut mox apparebit.

Quintus casus est, si is qui cum patre suo in avi potestate erat, ab avo fuerit manumissus, & post mortem matris suæ decesserit, relicto patre & avo manumissore: ubi dubium esse non debet, quin patrem avus excludat, l. *equissimum*, §. ult. ff. b. t. quia jure manumissionis & patronatus contra scriptos hæredes bonorum possessionem accipere solet, l. 1. in pr. ff. si à par. quis manum. sit.

Majorem difficultatem continet sextus casus. Titius decessit relinquens sibi superstites matrem, patrem, & avum etiam manumissorem. Quæritur, quis potior esse debeat in Titii hæreditate? Si mater admittatur excluso avo, edicto Prætoris inducitur pater, qui excludit matrem, & definit Senatusconsulto locus esse, d. §. ult. Si patrem admiserimus, obstabit avus, qui est potior patre, ut diximus. Ayum denique si admiserimus, obstabit mater, quia avum excludit, ut dictum est ad casum 4. Quocirca in hac altercatione, quæ plurima continet ultrò citrōque rationum momenta, rectius existimat Paulus, avo suum jus conservare, d. §. ult. atque ita valet in persona avi manumissoris vulgaris regula: *Si vincio vincentem te, etiam ego vincio te.*

Septima hypothesis constitit in concursu matris cum fratre consanguineo, defuncti vel defunctæ. Tunc autem licet frater sit in secundo agnationis gradu, mater verò in primo, §. 1. & 2. inf. de grad. cogn. mater excluditur; quia receptum erat ut in successione legitima frater primus locum obtineret; quod neque a Prudentibus mutatum fuerat, neque ex Senatusconsulto Tertulliano.

Ostatuus casus est, si mater cum sorore defuncti consanguinea concurrat; nullis extantibus ejus fratribus: in quo concursu mater & soror æqualiter succedebant, neque habuit soror æqualem fratri prærogativam; quia in multis juris articulis melior est conditio masculorum quam foeminarum, l. in multis, ff. de stat. hom.

Nonus denique casus est, si mater defuncti cum fratribus & sororibus ipsis consanguineis concurrat. In quo concursu mater excluditur à fratribus consanguineis; non verò sorores, quæ æquali cum ipsis gaudent consanguinitatis & juris prærogativâ. Prodest igitur sororibus conjunctio fratrum, ut obtineant exclusionem matris, quam per se obtinere non possent.

## Ad §. Sed nos.

**S**E d nos constitutione , quam in Codice nostro nomine decorato posuimus , matti subveniendum esse existimavimus , respicientes ad naturam , & puerperium , & periculum , & saepe mortem ex hoc casu matribus illatam. Ideoque impium esse credidimus , casum fortuitum in ejus admitti detrimentum. Si enim ingenua ter , vel libertina quater non peperit , immoritò defraudabatur successione suorum liberorum. Quid enim peccavit , si non plures sed paucos peperit ? Et dedimus jus legitimum plenum matribus ( sive ingenuis sive libertinis ) & si non ter enixaे fuerint vel quater , sed eum tantum vel eam , qui quæve morte intercepti sunt , ut sic vocentur in liberorum suorum legitimam successionem.

**CONSTITUTIONE** Justiniani SC. Tertyllianum extensum est ad eas etiam matres , quæ non habent jus liberorum , l. 2. cod. de jure lib. & l. ult. cod. b. tit. Idque ait Imp. se constituisse respiciens ad naturam , & puerperium , & periculum , & mortem saepe ex hoc casu matribus illatam. Quo loco observavit figuram loquendi , quæ vulgo dicitur *bendiadys* , rectius *ēr̄ dūā dvoīr̄* ; id est unum in duo divisum , ut cùm Poëta dicit , *in partem , pradamque vocant* ; id est in partem prædæ : & cùm M. Tullias ait lib. 1. ep. 7. aliquantum ex provincia atque imperio laudis accedere ; id est ex provinciæ imperio. In hoc itaque SC. jus liberorum , quod olim à Principe impetrabatur , omnibus hodie ipso jure competit ; sicut ex Constitutione Honorii & Theodosii quantum ad Leges Decimarias anteà competebat ; ut illi etiam conjuges qui liberos non haberent , iis legibus immunes essent , l. 1. cod. de jur. lib. & l. 3. cod. Theod. cod. tit. abrogato jure veteri , quod proponit Ulp. tit. 16.

## Ad §. Sed cùm anteà.

**S**E d cùm anteà constitutiones jura legitimæ successionis perscrutantes , partim matrem adjuvabant , partim eam prægravabant , nec in solidum eam vocabant , sed in quibusdam casibus tertiam ei partem abstrahentes , certis legitimis dabant personis , in aliis autem contrarium faciebant ; nobis visum est rectâ & simplici viâ matrem omnibus personis legitimis anteponi , & sine ulla diminutione filiorum suorum successionem accipere ; exceptâ fratris & sororis personâ , sive consanguinei sint , sive sola cognationis jura habentes : ut quemadmodum eam toti alii ordini legitimo præposuiimus , ita omnes fratres & sorores , sive legitimi sint , sive non ad capiendas hæreditates simul voceamus ; ita tamen , ut si

quidem sœlæ sorores agnatæ vel cognatæ , & māter defuncti vel defunctæ supersint , dimidiā quidem māter , alteram vērō dimidiā partem omnes sorores habeant. Si vērō matre superstitē & fratre , vel fratribus solis , vel etiam cum sororibus sive legitima , sive sola cognitionis jura habentibus , intestatus quis vel intestata moriatur ; in capita distribuatur ejus hæreditas.

**A B R O G A T** insuper Imp. correctionem SC. Tertyllianī constitutionibns quibſdam anterioribns inductam ; ita ut māter non habens ius liberorum concut ens , cum patruo vel fratri filio , trientem hæreditatis consequeret ; patruus autem & fratri filius bessem , l. 12. & pen. cod. Theod. de legit. hæred. & constituit ut omnibus agnatis , excepto fratre & sorore præferatur , l. ult. C. b. t.

Circa fratres autem & sorores novam formam induxit : ita ut si cum fratribus solis concurrat , succedat cum illis æqualiter ; si concurrat cum solis sororibus , dimidiā unam partem consequatur ; altera vērō dimidia inter sorores communis sit : si autem & cum fratribus & cum sororibus ad successionē veniat , æquales omnibus portiones tribuantur , d. l. ult.

*Ad §. pen.*

**S**E D quemadmodum nos matribus prospexit , ita eas oportet suæ soboli consulere ; scituris eis , quod si tutores liberis non petierint , vel in locum remoti vel excusati , intra annum petere neglexerint ; ab eorum impuberum morientium successione meritò repelluntur.

**O**NUS matri impositum maximam continet æquitatem , videlicet ut filiis suis impuberibus intra annum tutorem petere teneatur , & ut alioquin ab eorum impuberum morientium successione excludatur , l. 3. cod. h. t. & l. 2. §. si māter , & §. confessim ff. eod. tit. Dixi impuberum morientium ; quia si filius pubes deceperit , cessat pena , d. l. 3. creditur siquidem filius , qui cūm testamentum facere posset intestatus deceperit , matri suæ injuriam remisisse , & tacitè matrem ad legitimam hæreditatem vocasse ; cūm posset alios hæredes scribere , l. 8. §. 1. ff. de jnr. codic.

*Ad §. ult.*

**L**I CÈT autem vulgò quæsitus sic filius filiave , potest tamen ad bona ejus māter ex Tertylliano Senatusconsulto admitti.

**A**D bona denique filiorum qui vulgò concepti sunt , hæc successio pertinet ; quia in hoc SC. personæ naturaliter designantur , l. 7. ff. de cap. minut. id est nominibus naturalibus matris & filii ; quæ nomina in hujusmodi personas cadunt ; non vērō sub nominibus civilibus suorum hæredum & agnatorum , quæ cadunt tantum in liberos legitos ; quia omnis agnatio est à patre : spuriū au-

tem partem habere non intelliguntur; cum is solummodo sit pater; quem iustæ nuptiæ demonstrant, l. 5. ff. de in jus voc. imò verò fortiori jure utitur mater in successione filii spuri, quam legitimi; quia nullus ei potest obstare pater vel agnatus defuncti filii, sicut accidit, cum ex iustis nuptiis quæsitus est.



## T I T U L U S I V.

### DE SENATUSCONSULTO ORPHYTIANO.

*Ad Princip.*

**P**E R contrarium autem liberi ad bona matrum intestatarum admittuntur ex Senatusconsulto Orphytiano, quod Orphytio & Rufo Consulibus effectum est, Divi Marci temporibus, & data est tam filio, quam filiæ legitima hæreditas, etiamsi alieno juri subjecti sint; & præferuntur consanguineis & agnatis defunctæ matris.

Ex diverso, filiis defertur legitima successio matris ex SC. Orphytiano; longè majori ratione; quia (ut jam dictum est) hæreditas parentum magis debetur liberis, quam liberorum hæreditas parentibus debeatur. Parentes enim ad bona liberorum sola ratio miserationis admittit; ne & filiorum amicorum & substantiæ etiam eorum jacturam & dolorem patientur, l. 6. in pr. §. de jur. dot. & l. 7. §. ult. ff. si tab. test. null. ext. liberos verò ad successionem paternam vocat naturæ simul & parentum commune votum, d. §. ult.

*Ad §. 1.*

**S**E D cùm ex hoc Senatusconsulto nepotes & neptes ad aviæ successionem legitimo jure non vocarentur; postea hoc constitutionibus principalibus emendatum est, ut ad similitudinem filiorum filiarumque, & nepotes & neptes vocentur.

Ex hoc processit altera disparitas inter utrumque hoc SC. quod ex constitutionibus Principum, SC. Orphytianum ad nepotes extensum est, cum tertiae tamen partis diminutione; quæ liberis primi gradū conceditur, §. pen. sup. de her. que ab intest. defer. ubi id expositum est. Senatusconsultum autem Terpyllianum ad aviam nullo jure pertinet; quia scilicet non subest eadem juris ratio, ut jam dixi; vel quia jura fiunt de his quæ frequenter accident, l. 2. & 3. seqq. ff. de legib. frequentius autem accidit, nepotem esse superstitem aviæ, quam aviam nepoti.

## Ad §. Sciendum.

**S**CIENTUM autem est, hujusmodi successiones, quæ ex Tertulliano & Orphytano Senatusconsultis deferuntur, capitis diminutione non perimi, propter illam regulam, quâ novæ hæreditates legitime capitis diminutione non pereunt; sed illæ solæ, quæ ex lege duodecim tabularum deferuntur.

**T**RITA sunt communia inter hæc duo Senatusconsulta. Primum est, quod successio quæ illis defertur, capitis diminutione non pereat. Et hoc est quod ait Ulp. in l. I. §. capit. ff. b. t. capitis diminutione, quæ salvo statu continet, novas hæreditates non perimi. Istæ hæreditates novæ vocantur, comparatione habitâ cum hæreditatibus, quæ antiquo jure, id est L. 12. tabularum deferuntur suis hæredibus & agnatis. Aliud dicendum est de hæreditatibus antiquis & legitimis: illæ enim capitis diminutione minimâ perimuntur. Ratio disparitatis est, quia antiquæ sub nominibus civilibus deferuntur, videlicet tuorum hæredum & agnitorum: novæ verò sub nominibus naturalibus matris & filii, ut anteâ dictum est. Civilis autem ratio civilia jura tollere potest; naturalia verò non utique, l. 7. ff. de cap. minutiōne.

## Ad §. pœn.

**N**OVISSIMÈ sciendum est, etiam illos liberos, qui vulgo quæsiti sunt, ad matris hæreditatem ex hoc SC. admitti.

**S**ECUNDUM commune utriusque SC. est, quod sicut in Tertulliano SC. nulla est differentia inter liberos spurios & legitimos, ita neque in Orphytano: quia utrobique militat eadem ratio.

## Ad §. ult.

**S**I ex pluribus legitimis hæredibus quidam omiserint hæreditatem, vel morte, vel aliâ causâ impediti fuerint, quod minus adeant; reliquis, qui adierint, accrescit illorum portio: & licet antè deceaserint, ad hæredes tamen eorum pertinet.

**T**ERTIUM denique & ultimum jus commune duabus istis hæreditatibus & aliis insuper legitimis est, quod si pluribus ejusdem gradus personis delata fuerit aliqua hæreditas, uno omittente portionem suam, ea portio ceteris, qui adierint, accrescat: adeò ut licet aliquis ex illis deceaserit post aditam hæreditatem, & ante repudiationem cohæredis; ad hæredem tamen jus suum illud transmittat, l. 9. ff. de suis & legit. hered. quia nimis portio portioni accrescit velut alluvio, l. si Titio 33. §. ult. ff. de usufr. Aliud dicendum est de subs-

vitatione; nam si substitutus decesserit antequam substitutio ei deferatur; pura si conditio fideicommissi nondum impleta fuerit; bona substitutioni obnoxia ad heredem substituti non transmittuntur, d. l. 9. quia substitutio non coheret bonis aut portioni bonorum, sed soli personae substituti; ideoque spes substitutionis ad heredem non transmittitur, l. is cui 42. ff. de obl. & att. & l. heredes mei, s. cum ita, ff. ad SC. Trebell. usu tamen fori in liberis substitutis aliud receptum est; pura si pater ita testatus fuerit: *Titius filius meus heres esto. Si Titius decebat sine liberis, volo ut hereditas mea Mario alteri filio meo restituatur.* Eo casu quamvis Mævius substitutus prior decesserit, ad Mævii tamen liberos hæc substitutione transmittitur; si forte contigerit Titium sine liberis postea decedere. Quod indulatum videretur auctoritate glossæ ad d. l. is cui, ff. de obl. & att. & ad l. nn. cod. de his qui ante aper. tab.



## T I T U L U S V.

### DE SUCCESSIONE COGNATORVM.

*Ad Princip.*

**P**Ost suos heredes, eosque quos inter suos heredes Praetor & constitutiones vocant, & post legitimos (quo numero sunt agnati, & ii, quos in locum agnatorum tam supradicta Senatusconsultæ, quam nostra exxit constitutio) proximos cognatos Praetor vocat.

**T**ERRIUS ordo succedentium ab intestato est cognatorum, jure Praetorio introductus; eo casu quo neque fuerit ullus, suis heres, aliusve qui sui heredis loco sit; neque agnatus ullus aut alius qui secundum supradicta SC. aut constitutiones Principum, agnatis consummetur. Dixi jure Praetorio; quia jure civiti ea successio incognita fuit. Unde sequitur, cognatos heredes non esse, sed sanctum bonorum possessores; quia Praetor heredem facere non potest, sed Lex Iola, vel similis juris constitutio, s. quos autem infra de bon. possess. Cognatio + specialiter dicitur hoc loco, eorum necessitudo, qui vel per mulierem aliquam sibi invicem conjunguntur, vel per solas virilis sexus personas, intercedente aliquâ capitâ diminutione.

*Ad s. i.*

**Q**Uâ parte naturalis cognatio spectatur. Nam agnati capite diminuti, quique ex his progeniti sunt, ex lege duodecim tabularum inter legitimos non habentur, sed à Praetore tertio ordine vocantur, exceptis solis tantummodo fratre & sorore eman-

cipatis, non etiam liberis eorum, quos Lex Anastasiana cum fratribus integri juris constitutis, vocat quidem ad legitimam fratris hæreditatem, sive sororis; non æquis tamen partibus, sed cum aliqua diminutione, quam facile est ex ipsius constitutionis verbis colligere. Aliis vero agnatis inferioris gradus, licet capitis diminutionem passi non sint, tamen anteponit eos, & procul dubio cognatis.

Ex his facile colligere est, successionem istam deferri agnatis, post minimam capitis diminutionem; quia licet desierint esse agnati, non tamen cessant esse cognati; cum jura sanguinis nullo jure civili dirimi possint, *l. jura sanguinis, ff. de reg. juris.* Verum ex constitutione Imp. Anastasii, excipiuntur fratres & sorores emancipati, qui ferè pro agnatis habentur; ideoque cum fratribus integri juris succedunt, simul communibus fratribus, cum tertiae partis diminutione, teste Theophilo; & præferuntur ulterioris gradus agnatis, *l. ult. cod. de legit. hared.*

*Ad 5. Eos etiam, & duos seqq.*

**E**os etiam, qui per feminini sexus personas ex transverso cognatione junguntur, tertio gradu proximitatis nomine, Prætor ad successionem vocat.

Liberi quoque qui in adoptiva familia sunt, ad naturalium parentum hæreditatem hoc eodem gradu vocantur.

Vulgò quæsitos nullos habere agnatos manifestum est; cum agnatio à patre sit, cognatio à matre sit, hi autem nullum patrem habere intelligantur. Eadem ratione inter se quidem possunt videri consanguinei esse; quia consanguinitatis jus species est agnationis. Tantum ergo cognati sunt sibi, sicut & matri cognati sunt. Itaque omnibus ipsis ex ea parte competit bonorum possessio, quâ proximitatis nomine cognati vocantur.


**E**ODĒM quoque jure & ordine statuenda est successio similiūm cognatorum, videlicet eorum qui per feminas conjunguntur; & filiorum, qui dati sunt in adoptionem; nec non etiam eorum qui vulgò concepti sunt. Quos omnes Imp. ait succedere proximitatis nomine; id est jure cognationis specialiter sumptæ. Quamvis enim sui hæredes & agnati, tamquam proximi, ad hæreditatem vocentur; in illis tamen sola proximitas non sufficit sine suitate aut agnatione. Quapropter per capitis diminutionem hujusmodi jura succedendi pertinet, licet eadem proximitas sanguinis permaneat. At vero in cognatis sola proximitate remanente, jus quoque succedendi jure Prætorio constitutum perseverat, dummodo media aut maxima capitis diminutio non intercederit, §. pen. sup. de cap. dimin.

*Ad §. ult.*

**H**Oc loco & illud necessariò admonendi sumus, agnationis quidem jure admitti aliquem ad hæreditatem, et si decimo gradu sit, sive de lege duodecim tabularum queramus, sive de edicto, quo Prætor legitimis hæredibus daturum se bonorum possessionem pollicetur. Proximitatis verò nomine iis solis Prætor promittit bonorum possessionem, qui usque ad sextum gradum cognitionis sunt, & ex septimo sobrino sobrinaque nato natæve.

Est & alia inter agnatos & cognatos disparitas advertenda, quod cognati intra sextum dumtaxat gradum cognitionis sibi invicem succedant, excepto eo qui ex sobrino sobrinave natus est, qui est in septimo gradu: at verò agnati sibi invicem succedunt, et si decimo gradu sint. Quod debet intelligi exempli gratiâ, ita ut hæc succedendi facultas non restringatur in decimo gradu. Ea siquidem est exemplorum natura, ut non restringuant. Idque apparet ex *I. 2. §. 1. ff. de suis & leg. hæred.* ubi Ulp. ait, agnatos dici usque in infinitum.

Cæterum *Nov. Just. 118. cap. 4.* universæ agnationis & cognitionis differentiæ quoad successiones & tutelas sublatæ sunt.



## T I T U L U S V I.

### DE GRADIBUS COGNATIONIS.

**H**Oc loco necessarium est exponere, quemadmodum gradus cognitionis numerentur. Quare in primis admonendi sumus, cognitionem aliam suprà numerari, aliam infrà, aliam ex transverso, quæ etiam à latere dicitur. Superior cognatio est parentum, inferior liberorum, ex transverso fratum sororumve, & eorum qui quæve ex his generantur; & convenienter patruī, amitæ, avunculi, materteræ. Et superior quidem & inferior cognatio à primo gradu incipit: at ea, quæ ex transverso numeratur, à secundo.

Primo gradu est suprà pater, mater; infrà filius, filia.

Secundo gradu suprà avus, avia; infrà nepos, neptis; ex transverso frater, soror.

Tertio [gradu] suprà proavus, proavia; infrà pronepos, proneptis; ex transverso fratris sororisque filius, filia; & convenienter patruus, amita, avunculus, matertera. Patruus est frater patris, qui

Græcè *πατράδελφος* appellatur. Avunculus est frater matris, qui Græcè *μητράδελφος* dicitur, & uterque promiscuè *δεῖνος* appellatur; amita est patris soror, [ quæ Græcè *πατράδελφη* appellatur. ] Matertera verò matris soror, [ quæ Græcè *μητράδελφη* dicitur, ] & utraque promiscuè *δεῖλα* appellatur.


Quarto gradu suprà abavus, abavia; infrà abnepos, abneptis; ex transverso fratris sororisque nepos neptisve: & convenienter patruus magnus, amita magna, id est avi frater & soror; item avunculus magnus, & matertera magna, id est aviæ frater & soror; consobrinus, consobrina, id est qui quæve ex sororibus aut fratribus procreantur. Sed quidam rectè consobrinos eos propriè dici putant, qui ex duabus sororibus progernerantur, quasi-consororinos; eos verò, qui ex duobus fratribus progernerantur, propriè fratres patrueles vocari. Sin autem ex duobus fratribus filiæ nascuntur, sorores patrueles appellari. At eos, qui ex fratre & sorore progenerantur, amitinos propriè dici [putant.] Amitæ tuæ filii, consobrini te appellant, tu illos amitinos.

Quinto [gradu] suprà atavus, atavia; infrà atnepos, atneptis; ex transverso fratris sororisque pronepos, proneptis; & convenienter propatruus, proamita, id est proavi frater & soror; [&] proavunculus & promatertera, id est proaviae frater & soror. Item fratris patruelis, vel sororis patruelis, consobrini & consobrinæ; amitini & amitinæ filius, filia; proprius sobrino, proprius sobrina; hi sunt patrui magni, amitæ magnæ, avunculi magni, materteræ magnæ filius, filia.

Sexto gradu suprà tritavus, tritavia; infrà trinepos, trineptis; ex transverso fratris sororisque abnepos, abneptis; & convenienter abpatruus, abamita, id est abavi frater & soror; abavunculus, abamatertera, id est abaviæ frater & soror: [ Item propatru, proamitæ, proavunculi, promaterteræ filius, filia: item proprius sobrino, sobrinæ filius filia: ] item consobrini, consobrinæ, nepos, neptis; item sobrini, sobrinæ, id est qui quæve ex fratribus, vel sororibus patrueibus, vel consobrinis, vel amitinis progernerantur.

Hactenus ostendisse sufficiat, quemadmodum gradus cognationis numerentur. Namque ex his palam est intelligere, quemadmodum ulteriores quoque gradus numerare debeamus: quippe semper generata persona gradum adjicit, ut longè facilius sit respondere, quanto quisque gradu sit, quam propriâ cognationis appellatione quemquam denotare.

Lib. 3.  
Fig. 22.



6.  
Tritavus  
Tritavia  
6.

VIA  
5.  
Atavus.  
Atavia.  
5.

5.  
Abma-  
terra.  
6.

4.  
Abavus.  
Abavia  
4.

4.  
prema-  
terra.  
5.

3.  
Proavus.  
Proavia  
3.

2.  
Avus.  
Avia.  
2.

1.  
Pater.  
Mater.  
1.

EGO

3.  
Mater-  
tera.  
3.

1.  
Soror uter-  
tina.  
1. 2.

2.  
Cen-  
sela-  
rina  
4.

2.  
Sororis  
filius.  
3.

4.  
Sobrina.  
6.

3.  
Consobri-  
na filia.  
5.

4.  
Co-sobrina  
nepos.  
6.

1.  
Filius.  
Filia.  
1.

2.  
Nepos.  
Nepitis.  
2.


5.  
Pronepos.  
Proneptis.  
3.


4.  
Alnepos.  
Alneptis.  
4.

5.  
Atnepos.  
Atneptis.  
5.

6.  
Trinepos.  
Trineptis.  
6.

Uib. 3.  
Fig. 322.





1. 2. 3.  
4. 5. 6.  
7. 8. 9.

1. 2. 3.  
4. 5. 6.  
7. 8. 9.

1. 2. 3.  
4. 5. 6.  
7. 8. 9.

1. 2. 3.  
4. 5. 6.  
7. 8. 9.

1. 2. 3.  
4. 5. 6.  
7. 8. 9.

1. 2. 3.  
4. 5. 6.  
7. 8. 9.

1. 2. 3.  
4. 5. 6.  
7. 8. 9.

1. 2. 3.  
4. 5. 6.  
7. 8. 9.

1. 2. 3.  
4. 5. 6.  
7. 8. 9.

Agnationis quoque gradus eodem modo numerantur.

Sed cùm magis veritas oculatâ fide, quām per aures animis hominum infigatur; idēc necessarium duximus post narrationem graduum, eos etiam præsenti libro inscribi, quatenus possint & auribus, & oculorum inspectione adolescentes perfectissimam graduum doctrinam adipisci.

In successione cognatorum locum habet successorium edictum, id est ea pars edicti, quæ proximo cognato repudiante, eum vocat ad successionem, qui est in gradu ulteriore, *t. i. ff. de success. edito.* Idēque necessarium est cognoscere, quemadmodum gradus cognationum numerentur. Quod etiam facem præferet illi juris regulæ, quæ unumquemque agnatum vel cognatum ad successionem vocat, secundum gradus sui prærogativam.

Ut hanc graduum notitiam assequamur, necessarium nobis est arborem cognitionis cognoscere. Appellatur autem arbor cognitionis † typus quidam ac schema totius cuiusdam familiæ aut gentis, in quo & linearum diversitas, & varii cognatorum inter se gradus ac distantia distinguuntur. Arboris nomen hoc loco metaphoricum est. Nam sicut arbor continet stipitem sive truncum & ramos qui ab eo procedunt; & rursus varios fructus in singulis ramis: ita & stemma cognitionum continet stipitem & varias stirpes seu lineas, in quas ille stipes diffinditur, in quibus singulis lineis variae personæ continentur.

Stipes † dicitur ea persona à qua ceteræ, de quibus queritur, descendunt, & originem trahunt. Uno verbo stipes est commune multis nascendi initium. (*la tige*) Talis est pater respectu duorum fratrum, & avus respectu duorum consobrinorum.

Linea † dicitur coordinatio personarum à se invicem, vel saltem ab eodem stipe procedentium, per quam duorum præcipue conjunctio & cognatio demonstrantur. Est autem † duplex linea, recta scilicet, & transversalis. Linea recta † est, quæ solos ascendentes & descendentes conjungit; ita dicta, quia in diagrammate cognitionis recta est, nec umquam deflectit ad latus. Linea transversalis † dicitur illa, quæ duos collaterales conjungit: v. g. duos fratres aut duos patruellos; ita dicta, quia ab uno cognato de quo queritur, ad alterum de quo simul etiam ambigitur, rectâ viâ non procedit, sed obliquâ dumtaxat; ascendit quippe ab uno cognato ad communem stipitem, & rursus ab eo stipe descendit ad alterum. Ideoque illi cognati dicuntur transversales, & appellantur insuper collaterales; quia in arbore cognitionis, non suprà aut infra, sed ad latus tantum sibi invicem collocantur. Subdividitur autem linea transversalis jure canonico † in lineam æqualem, & inæqualem. Äqualis † est in qua personæ, de quibus queritur, æqualiter distant à communi stipe; qualis est linea duorum fratrum, & linea sobrinorum. Inæqualis vero linea † dicitur, in qua unus eorum de quibus agitur, remotior est à communi stipe quām alter; cuiusmodi est linea conjungens fratrem & fratri filium.

Gradus cognitionis † nihil est aliud, quam de proximo in proximum cognatum transitus secundum generationes & processum unius ab altero; ita dictus à similitudine scalarum, sive locorum proclivium.

Duplicem debemus arborem cognitionis distinguere, civilem unam, quā

utimur in tutelis & successionibus ; & in nuptiis etiam ; cum inspicimus solam dispositionem juris civilis ; & alteram canonicam , quae jure Pontificio inducta est , & in nuptiis dumtaxat locum habet , in quibus prævalet jure civili ; quia nuptiæ sunt magnum in Ecclesia Sacramentum. Neque enim dubium esse debet , quin juri civili canonicum in rebus sacris præpolleat : sicut ex diverso ius civile Pontificio juri prævalet in civilibus ac profanis. Nos utramque arborrem in adjuncto typo propter majorem facilitatem conjunximus , in quo gradus canonici supra , & civiles infra designantur. Quocirca prætermisso hoc loco regulis utriusque illius numerationis , quas ad §. inter eas , & ad §. duorum sup. de nuptiis , satis exactè tradidimus ; & prætermisso etiam exemplis , quæ Imp. hoc titulo fusè & perspicuè distinguit , adjungi curavimus hoc loco schema cognitionum , in quo regulæ & exempla hujusmodi , quasi in speculo , uno ferè cognoscuntur intuitu ; quia , ut monet Imper. veritas magis oculatâ fide quam per aures animis hominum infigitur ; & ut ait Horatius in libro de arte Poëtica .

*Segnius irritant animos demissa per aures ,*

*Quam qua sunt oculis subjecta fidelibus , & quæ*

*Ipse sibi tradit spectator.*



## T I T U L U S V I I .

### D E S E R V I L I C O G N A T I O N E .

*Ad Princip.*

**I**LUD certum est , ad serviles cognationes illam partem edicti , quâ proximitatis nomine bonorum possessio promittitur , non pertinere : nam nec ullâ antiquâ lege talis cognatio computabatur. Sed nostrâ constitutione , quam pro jure patronatûs fecimus ( quod jus usque ad nostra tempora satis obscurum , atque nube plenum , & undique confusum fuerat ) & hoc humanitate suggerente concessimus , ut si quis in servili constitutus consortio , liberum vel liberos habuerit , sive ex libera , sive ex servilis conditionis muliere ; vel contrà , serva mulier ex libero vel servo habuerit liberos cuiuscumque sexûs ; & ad libertatem his pervenientibus , ii , qui ex servili ventre nati sunt , libertatem meruerint , vel dum mulieres liberæ erant , ipsi in servitute eos habuerint , & postea ad libertatem pervenerint ; ut hi omnes ad successionem patris vel matris veniant , patronatûs jure in hac parte sopito. Hos enim liberos non solum in suorum parentum successionem , sed etiam alterum in alterius successionem , mutuam vocavimus , ex illa lege speciali-

ter eos vocantes ; sive soli inveniantur , qui in servitute nati , & postea manumissi sunt ; sive una cum aliis , qui post libertatem parentum concepti sunt ; sive ex eodem patre , sive ex eadem matre , sive ex aliis nuptiis , ad similitudinem eorum , qui ex justis nuptiis procreati sunt .

TRIA peragit Imperator hoc titulo (qui in editione Cujacii omnium optimâ partem constituit tituli superioris ) 1. quidem jus vetus proponit : 2. suam constitutionem , quâ illud jus emendatur : 3. denique brevem summam eorum omnium , quæ hactenus dicta sunt de successionibus ab intestato , subiungit .

Servilis cognatio , id est ea quæ in servitute alterius vel utriusque cognati contracta est , nullâ lege antiquâ computabatur ; quia servi nec genus , nec gentem habere possunt . Imò verò , licet alioquin in successione cognatorum naturalē cognationē sequatur Prætor , adeò ut vulgo quæsitos non rejiciat , § . vulgo sup. de success. cognat. & l. si spurius , ff. unde cognati ; nihilominus tamen eorum qui per servilem cognitionem junguntur , rationem nullam habet in ea successione ; quia servi nullam habent juris Civilis aut Prætorii communionem , l. 20. § . servus , ff. qui testam. fac. poss. Unde sequitur , filios in servitute susceptos & liberos deinde factos , patri itidem manumisso non successisse antiquitus . Verū ex Novella Valentiniāni de libertis & successionib[us] eorum , induc[tum] est , ut mortuo liberto vel libertâ , filii vel nepotes in servitute suscepti & deinde manumissi , patroni hæredem excluderent ; filio verò & nepote defientibus , pater ipsius & frater ac soror partem dimidiā patroni hæredibus afferrent ; & ut illis dumtaxat personis defientibus , hærædes patroni in solidum vocarentur .

Post hæc jura emissa est constitutio Justiniani de jure Patronatus , quam Cujacius ex libro 49. Basilicōr Codici restituit lib. 20. obser. cap. 34. quâ constitutione cautem est , non solum ut liberi cujuscumque gradū in servitute suscepti , sive soli sint , sive cum aliis filiis concurrant ex justo matrimonio procreatis ; liberto succedant , & patronum excludant ; verū etiam ut defientibus liberis , frater unus tali cognitione conjunctus ad alterius fratris successionem vocetur , excluso patrono .

*Ad §. I.*

**R**EPTITIS itaque omnibus , quæ jam tradidimus , appetet non semper eos , qui patrem gradum cognitionis obtinent , patiter vocari ; eoque amplius , ne eum quidem qui proximior sit cognatus , semper potiorem esse . Cùm enim prima causa sit suorum hæredum , & eorum , quos inter suos hæredes enumeravimus ; appetet pronepotem , vel abnepotem defuncti , potiorem esse , quam fratrem , aut patrem , matremque defuncti : cùm alioqui pater quidem & mater ( ut supra quoque tradidimus ) primum gradum cognitionis obtineant , frater verò secundum , pronepos autem tertio gra-

du sit cognationis, & ab nepos quarto. Nec interest, in potestate morientis fuerit, an non, quod vel emancipatus, vel ex emancipato, aut ex foemineo sexu propagatus est. Amotis quoque suis hæredibus, & quos inter suos hæredes vocari diximus; agnatus, qui integrum jus habet agnationis, etiam si longissimo gradu sit, plerumque potior habetur, quam proximior cognatus. Nam patrui nepos, vel pronepos avunculo, vel materteræ præfertur. Toties igitur dicimus, aut potiorem haberi eum, qui proximiorem gradum cognationis obtinet, aut pariter vocari eos, qui cognati sunt: quoties neque suorum hæredum, qui que inter suos hæredes sunt, neque agnationis ( jure ) aliquis præferri debeat, secundum ea quæ tradidimus, exceptis fratre & sorore emancipatis, qui ad successiōnem fratrum vel sororum vocantur: qui etsi capite diminuti sunt, tamen præferuntur cæteris ulterioris gradus agnatis.

**O M N I A** quæ de successionibus ab intestato dicta sunt hæc tenus, in tres regulas videntur conjici posse. Prima est, eos qui parem gradum cognationis obtinent, pariter ad successionem vocari; atque ita duo fratres æquali jure patri suo hæredes sunt. Secunda regula est, eum qui est in priore gradu cognationis, potiorem esse remotiore cognato. Cujus utriusque regulae exceptiones alias tradit Imperator, quæ ex his, quæ dicta sunt supra, satis sunt perspicuae. Tertia denique regula est, eum qui est in priori ordine succedentium, quocumque gradu sit, potiorem esse omnibus qui sunt in remotiori ordine, licet sint in priori gradu. Hujus tamen regulae exceptionem tradit Imp. in fratre & sorore emancipatis; qui licet per capitum diminutionem jura agnationis amiserint, agnatis tamen ulterioris gradus præferuntur ex constitutione Imp. Anastasi. cum tertia partis diminutione, ut explicat Theophilus ad §. 1. sup. de success. cognat. Sed Justinianus voluit, eos cum fratribus integri juris æqualiter succedere, l. ult. cod. de legit. hæred. Ideoque præfata constitutio Imp. Anastasi in Codice repetitæ prælectionis non invenitur.



## T I T U L U S V I I I .

### DE S U C C E S S I O N E L I B E R T O R U M .

*Ad Princ.*

**N**UNC de libertorum bonis videamus. Olim itaque licebat liberto patronum suum impunè testamento præterire: nam ita demum Lex duodecim tabularum ad hæreditatem liberti vocabat

patronum, si intestatus mortuus esset libertus, hærede suo nullo reliquo. Itaque intestato mortuo liberto, si is suum hæredem reliquisset, patrono nihil in bonis ejus juris erat. Et si quidem ex naturalibus liberis aliquem suum hæredem reliquisset, nulla videbatur querela: si verò adoptivus filius fuisset, aperte iniquum erat, nihil juris patrono superesse.

**E X P O S I T** à successione ingenuorum tam ex testamento, quam ab intestato; sequitur ut libertorum successionem tam testamentariam quam legitimam simili-  
ter expendamus hoc titulo, in quo primum agemus de libertinis Cibibus Roma-  
nis, postmodùm verò de Latinis.

Quod ad Cives Romanos attinet, quatuor jura debemus cognoscere, Legem duodecim tabularum, jus Prætorium, Legem Papiam-Popæam, & præfatam constitutionem Justiniani de jure Patronatus.

Lege duodecim tabularum patronus & patrona ad successionem liberti sui vocabantur his verbis: *Si libertus intestatus existat, cui suus heres non extat, patronus familiam habetur.* Unde sequitur, meliorem fuisse conditionem patroni aut patronæ in legitima successione libertæ, quam in successione liberti; quia libertus suos hæredes poterat relinquere, qui patronum excluderent; liberta verò non poterat: feminæ siquidem suos hæredes non habent, *l. 4. §. ad testa-menta, ff. de bon. possess. contra tabulas, & §. feminæ sup. de adopt.* Præterea melior fuit conditio patroni in successione testamentaria libertæ, quam in successione testamentaria liberti; & melior quoque conditio patroni, quam patronæ; quia libertæ erant olim in perpetua tutela patroni sui, *Vlp. tit. 11. de tut. in pr.* Jure autem veteri feminæ sine tutoris auctoritate testari non poterant, *Vlp. tit. 20. de testamentis, §. pen.* Patroni itaque auctoritatem illam suam vix adhibebant, nisi in utilitatem suam fieret testamentum. Sed hoc jus in liberto cessabat; quia masculorum tutela jure civili veteri ac novo finitum puberrate, *Vlp. d. tit. 11. §. ult. & in princ. sup. quibus modis tut. fin.* In liberta quoque aliquius mulieris, hoc jus cessabat; quia tutela virile munus est, & ultra sexum feminæ infirmitatis tale officium est, *l. 1. Cod. quando mul. tut. off. fungi posset.*

Nulla igitur querela competebat patrono, si libertus filios naturales reliquisset; sed tunc solummodo cùm reliquisset liberos adoptivos: quia quemadmodum æquaum est patronum naturæ cedere, ita quoque inquam esset propter commentum adoptionis & subtilitatem juris civilis, patronum excludi à successione sui liberti, cui beneficium concessit bonorum quærendorum; & libertatem insuper quæ est res inæstimabilis, *l. libertas, ff. de reg. jur.* Unde sequeretur, patronum eo casu nihil obtinere posse ex bonis sui liberti mortui; quæ omnia eo vivò, jure peculii habuisset, si ipsum non manumisisset, quod elet iniquissimum.

Si quis objecerit nusquam in jure iniquum appellari, quod pater, mater, fratres & sorores excludantur à successione inter ingenuos, propter interventum filii adoptivi; unde sequi videtur, nullam esse iniquitatem si patronus cedat filio adoptivo: Respondet Ehotomanus id statujs, quia alioquin patroni durissimas libertis suis in libertate præstanda conditiones imponerent, sicut so-

lebant antiquitū, l. 1. ff. de bon. libert. Verūm ( si verū amamus ) de illa iniquitate sive injuriā loquitur Imp. quam libertus infert patrono ; non ex diversō. Præterē dubium non est , quin ea quæ patroni onerande libertatis causā imposuerunt , juris effectu careant , l. 1. §. que onerande , ff. quar. rer. act. non det. Ratio diversitatis & responsio probabilior videtur , cūm jura fiant de his quæ ut plurimum accidunt , l. 3. & 4. seqq. ff. de leg. ab ingenuis ingenuorum moribus eam fraudem non timeri ; quod adoptare velint filios in fraudem parentum : ideoque nullas leges eā de re inter ingenuos fuisse constitutas. Aliud dicendum est in persona libertorum , quorum pessima semper fuit iudeoles : unde auxilie videtur quod pessimos homines vocemus in Gallia ( des libertins ; ) ac proinde recte Plautus in Persa act. 5. Scena ult.

Sed ita pars libertinorum est , nisi patrono qui adversatus est.

Nec satis liber sibi videtur , nec satis frugi , nec satis honestus ;

Ni id efficit , ni ei maledixit ; ni grato ingratus repertus est.

Necessarium itaque fuit , ut patrono adversus fraudulentas libertorum adop-  
tiones Prætorum edicta subvenirent , sicut & in aliis partibus subventum est , to-  
to tit. ff. si quid in fraud. patr. De simili autem ingenuorum fraude in successio-  
nibus vix ullibi mentio est.

Ad §. I.

**Q**UA de causa postea Prætoris edicto hæc juris iniquitas  
emendata est : sive enim faciebat testamentum libertus , jubea-  
tur ita testari , ut patrono partem dimidiā bonorum suorum relin-  
queret ; & si aut nihil , aut minus parte dimidiā reliquerat , daba-  
tur patrono contra tabulas testamenti partis dimidiæ bonorum  
possessio. Sive intestatus moriebatur , suo hærede relicto adop-  
tivo , dabatur æquè patrono , contra hunc suum hæredem , partis  
dimidiæ bonorum possessio. Prodeesse autem liberto solebant ad ex-  
cludendum patronum naturales liberi , non solū quos in potes-  
tate mortis tempore habebat , sed etiam emancipati & in adoptio-  
nem dati : si modò ex aliqua parte scripti hæredes erant , aut præte-  
riti , contra tabulas bonorum possessionem ex edicto [ Prætorio ]  
petierant : nam ex hæredati nullo modo repellebant patronum.

**J**URE itaque Prætorio statutum est , ut libertus qui nullum filium natura-  
lem haberet ex justis nuptiis procreatum , sed filium dumtaxat adoptivum , di-  
midiam partem bonorum suorum patrono relinqueret ; quamvis filius adoptivus  
non minus sit suus hæres , quam filius naturalis , §. adoptivi sup. de exher. lib.  
Alioquin enim si testatus deceperet libertus , dabatur patrono contra tabulas  
testamenti bonorum possessio dimidiæ partis bonorum. Si verò decederet intes-  
tatus , competebat ei bonorum possessio unde legitimi , pro eadem bonorum par-  
te dimidia. Corruptus est haud dubiè locus iste apud Theoph. aut ipse turpiter  
erravit , dum asseruit competere in hoc ultimo casu , patrono bonorum posses-  
sionem contra tabulas : quos duos casus aperte distinxit Ulp. tit. ult. in pr.

Ad

*Ad §. Postea.*

**P**Ostre à verò lege Papiâ adaucta sunt jura patronorum, qui locupletiores libertos habebant. Cautum est enim, ut ex bonis ejus, qui festerium centum millium patrimonium reliquerat, & pauciores quam tres liberos habebat; sive is testamento facto, siue intestatus mortuus erat; virilis pars patrono deberetur. Itaque cum unum quidem filium filiamve hæredem reliquerat libertus, perinde pars dimidia debebatur patrono, ac si is sine ullo filio filiave intestatus decessisset: cum verò duos duasve hæredes reliquerat, tercia pars debebatur patrono: si tres reliquerat, repellebatur patronus.

**L**E<sup>G</sup>E Papiâ adaucta sunt jura patronorum, qui locupletiores libertos habebant; eā namque lege cavebatur, ut ex bonis centenarii seu locupletioris liberti, qui pauciores quam tres filios habebat, virilis pars patrono deberetur, tam ex testamento quam ab intestato; id est dimidia pars, si unum tantum filium libertus reliquisset, perinde ac iure Prætorio diximus constitutum in eo casu quo libertus filium aliquem adoptivum; nullum verò naturalem sive testatus sive intestatus reliquisset. Si autem duos liberos habuisset libertus, tercia pars debebatur patrono. Sed si tres vel plures liberos relinquenter libertus, nulla pars patrono tribuebatur ex L. Papia. Centenarii liberti t̄ dicebantur ex L. Papia, qui habebant in bonis centum millia festeriorum. Ceterum necessarium non est, ut hoc s. legamus testatus pro intestatus cum Theophilo, cum in utroque dimidia pars competit patrono, ut constat ex s. superiori.

*Ad §. pen.*

**S**ED nostra constitutio, quam pro omni natione, Græcâ lingua compendioso tractatu habito composuimus, ita hujusmodi causam definivit; ut si quidem libertus vel liberta minores centenariis sint, id est minus centum aureis habeant substantiam (sic enim legis Papiæ summam interpretati sumus, ut pro mille festeriis unus aurens computetur) nullum locum habeat patronus in eorum successione; si tamen testamentum fecerint. Si autem intestati decesserint, nullo liberorum reliquo; tunc patronatus jus (quod erat ex lege duodecim tabularum) integrum reservavit. Cum verò maiores centenariis sint, si hæredes vel bonorum possessores liberos habeant, sive unum sive plures, cuiuscumque sexus vel gradus; ad eos successiones parentum deduximus, patronis omnibus modis una cum sua progenie semotis. Si autem sine liberis decesserint, si quidem intestati, ad omnem hæreditatem patronos patronasque vocavimus; si verò testamentum quidem fecerint, patronos autem aut

patronas præterierint, cùm nullos liberos haberent, vel habentes eos ex hæredaverint; vel māter, sive avus maternus eos præterierint, ita quòd non possint argui inofficiosa eorum testamenta; tunc ex nostra constitutione per bonorum possessionem contra tabulas, non dimidiam, (ut anteà) sed tertiam partem bonorum liberti consequantur; vel quod deest, eis ex constitutione nostra repleatur, si quando minus tertiam parte bonorum suorum libertus vel liberta eis reliquerit; ita sine onere, ut nec liberis libertæ ex ea parte legata vel fideicomissa præstentur, sed ad cohæredes eorum hoc onus redundet: multis aliis casibus à nobis in präfata constitutione congregatis, quos necessarios esse ad hujusmodi dispositiōnem juris perspeximus, ut tam patroni patronæque, quām liberi eorum, nec non qui ex transverso latere veniunt, usque ad quintum gradum ad successionem libertorum libertarumve vocentur, sicut ex ea constitutione intelligendum est: & si ejusdem patroni vel patronæ, vel duorum duarumque pluriumve liberi sint; qui proximior est, ad liberti vel ad libertæ vocetur successionem, & in capita non in stirpes dividatur successio; eodem modo & in iis, qui ex transverso latere veniunt, servando. Penè enim consonantia jura ingenuitatis & libertinitatis in successionibus fecimus.

**C O N S T I T U T I O N E** denique Justiniani inductum est, ut cùm liberti essent minores centenariis; id est (sicut ipse voluit interpretari) cùm minorem centum aureis haberent substantiam, jus legis duodecim tabularum in eorum bonis sine ulla diminutione observaretur: cùm verò essent centenarii vel majores & sine liberis decederent intestati, ut ad eorum successionem patroni & patronæ vocarentur, secundum vestigia ejusdem L. 12. tab. Si autem testamentum fecissent liberti, & in testamento patronos aut patronas præteriissent nullis liberis relictis, quos justè ex hæredassent, ita ut non possent agere inofficiosi querelā; eo casu Justinianus patrono vel patronæ tertiam partem bonorum liberti detulit sine ullo onere; id est ita illibatam, ut nulla legata vel fideicomissa patronus præstare teneatur, à quo cumque relicta sint. Voluit denique idem Imp. ut successiones ingenuorum & libertorum essent penè similes; id est ut sicuti ingenuis primò succedunt liberi, deinde agnati, & ultimo loco cognati; ita quoque libertis primò succedant eorum liberi, deinde patronus ejusque agnati, tertio denique ejus cognati. Dixi penè similes; qualiter ingenuos jus succedendi nullos habet fines, l. 1. §. 1. ff. de suis & leg. hered. Libertis verò collaterales patroni succedunt, tantum usque ad quintum gradum. Præterea inter ingenuos ita sepe successio in stirpes; libertis verò numquam succeditur, nisi in capita.

Sup. 1. tit. 3. c. 2 articulo 11. in statuta regimoniis eiusdem anno 1500. ov supradicente bonorum transiit in eum. Et iste in modis multis modis successioneq. rite ei subhunc instrumentis oīcū il. curiavat

*Ad §. ult.*

**S**ED hæc de iis libertinis hodie dicenda sunt, qui in civitatem Romanam pervenerunt: cùm nec sint alii liberti, simul & Deedititiis & Latinis sublatis, cùm Latinorum legitimæ successiones nullæ penitus erant; quia licet ut liberi vitam suam peragebant, attamen ipso ultimo spiritu simul animam atque libertatem amitterebant, & quasi servorum bona eorum jure quodammodo peculii ex lege Junia-Norbana manumissores detinebant. Postea verò Senatusconsulto Largiano cautum fuerat, ut liberi manumissoris non nominatim exhæredati facti, extraneis hæredibus eorum in bonis Latinorum præponerentur. Quibus etiam supervenit Divi Trajani edictum, quod eundem hominem, si invito vel ignorantie patrono ad Civitatem Romanam venire ex beneficio Principis festinaret, faciebat quidem vivum Civem Romanum, Latinum verò morientem. Sed nostrâ constitutione propter hujusmodi conditionum vices, & alias difficultates, cum ipsis Latinis etiam Legem Juniam, & Senatusconsultum Largianum, & Edictum Divi Trajani in perpetuum deleri censuimus; ut omnes liberi civitate Romanâ fruantur, & miribili modo quibusdam adjectionibus ipsas vias, quæ in Latinitatem ducebant, ad Civitatem Romanam capiendam transposuimus.

**C**IRCA successionem Libertini Latini, quatuor iidem jura observanda sunt, Lex Junia-Norbana, SC. Largianum, Edictum D. Trajani, & Constitutio Justiniani. Lege Junia-Norbana cautum erat, ut Latinorum bona, ipsis mortuis jure quodammodo peculii ad patronos eorumque hæredes pertinerent. Dixi jure quodammodo peculii; quia propriè loquendo non est peculum liberi hominis nisi sit filius familiæ. Ex SC. Largiano inductum fuit, ut liberi manumissori ab eo manumissore non exhæredati, extraneis ejus hæredibus præferrentur in successione Latini. Ex Edicto D. Trajani, Latini qui inconsulto vel invito patrone jura civitatis à Principe impetrassent, vivebant quidem ut Cives Romani, ne foret inutile beneficium Principis; sed moriebantur ut Latini, ne Principis beneficium in tertii injuriam ac detrimentum verteretur: quod juris ratio non patitur, *l. 4. C. de emancip. liber.* Constitutione denique Justiniani tria illa jura abrogata sunt, & inductum est, ut omnes libertini per manumissionem fierent Cives Romani, *l. un. C. de Lat. lib. toll.* Imò verò omnibus libertinis jura ingenuitatis concessit, *Nov. 78.* salvo tamen jure patronatus; quod sublaturus fuisse videtur, nisi timuisset; ne hæc injectâ formidine dominorum in servis suis manumittendis, munificentia retardaretur,



## T I T U L U S I X.

### DE ADSIGNATIONE LIBERTORVM.

*Ad Print.*

**I**N summa ( quod ad bona libertorum attinet ) admonendi sumus , censuisse Senatum , ut quamvis ad omnes patroni liberos , qui ejusdem gradus sunt , æqualiter bona libertorum pertineant , tamen licere parenti , uni ex liberis adsignare libertum , ut post mortem ejus solus is patronus habeatur , cui adsignatus est : & cæteri liberi , qui ipsi quoque ad eadem bona , nullâ adsignatione interveniente pariter admitterentur , nihil juris in his bonis habeant ; sed ita demum pristinum jus recipient , si is , cui adsignatus est , deceperit nullis liberis relictis .

**A D S I G N A T I O** libertorum † nihil est aliud , quam prædilectio quædam patris manumissoris , quâ declarat velle se , ut quidam ex liberis suis ejuscumque gradus aut sexus fuerit , si modò sit in ipsius potestate , in personam sui liberti vel libertæ jura patronatus solus obtineat . Ejus autem adsignationis hic est effectus præcipuus , ut ille cui adsignatus est libertus , solus ad ejus successionem vocetur ; perinde ac si eum servum manumisisset , quamvis cæteri liberi non desinant esse patroni , l. 3. §. capitis , ff. de bon. libert.

Dixi 1. patris manumissoris ; quia liberi manumissoris , licet pro patronis habentur , Vlp. tit. 29. & l. 5. de jur. patron. paternum tamen libertum adsignare non possunt , l. liberi , ff. b. t. Quoties enim potestas quædam speciali Legi vel SC. concessa est , ut sit in hoc casu , verba Legis restrictè accipiuntur .

*Ad §. x.*

**N**E c tantum libertum , sed etiam libertam ; & non tantum filio nepotive , sed etiam filiæ neptive adsignare permittitur .

Dixi 2. ejuscumque gradus ; quia non tantum in favorem filii adsignatio fieri potest , sed etiam in gratiam nepotis , excluso filio , l. 3. §. 1. ff. b. t. Et additur aut sexus , quia in eo SC. generaliter dicitur si quis duos , &c. verbum autem hoc si quis tam masculos , quam foeminas comprehendit , l. 1. ff. de verb. signif. quod apud Theoph. de filia & nepote perperam omissum , ex tex- tu Justinianæ supplendum est .

*Ad §. penult.*

**D**atur autem hæc adsignandi facultas ei, qui duos pluresve liberos in potestate habebit, ut eis, quos in potestate habet, adsignare libertum libertamve liceat. Unde quærebatur, si eum, cui adsignavit, posteà emancipaverit; num evanescat adsignatio? Sed placuit evanescere, quod & Juliano & aliis plerisque visum est.

**D**ixi 3. in potestate constitutis; quia jus patronatus debet in familia patrōni remanere: imò verò inutilis sit adsignatio, si filius in potestate constitutus, deinde emancipetur, locum habente in eo casu regula juris civilis, quod ea quæ ab initio constiterunt inutilia fiant, si in eum casum pervenerint à quo incipere non possunt. Nihilominus tamen, si filio emancipato conjunctim cum eo qui est integri juris libertus adsignetur, valet adsignatio propter conjunctum, l. 9. ff. b. t.

*Ad §. ult.*

**N**ec interest, an testamento quis adsignet, an sine testamento, sed etiam quibuscumque verbis patronis hoc permittitur facere, ex ipso Senatusconsulto, quod Claudianis temporibus factum est, Sabellio Rufo & Asterio Scapulâ Consulibus.

**C**ETERUM parùm interest, utrum in testamento vel in codicillis fiat hæc adsignatio, vel inter vivos per donationem aut epistolam vel chirographum. Imò vero solo nutu fieri potest, l. 1. §. 3. & l. 7. ff. b. t. quia verbum adsignandi quo utitur SC. ad quamcumque declarationem pertinet. Ubi autem Lex non distinguit, neque nos debemus distinguere, l. de petito, ff. de publ. in rem act.



## T I T U L U S X.

### *DE BONORVM POSSESSIONIBVS.*

*Ad Princip.*

**T**US bonorum possessionis introductum est à Prætore emendandi veteris juris gratiâ. Nec solum in intestatorum hæreditatibus vetus jus eo modo Prætor emendavit, sicut soprà dictum est; sed in eorum quoque, qui testamento facto decesserint. Nam si alienus posthumus hæres fuerit institutus, quamvis hæreditatem jure civili adire non poterat, cùm institutio non valebat; honorario tamen ju-

re bonorum possessor efficiebatur, videlicet cum a Prætore adjuvabatur. Sed & is a nostra constitutione recte hæres instituitur, quasi & jure civili non incognitus. Aliquando tamen, neque emendandi, neque impugnandi veteris juris, sed magis confirmandi gratia Prætor pollicetur bonorum possessionem. Nam illis quoque, qui recte testamento facto hæredes instituti sunt, dat secundum tabulas bonorum possessionem. Item ab intestato suos hæredes, & agnatos ad bonorum possessionem vocat. Sed & remotâ quoque bonorum possessione, ad eos pertinet hæreditas jure civili.

**HÆREDITATE** hactenus expositâ, sequitur, ut alios quinque modos acquirendi rerum dominii per universitatem videamus, inter quos primatum obtinet bonorum possessio; quippe quæ est simillima hæreditati, quatenus suis bonorum possessoribus illa omnia indulget Prætor, quæ veris hæredibus jus civile, l. 1. ff. de poss. her. pet. Cavendum autem, ne bonorum possessionem cum possessione bonorum confundamus. Nam bonorum possessio plerumque est juris; possessio vero bonorum est facti. Definitur autem bonorum possessio + jus persequendi, retinendique patrimonii, quod cujusque cum moritur fuerit, l. 3. ff. b. t.

*Ad §. Quos autem.*

**Q**uos autem solus vocat Prætor ad hæreditatem, hæredes quidem ipso jure non fiunt; nam Prætor hæredem facere non potest: per legem enim tantum, vel similem juris constitutionem hæredes fiunt, veluti per Senatusconsulta & Constitutiones principales: sed cum eis Prætor dat bonorum possessionem, loco hæredum constituuntur, & vocantur bonorum possessores. Adhuc autem & alios complures gradus Prætor fecit in bonorum possessionibus dandis, dum id agebat, ne quis sine successore moreretur. Nam angustissimis finibus constitutum per Legem duodecim tabularum jus percipiendarum hæreditatum, Prætor ex bono & æquo dilatavit.

**HÆC** successio jure Prætorio constituta, vocatur potius bonorum possessio quam hæreditas; quia Prætor hæredem facere non potest, sed Lex tantum aut similis juris Constitutio Legis vim habet. Hæredem enim facere est dominum facere, §. ult. sup. de her. qual. & differ. quod soli Legi permittitur, quæ omnium rerum divinarum atque humanarum domina est ac regina, l. 2. ff. de legibus.

*Ad §. Sunt autem.*

**S**UNT autem bonorum possessiones ex testamento quidem hæ. Prima, quæ præteritis liberis datur, vocaturque *Contra tabulas*.

Secunda, quam omnibus jure scriptis hæredibus Prætor pollicetur, idèoque vocatur Secundum tabulas [testamenti.] Et cùm de testamenti priùs locutus est, ad intestatos transitum fecit. Et primo loco suis hæredibus & iis, qui ex edicto Prætoris inter suos hæredes connumerantur, dat bonorum possessionem, quæ vocatur *Unde liberi*. Secundo, legitimis hæredibus. Tertio, decem personis, quas extra-neo manumissori præferebat: sunt autem decem personæ hæ, pater, mater, avus, avia, tam paterni quam materni; item filius, filia, nepos, neptis, tam ex filio quam ex filia; frater sororve, consanguinei vel uterini. Quarto, cognatis proximis. Quinto, *Tamquam ex familia*. Sexto, patrono, patronæque, liberisque eorum, & parentibus. Septimo, viro & uxori. Octavo, cognatis manumissoris.

BONORUM possessiones † antiquius erant decem, duæ scilicet ex testamento, & octo ab intestato; sed hic numerus à Justiniano immunitus est.

Ex testamento † duæ competunt bonorum possessiones contra tabulas, & secundum tabulas. Bonorum possessio contra tabulas, † est illa quæ liberis, patronis, & parentibus testamento præteritis conceditur; ita dicta quod detur contra illud quod scriptum est, in tabulis testamenti. Quæ tabulæ cùm essent lignæ, idèo ista bonorum possessio dicitur etiam bonorum possessio contra lignum, *i. quod vulgo, ff. de bon. poss. contra tab.* Bonorum possessio secundum tabulas, † est illa quæ jure scriptis hæredibus datur; licet eos interdum ius civile non agnoscat: cujusmodi sunt posthumi alieni. Imò verò aliquando idem juris est, licet jure civili testamentum non consistat, dummodò illud testamentum septem testium signaculis munitum sit, *§. non tamen, suprà quib. mod. test infirm.* Hæc enim est forma, quam Prætor exigit in confiendo testamento, *§. sed predicta, sup. de testam. ordin.*

Ab intestato † octo olim erant bonorum possessiones, unde liberi, unde legitimi, unde decem personæ unde cognati, tamquam ex familia, unde patroni patronæque liberique eorum, unde vir & uxor, & unde cognati manumissoris. Bonorum possessio unde liberi, † est illa quam sui hæredes & illi qui suorum loco sunt, putæ liberi emancipati, vocantur jure Prætorio ad patris vel avi successiōnem. Bonorum possessio unde legitimi † est illa, quæ defertur agnatis & patronis, nec non etiam aliis, qui suis hæredibus deficientibus ex Constitutionibus vel Senatusconsultis, vocantur ad legitimam hæreditatem. Bonorum possessio unde decem personæ, † est illa quæ decem personis deferebatur, excluso extra-neo manumissore in successione filii non contractâ fiduciâ emancipati. Sunt autem hæ decem personæ; pater, mater, avus, avia tam materni quam paterni, filius, filia, nepos, neptis, frater, & soror. Bonorum possessio unde cognati, † est illa ad quam vocantur cognati, nullis extantibus suis hæredibus aut agnatis. Bonorum possessio tamquam ex familia, sive ut alii legant, tum quem ex familia, † est illa, quæ deficientibus patronis liberisque eorum, datur agnatis patroni ad obtinendam successionem libertorum. Bonorum possessio unde patroni patronæque liberique eorum, † est illa quæ patronis utriusque sexus defertur, nec non etiam liberis eorum ad obtinendam liberti sui successionem, tunc tantum

illis competens, cùm bonorum possessionem unde legitimi omiserunt, & cùm nullus est, cui bonorum possessio ex superioribus edicti partibus debeat. Bonorum possessio unde vir & uxor, † est illa quā defientibus suis hæredibus, agnatis & cognatis, patronis eorumque liberis & agnatis, vir ad successionem uxoris, & vice mutuā uxor ad successionem viri vocatur, excluso fisco. Bonorum possessio unde cognati manumissoris, † est illa quæ patrōi cognatis datur in successione libertorum, defientibus personis omnibus quæ in superioribus edicti partibus enumerantur.

*Ad §. Sed eas.*

**S**E D eas quidem Prætoria introduxit jurisdictio: à nobis tamen nihil incuriosum prætermissum est; sed nostris constitutionibus omnia corrigentes, *Contra tabulas* quidem, & *Secundum tabulas*, bonorum possessiones admisimus, utpotè necessarias constitutas: nec non ab intestato *Unde liberi*, & *Unde legitimi*, bonorum possessiones. Quæ autem in Prætoris edicto quinto loco posita fuerat, id est, *Unde decem personæ*; eam pio proposito, & compendioso sermone supervacuum ostendimus. Cùm enim præfata bonorum possessio decem personas præponebat extraneo manumissori; nostra constitutio, quam de emancipatione liberorum fecimus, omnibus parentibus eisdemque manumissoribus contractâ fiduciâ manumissionem facere dedit; ut ipsa manumissio eorum hoc in se habeat privilegium, & supervacua fiat supradicta bonorum possessio. Sublatâ igitur prædictâ quintâ bonorum possessione, in gradum ejus sextam anteà bonorum possessionem induximus; & quintam fecimus, quam Prætor proximis cognatis pollicetur. Cùmque anteà fuerat septimo loco bonorum possessio tamquam ex familia, & octavo *unde patroni* *patronaque*, *liberi*, & *parentes eorum*; utramque per constitutionem nostram, quam de jure patronatus fecimus, penitus evacuavimus. Cùm enim ad similitudinem successionis ingenuorum, libertinorum successiones posuimus, quas usque ad quintum gradum tantummodo coarctavimus, ut sit aliqua inter ingenuos & libertinos differentia; sufficit eis tam *contra tabulas* bonorum possessio, quæm *unde legitimi*, & *unde cognati*, ex quibus possunt sua jura vindicare, omni scrupulositate & inextricabili errore istarum duarum bonorum possessionum resolutâ. Aliam verò bonorum possessionem, quæ *unde vir* & *uxor* appellatur, nono loco inter veteres bonorum possita fuerat, & in suo vigore servavimus, & in altiore loco, id est sexto, eam posuimus: decimâ quoque bonorum possessione, quæ erat *unde cognati manumissoris*, propter causas enumeratas meritò sublatâ; ut sex tantummodo

tantummodo bonorum possessiones ordinariae permaneant, suo vi-  
gore pollentes.

*E*x his bonorum possessionibus Justinianus Imperator quatuor sustulit. Primo quidem tertiam ab intestato, quæ dicebatur *unde decem persone*, abrogavit; quia cum hodie pater intelligatur semper filium contractam fiduciæ emancipasse, *s. ult. sup. de leg. ang. succ.* superflua fit ea bonorum possessio; cui tantum locus esse potest, cum fiducia illa contracta non fuit. Abrogavit præterea quintam ab intestato, *tamquam ex familia*; & sextam, *unde patroni patronaque, liberique eorum*; & ultimam insuper, *unde cognati manumissoris*; quia ejusdem Principis constitutione, successiones libertorum successionibus ingenuorum ferè similes factæ sunt. Unde fit, ut patronus ejus agnati & cognati liberi succedunt, per easdem bonorum possessiones *unde legitimi & unde cognati*, quæ competit in successione ingenuorum. Sunt itaque hodie sex tantum ordinariae bonorum possessiones, videlicet contra tabulas, secundum tabulas, unde liberi, *unde legitimi*, *unde cognati*, & *unde vir & uxor*.

*Ad §. Septima.*

**S**EPTIMA eas secuta, quam optimâ ratione Prætores introduxerunt. Novissimè enim promittitur edicto iis etiam bonorum possessio, quibus detur, Lege, vel Senatusconsulto, vel Constitutione comprehensum est: quam neque bonorum possessionibus, quæ ab intestato veniunt, neque iis, quæ ex testamento sunt, Prætor stabili jure connumeravit; sed quasi ultimum & extraordinarium auxilium (prout res exigit) accommodavit, scilicet iis, qui ex Legibus, Senatusconsultis, Constitutionibusve Principum ex novo jure, vel ex testamento, vel ex intestato veniunt.

**E**ST & alia extraordinaria bonorum possessio, quæ appellatur, ut ex Legibus & SC. vel Constitutionibus Principum, quæ illis datur qui ex novis Legibus, Senatusconsultis, vel Constitutionibus Principum ad bonorum possessionem vocantur. Exempli gratiæ: successio militis capite damnati propter militare delictum, ex Constitutione Imperatoris Hadriani defertur proximis ab intestato, usque ad quintum gradum, & scriptis etiam in testamento per istam bonorum possessionem, *l. 2. ff. de veteranorum & militum successione*, citra quam bonorum possessionem, nullam successorem miles habere posset, propter supplicium capitale quod patitur. Vocatur autem extraordinaria, quia non est ex certo ordine, neque ex testamento tantum, aut ab intestato tantum competit ut cæteræ, sed ex alterutra causa indistincte; vel etiam quis præter ordinem juris communis competit.

*Ad §. Cùm igitur.*

**C**UM igitur plures species successionum Prætor introduxisset, easque per ordinem disposuisset; & in uniuersaque specie succes-

sonis s<sup>e</sup>pe plures extent dispari gradu personæ; ne actiones creditorum differantur, sed haberent quos convenienter, & ne facile in possessionem bonorum defuncti mitterentur, & eo modo sibi consulerent; ideo petendæ bonorum possessioni certum tempus præfinit. Liberis itaque & parentibus, tam naturalibus, quam adoptivis, in petenda bonorum possessione anni spatium, cæteris autem agnatis, vel cognatis, centum dierum dedit.

**P R E T E R** differentias hæreditatis & bonorum possessionis jam allatas, hæc insuper est inter utramque insignis disparitas advertenda, quod petitio hæreditatis non minorem quam triginta annorum præscriptionem patiatur, *l. 3. C. de presc. trig. vel quadr. ann.* Bonorum autem possessioni petendæ certum tempus præfinitum est; quo elapo, cæteris ejusdem ordinis, qui sunt in ulteriori gradu, defertur bonorum possessio; vel illo ordine deficiente ad alium ordinem devolvitur. Liberis & parentibus ad petendam bonorum possessionem, largius tempus, id est anni spatium, in honorem sanguinis tributum est, *l. 1. §. largius, §. ult. ff. de success. edic.* quia arctandi non erant, qui penè ad propria bona veniunt, *d. §. largius*: cæteris vero concessi sunt centum dies, id est agnatis & cognatis: Theoph. autem rectè explicat cognatis extraneis; putà viro & uxori, agnatis & cognatis manumissoris, & extrancis scriptis hæredibus.

*Ad §. penult.*

**E**T si intra hoc tempus aliquis bonorum possessionem non petierit, ejusdem gradus personis accrescit: vel, si nullus sit, deinceps cæteris bonorum possessionem perinde ex successorio edicto pollicetur, ac si is, qui præcedebat, ex eo numero non esset. Si quis delatam sibi bonorum possessionem repudiaverit, non quousque tempus bonorum possessioni præfinitum excederit, expectatur: sed statim cæteri ex eodem edicto admittuntur. In petenda autem bonorum possessione dies utiles singuli considerantur.

**C O N V E N I T** autem bonorum posses<sup>s</sup>io cum hæreditate in multis, sed in duobus maximè. Primum est, quod in utraque sit locus juri accresendi: ita ut si eum uno hærede repudiante hæreditatem, cæteris ejusdem gradus, ejus portio statim accrescit, *l. un. §. his ita definitis, C. de cad. toll.* ita quoque idem jus servetur in bonorum possessione. Si autem nullæ sint aliae ejusdem gradus personæ, ad ultiore gradum vel ordinem utrumque jus pari jure statim devolvitur. Idemque juris est, si intra tempus edicto definitum, bonorum posses<sup>s</sup>io acquisita non sit; quod tamen ita intelligendum est, ut dies singuli utiles non continui numerentur. Quomodo autem hi dies differant expositum est *ad §. qui autem, sup. de excus.*

*Ad §. ult.*

**S**ED bene anteriores Principes & huic causæ providerunt, ne quis pro petenda bonorum possessione curet; sed quocumque

modo admittentis *cam judicium* (*intra statuta tamen tempora*) os-  
tenderit, plenum habeat earum beneficium.

**C O N V E N I U N T** secundò hæreditas & bonorum possessio, quod sicut hodie  
cretionum & aditionum solemnia in hæreditatis petitione sublata sunt, §. ult.  
*sup. de hæred. qual. & diff.* ita etiam & in petenda bonorum possessione nulla  
hodie solemnitas desideretur, sed sufficiat quocumque *cam* admittentis  
indictum.

Cæterum alia insuper divisio bonorum possessionum advertenda est, de qua  
mentionem habuimus *in §. non tamen, sup. quib. mod. test. infirm.* videlicet †  
quod quædam sint cum re, id est cum effectu acquirendi bona defuncti; aliae  
vero sine re, id est titulo tenus & sine acquisitione bonorum; qualis est ea  
qua datur agenti in officiis querelâ, litis ordinandæ gratiâ, l. 2. C. de inoff. test.  
l. 8. in pr. ff. cod. & *Vlp. lib. reg. b. t. §. ult.*

## A P P E N D I X

### D E S U C C E S S I O N I B U S ab intestato, secundum jus novissimum.

**C E S S A N T E** hodie supradicto triplici succendentium ordine, suorum ha-  
redum, agnitorum & cognatorum; triplex alias observandus est descen-  
dantium, ascendentium, & collateralium, ex Nov. Justiniani 118.

Descendentium prima semper est causa in successione legitima; quia ratio  
naturalis, tamquam lex quædam tacita, liberis paternam hæreditatem addicit,  
l. 7. in pr. ff. de bon. damnat. & ut eleganter ait Papin. in l. 7. §. ult. ff. β tab.  
test. *nulle exr.* liberos ad eam successionem vocat naturæ simul & parentum  
commune votum. Idque in omnibus liberis obtinet indistinctè, sive fuerint in  
sacris paternis constituti, sive emancipati, nullo etiama adhibito discrimine,  
utrum masculi fuerint, vel alterius sexus; & utrum ex feminis vel ex masculis  
fuerint procreati: quia debet liberos jungere æqualis gratia, quos junxit æqualis  
natura. Nulla denique intercedente disparitate, utrum fuerint legitimè nati,  
vel legitimati per subsequens matrimonium; quia hujusmodi liberi legitimè  
natis æquiparantur, cap. ianta est vis, ext. qui fil. sunt legit. Filii autem spuri &  
naturales non legitimati, numquam parentibus suis succedunt in hoc Regno,  
ex generali consuetudine, quæ filii non legitimis minimè favet. Ex impuro  
siquidem fonte puri latices expectandi non sunt.

Hæc parentum successio, quoties non agitur de solis filiis aut filiabus, sem-  
per dividitur inter liberos in stirpes, numquam in capita, §. cum filius, sup. de  
hæred. que ab intst. defer. quia jus representationis, quod suo sopra loco expo-  
sum est, locum habet usque in infinitum in linea descendantium, Nov. Just.  
118. cap. 1. Quamvis autem liberi, in successione legitima defuncti, ascen-  
dentes à successione excludant; quia parentum successio magis debetur liberis,

quam liberorum hereditas parentibus debeatur, d. l. 7. §. ult. cawendum tamen ne extimemus, mortuo filio, qui liberos habebat, patrem ejus amittere usumfructum peculii adventitii anteac acquisitum, d. cap. 1. vers. nam in usu. Usufructuario enim superstite, licet dominus proprietatis rebus humanis eximatur; jus tamen utendi fruendi non tollitur, l. 3. in fine C. de usufr.

Deficientibus descendantibus, proxima causa est ascendentium in successione legitima, ad quam non ex jure aut voto naturae vel filiorum vocantur, sed potius turbato ordine mortalitatis tristem & luctuosam liberorum successionem nanciscuntur, solo commiserationis intuitu, d. l. 7. §. ult. ne videlicet & filiorum amissorum & pecuniae damnum sentiant, l. 6. ff. de jvr. dot. Nam et dicitur in l. ult. C. commun. de success. pater filii sui non gratam hereditatem relictam, sed triste lucrum sibi luget acquisitum. Ideoque suo more eleganter Plinius in Panegyr. eam successionem liberorum, quae parentibus defertur, lacrymarum nomine appellat, dum ait: *lacrymas parentum vestigales esse non patens*. In hoc autem ordine succendentium duo casus distinguendi sunt; vel enim soli sunt ascendentes, vel cum illis collaterales aliquos, defunctus reliquit superstites.

Si ascendentes soli fuerint, dividitur inter eos aequaliter liberorum hereditas: ita ut proximior ulteriore, v. g. pater avum excludat, d. Nov. 118. cap. 2. Et ut ordine procedat haec disputatio, si pater solus ex descendantibus superstites fuerit, solus succedit; idemque de sola matre superstite statuendum est, propter similitudinem rationis. Sin autem pater cum matre concurrat, excludentur procul dubio ascendentes remotiores, totusque ususfructus honorum adventitiorum remanet apud patrem sicut alibi diximus; proprietas vero inter utrumque aequaliter dividitur. At si pater & mater jam defuncti fuerint, & plures sint alii ascendentes in eodem gradu, dispari tamen numeri, v. g. avus & avia materni, & avus tantum paternus; dimidia pars hereditatis avo paterno soli tribuetur; & dimidia altera, avo & avia maternis, d. Nov. cap. 2.

Sin autem collaterales aliqui cum descendantibus concurrant, succedunt etiam soli ascendentes; cujuscumque sexus fuerint, exclusi omnibus defuncti collateribus, qui remotiores sunt. Verum si extent fratres aliqui defuncti superstites, ex utroque latere ei conjuncti, aliud dicendum est. Eo enim casu hereditas inter patrem & fratres aequaliter dividitur, secundum numerum personatum; patre nullum usumfructum in hujusmodi bonis adventitiis filiorum suorum obtinente: quoniam pro usufructu quem tantum habebat pater antiquitus, l. ult. C. commun. de success. datum est illi jus plenum proprietatis in successione filii sui. Neque ullum discrimen habendum est, an ille filius vel nepos, cui succedunt, emancipatus fuerit, vel in potestate eorum constitutus. Nec refert, an per virilis vel per muliebris sexus personas fuerit conjunctus; quia omnis agnitionis & cognitionis differentia, quantum ad successiones & tutelas, hodie sublata est, d. Nov. 118. cap. 4. At si defunctus, patrem, matrem, fratrem unicum ex utroque latere conjunctum, & ex alio fratre similiter conjuncto premortuo, vel sorore premortua, duos nepotes reliquerit; hujusmodi nepotes jure representationis cum avo, avia & patruo ad virilem, id est ad quartam hereditatis vocantur; eamque dumtaxat partem omnes simul nanciscuntur, inter se aequaliter dividendam, quam eorum pater vel mater si viveret habuisset, Nov. 127. cap. 1. ubi corrigitur d. Nov. 118. cap. 3. vers. sed & ipsi. in quo contrarium fuerat constitutum.

Deficientibus denique liberis & parentibus, ad collaterales devolvitur hæreditas ; nullo, ut diximus, adhibito discrimine agnationis & cognationis ; sed solâ observatâ gradus prærogativâ, d. Nov. 118. cap. 4. & 5. Et primum quidem locum obtinent fratres ex utroque parente conjuncti ; qui fratres & sorores ex uno dumtaxat latere conjunctos excludunt. Idem quoque jus habent filii fratribus ex utroque latere conjunctorum, ut succedant cum iisdem thii suis, & excludant easdem personas. Non tamen nepotibus eadem juris prærogativa concessa est. At si nulli tales fratres, vel eorum filii extiterint ; fratres ex uno latere soli succidunt, & quoscumque remotiores collaterales excludunt, exceptis similium fratribus vel sororum filiis vel filiabus : qui omnes jure representationis in locum parentis sui succedunt ; & eamdem simul omnes portionem obtinent, quam eorum parentis si viveret habuisset, d. Nov. 118. cap. 3.

Sin autem nulli extiterint fratres defuncti, sed fratribus dumtaxat sororumve filii vel nepotes, vel alii collaterales ; tunc cessante jure representationis, proximior remotorem excludit ; ac proinde successio fit in capita non verò in stirpes ; quia Justinianus Imp. id privilegium representationis concessit tantum fratri filii cum thio aliquo suo concurrentibus, id est cum patruo aliquo suo vel avunculo, d. cap. 3. & auth. post fratres, C. de legit. hæred. Eo itaque casu, quo defunctus fratri unius præmortui unicum filium ; & alterius fratri præmortui tres filios reliquerit, proderit illi unico fratri filio, quod defunctus alium quoque fratrem reliquerit superstitem. Namque ejus interventu fieri, ut in stirpes non in capita dividatur hæreditas, d. cap. 3. Atque ita fit ut aliquis, propter conjunctionem quam habet cum altero, illud obtineat, quod ex se solo habere non potuisse ; sicut etiam accidit in aliis casibus, l. ult. ff. de lib. & post. & l. 9. ff. de assign. libertis.

Præterea monendi sumus, post fratres fratribusque filios, multitudinis vinculum rationem nullam haberi ; ideoque patrum defuncti ex uno tantum latere ei conjunctum ; cum patruo altero ex utroque parente conjuncto æqualiter succedere, id est cum eo cui pater defuncti erat frater ex utroque latere ; quia in illis collateralibus remotioribus solus cognationis gradus inspicitur, d. auth. post fratres.

Si nulli fuerint cognati ex triplici ordine mox enumerato, uxor viro, vel vir uxori succedit, l. 1. C. unde vir & uxor ; quia iniquum esset exclusis hujusmodi personis, tam arcto secum vinculo conjunctis, qua eorumdem bonorum dominium aliquatenus habuerunt, fiscum succedere, contra quem in dubio respondendum esse aiebat Modestinus, l. 10. ff. de jure fisci. Ceterum, jure affinitatis numquam succeditur, l. 7. C. comm. de success.

Ultimo loco in bonis vacantibus fiscus succedit, l. 4. C. de bon. vacant. lib. 10. quia cum Princeps totius Imperii dominus sit, & totius populi pater, æquum est ut ceteris deficientibus, subditorum bona iure quodam accrescendi, & pleno iure dominii retineat, vel saltem iure successionis nanciscatur.



# T I T U L U S X I.

## DE ACQUISITIONE PER ADROGATIONEM.

*Ad Princip.*

**E**S & alterius generis per universitatem successio : quæ neque Lege duodecim tabularum , neque Prætoris edicto , sed eo jure , quod consensu receptum est , introducta est.

**SEQUITUR** tertius modus acquirendi dominii per universitatem , acquisitio per adrogationem , quæ nullo jure scripto prodita est , sed tantum moribus , & tacito illiteratoque consensa Populi Romani , sicut patria potestas , l. 8. ff. *de his cui sui vel al. juris sunt* ; ex quâ patriâ potestate dicit originem. Mores autem appellantur jus consensu receptum ; quia in rebus ipsis & factis magis elucet atque appetit populi consensus , quam in nuda atque unica expressione suffragii .

*Ad §. 1.*

**E**CCE enim cùm paterfamilias sese in adrogationem dat , omnes res ejus corporales & incorporales , quæque ei debitæ sunt , adrogatori anteà quidem pleno jure acquirebantur ; exceptis iis , quæ per capitis diminutionem pereunt , quales sunt operarum obligationes , & jus agnationis. Usus etenim & ususfructus , licet his anteà connumerabantur , attamen capitis diminutione minimâ eos tolli prohibuit nostra constitutio.

**E**ST autem acquisitio per adrogationem + successio , quâ universa bona adrogati , quæ capitis diminutione non pereunt , nec non etiam liberi ejus transiunt in potestatem adrogatoris. Dixi primò *successio* ; quia adrogator hæredi æquiparatur , l. 22. §. pen. & ult. ff. *de inoff. testam.* Dixi 2. *universa bona adrogari* ; quia filiusfamilias nihil proprium habere potest , cùm in aliena potestate sit , & quidquid habet filiusfamilias , statim transeat in dominium patris , l. 79. ff. *de acquir. hered.*

Dixi 3. *qua capitis diminutione non pereunt* ; quia ea quæ personæ cohærent , ideoque capitis diminutione pereunt , ad adrogationem transferri non possunt : cujusmodi sunt agnationum jura , & operarum officialium obligationes ; quia soli personæ patroni præstari debent , non extraneo , qualis est pater adoptivus , l. 9. §. 1. ff. *de oper. libert.* Quod ut intelligatur , & simul exponatur quod Theoph. se expositurum pollicetur , sed memorie lapsu prætermittit , scien-

dum est, operas tamen nihil aliud esse quam diurnum officium, l. 1. ff. eod. Gallicè (*les journées on corvées*;) ita dictæ, vel à corpore in laboribus incurvando, vel à coadiuvando.

Operarum autem quas Patrono libertus debet, tamen quædam sunt officiales, & quædam artificiales. Officiales tamen dicuntur quas officii causa patrono suo libertus præstat. Hæ vocantur etiam obsequiales, eò quod in obsequio maximè consistant; & debentur naturaliter, & civiliter. Debentur naturaliter, etiamsi promissæ non fuerint; quia ut bene facienti gratiam aliquis referat, natura obligatur, l. sed ersi, §. consilir. & §. planè, ff. de hær. per. ejusque obligationis hæc est vis ac potestas, non quidem ut peccati possint, sed ut repeti nequeant, si soluta fuerint, l. 26. §. libertus, ff. de cond. indeb. & ut ipsa post minimam capitum diminutionem perseveret, l. 8. ff. de cap. min. Debentur autem civiliter, vi stipulationis aut jurisjurandi. Eaque obligatio licet actionem pariat, minimâ capitum diminutione extinguitur, ut ait Imp. qui in hoc loco de naturali operarum obligatione minimè loquitur, sed de civili dumtaxat. Aliud autem juris est in operis servorum legatis, quas capitum minimâ diminutione non extingui certissimi juris est, l. 2. ff. de oper. serv.

Artificiales opera tamen sunt, quas Patrono libertus præstat, non ut Patrono, sed ut cuilibet extraneo; ita dictæ quod alicujus artis propriæ sint, v. g. cum libertus est pictor aut faber: unde interdum pictoriae aut fabriles dicuntur. Hæ non debentur, nisi fuerint promissa per stipulationem aut jusjurandum.

*Ad §. penult.*

**N**UNC autem nos eamdem acquisitionem, quæ per adrogationem siebat, coarctavimus ad similitudinem naturalium. Nihil enim aliud, nisi tantummodo ususfructus tam naturalibus parentibus, quam adoptivis per filios familiarium acquiritur in iis rebus, quæ extrinsecus filiis obveniunt, dominio eis integro servato. Mortuo autem filio adrogato in adoptiva familia, etiam dominium rerum ejus ad adrogatorem pertransit; nisi supersint aliæ personæ, quæ ex constitutione nostra, patrem in iis, quæ acquiri non possunt, antecedant.

**A**LIAM quoque restrictionem ex Justiniani constitutione accepit hæc acquisitione. Voluit enim ut ad similitudinem filiorum naturalium, in quorum peculiis adventitiis pater solum habet usumfructum, l. 6. C. de bonis que liberis, pater adoptivus in bonis adrogati nihil aliud acquireret, quam usumfructum, dominio apud adrogatum remanente. Mortuo quoque filio adrogato, eadem jura observanda sunt, quæ supra tradidimus circa successionem naturalium liberorum.

*Ad §. ult.*

**S**E ex diverso, pro eo, quod iis debuit, qui se in adoptionem dedit, ipso quidem jure adrogator non tenetur, sed nomine filii

convenitur; & si noluerit eum defendere, permittitur creditoribus per competentes nostros Magistratus, bona quæ ejus cum usufructu futura fuissent, si se alieno juri non subiecisset, possidere, & legitimo modo disponere.

QUAMVIS autem ex stricto jure pater ex contractu filiorum non teneatur, quia utriusque tenetur ex suo contractu, non ex alieno, *i. pen. C. ne uxor pro marito conveniatur*; utiles tamen actiones adversus adrogatorem ex prioribus adrogati contractibus competunt: primò, quia æquum est, ut onerum actionum sustineat, qui percipit commodum successionis, *tot. tit. de leg. pat. tut.* tum etiam quia bona adrogati cum sua causa in dominium adrogatoris transferunt. Atque ideò pater non satisfaciente, poterunt creditores ea bona possidere, & distrahere auctoritate Magistratus competentis.



## T I T U L U S X I I .

### DE E O C V I L I B E R T A T I S C A U S A bona addicuntur.

*Ad Princip.*

**A**CCESSIT novus casus successionis ex constitutione Divi Marci. Nam si ii, qui libertatem acceperunt à domino in testamento ex quo non aditur hereditas, velint bona sibi addici libertatum conservandatum causâ, audiuntur.

QUARTUS modus acquirendi per universitatem, est addictio bonorum libertatis causâ; & definiri potest † universalis acquisitio, quâ universa bona illius qui datis libertatibus sine successore decepit, acquiritur ei, qui & libertates dare, & creditoribus satisfacere idoneè promiserit. Hæc acquisitio inducta est constitutione D. Marci, & constitutione Justiniani extensâ.

*Ad S. I.*

**E**T ita Divi Marci rescripto ad Pompilium Rufum continetur; Verba rescripti ita se habent: Si Virginio Valentì, qui testamento suo libertatem quibusdam adscripsit, nemine successore ab intestato existente, in ea causa bona ejus esse cœperunt, ut venire debeant; is, cuius de ea re notio est, aditus rationem desiderii tui habebit, ut libertatum tam earum quæ directò, quam earum quæ per speciem

speciem fideicommissi relicta sunt, tuendarum gratiâ addicantur tibi; si idoneè creditoribus caveris de solido, quod cuique debetur, solvendo. Et ii quidem, quibus directa libertas data est, perinde liberi erunt ac si hæreditas adita esset. Ii autem, quos hæres manumittere rogatus est, à te libertatem consequentur: ita autem, ut si non aliâ conditione velis tibi bona addici, quâm ut ii etiam, qui directo libertatem acceperint, tui liberti fiant. Nam huic etiam voluntati tuæ, si ii, quorum de statu agitur consensiunt, auctoritatem nostram accommodamus. Et ne hujus rescriptionis nostræ emolumentum aliâ ratione irritum fiat, si fiscus bona agnoscere voluerit; & ii, qui rebus nostris attendunt, sciant commodo pecuniario præferendam esse libertatis causam; & ita bona cogenda, ut libertas iis salva sit, qui eam adipisci potuerunt, ac si hæreditas ex testamento adita esset.

**C O N S T I T U T I O** D. Marci edita est in hac specie: Virginius Valens ære alieno maximè oneratus Titium hæredem scripsérat, & quibusdam servis suis libertatem directam testamento eodem reliquerat, alii vero nonnullis fideicommissariam. Mortuo testatore, Titius hæres scriptus, aris alieni mole deterritus, hæreditatem repudiavit: atque ita effectum est, ut nullæ valerent testamentariæ manumissiones. Fratres quoque defuncti, & omnes qui ab intestato rem obtinere poterant, hæreditatem & bonorum possessionem repudiarunt, vel omiserunt. Pompilius vero Rufus homo liber adiit Imp. Divum Marcum; & libello oblato, bona Virginii Valentis sibi addici postulavit; promittens se libertates testamentarias servaturum: & datis fidejussoribus etiam cavens, se creditoribus solidum, quod eis deberetur præstiturum: petiitque insuper ut hi servi, quibus libertas directa relicta esset, cogerentur eam se recipere, quasi ab eo fuisset relicta per fideicommissum. Aditus D. Marcus ad eundem Pompilium RUFUM rescripsit, Magistratum cuius de ea re notio est rationem ejus desiderii habitum; & fisci procuratoribus qui bona sibi addici postulaverint, mandavit, ut ita bona cogerent, ut commodo pecuniario libertatis causam præferrent. Ex quibus apparet singulare privilegium libertatis, cuius gratiâ derogatur aliquatenus juri communi, ut nihil valeat ex his, quæ testamento scripta sunt, si nemo hæreditatem adierit, *I. si nemo, ff. de test. tut.*

Dixi homo liber; quia Pompilius Rufus dupli nomine appellatur, quod à servis ita alienum est, ut si quis status controversiam alteri moverit, quem dupli nomine appellat contendens eum esse servum, tamquam sibi contrarius non audiatur, *I. cum precum, C. de lib. cau. unde fit etiam ut servi, qui volebant videri liberi, dupli nomine uterentur, I. Barbarius, ff. de off. Præt. & I. Caius, ff. de manumiss.*

Hunc successorem ab hærede distinguere debemus; quia Prætor hæredem facere non potest, *S. quos autem, sup. de bon. poss. sed possumus eum appellare* quasi hæredem. Hæc enim successio fit auctoritate Prætoris, ut constat ex solo addicendi verbo, quod Prætorum proprium fuit. Universa siquidem Prætoris

jurisdictio tribus verbis continebatur *do*, *dico*, *addico*: unde Ovidius fastos dies a nefasti distinguit.

*Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur.*

*Fastus erit, per quem lege licet agi.*

*Ad §. Hoc rescripto.*

**H**Oc rescripto subventum est & libertatibus, & defunctis, ne bona eorum à creditoribus possideantur & veneant. Certè si fuerint hac de causa bona addicta, cessat bonorum venditio: existit enim defuncti defensor, & quidem idoneus, qui de solidō creditoribus cavet.

**U**TILIS igitur est hæc addictio servis testamento manumissis, qui alioquin testamentariae manumissionis effectu carerent, l. 9. ff. de test. tut. Utilis est testatori, ne missis in possessionem bonorum creditoribus, & ejus nomine ea distraherentibus, injuria afficiatur, §. I. sup. qui & ex quib. caus. man. non poss. Utilis est creditoribus, quibus idoneè cavetur de solidō, quod eis debetur solvendo; vel saltem de parte solvenda, si ita convenerit: nec potest continuari distractio, quia cessat, quoties existit idoneus defuncti defensor, l. 2. ff. quib. ex cau. in post. eatur. Utilis denique est ei cui bona addicuntur; quatenus libertatem acquirit, si servus est; vel saltem bona defuncti, si sit liber; nec non etiam ius patronatus in servos quos manumittit. Quamvis enim locupletior factus non dicatur, qui libatum acquisivit, l. 126. §. I. ff. de reg. jur. negari tamen non potest, quin maxima sunt emolumenta patronatus. Cæterum legatariis & fideicommissariis hæc addictio non prodest; quia non est similis causa legati & fideicommissi pecuniarii, l. Paulus, ff. de fideic. libert.

*Ad §. In primis.*

**I**N primishoc rescriptum toties locum habet, quoties testamento libertates datae sunt. Quid ergo si quis intestatus decedens, codicillis libertates dederit, neque adita sit ab intestato hereditas? [an] favor constitutionis debebit locum habere? Certè si intestatus decesserit, & codicillis dederit libertatem competere eam, nemini dubium est.

**N**EC tantum prodest rescriptum Divi Marci manumissionibus testamento factis, sed etiam illis quæ in codicillis fiunt ab intestato; quia favores sunt ampliandi, cap. odia, de reg. jur. in 6.

*Ad §. Tunc enim.*

**T**UNC [enim] constitutioni locum esse verba ostendunt, cum nemo successor ab intestato existat. Ergo quamdiu incertum erit, utrum existat, an non; non cessabit constitutio. Si vero

certum esse cœperit , neminem existere ; tunc erit constitutioni locus.

**FORTIOR** altera ratio depromitur ex verbis constitutionis , quæ in cum casum concepta est , si nullus ab intestato successor extiterit . Sicut autem successioni legitimæ locus non est quamdiu ex testamento potest adiri hæreditas , *i. quamdiu, ff. de acquir. hered.* ita quoque quamdiu incertum est , an sit aliquis hæres ex testamento aut ab intestato exiturus , cessat D. Marci constitutio.

*Ad §. Si is , qui.*

**S**I is , qui in integrum restitui potest , abstinuerit hæreditate ; an quamvis potest in integrum restitui , possit admitti constitutio , & bonorum addictio fieri ? Quid ergo si post additionem libertatum conservandarum causâ factam in integrum sit restitutus ? Utique non erit dicendum revocari libertates , quæ semel competierunt.

**N**ON tamen ætas minor 25. annis impedit aut suspendit ullenus ejus effectum , si minor hæres scriptus hæreditatem repudiaverit ; quia ante restitucionem in integrum impetratam , valent interim quæ à minoribus gesta sunt , *arg. cap. suscitata ext. de in integ. restit.* At si post additionem bonorum & libertates datas minor fuerit in integrum restitutus adversus suam repudiationem , non tamen revocantur libertates quæ semel competierunt , *i. ergo , §. quid ergo , ff. de fid. libert.* & §. semel sup. qui & ex quib. cau. man. non poss. libertas enim omnibus rebus favorabilior est , *i. libertas , ff. de reg. jur.*

*Ad §. penult.*

**H**ÆC constitutio libertatum tuendarum causâ introducta est . Ergo si libertates nullæ sunt datæ , cessat [ hæc ] constitutio . Quid ergo , si vivus dederit libertates , vel mortis causâ ; & ne de hoc queratur , utrum in fraudem creditorum , an non , factum sit ; idcirco velint sibi addici bona ; an audiendi sint ? Et magis est , ut audiiri debeant , et si deficiant verba constitutionis .

**Q**UIN etiam libertates inter vivos concessæ , eà additione firmantur , ut Legis Ælia-Sentiæ revocationi obnoxiae non sint , quasi creditores fraudulentur . Quamvis enim deficiant verba constitutionis , mens tamen ipsius non deficit , in qua vis ejus ac potestas præcipua consistit ; unde fit ut scire leges non sit verba legum memoriam tenere , sed earum vim ac potestatem , *i. 17. ff. de legib.*

*Ad §. ult.*

**S**E cùm multas divisiones ejusmodi constitutioni deesse perspeximus , lata est à nobis plenissima constitutio , in qua multæ

species collatæ sunt , quibus jus hujusmodi successionis plenissimum est effectum , quas ex ipsius lectione constitutionis potest quis cognoscere.

Ex constitutione Justiniani favor p̄fatae constitutionis non solum locum habet in servo qui testamento manumissus est , sed etiam in eo cui libertas relictæ non est ; ut per eum liberi fieri possint , quibus directa libertas testamento concessa est , *L. ult. C. de testament. manumiss. ad quam Legem Imp. non remittit hoc §.*



## T I T U L U S X I I I .

### *D E S U C C E S S O N I B U S S U B L A T I S , quaæ fiebant per bonorum venditiones , & ex Senatus- consulto Claudiano.*

*Ad Princ.*

**E**RANT ante prædictam successionem olim & aliæ per universitatem successiones , qualis fuerat bonorum emptio , quæ de bonis debitoris vendendis per multas ambages fuerat introducta , & tunc locum habebat , quando judicia ordinaria in usu fuerant. Sed cum extraordinariis judiciis posteritas uia est : ideò cum ipsis ordinariis judiciis etiam bonorum venditiones expiraverint , & tantummodo creditoribus datur officio Judicis bona possidere ; & prout utile eis visum est , ea disponere , quod ex latioribus Digestorum libris perfectius apparebit.

SUCCESSIO per selemnes venditiones † erat olim universalis quadam acquisitionis , quâ universa bona debitoris à creditoribus solemniter proscripta , bonorum emptori acquirebantur. Cum enim Lex illa 12. tab. qua creditoribus permittebat , post triunas mundinas , corpus debitoris pro rata sui crediti in partes secare , numquam apud Romanos fuisset in usum redacta , *A. Gel. lib. 20. cap. 1.* sed ipsis placuisse suffundi potius quam effundi sanguinem debitoris , *ut ait Tertull. in apolog.* distrahi cœperunt bona ipsius per præconem non sine magna ignominia : ita ut teste *M. Tullio in oratione pro Quint.* cuius bona venientunt , is non modò ex numero vivorum exturbetur , sed si fieri potest , infra etiam mortuos amandetur. Ritus illos apud Theop. reperire est , quos brevitatis causâ prætermitto ; quia sublatis hodie judiciis omnibus ordinariis , venditio illa bonorum non observatur. Nec ullus amplius creatur magister ex numero creditorum , ( ut olim ) ad persequendam bonorum venditionem ; sed datur curator

bonis, si verus dominus sive debitor nolit ea defendere. Is creatur ex numero fori procuratorum, eique debet etar salarium ex pretio, quod primum ex venditione bonorum percipitur. Qui autem bona illa comparavit, non est hodie universalis successor, nec ullas sustinet creditorum actiones sicut antiquitus; sed singularis dumtaxat successor efficitur, & in sua acquisitione omnino securus est; quia justè possidet, qui Prætore auctore possidet, i. justè ff. de acquir. possess.

*Ad §. I.*

**E**RAT & ex Senatusconsulto Claudio miserabilis per universitatem acquisitione, cum libera mulier servili amore bacchata, ipsam libertatem per Senatusconsultum amitterebat, & cum libertate substantiam: quod indignum nostris temporibus esse existimantes, & à nostra civitate deleri, & non inseri nostris Digestis concessimus.

**S U C C E S S I O** ex SC. Claudio † erat olim miserabilis acquisitione, per quam libera mulier, qua alieni servi amore bacchata, post triam domini denunciationem, ejus consortio non abstinuisse, dominio ipsius cum tota sua substantia addicebatur. Sed haec successio constitutione Justiniani sublata est, i. un. C. de SC. Clau. toll. ubi addicitur haec ratio, ne qua libera constituta est, semel decepta, vel infelici cupidine capta, vel alio quocumque modo, contra natalium suorum ingenuitatem ducatur in servitutem; & sic pessimum dedecus cognationis suæ fulgori: ut qua forsitan decoratos dignitatibus habeat cognatos, haec in alienum cadat dominium, & dominum pertimescat, forsitan cognatis suis inferiorem.

**T I T U L U S X I V.****D E OBLIGATIONE V S.***Ad Rubricam.*

**A**B hoc titulo Theophilus ait incipere tractatum de actionibus; quia actiones sunt obligationes. Sed si valeret haec ratio, tractatus ille jam incepturn esset in ipso titulo i. superioris libri, quod valde esset absurdum. Actionum enim duo sunt genera; vel enim sunt in rem, vel in personam: ita ut non minus actiones reales a dominio oriuntur, quam personales ex obligatione, §. I. inf. de att. Verius itaque arbitror continuationem dedicandam esse ex tit. sup. de rebus corpor. & incorpor. ubi quatuor species rerum incorporalium Imperator enumeravit, servitutes prediorum, usumfructum, hereditatem, & obligationes quoquo modo contractas. Par est igitur, ut tribus prioribus expolitis, ultimam tandem speciem interpretemur.

## Ad Princ.

**N**UNC transeamus ad obligationes. Obligatio est juris vinculum, quo necessitate adstringimur alicujus rei solvendæ secundum nostræ civitatis jura.

**OBLIGATIO** † generaliter appellatur omne vinculum, quo adstringimur ad aliquid præstandum. Estque duplex, † naturalis, & civilis. Obligatio naturalis † est aequitatis vinculum, ex quo nulla oritur actio, sed soluti dumtaxat inhibetur repetitio, l. 95. §. naturalis, ff. de solut. l. 84. §. 1. ff. de reg. jur. & l. 26. §. libertus, ff. de cond. indeb. Talis est obligatio antidotalis, id est quæ oritur ex accepto beneficio, l. 25. §. consuluit, ff. de petit. hered. & ea quæ descendit ex pecunia mutuò data filiisfamilias, l. 9. §. ult. & l. seq. ff. de. SC. Maced. Dicitur *naturalis*, quia oritur à sola naturali ratione, quæ in hujusmodi casibus docet quid æquum sit.

Obligatio *civilis* † definitur ab Imperatore juris vinculum, quo necessitate adstringimur alicujus rei solvendæ secundum nostræ civitatis jura. Dicitur 1. *juris*, id est juris civilis, sicut ex sequentibus constabit. Dicitur 2. *vinculum*, metaphorâ deductâ à vinculis quibus corpus adstringitur: unde & ipsum obligationis nomen trahit originem. Obligationum enim substantia non in eo consistit, ut aliquid nostrum fiat; sed ut alium nobis obstringat ad aliquid dandum vel faciendum, l. 3. in pr. ff. b. t. atque ideo nulla est obligatio quoties conditione confertur in merum arbitrium contrahentium, l. 13. C. de contr. empt. v. g. hoc modo: *Promitto dare tibi centuna, si volueris.* Unde etiam sequitur, naturalem obligationem impropriè obligationem appellari. Idque nomen soli obligationi civili convenire; propriè quidem & plenissimè, cum actio quæ ex illa obligatione oritur, nullà exceptione infirmatur, l. 10. ff. de verb. sign. & l. vel *obligatus*, §. pen. ff. de liber. cau. Non impropriè tamen dicitur obligatio consistere, etiamsi actio exceptione elidi possit, §. 1. infra de except. quia scilicet si exceptio non opponatur, neque actioni insit, poterit ea obligatio plenissimum sortiri effectum, & ex ea obtinebitur condemnatio. Dicitur 3. *rei*, quo nomine generali non tantum corpora & quantitates, sed etiam facta continentur, l. 1. in fine, ff. de reb. cred. & §. *tutores sup. de tutel.* Dicitur denique *solvendæ secundum nostræ civitatis jura*, ut denotetur non cùm solutionem validam esse, sed eam tantum, quæ fit secundum jus. Ita rectè Accius & Theoph. Debitor siquidem non rectè solvit pupillo sine tutoris auctoritate, & sine judiciali sententia, §. *nunc admonendi sup. per quas perf. cuique acquir.* & l. 25. C. de admin. tut. Præterea jus non patitur, ut alii quam creditori rectè solvatur, §. item si, inf. de mandato, neque ut aliud pro alio præstetur inviro creditore, l. 2. §. 1. ff. de reb. cred. neque ut per partes solutio fiat; quia particularis illa solutio multa secum trahit incommoda, l. 3. ff. fam. ercif. Nec denique, ut alio loco vel tempore fiat solutio, quam in conventione præstituto, nisi æstimatione factâ ejus loci vel temporis, l. 1. ff. de cond. tritic. & l. 1. ff. de eo quod certo loco dari oportet.

Ad §. I.

**O**MNIVM autem obligationum summa divisio in duo genera deducitur: namque aut civiles sunt, aut Prætoriæ. Civiles sunt, quæ aut legibus constitutæ, aut certo jure civili comprobatae sunt. Prætoriæ sunt, quas Prætor ex sua jurisdictione constituit, quæ etiam honorariæ vocantur.

**OBLIGATIONUM** duplex est divisio. Prima est † quod quædam sint specialiter civiles, quædam vero Prætoriæ. Civiles obligationes † sunt, quæ aut legibus constitutæ, aut certo jure civili comprobatae sunt. Legibus constitutæ † dicuntur, quæ jure civili inductæ sunt, ut verborum & litterarum obligatio. Jure autem civili comprobatae dicuntur innumerae obligationes, quæ ex jure gentium ortæ & ex jure civili receptæ sunt: cuiusmodi obligationes à quibusdam Interpretibus appellantur mixtae, id est naturales, & civiles simul. In illis vero merum jus gentium non sequimur, sed præceptis civilibus temperatum. Proprium enim est juris civilis ut aliquid addat vel detrahatur juri gentium, l. 6. ff. de just. & jur. Prætoriæ seu honorariæ obligationes † sunt, quas Prætor ex sua jurisdictione constituit: qualis est quæ oritur ex constituto, vel ex jurejmando, §. in personam infra de actionibus.

Ad §. ult.

**S**EQUENS divisio in quatuor species dividitur. Aut enim ex contractu sunt, aut quasi ex contractu; aut ex maleficio, aut quasi ex maleficio. Prius est, ut de iis, quæ ex contractu sunt, dispiciamus. Harum æquè quatuor sunt species: aut enim re contrahuntur, aut verbis, aut litteris, aut consensu, de quibus singulis dispiciamus.

**S E C U N D A** obligationum divisio est, † quod omnis obligatio vel ex contractu vel quasi ex contractu, vel ex maleficio, aut quasi ex maleficio descendat; in cuius divisionis expositione reliquus hic liber consumitur, & initium sequentis.

Contractus à Theophilo definitur duorum pluriumve in idem conventio & consensus, ad constitutandam obligationem, & ut alter alteri fiat obnoxius; sed hæc definitio refellitur ex l. 3. C. de rer. permul. ubi si inter duos convenerit; ut unus alteri rem aliquam daret, v. g. Stichum; alter vero vice mutuâ daret ipsi rem alteram, Pamphilum putà, eo animo, ut sibi invicem obligarentur: non tamen ea conventio est contractus, sed nudum pactum dumtaxat, ex quo nulla oritur actio. Aliunde vero ex pactis nudis interdum oritur actio, videlicet quando lege aliquâ vel constitutione vel Prætoris edicto confirmantur, v. g. pactum donationis, §. alia sup. de donat. & constitutum, l. 1. ff. de pecun. Hæc itaque definitione reliqua contractus † rectè definitur conventio, quæ proprium no-

men habet vel causam, ut probati potest ex l. 7. §. 1. & 2. ff. de pact. Duxi 1. *conventio*; quia conventionis nomen generale est, quod contractibus & nudis pactis communiter convenit; eamdemque vim habent sequentia vocabula, *pactum*, *pactio*, *conventum*, *pactum conventum*, *pactum & conventum*; illis enim omnibus a qualiter convenit definitio pacti, t̄ quod sit droitum vel plurimum in idem placitum consensus, l. 1. §. 2. ff. de pactis, & l. 5. ff. de pollicit. Imò vero nudi pacti nomine interdum appellatur contractus, & cicitur *nudum pactum*, non quod sit denudatum omnibus aminiculis in contractu requisitis, sed quia est denudatum traditione vel scripturā, l. traditionibus, C. de pactis, §. alia sup. de donat, & l. 35. cod. eod. Duxi 2. quæ proprium nomen habet, non quod nomen ad substantiam rei pertineat, sed quod contractus habeat propriam naturam iure receptam vel inductam, quæ proprio ac speciali nomine donata est, eoque designatur. Dicitur denique *vel causam*. Causa appellatur hoc loco t̄ illud quod fit vel datur certā lege, v. g. si detur fundus eā lege, ut vice mutuā detur servus. Idque accidit in contractibus innominatis, qui licet sint innumerabiles, §. sed jus vers. & ex hoc, sup. de jure natur. revocantur tamen ad quatuor; do ut ces; do ut facias; facio ut des; facio ut facias. Antequām enim in illis conventionibus datum vel factum sit aliquid, nuda pactiones sunt, l. 3. cod. de rer. permitt. post dationem verò vel factum, appellantur contractus. Ex his constat contractui opponi *pactum nudum*, quod definitur t̄ conventionis quæ placiti fine stetit, l. 27. cod. de legat. seu ut alii loquuntur, quæ intra nudos placiti fines stetit; id est quæ neque contractus nomen assumpit, neque causam habet.

Contractuum triplex est divisio. Prima est in contractus nominatos & innominatos, de qua agetur infra ad titulum de locatione & conductū. Secunda est in contractus bonæ fidei & stricti juris, de qua agetur inf. ad tit. de oblig. ex consensu, & ad §. action. inf. de action. Tertia denique est quod contractus omnes autem contrahuntur, aut verbis, aut litteris, aut solo consensu.



## T I T U L U S X V.

### Q U I B U S M O D I S R E C O N T R A H I T U R obligatio.

*Ad Princip.*

**R**E contrahitur obligatio [veluti] mutui datione. Mutui autem datio in iis rebus consistit, quæ pondere, numero, mensurā constant; veluti vino, oleo, frumento, pecunia numeratā, ære, argento, auro: quas res aut numerando, aut metiendo, aut adpendendo in hoc damus, ut accipientium fiant. Et quoniam nobis non cædem res, sed aliæ ejusdem naturæ & qualitatis redduntur, inde etiam mutuum appellatum est, qui ita à me tibi datur, ut ex meo tuum fiat: & ex eo contractu nascitur actio, quæ vocatur condicō.

RE

**R**es contrahi dicuntur obligationes † in quibus præter consensum contractum, requiritur rei traditio, cā lege facta, ut res tradita in eodem genere vel in eadem specie restituatur. Idque accidit † in quatuor contractibus nominatis, videlicet in mutuo, commodato, deposito, & pignore.

Mutuum † est contractus, quo certa quantitas datur alteri cā lege, ut eadem ipsa quantitas in eodem genere reddatur, non in specie eadem. Dicitur 1. certa quantitas, id est res quæ pondere, numero, vel mensurā consistunt, seu quæ pondere, numero, vel mensurā estimantur, eoque modo sunt in commercio, ut oleum, frumentum, vinum, & pecunia numerata. Dicitur 2. datur, id est traditur cum dominii translatione: dare enim est dominium transferre, §. sic itaque infra de act. Mutuum siquidem ex eo dictum est, quod de meo fiat tuum; ideoque si non fiat tuum non nascitur obligatio, l. 2. §. appellata, ff. de rebus cred. Dicitur denique non in specie eadem, id est non in eodem corpore. Ejusque rei ratio est, quia hujusmodi res, quæ in quantitate consistunt in simili genere functionem recipiunt, d. l. 2. §. 1. ita ut qui aliud corpus restituit, v. g. alios nummos, eosdem quos accepit restituisse videatur. In cæteris verò rebus, id est in corporibus, in creditum seu debitum ire non possumus; quia aliud pro alio invito creditori solvi non potest, d. §. 1. cuique enim corpori, v. g. equo & fundo, ita propria qualitas est pretium atque natura, ut qui vice unius daret aliud, non posset videri rem eandem dedisse, aut ejusdem estimationis.

Ex mutuo nascitur actio, que appellatur condic̄tio certi. Est autem condic̄tio † actio personalis, per quam petimus, ut adversarius ad aliquid nobis datum condemnetur, hāc serē formalā. Si appetat adversarium mibi dare oportere, centum putā vel fundum, condemnā cum index. Et additur certi, quia per eam actionem certum aliquid petitur, v. g. certa summa. Certum † appellatur quod ex ipsa pronunciatione appetat, quid, quale, quantumque sit, l. 6. ff. de reb. cred. fortè ita dictum, quod cerni possit.

### Ad §. I.

**I**S quoque qui non debitum accepit ab eo, qui per errorem solvit, re obligatur; daturque agenti contra eum propter repetitionem condic̄tia actio. Nam perinde ei condici potest, si appetat eum dare oportere, ac si mutuum accepisset. Unde pupillus, si ei sine tutoris auctoritate indebitum per errorem datum est, non tenebitur indebiti condic̄tione; non magis, quam mutui datione. Sed haec species obligationis non videtur ex contractu consistere; cum is, qui solvendi animo dat, magis voluerit negotium distrahere, quam contrahere.

**MUTUO** affine est indebitum per errorem solutum, quod à summo Antecessore, eam ob causam passim appellatur promutuum: ac proinde sicut pupillus qui mutuam pecuniam accepit sine tutoris auctoritate, non obligatur, l. 59. ff. de oblig. & alt. ita quoque nec accipiendo pecuniam indebitam, nisi factus sit locupletior, l. 13. §. 1. ff. de condic̄t. indeb. Differunt tamen haec duo

in multis, sed maximè quòd mutuum sit verus contractus : indebet autem solutum est quasi contractus , §. pen. infra de obligat. quæ quasi ex contr. nascit. Nam cùm omnes contractus ex animo contrahentium astimentur , evidens est nullum fieri in isto casu contractum ; quia ille qui solvendi animo dat aliquid ; non habet animum contrahendi , sed potius distrahendi , id est dissolvendi obligationem , quæ extinguitur solutione ejus quod debetur , in pr. infra quib. mod. toll. oblig. Præterea mutuum habet tantum locum in certo rerum genere , sed indebet solutum in omnibus.

Ex indebet soluto nascitur eadem actio quæ competit ex mutuo , l. 5. §. is quoque , ff. de oblig. & alt. sub prædicta formalia , Si appetat adversarium dare oportere , quæ appellatur conductio certi , & conductio indebiti. Monendi tamen sumus , ita demum huic actioni locum esse , si quis solverit per errorem facti , non juris , l. 9. C. ad L. Falcid. quia error juris nocet , facti autem error non nocet , l. 2. ff. de jur. & facti ignor. Ratio diversitatis est , quia jura certa sunt , & ab omnibus cognosci possunt , aut saltem facile est jura nescientibus peritiores consule re. Facta autem sunt infinita & incerta , ideoque facti error etiam prudentissimos fallit , d. l. 2. At si quis sponte solverit quod cognoscit se non debere , repetitionem nullam habet ; quia donari videtur illud , quo nullo jure cogente conceditur , l. 54. & l. 83. ff. de reg. jur.

*Ad §. Item is , cui.*

**I**T E M is , cui res aliqua utenda datur , id est commodatur , re obligatur , & tenetur commodati actione. Sed is , ab eo qui mutuum accepit , longè distat : namque non ita res datur , ut ejus fiat , & ob id de ea re ipsa restituenda tenetur. Et is quidem , qui mutuum accepit , si quolibet fortuito casu amiserit quod accepit , veluti incendio , ruinâ , naufragio , aut latronum hostiumve incursu ; nihilominus obligatus remanet. At is , qui utendum accepit , sanè quidem exactam diligentiam custodiendæ rei præstare jubetur ; nec sufficit ei tantam diligentiam adhibuisse , quantam suis rebus adhibere solitus est ; si modò alias diligenter poterat eam rem custodi re : sed propter majorem vim majoresve casus non tenetur , si modò non ipsius culpâ is casus intervenerit : alioqui si id quod tibi commodatum est domi , peregrè tecum ferre malueris , & vel incursu hostium prædonumve , vel naufragio amiseris ; dubium non est quin de restituenda ea re tenearis. Commodata autem res tunc propriè intelligitur , si nullâ mercede acceptâ vel constitutâ , [ res ] tibi utenda data est : alioqui mercede interveniente , locatus tibi usus rei videtur. Gratuitum enim debet esse commodatum.

**C O M M O D A T U M** † est contractus , quo res aliqua gratuito & certo modo utenda traditur , sub lege ipsius in eadem specie restituenda. Dicitur i. res , id est corpus certum , non quantitas ; in quo differt à mutuo : nec refert utrum res

sit mobilis vel immobilis, l. 1. §. 1. ff. *commod.* Dicitur 2. *gratuità*; quia si merces interveniat, res ad locationem & conductionem respicit, sicut circa similem speciem dicitur in l. 1. §. ult. ff. *mandati*. Dicitur 3. *certo modo*, id est ad certum usum, tempus, & modum, & in hoc distinguitur à precario, † quo precibus perentis gratuità utendum aliquid conceditur, quamdiu is qui concessit passurus est: ita ut ex ejus arbitrio pendeat illud revocare ac repetere cum voluerit, l. 1. & 2. ff. *de precar.* At verò in *commodato* sicut in principio contractus, liberum est ei, qui beneficium tribuit, *commodando* modum *commodati* finemque prescribere, ita quoque ex diverso, cum id fecit, id est cum *commodavit*, alium suum prescribere, retro agere, atque intempestivè *commodatae* rei usum auferre non licet, l. 17. §. *sicut*, ff. *commod.* Dicitur 4. *traditur*, non *datur*; quia rei alteri *commodatae* dominium & possessionem retinemus, l. 8. ff. *cod.* causa siquidem temporales traditionis dominium non mutant. Dicitur denique *sub lege ipsius in eadem specie restituende*, ut magis perspicue distinguitur à mutuo *commodatum*.

Distert itaque *commodatum* à mutuo, quatenus in mutuo dominium transferatur, l. 16. ff. *de reb. cred.* non in *commodato*, d. l. 8. Unde fit, ut qui est debitor ex causa mutui, sit debitor certi generis; at verò ille qui debet ex causa *commodati*, est debitor certi corporis. Quia duæ rationes efficiunt, ut ad *commodarium* non pertineat periculum casus fortuiti, sed ad debitorem ex causa mutui, l. 23. ff. *de reg. jur.* & l. 11. C. *si cert. petat*. quia scilicet casus fortuitus pertinet ad periculum domini, l. 9. C. *de pign. act.* & quia debitores certi corporis ejus interitu liberantur, l. in ratione 30. §. *incerte* & seq. ff. *ad L. Falc.* quod non habet locum in debitore quantitatib; quia genera & quantitates per rerum naturam perire non possunt, d. l. 30. §. *incerte*.

Conveniunt tamen maximè hi duo contractus secum invicem, non solum *re ipsâ*, sed etiam nomine. Re quidem conveniunt, quia in utroque ex re nascitur obligatio; atque ideo in utroque accipiens restituere tenetur id quod accepit, vel in specie easdem, vel saltem in eodem genere. Nomine verò conveniunt, quatenus promiscua sape sunt apud Latinos, nomina mutui & *commodati*, l. 49. §. *proinde*, ff. *de leg.* 3. l. 12. §. *si quis*, ff. *de instruc. vel instrum. leg.* & l. 1. *Cod. Theod.* *quod iussu*. Nostro quoque idiomate commune est nomen utriusque contractus (*prêt.*, *préter*) quod videtur deducētum à Latina voce *prastare*, quæ idem significat, d. l. 1. & l. ult. C. *Just.* *quod cum eo qui in al. potest.* est. Unde non ineleganter Cujacius in suo Paratitulo, ff. *commodati*, unum definit per alterum. *Commodatum*, inquit est quasi mutuum ad usum; retro mutuum, quasi *commodatum* ad abusum. Magis tamen propriè & magis perspicue mutuum nostro idiomate dicitur (*un prêt.*) *commodatum* verò (*un comdat.*)

Ex *commodato* † oritur duplex actio, directa scilicet, & contraria. Actio *commodati* directa, † est quæ domino datur adversus *commodarium*, ad hoc ut rem sibi *commodatam* restituat; ita dicta, ut videtur, quod dirigatur ad præcipuum & vulgarem scopum contractus; in quo hoc agitur tantum ab initio, ut solus *commodarius* obligetur *commodanti*. Actio verò *commodati* contraria, † est quæ competit *commodatio* contra dominium, ad hoc ut sibi restituat impensas quas fecit in *re commodata*.

*Ad §. pen.*

**P**RÆTEREA & is , apud quem res aliqua deponitur , re obligatur , teneturque actione depositi ; quia & ipse de ea re , quam accepit , restituendâ tenetur . Sed is ex eo solo tenetur , si quid do-lo commiserit ; culpæ autem nomine , id est , desidiæ ac negligentiæ , non tenetur . Itaque securus est , qui parùm diligenter custoditam rem furto amiserit ; quia qui negligentí amico rem custodien-dam tradit , [ non ei ] sed suæ facilitati id imputare debet .

**D E P O S I T U M** † est contractus , quo res aliqua alicui gratuitò custodienda traditur , sub lege ejusdem in eadem specie restituendæ . Dicitur 1. res , id est cor-pus , nec solum mobile , sed etiam immobile . Quod si quantitas aliqua , v. g. certa summa , deponatur ; tunc inspicitur quasi certum corpus , ut in l. 1. §. sed & si dotem , ff. de dot. præleg. Dixi 2. gratuitò ; quia interveniente mercede , locatio & conductio facta intelligitur , aut incerti seu innominati contractus genus , l. 1. §. si vestimenta , & §. seq. ff. depositi . Dicitur 3. sub lege ejusdem in eadem spe-cie restituende ; quia si pecunia vel aliud quid deponatur , cù lege ut non idem , sed aliud corpus restituatur , ea res egreditur depositi notissimos terminos , l. 24. ff. cod.

Duplex solet distingui depositum , vulgare , & miserabile seu necessarium . Vulgare † est quod fit ultrò & nullâ urgente præcipiti necessitate . Miserabile verò seu necessarium † dicitur , quod fit ex causa tumultus , incendi , ruinæ , vel naufragii : quo casu non potest dominus in illa communi omnium trepidatione , fidelem amicum , cui res suas commendet , eligere ; ideoque illud genus depo-siti favorabilius est quàm alterum .

Ex deposito quoque duas oriuntur actiones depositi , directa , & contraria . Directa depositi actio † est , quæ competit domino adversùs depositarium , ad obtinendam restitutionem rei depositæ . Contraria verò † est , quæ competit depositario adversùs dominum , ad restitutionem sumptuum quos fecit in re de-po sita .

*Ad §. ult.*

**C**REDITOR quoque , qui pignus accepit , re obligatur ; quia & ipse de ea re , quam accepit , restituendâ tenetur actione pignoratitiæ . Sed quia pignus utriusque gratiâ datur , & debitoris , quo magis pecunia ei credatur , & creditoris , quo magis ei in tuto sit creditum ; placuit sufficere , si ad eam rem custodiendam exactam diligentiam adhiberet , quàm si præstiterit , & aliquo fortuito casu rem amiserit ; securum esse , nec impediri creditum petere .

**S**ICUT mutui commodati & depositi nomen non tantùm significat con-tractum , qui re perficitur ; sed etiam rem ipsam , quæ traditur contractus no-

mine'; ita quoque pignoris nomine, non tantum res oppignerata, sed etiam conventio ipsa oppignerationis continetur. In priori acceptione pignus appellatum est à pugno; quia res quæ pignori dantur, manu traduntur: ideoque pignus propriè rei mobilis constituitur, *l. plebs 238. §. pignus, ff. de verb. signif.* Usu tamen invaluit, ut etiam immobiles oppigneratæ pignora appellantur, *l. ult. in fine, ff. de relig. & sumpt. fun.* Cùm autem pignus pro conventione accipitur, distinguendum est, an conventio illa intra nudos placiti fines steterit, & tunc est nudum pactum, quod solet vocari hypotheca; an verò ei conventioni accesserit traditio, & tunc est verè contractus, de quo nunc agimus. Hoc igitur sensu pignus † definiri potest contractus, quo debitor rem suam aliquam tradit creditori in securitatem crediti, eā lege, ut soluto integro debito eadem species restituatur. Dixi in securitatem crediti; quia creditor aliam nullam utilitatem ex pignore percipere potest, quam securitatis; quam major est dum rei incumbit, quam si solam haberet actionem. *l. 25. ff. de reg. jur.* Unde sequitur, creditorem qui pignore utitur, furtum ejus committere, *§. furtum autem, inf. de obl. que ex del. nasc.*

Ex contractu pignoris duplex itidem competit actio pignoratitia, † directa scilicet, & contraria: Pignoratitia directa † competit debitori soluto integro debito, adversus creditorem, ad hoc ut pignus sibi traditum restituere compellatur: Contraria verò † competit creditori adversus debitorem ad restitutionem sumptuum obtainendam, quos fecit in pignore. Ab hac utraque pignoratitia actione, multum differt hypothecaria, quam tamen interdum pignoratitia dicitur, de qua agetur in *§. item Serviana, infra de actionibus.*

## A P P E N D I X

DE HIS QUÆ IN CONTRACTIBUS  
præstantur.

**T**RACTATUM istum summopere necessarium in duas partes distingui-  
mis: Prior continet enarrationem eorum, quæ præstantur in contractibus:  
Posterior verò earum præstationum regulas edocet.

Quinque sunt de quorum præstatione ambigitur; casus fortuitus, dolus ma-  
lus, lata, levius, & levissima culpa.

Casus fortuitus † est eventus, quem nulla hominum providentia potuit præ-  
videre, aut prævisum impedire, *l. 18. ff. commodati.* Talis eventus appellatur  
etiam casus, vis major, fatum, damnum fatale, & plerumque solo periculi no-  
mine designatur, v. g. incendium, impetus prædonum, fuga servorum, & similia.

Dolus malus † est omnis calliditas, fallacia, machinatio ad circumvenien-  
dum, fallendum, decipiendum alterum adhibita, *l. 1. §. dolus, ff. de dolo malo;*  
& additur epitheton *malus*, ad differentiam dolii qui bonus est: v. g. aduersus  
hostes vel latrones, juxta illud Virgilianum.

*Dolus an virtus, quis in hoste requirat?*

Culpa hoc loco † est factum vel omissum inconsultum, unde alteri damnum infertur injuria. Dico *vel omissum*; quia non tantum est culpa facere quæ prohibentur, sed etiam omittere facienda. Dico præterea *injuria*, id est non jure; quia quod jure permittente fit, etiamsi noceat alteri, neque est culpa, neque delictum, *I. Gracchus C. ad I. Jul. de adult.*

Culpæ † tres sunt species aut potius tres gradus, lata culpa, levius culpa, & levissima culpa: quibus ex diverso opponuntur totidem gradus ac species diligentia, infima scilicet seu minima; media seu exacta, quæ appellatur etiam custodia, §. quæ de *fullone* & sequ. *inf. de oblig.* quæ ex *del.* *nasc.* & maxima seu exactissima, quæ dicitur diligens custodia, *I. 5. §. custodiām, ff. commod.* & diligentia simpliciter, *I. 23. ff. de reg. jur.*

Lata culpa opponitur minimæ diligentia, & definitur † nimia negligentia; id est non intelligere vel non facere illud quod omnes intelligent vel faciant, *I. 213. §. nli.* & *I. 223. ff. de verb. signif.* Si quis nimis non sit diligens ad eum modum, quem hominum natura desiderat, *I. quod Nerva, ff. depos.* vel si minorem in rebus alienis quas custodiendas suscepit, quam in suis diligentiam adhibuerit, *d. I. quod Nerva*; hæc appellatur etiam latior culpa, magna, crassa, supina, dissoluta negligentia, & culpa dolo proxima; quia dolo equiparatur, *d. I. quod Nerva, & I. 29. ff. mand.* & quoad juris effectum plerunque doli nomine continetur, *I. 26. ff. de verb. sign.* Latæ culpæ exemplum est, si quis nocti, adiūtum ostia, aut fenestras, per quas de plano intrari possit, apertas reliquerit.

Levis culpa opponitur exactæ seu medie diligentia, & definiti potest † omissione ejus diligentia, quam vulgo homines frugi suis rebus adlibere soliti sunt. Hæc species culpæ significatur in jure nostro, quoties simpliciter *culpa* dicitur, vel cum culpa dolo opponitur, *d. I. 23. & I. 5. §. 2. ff. commod.* quia lata culpa pro dolo habetur; levissima vero vix culpa est, & proximè accedit ad casum fortuitum. Levis culpæ exemplum est, si quis altiores domus suæ fenestras non clauerit per quas admotis scalis fures intraverint.

Levissima denique culpa, quæ exactissime diligentia opponitur, † est omissione ejus vigilantiae aut diligentia, quam diligentissimus paterfamilias suis rebus adhibet. Ille itaque qui hanc culpan præstat non excusat, quantumque fuerit diligens; si alius diligentior majore curâ adhibita, damnum, de quo agitur, evitare potuerit, *I. in reb. 18. ff. commod.* Ejus exemplum est, si quis fenestras altiores & remotores à locis, in quibus dormit familia, clauserit quidem solito more, sed non muniverit clathris aut porticis ferreis. Ceterum hæc distinctio variorum culpæ graduum est magis facti quam juris, ideoque difficulter admodum est ejus rei definitio; neque potest ullâ constitutione aut juris auctorum quæstione decidi, sicut dicitur de mera propter eamdem causam *in lege 32. ff. de usuris*: & tota pendet ex arbitrio & aestimatione JUDICIS; sicut definitio casus fortuiti, & ceteræ quæstiones facti, *I. 1. 2. & 3. ff. de testibus.*

His ita præcognitis, quinque juris regulæ circa has quinque præstationes advertendæ sunt. Prima est. Casus fortuitus ad dominum pertinet, *I. 9. Cod. de pign. act.* & à nullo præstatur in rebus alienis, *I. contractus 23. ff. de reg. jur.* nisi fortè obstat conventio, vel mora, vel culpa: conventio quidem, v. g. si convenierit, ut casus fortuitus præstetur, *I. 1. C. commod.* quia omnes contractus ex conventione contrahentium legem accipiunt, *I. 1. 9. si convenit, ff. depositi.* Mo-

ra verò obstat, v. g. si quis interpellatus, rem alienam reddere noluerit, quæ deinde fato périerit; quia mora perpetuat obligationem, *l. 19. §. sequimur, ff. de verb. oblig.* Culpa denique obſtitit, si quis argentum, quod sibi commoda-  
tum est, ut domi eo utetur, peregrè secum ferre maluerit.

Secunda regula est. Omnes contractus dolum recipiunt, id est in omnibus contractibus præstatur dolus; adē ut non valeat conventio ne dolas præstetur: quia hæc conventio est contra bonos mores, cùm præbeat occasionem delin-  
quendi, *d. l. contractus, & d. l. 1. §. illud, ff. depos.* Ex qua secunda regula se-  
quitur, latam culpam in omnibus contractibus præstari; quia dolo æquiparatur,  
*d. l. quod Nerva.* Aliud tamen dicendum est in criminibus, *l. 7. ff. ad L. Cor-  
nel. de fiscar.*

Tertia regula est. In illis contractibus qui solam dantis utilitatem respiciunt, cuiusmodi est depositum, tenetur aliquis adhibere minimam diligentiam, &  
præstare tantum latam culpam, quæ pro dolo habetur; hoc est refarcire omne  
damnum ex lata culpa emergens: cuius regula hæc ratio esse videtur, quod rem  
alienam accipientis nullum debeat esse periculum, ubi nullum est ejus emolu-  
mentum, *arg. l. 1. cod. de reg. jur.*

Quarta regula est. Illi contractus, qui solam accipientis utilitatem respi-  
ciunt, cuiusmodi est plerumque commodatum, diligentiam recipiunt; id est in  
illis præstanda est diligentia exactissima, quæ solo diligentia nomine designa-  
tur: ac proinde in illis contractibus lata, levis & levissima etiam culpa præstan-  
tur; quia cuius est totum commodum, æquum est etiam ejus esse totum onus &  
periculum, *toto tit. sup. de legit. patron. tut.* Neque obstat quod dicitur in §.  
*is cui, b. n. t.* commodatarium ad exactam diligentiam teneri; quia huic positivo  
exactam additur statim, *Nec sufficit ei tantam diligentiam adhibuisse, quantam*  
*suis rebus adhibere solitus est, si modo alius diligentior poterat eam rem custodi-  
re:* Cujus clausula adminiculo efficitur, ut positivus ille fiat superlativus, &  
vix ac potestatem ipsius habeat, sicut cùm dicitur *maxime pius.* Non est igit-  
ter ulla hoc loco emendatio, aut textus reprehensio admittenda. Illud tamen  
adnotandum, eum qui precario accepit, nihil præstare, præter dolum & cul-  
pam dolo proximam; quia parva in eum liberalitas videtur esse collata, quæ in  
ipso primo precarii constituti momento eripi potest, *l. 8. cùm, ff. de precar.*

Quinta denique regula est. Contractus illi, in quibus utriusque, id est tam  
dantis quæm accipientis versatur utilitas, & dolum & culpam recipiunt; id est in  
illis dolus & lata & levis culpa præstantur non levissima: ideoque debet in  
illis adhiberi exacta diligentia; quia cùm hi contractus medium inter reliquos  
naturam obtineant, media quoque in illis via tenenda est. Talis contractus  
exemplum est manifestum in pignore. Nam creditor sit securior accepto pig-  
nore, *l. 204. ff. de reg. jur.* & debitor oblato pignore facilius, ut sibi cre-  
datur pecunia.

Hæc quidem sunt regulæ generales omnium præstationum in omnibus con-  
tractibus & quasi contractibus de promptæ ex l. 5. §. nunc videndum, ff. commod.  
Verum sunt aliæ insuper regulæ speciales quorundam contractuum, vel quali-  
contractuum, quas suis infra locis, Deo propitiis, commodius exponemus.

## T I T U L U S X V I.

## D E V E R B O R U M O B L I G A T I O N I B U S.

*Ad Princip.*

**V**ERBIS obligatio contrahitur ex interrogacione & response, cum quid dari fieri nobis stipulamur, ex qua duæ proficisciuntur actiones, tam condic̄io certi, si certa sit stipulatio; quam ex stipulatu, si incerta sit. Quæ hoc nomine inde utitur, quod stipulum apud veteres firmum appellabatur, fortè à stipite descendens.

**V**ERBORUM obligatio contrahitur per stipulationem. Stipulatio est verborum conceptio, quibus is qui interrogatur daturum facturum se quod interrogatus est, responderit, l. 5. s. 1. ff. b. t. In qua definitione subaudire debemus particulam continuo; quia actus stipulantis & promittentis debet esse continuus, id est minimè interruptus, l. continuus 137. in pr. ff. cod.

Universus stipulationum tractatus ad duo videtur capita redigi posse, ad causas nimirū, & effectus. Causæ stipulationis sicut & corporis naturalis sunt quatuor, finis, forma, materia, & efficiens. Tres priores unico hoc titulo exponentur; ultimam verò solam tribus sequentibus titulis expendemus.

Finem stipulationum docet Paulus lib. 5. sent. tit. de obligationibus, dum ait, stipulationem esse inducēam firmandarum obligationum causā; idque innuit Imp. in etymologia ejus nominis: Stipulatio, inquit, hoc nomine inde uuitur, quod stipulum apud Veteres firmum appellabatur, fortè à stipite descendens. Nam sicut vinculis & funib⁹ tauri alligantur ad stipitem, ita quoque homines verbis suis adstringuntur ad id quod sponderunt, juxta vulgatum distichon.

*Verba ligant homines, taurorum cornua funes.*

*Cornu bos capit, voce ligatur homo.*

Est itaque dicta stipulatio, quasi firmatio; quia firmantur per illam omnia pacta nuda, quæ alioquin per se infirma sunt, l. 45. ff. de pæt. l. 27. C. cod. & l. 3. C. de usur. Imò verò ipsi contractus bona fidei stipulatione firmantur, ne ex mero Judicis arbitrio causa pendeat.

Ex stipulatione duas oriuntur actiones; videlicet condic̄io certi, si quid certi promissum sit; & actio ex stipulatu, si incertum sit illud, quod promissum est, v. g. id quod interest; aut si promissum sit factum; quo facto non præstito, agi dumtaxat potest, ad id quod interest. Interdùm tamen illo nomine actionis ex stipulatu significatur actio ex stipulatione descendens, quæ certum aliquid petitur, l. 85. s. sacram. ff. b. t. & l. 42. pro socio.

Caterūm non recte Theoph. hoc loco & in s. ult. inf. de obl. que quasi ex contr. nasc. incertam vocat stipulationem & incertum legatum: si promissum vel legatum

legatum sit quod est in arca vel horreo. Nam in jure hæc certa sunt , l. 75. §. sed qui vinum , ff. b. t. l. 7. §. 1. ff. de contr. empt. l. 51. & l. 59. §. 1. ff. de re judic. Unde constat , illa certa esse dicenda , quæ relatione ad aliquid facta , certitudinem mutuantur.

## Ad §. I.

**I**N hac re olim talia verba tradita fuerunt. *Spondes?* *Spondeo.* *Promittis?* *Promitto.* [ *Fidepromittis?* *Fidepromitto.* ] *Fidejubes?* *Fidejubec.* *Dabis?* *Dabo.* *Facies?* *Faciam.* Utrum autem Latinâ , an Græcâ , vel quâlibet aliâ linguâ stipulatio concipiatur , nihil interest ; scilicet si uterque stipulantum intellectum ejus linguae habeat : nec necesse est eâdem lingua utrumque uti ; sed sufficit congruenter ad interrogata respondere. Quin etiam duo Græci Latinâ lingua obligationem contrahere possunt. Sed hæc solemnia verba olim quidem in usu fuerunt : postea autem Leonina constitutio lata est , solemnitate verborum sublatâ , sensum & consonantem intellectum ab utraque parte solum desiderat , quibuscumque tandem verbis expressum est.

**F**ORMA stipulationis est , ut interrogatio & responsio fiant per verba solemnia , promittis? Promitto: spondes? Spondeo , & similia. Quæ forma ideo videtur inducta apud Romanos , ne sermo aliquis inconsultus & ex impetu animi potius , quam ex certa voluntate proficiens , necessitate juris aliquem illigaret ; ideoque visum est necessarium , prefatum conventionis modum solemnem inducere. Quem si quis conceptis illis verbis celebraret , dubium non esset , quia deliberatum aliquid pepigisset. Ea itaque promissa sola admittuntur , quæcumque sic dicuntur , ut prætentur , non ut jactentur , l. 19. §. ea , ff. Edil. edit. Quo etiam modo apud Germanos nullum negotium perfici dicitur inter contrahentes , nisi simul bibant in signum concordia. Verum placuit postea stipulationem quæ est origine juris civilis , quoad usum esse juris gentium , l. 8. §. ult. ff. de acceptilat. eo quod non tantum contractus juris civilis , sed etiam juris gentium confirmat : ideoque non tantum lingua Latinâ , quæ est propria Ci-vium Romanorum , de quorum jure agimus ; sed etiam Græcâ vel aliâ fieri potest , l. 1. §. ult. ff. b. t. dummodo sic fiat , ut Latinis verbis fieri solet ; d. l. 8. §. ult. & dummodo contrahentes illam linguam intelligent per se , vel per verum Interpretem , d. l. 1. §. ult. Leo denique Imperator solemnitatem hujusmodi verborum quasi superfluum in stipulationibus sustulit , l. 10. C. de contr. stipul. ita ut hodie interroganti per verbum *promittis dare* vel *facere* ? non sit necesse respondere *promitto* , sed possit responderi per verbum *spondeo* , *dabo* , *faciam* , vel simile.

## Ad §. Omnis.

**O**MNIS stipulatio aut purè , aut in diem , aut sub conditione sit. Purè , veluti , *Quinque aureos dare spondes?* idque con-

festim peti potest. In diem , cùm adjecto die , quo pecunia solvatur , stipulatio sit ; veluti , *Decem aureos primis Kalendis Martiis dare spondes ?* Id autem quod in diem stipulamur , statim quidem debetur ; sed peti , priùs quàm dies venerit , non potest : at ne eo quidem ipso die , in quem stipulatio facta est , peti potest ; quia totus is dies arbitrio solventis tribui debet. Neque enim certum est eo die , in quem promissum est , datum non esse , priùs quàm is præterierit.

**A**d formam quoque stipulationis pertinet , quòd purè fieri possit vel adjecto die , conditione , vel loco. Purè quidem hoc modo : *Quinque aureos mihi dare spondes ?* Ex qua stipulatione pura , statim quidem dies cedit & venit ; non tamen priùs agi potest , quàm tota dies præterierit. Neque enim statim debet venire debitor cum sacco (*le debiteur ne doit pas venir d'abord la bourse à la main*) . *I. quod dicimus 105. ff. de solut.* Dies verò adjicxitur stipulationi ; ut à die designata incipiat currere petitio , v. g. si ita concepta sit stipulatio : *Decem aureos Kalendis Martiis mihi dare spondes ?* Dies quidem statim cedit , sed non venit nisi à Kalendis Martiis , *I. cedere diem 213. ff. de verb. sign.* Imò verò totus is dies arbitrio solventis tribui debet , *d. I. quod dicimus* ; quia additus est is dies in favorem debitoris , favores autem ampliandi sunt , *cap. odia , de reg. jur. in 6.*

*Ad §. At si ita.*

**A**t si ita stipuleris , *Decem aureos annuos , quoad vivam , dare spondes ?* Et purè facta obligatio intelligitur & perpetuatur ; quia ad tempus non potest deberi : sed hæres petendo pacti exceptione submovebitur.

**D**IES quoque interdum additur stipulationi , ut ejus obligationem terminet ; quod Paulus appellat *conferre aliquam obligationem in diem* , *I. 44. §. 1. ff. de obl. & aff. v. g. Decem aureos annuos quoad vivam dare spondes ?* Quo casu perpetuatur obligatio , etiam post mortem stipulantis ; quia ad tempus obligationis jure civili constituti aut recepti ; ita quoque certi sunt modi jure instituti ad eam dissolvendam , inter quos non est tempus , *toto tit. inf. quibus modis toll. oblig.* Verùm si hæres stipulantis ex ea stipulatione egerit , exceptione dolis mali , vel pacti conventi submovebitur , *d. §. 1. & I. cum qui 56. §. qui ita , ff. h. t. quia palam est per hanc clausulam quoad vivam , stipulatorem id egisse , ne hæres id peteret.*

*Ad §. Sub conditione.*

**S**UB conditione stipulatio sit , cùm in aliquem casum differtur obligatio : ut si aliquid factum fuerit , vel non fuerit , committatur stipulatio ; veluti , *Si Titius Consul fuerit factus , quinque aureos dare spondes ?* Si quis ita stipuletur , *si in Capitulum non ascen-*

dero, dare spondes? Perinde erit ac si stipulatus esset, cum moretur, sibi dari.

SUB conditione bifariam potest contrahi obligatio: vel enim conditio affirmativa concipitur, vel negativa. Affirmativa quidem hoc modo: Si Titius Consul factus fuerit, quinque aureos dare spondes? Quo casu non committitur stipulatio, nisi post impletam conditionem; quia dies obligationis cedit & venit simul ab eventu conditionis, l. cedere diem 213. ff. de verb. sign. Committi autem stipulationem tamen nihil est aliud, quam stipulationis effectum sortiri; & casum extitisse, quo promissor eam executioni mandare debeat. At si conditio negativa concipiatur, nihil debebitur stipulanti, quamdiu incertum erit, an in illud quod in conditionem collatum est, possit existere. Ideoque, si quis centum stipulatus fuerit hoc modo: si in Capitolum non ascendero, centum mihi dare spondes? perinde erit ac si stipulatus esset, cum moreretur sibi dari, l. 115. §. 1. ff. h. t. quia quamdiu vivit stipulator, incertum est utrum in Capitolum sit ascensurus, nec ne. Neque hoc casu locus erit cautioni Mutianæ, sicut in legatis accidit; quia sibi debet imputare stipulator, qui eam legem stipulationi adjectit, in qua eatenacum tantum nascitur obligatio, quatenacum lingua contrahentium nuncupatum est: ita ut quod omissum est pro omisso habeatur, nec suppleri possit, l. 99. ff. h. t. Pleniū autem interpretandæ sunt morientium voluntates.

*Ad Vers. Ex conditionali.*

**E**X conditionali stipulatione tantum spes est debitum iri; eamque ipsam spem in heredem transmittimus, si prius quam conditio extet, mors nobis contigerit.

**Q**UAMVIS autem in stipulatione conditionali, non tempus conditionis existentis, sed tempus stipulationis contractæ inspiciamus, l. 11. ff. qui potior in pign. habeatur, nihilominus tamen ex ea stipulatione tantum spes est debitum iri; neque ulla obligatio oritur ante conditionis eventum, d. l. 213. ff. de verb. signif. Sed quod maximè notandum, stipulator ad heredem suum, spem illam totam transmittit, etiamsi ante conditionis eventum decesserit. Aliud obtinet in legatis & fideicommissis conditionalibus, quæ ad heredem non transmittuntur, si legatarius vel fideicommissarius ante diem legati vel fideicommissi cedentem, id est ante conditionis eventum decesserit, l. 4. & 5. ff. quando dies leg. vel fideic. cedat, & l. un. §. sin autem, C. de caduc. toll. Ratio disparitatis esse videtur; quia qui contrahit non tantum sibi, sed etiam heredi suo intelligitur contraxisse; l. si patrum 9. ff. de probat. Aliud obtinet in legato, quod testator creditur reliquise in gratiam solius legatarii, non heredis ejus; quia cum heredem cognoscere non potuit, immo vero quamvis cognovisset, non potuit ei legare, saltem jure veteri, cum sit incerta persona, §. in certis sup. de legatis.

## Ad §. Loca.

**L**OCA etiam inseri stipulationi solent; veluti; *Carthagini dare spondes?* Quæ stipulatio licet prius fieri videatur, tamen re ipsa habet tempus adiectum, quo promissor utatur ad pecuniam Carthagini dandam. Et ideo si quis Romæ ita stipuletur, *hodie Carthagini dare spondes?* inutilis erit stipulatio, cum impossibilis sit repromissio.

**C**UM loca stipulationi inseruntur, tacite inest tempus, quo possunt contrahentes ad illa loca pervenire, atque ideo si Mævius Romæ ita promittat Tito stipulanti, *Hodie Carthagini dare spondeo;* inutilis est stipulatio: quia impossibilium nulla obligatio est, *i. impossibilem, ff. de reg. jur. nisi forte uterque contrahens habeat Carthagini suos procuratores, quibus dicta die dare & accipere invicem ante mandatum sit, l. ult. §. si inter, ff. h. t.*

## Ad §. penult.

**C**ONDITIONES, quæ ad præsens vel præteritum tempus referuntur, aut statim infirmant obligationem, aut omnino non differunt, veluti: *Si Titius Consul fuit, vel si Mævius vivit, dare spondes?* Nam si ea ita non sunt, nihil valet stipulatio: sin autem ita se habent, statim valet. Quæ enim per rerum naturam sunt certa, non morantur obligationem, licet apud nos incerta sint.


**C**ETERUM cum queritur, an aliqua stipulatio sit conditionalis, non sola figura verborum inspici debet, quæ plerumque in conditionalibus concipiunt per partículam *Si.* Constat enim & sine illa formula conditionem adjici posse, pura cum additur tempus aliquod incertum, v. g. *cum Titius Consul factus fuerit:* hoc enim pro conditione habetur, *l. 75. ff. de condit. & demonstr. & vice versa non est semper vera conditio, quamvis haec particula si adhibeatur, videlicet cum conditio in præteritum vel in præsentem eventum conservetur, v. g. si Rex Parthorum vivit, vel si Titius Consul factus fuit; quia illa dumtaxat conditio vera dicitur, quæ actum aliquem in futurum eventum suspendit, l. 37. 38. & 39. ff. de reb. cred.* Ideoque licet Jūdex reum condemnare non possit, quamdiu id incertum est; quia actore non probante reus absolvī debet, non condemnari; non tamen potest actori pœnas plus petitionis infligere, quæ ante tempus pertinentibus infliguntur, *§. si quis agens, inf. de aet.* quia quæ per rerum naturam sunt certa, non morantur obligationem, licet apud nos incerta sint.

## Ad §. ult.

**N**ON solū res in stipulatum deduci possunt, sed etiam facta; ut si stipulemur aliquid fieri, vel non fieri: & in hujusmodi

stipulationibus optimum erit poenam subjecere , ne quantitas stipulationis in incerto sit , ac necesse sit actori probare , quod ejus intereat. Itaque si quis , ut fiat aliquid , stipuletur ; ita adjici poena debet : Si ita factum non erit , tunc pœna nomine decem aureos dare spondes ? Sed si quædam fieri , quædam non fieri , unâ eademque conceptione stipuletur quis , clausula hujusmodi erit adjicienda : Si adversus ea factum erit , sive quid ita factum non fuerit , tunc pœna nomine decem aureos dare spondes ?

**C A U S A** materialis sive materia stipulationum est , non tantum stips , id est pecunia numerata , à qua stipulationem dictam credidit Varro lib. 5. de ling. Lat. eò quod pecunia frequenter in stipulationem deducatur ; sed omnia insuper corporalia & incorporalia , fundus v. g. homo & servitutes ; imò verò etiam facta ; v. g. Promittis mihi reficere domum meam , vel altius non tolleto domum tuam ? Quæ stipulatio facti , incerta dicitur ; quin si promissor non faciat illud quod promisit , per moram ejus tacita quâdam juris potestate novatio inducitur , & reus in pecuniam numeratam condemnatur ; quod generale est in omnibus faciendi obligationibus , l. 13. §. 1. de re judic. Quibus verbis designatur competere stipulanti actionem in id quod interest , cuius quantitas est incerta , l. ult. ff. de Prætor. stipul. Id quod interest † definiri potest , quod nobis abest , quodque luctari potuimus , l. 13. ff. ratam rem haberi : ( les dommages & intérêts ) seu ( ut ait Theologi ) damnum emergens , & lucrum cessans . Quæ duo cum sint difficultate probationis , & ad minimum plerumque redigantur , d. l. ult. ideo monet nos Imperator in stipulatione facti , poenam debere subjeci , id est stipulationem facti penali stipulatione esse muniendam , ad majorem securitatem , v. g. hæc formulæ : Si ita factum non erit , tunc pœna nomine decem aureos mihi dare spondes ?



## T I T U L U S X V I I . DE DUOBUS REIS STIPULANDI & promittendi.

*Ad Princip.*

**E**t stipulandi & promittendi duobus phrasive rei fieri possunt. Stipulandi ita si post omnium interrogationem promissor respondeat , spondeo : utputè cum duobus separatis stipulantibus ita promissor respondeat , Utique vestrum dare spondeo . Nam si prius Tito sponderit , deinde alio interroganti spondeat , alia atque alia

erit obligatio, nec creduntur duo rei stipulandi esse. Duo pluresve  
rei promittendi ita fiunt: *Mævi, decem aureos dare spondes?* & *Sei, eisdem decem aureos dare spondes?* [ si ] respondeant singuli separatim, *Spondeo.*

**S E Q U I T U R**, ut causas stipulationis efficientes inquiramus. Tales sunt persona contrahentium, quæ dicuntur rei stipulandi & promittendi. Reus generaliter † est ille de cuius re agitur: ita Festus & M. Tullius lib. I. de Oratore. Reus tamen specialiter & per excelleniam dicitur in judicio † is unde petitur, sive adversus quem agitur; quia de ejus re maximè disceptatur, cum ei soli immineat periculum condemnationis. Reus itaque stipulandi † est qui stipulatur. Reus promittendi † est qui stipulanti promittit.

In singulis stipulationibus non tantum possunt adhiberi singuli rei stipulandi & promittendi, sed etiam duo vel plures. Duo quidem rei stipulandi constituantur, si Sempronius ita interrogatus sit à Titio; *Promittis, Semproni, mihi dare centum nummos?* & deinde similiter interrogatus à Mævio; *Promittis, Semproni, mihi dare eisdem centum nummos?* post interrogationem omnium respondeat; utriusque vestrum dare spondeo. Dixi post omnium interrogationem; quia si prius Titio sponderit, deinde Mævio interroganti spondeat, due erunt stipulationes; & ut ait Imperator alia atque alia erit obligatio: atque idem non erunt duo rei stipulandi. Sed si illi, qui separatim ita contraxerunt, voluerint eo modo fieri duos reos stipulandi, credendum est quoad juris effectum duos reos stipulandi fieri, arg. l. 3. in pr. ff. cod. Duo itaque rei stipulandi † sunt, qui eamdem rem ex eodem contractu & ex eadem causa in solidum stipulati sunt, ea lege ut una tantum res omnibus debeatur.

Duo rei promittendi sient hoc modo, si Titius Mævium & Seium ita interroget: *Mævi, decem aureos mihi dare spondes?* *Sei, eisdem decem aureos mihi dare spondes?* & responderint deinde singuli separatim, *spondeo.* At si post singulas interrogations singulæ subsequerentur responsiones, jam non esset unicus contractus, sed duo. Cæterum hæc distinctio formulæ quantum ad juris effectum nullius momenti est, si contrahentes voluerint ut fierent duo rei, d. l. 3. in pr. Duo igitur rei promittendi † sunt, quorum singuli eamdem rem eidem stipulanti, eodem contractu & ex eadem causa in solidum & principaliter promiserunt. Dixi principaliter, ut distinguantur correi à fidejussoribus.

*Ad §. I.*

**E**X hujusmodi obligationibus & stipulationibus solidum singulis debetur, & promittentes singuli in solidum tenentur. In utraque tamen obligatione una res vertitur; & vel alter debitum accipiendo, vel alter solvendo, omnium perimit obligationem, & omnes liberat.

**E**x hujusmodi obligationibus, quæ non tantum stipulatione, sed etiam aliis contractibus, immò vero etiam testamento induci possunt, l. eamdem, ff. b. t. l. 8. §. I. ff. de leg. I. & l. 16. ff. de leg. 2. Solidum singulis stipulantibus debetur, &

promittentes singuli tenentur in solidum ; & in utraque obligatione una res veratur ; & alter debitum accipiendo vel solvendo , totum jus obligationis extinguit. Verum ex Nov. Justiniani 99. duo rei promittendi non aliter obligantur in solidum , nisi hoc expressè cautum est ; id est nisi addita fuerit clausula de solidi debito à singulis præstanto ; quæ clausula nostro idiomate dicitur (*la clause solidaire , chacun pour soi , & un seul pour le tout.*)

*Ad §. ult.*

**E**X duobus reis promittendi , alias purè , alias in diem , vel sub conditione obligari potest ; nec impedimento erit dies aut conditio , quo minus ab eo , qui purè obligatus est , petatur.

**Q**UAMVIS autem in illis obligationibus una sit stipulatio ; nihil tamén vetat , quin unus reus promittendi purè , alter in diem vel sub conditione obligetur ; quia scilicet diversa est utriusque obligatio. Ac proinde dies vel conditio uni adscripta non impediet quia alter statim possit conveniri ; quia hæc personæ cohærent , non debito.



## T I T U L U S X V I I I .

### D E S T I P U L A T I O N E S E R V O R U M .

*Ad Princip.*

**S**ERVUS ex persona domini jus stipulandi habet. Sed & hæreditas in plerisque personæ defuncti vicem sustinet ; ideoque quod servus hæreditarius ante aditam hæreditatem stipulatur , acquirit hæreditati ; ac per hoc etiam hæredi postea facto acquiritur.

**P**ERSONARUM stipulantium numero servus rectè adscribitur. Licet enim pro mortuo habeatur , quantum ad ea quæ sunt juris civilis , l. quod attinet 32. ff. de reg. jur. cuiusmodi est stipulatio , §. de constituta infra de act. ex persona ramen domini jus stipulandi habet , & ab eo personam accipit. Idemque dicendum est de servo hæreditario ; quia hæreditas jacens in plerisque personæ defuncti vicem sustinet , id est in his quæ sunt juris. Aliud dicendum est de his rebus in quibus factum desideratur , ideoque hæreditati jacenti furtum non fit ; quia furtum fieri non potest sine interversione possessionis : hæreditas autem jacens non possidet , l. i. §. Scivola , ff. si is qui testam. liber. eff. juss. erit. Et similiter quoque ususfructum non rectè stipulatur servus hæreditarius , l. 26. ff. b. t. quia ususfructus non potest consistere sine persona quæ fruatur , l. 61. §. i. ff. de acquir. rer. domin. & l. i. §. dies , ff. quando dies ususfr. leg. cedat ; &

quia ususfructus ex fruendo consistit, id est ex facto aliquo ejus qui fruiatur & utitur, l. 1. in pr. ff. eod.

## Ad §. 1.

**S**I V E autem domino, sive sibi, sive conservo suo, sive impersonaliter servus stipuletur, domino acquirit. Idem juris est & in liberis, qui in potestate patris sunt, ex quibus causis acquirere possunt.

**N**I H I L autem interest, an servus stipuletur sibi dari, vel domino suo, vel conservo suo, vel impersonaliter, id est sine ulla adjectione personæ; quia semper indistinctè totum jus obligationis domino acquiritur, l. 1. in pr. & l. 15. ff. h. t. adeò ut ne momento quidem in persona servi obligatio constat, l. placet 79. ff. de acquir. hered. quia in personam servilem nulla cadit obligatio, l. 22. ff. de reg. jur. Circa liberos quoque in sacris paternis constitutos simile jus obtinet, quod suo loco infrà commodius exponemus.

## Ad §. penult.

**S**E D CUM factum in stipulatione continebitur, omni modo persona stipulantis continetur; veluti si servus stipuletur, ut sibi ire agere liceat: ipse enim tantum prohiberi non debet, non etiam dominus ejus.

**Q**UAMVIS autem quidquid acquirunt servi acquirant dominis, tamquam animata dominorum instrumenta, *Arist. lib. 1. Polit. cap. 4.* ab ea tamen regula excipi debet stipulatio facti. Nam si servus stipulatus fuerit, ut sibi agere licaret per fundum Titii, ad eundum in fundum domini; utilitas quidem stipulationis aliqua; saltem per consequentiam, domino acquiritur; sed jus transeundi, eundi, & agendi soli servo competit, non domino ejus: quia facta in naturali hominum actu consistunt, & personæ cohærent, l. qui heredi 44. ff. de cond. & demonstr. l. cum quis 55. ff. de verb. oblig. & l. 6. §. ult. ff. de statu lib. At in his quæ naturalia sunt, jure naturali omnes homines æquales sunt, l. quod attinet, ff. de reg. jur. Non igitur credendum est stipulationem, de quâ hic agimus, esse stipulationem servitutis realis. Nam si servus fundo domini sui stipulatus sit servitutem itineris vel actus, dubium esse non debet, quin & dominus servi & quilibet alias ejus mandato, habeat jus transeundi per fundum vicini, ad maiorem fundi illius dominantis utilitatem, l. 17. ff. h. t. quia servitutes non in facto, sed in jure consistunt, §. incorporales & sequ. sup. de rebus corpor. & incorpor.

Verum servo alieno via ad fundum domini frustra legatur, l. 5. ff. de servit. leg. quia & si maximè testamenti factio cum servis alienis ex persona dominorum sit, ea tamen quæ servis relinquuntur, ita valent si liberis relicta possent valere, d. l. 5. Generalis itaque testamenti factio separanda est à rebus singulis quæ servo alieno legantur. Testamenti factio † est cum servo alieno ex persona domini; quæ est antiqua juris regula ex libris Sabinianis deprompta, l. 12. §. regula,

*ta, ff. de leg. 1.* Legatum verò rerum singularum consistit ex persona servi, non domini: quæ secunda auctorem habet Julianum edicti perpetui conditorem, *l. debitor 82. §. servo, ff. de leg. 2.* ita ut requirendum sit, an servus, si statim liber fieret, & testator statim decederet, posset rem legatam acquirere. Res itaque domini potest alieno servo legari, quæ domino legari non posset, *d. §. servo, & l. proprias, C. de legat.* quia si statim liber fieret, posset illam acquirere. Ex diverso legari servo non potest via ad fundum domini: quia si statim liber fieret, nou posset illam acquirere; cùm illud prædium non haberet, *l. 1. §. 1. ff. comm. præd.* In stipulationibus verò totum ab initio acquiritur domino; quia in illis solum tempus contractus inspicitur, *l. 78. in pr. ff. de verb. oblig.*

*Ad §. ult.*

**S**ERVUS communis stipulando, unicuique dominorum pro portione domini acquitit; nisi jussu unius eorum, aut nominatim alicujus eorum stipulatus est: tunc enim soli ei acquiritur. Quod servus communis stipulatur, si alteri ex dominis acquiri non potest; solidum alteri acquiritur, veluti si res, quam dari stipulatus est, unius domini sit.

**S**ERVUS communis plurium dominorum sic omnium est, non quasi singulorum totus; quia duo ejusdem rei simul domini esse non possunt, *l. 5. §. ult. ff. commod.* sed pro partibus indivisis, ut domini magis intellectu, quam corpore partes habeant, *l. 5. ff. b. t.* atque ideo si quid stipuletur dominis suis obligationem pro dominica portione illis acquirit, non pro virili. Dominica portio † est quæ ratione dominii constituitur; cùm unusquisque dominorum talem partem obtinet in re acquisita, qualem habet in dominio servi acquirentis. Ex. gratiâ: Si Titius & Mævius servum emerint quadraginta solidis, & Titius triginta solidos, Mævius vero decem impenderit; isque servus deinde quadraginta solidos stipulatus fuerit; triginta solidi Titio, decem vero Mævio debebuntur, servatâ portione dominicâ. Pars virilis † est illa quæ pro numero personarum constituitur; cùm scilicet tot sint partes, quot sunt personæ: talis est dimidia si duo sint domini; tertia si tres fuerint, & sic de cæteris. Unde sequitur, virilis partis nomine totum interdum contineri; cùm scilicet unica persona est, *l. virilis 145. de ver. fig.*

Tripliæ tamen patitur exceptionem hæc regula. Prima est, quod servus plurium ei tantum domino acquirat obligationem, cuius nomine stipulatur, *l. 5. ff. b. t.* quia in stipulationibus cæteris nascitur obligatio, quatenus lingua contrahentium nuncupatum est, *l. 99. ff. de verb. oblig.* Secunda exceptio est, quod ei soli domino servus stipulando obligationem acquirit, cuius jussu stipulatur: qui, ut ait Theophilus, jussus tantumdem præstat quantum nominis mentio. Quod confirmat Justinianus Imperator in *l. ult. C. per quas pers. nobis acquir.* Tertia denique exceptio est, quod eo casu, quo res à servo communi in stipulationem deducta, non possit acquiri uni ex dominis; alteri domino solidum, id est totum acquiritur, *l. 7. in fine & 2. seqq. ff. b. t.* ut si fundum Titii unus domini sui stipulatus sit: quod enim semel nostrum est, amplius nostrum fie-

ti non potest , §. sic itaque , infra de act. ac proinde si servitutem stipulatus sit ad fundum Cornelianum , qui sit unius ex dominis ; ei soli obligationem ejus servitutis acquireret : quia is solus acquirere servitatem realem potest , qui praedium habet , l. 1. ff. commun. præd. & l. 2. §. 1. ff. si serv. vind.



## T I T U L U S X I X.

### DE DIVISIONE STIPULATIONUM.

*Ad Princ.*

**S**TIPULATIONUM aliæ sunt Judiciales , aliæ Prætoriae , aliæ conventionales , aliæ communes , tam Prætoriae , quam Judiciales .

A D efficientem quoque stipulationis causam pertinet hic titulus , in quo traditur divisio stipulationum desumpta ex variis causis à quibus oriuntur . Stipulationum igitur † aliæ sunt Judiciales , aliæ Prætoriae , † aliæ conventionales , aliæ denique communes , tam Prætoriae , quam Judiciales .

*Ad §. 1.*

**J**UDICIALES sunt dumtaxat , quæ à mero Judicis officio proficiuntur : veluti de dolo cautio , ( vel de persequendo servo , qui in fuga est , restituendōve pretio . )

**S**TIPULATIONES Judiciales sunt , quæ à mero Judicis officio proficiuntur : v. g. de dolo cautio , vel de persequendo servo , qui in fuga est . Judices hoc loco † dicuntur illi , quibus de negotio aliquo judicando , cura ac facultas à Magistratu concessa est . Quoties itaque Judices ex concessa sibi potestate , jubent rem aliquam alicui restitui ; solent jubere possessori , ut præstet cautionem sive stipulationem de dolo , quæ promittat omnem dolum malum abesse , abfuturumque esse , l. præterea 20. ff. de rei vindic. & l. 9. ff. quod met. cau. Periculum enim est , ne possessor servo , quem restituit , det venenum , quod paulò post eum enecare possit , aut ne ejus mores corrumpat . Dixi cautionem vel stipulationem ; quia utrāque hāc voce idem contractus sèpius significatur eò quod in eo unus contrahentium caveat , id est promittat ; alter verò stipuletur : sicut etiam diverso respectu idem locus est acclivis & declivis . Cautio de persequendo servo , qui in fuga est , locum habet in servo legato , de quo dubium est an vivat ; cuius servi estimationem hæres præstare non cogitur ; sed cavere dumtaxat officio Judicis , se boni viri arbitratu cum servum requisitum & legatario restitutum , si nactus cum fuerit , l. servo legato 69.

*§. ult. ff. de leg. 1. vel premium restitutum legatario , si forte illud consecutus fuerit à possessore , cuius culpa perierit.*

*Ad §. Pratoria.*

**P**RÆTORIÆ sunt , quæ à mero Prætoris officio proficiuntur , veluti damni infecti , [ vel legatorum . ] Prætorias autem stipulationes sic exaudiri oportet , ut in his etiam contineantur Ædilitiæ : nam & hæ à jurisdictione Prætoris veniunt .

**S T I P U L A T I O N E S** Prætoriæ † sunt , quæ à mero Prætoris officio proficiuntur , ut cautio damni infecti , vel legatorum . Cautionem damni infecti præstare cogitur vicino suo dominus ædium ; quæ carie & vetustate consumptæ ruinam minantur ; promittens illi omnem eo nomine indemnitatem : eoque nomine idèo appellatur , quod detur propter damnum infectum , id est quod nondum factum est , sed tamen facile fieri potest . Quam cautionem si dominus ædium præstare recusaverit , mittitur vicinus à Prætore in possessionem illarum ædium , l. 7. ff. de *damno infec.* Cautionem legatorum nomine exigunt ab hærede legatarii , quibus aliquid in diem vel sub conditione relatum est , de legato post dicti vel conditionis eventum sibi præstanto : ne forte inter has moras , dum expectatur dies vel conditio , hæres decoquat omne patrimonium defuncti , & inanem ipsi efficiat liberalitatem testatoris . Inanis siquidem est actio , quam inopia debitoris excludit , l. 6. ff. de *dolo malo.* Quam cautionem si hæres præstat noluerit , mittentur legatarii à Prætore in possessionem rerum hæreditarium , l. 5. §. qui in possessionem , & §. Imperator , ff. ut in possessionem legatorum .

Prætoriæ stipulationes † subdividuntur in judiciales , cautionales & communes , l. 1. ff. de *Præt. Stipul.* Judiciales † sunt , quæ propter judicium interponuntur , ut ratum fiat ; id est ut effectum sortiatur : v. g. cautio sine stipulatio judicatum solvi . Habent itaque nomen à judicio hæ stipulationes , non vero à Judge , sicut aliæ Judiciales de quibus actum est in §. superiore . Cautionales † iunt , quæ instar actionis habent , & ut nova sit actio intercedunt , veluti cautio damni infecti & legatorum ; ita dictæ , quia ad cautionem & securitatem stipularis spectant . Quamvis enim omnes stipulationes ad cautionem & securitatem stipularis spectent , hæ tamen specialiter cautionales dicuntur , quod non futuri judicii causa sicut ut superiores , sed cautionis dumentata gratia , quæ ad judiciorum causam non pertinet . Stipulationes communes † dicuntur hoc loco , quæ & propter securitatem judicii , & propter aliam etiam extrajudicialem interponuntur ; qualis est stipulatio judicio listi , quæ & judicij causâ interponitur , ut nomen ipsum indicat satis ; & præterea securum præstat actorem ut sit indemnis , si se reus judicio non sistat : eoque casu erit cautionalis , quia ut nova sit actio efficit .

Ædilitiæ quoque stipulationes Prætoriarum numero continentur . Nam & hæ à jurisdictione Prætoris , id est Magistratus , veniunt . Prætoris siquidem nomen videtur olim fuisse commune omnibus Magistratibus , l. 2. §. eodem tempore , ff. de *or. jur.* Juebant autem Ædiles repromitti multa circa res venales , v. g. fer-

vum qui vendebatur , sanum esse , & fugitivum non esse , dum curabant ; ne emptores à venditoribus circumvenirentur , l. 31. & seq. ff. de evill.

*Ad s. penult.*

**C**ONVENTIONALES sunt , quæ ex conventione utriusque partis concipiuntur : [ hoc est , neque iussu Judicis , neque iussu Prætoris , sed ex conventione contrahentium , ] quarum totidem genera sunt , quot ( penè dixerim ) rerum contrahendarum.

**S T I P U L A T I O N E S** conventionales † sunt , quæ ex conventione partium oriuntur : cujus generis tot sunt species , quot rerum contrahendarum , id est conventionum & negotiorum . Unde fit ut stipulationes vinculorum vincula possint appellari , quia his cæteræ obligationes adstringuntur & confirmantur . Eleganter itaque Cujacius in suo paratilo , ff. de verb. oblig. stipulationem appellat *ταυδιεχθην* , quasi omnes alias obligationes continentem . Hæ nomen habent à conventione partium , ex qua sola oriuntur , sine ullo Prætoris iussu vel Judicis .

*Ad s. ult.*

**C O M M U N E S** sunt , veluti rem salvam fore pupillo : ( Nam & Prætor jubet rem salvam fore pupillo caveri : & interdum Judex , si aliter hæc res expediri non potest ) vel de rato stipulatio .

**S T I P U L A T I O N E S** communes , id est tam Prætoriæ quam Judiciales , † sunt illæ , quæ interdum jubent Prætore , interdum Judicis officio interponuntur . Primo quidem communis est stipulatio , rem pupilli salvam fore : curat enim Prætor ut tutores eo nomine satisdent , *in princ. sup. de satisd. tutor.* Judex quoque interdum eam satisfactionem exigit à tute : nimirum si adversus aliquem pupilli nomine experiatur ; & ille reus post licet contestationem postulet , ut tutor satis dare teneatur , rem pupilli salvam fore : ne alioquin sententia Judicis careat firmitate , l. 3. C. de tutorе vel de curatore qui satis non dedit .

Communis quoque est stipulatio de rato . Nam si quis alieno nomine actionem postulet à Prætore , jubet ei Prætor , ut caveat ratam rem dominium habitum ; ne alioquin rei judicatae auctoritas eludatur . Quæ satisfactio si omessa fuerit coram Prætore , deinde constituerit eum falsum procuratorem esse , jubebit Judex postulante adversario eam præstari .

Nec mirari quisquam debet quod Judex , qui nudam tantum notionem habet , possit iubere caveri , quod videtur proprium Magistratus , l. 4. ff. de jurisdict. Multa enim sunt Magistratum propria , quæ si in judicium per consequentiam inciderint coram Judice minus competente , ad eius Judicis officium & cognitionem pertinere incipiunt , l. 1. C. de ordine judiciorum .

# T I T U L U S X X.

## DE INUTILIBUS STIPULATIONIBUS.

*Ad Princ.*

**O**MNIS res quæ dominio nostro subjicitur, in stipulationem deduci potest; sive illa mobilis sit, sive soli.

**E**XPOSITIS causis stipulationum, sequitur, ut effectus earum videamus; quæ in parte duo nobis occurunt investiganda. Prior est, ut stipulationes utiles ab inutilibus distinguamus; alterum, ut varios utilium quarundam stipulationum effectus explicemus. Inutiles sunt stipulationes ex quadruplici capite, scilicet ratione rerum quæ in stipulationem deducuntur; ratione personarum quæ stipulationem contrahunt; ratione verborum, sive formæ adhibitæ in contrahenda stipulatione; & ratione causæ propter quam fit stipulatio.

Occasione rei, inutilis est stipulatio; si quis stipuletur illud, quod hominum commercio exemptum est. Id enim quod stipulatur debet esse in patrimonio nostro. Quod ita intelligendum non est, quali res quam stipulor debet esse mea; quia ut mox dicetur, rei propterea stipulatio non consistit, sed tantum ut debet esse ex numero earum rerum, quæ acquiri possunt.

*Ad §. 1.*

**A**T si quis rem, qui in rerum natura non est, aut esse non potest, dari stipulatus fuerit; veluti Stichum, qui mortuus sit, quem vivere credebat; aut hippocentaurum qui esse non possit: inutilis erit stipulatio.

Ex his sequitur, inutilem esse stipulationem hippocentauri, id est monstri ex humana & equina natura conflati; aut rei quæ non est in rerum natura, nec esse potest: v. g. si quis Stichum hominem mortuum, quem vivere credebat, stipulatus fuerit. Dixi neque esse potest; quia dubium non est, quin aliud juris sit in rebus quæ sunt extituta; v. g. si quis stipuletur fructus qui ex fundo Tusculano nascentur, quos fructus legari posse constat, s. ea quoque, sup. de legatis.

*Ad §. Idem juris.*

**I**DEM juris est, si rem sacram, aut religiosam, quam humani juris esse credebat; vel [rem] publicam, quæ usibus populi perpetuo exposita sit, ut forum vel theatrum; vel liberum hominem, quem servum esse credebat; vel cuius [rei] commercium non ha-

buerit, vel rem suam dari quis stipuletur. Nec in pendentii erit stipulatio ob id, quod publica res in privatum deduci, & ex libero servus fieri potest, & commercium adipisci stipulator potest, & res suas stipulatoris esse desinere potest; sed protinus inutilis est. Item contraria, licet initio utiliter res in stipularum deducta sit; si tamen postea in aliquam eorum causam, de quibus supra dictum est, sine facto promissoris devenerit, extinguitur stipulatio. At nec statim ab initio talis stipulatio valebit, *Luciam Titium, cum servus erit, dare spendet?* & similia. Quæ enim natura sui, dominio nostro exempta sunt, in obligationem deduci nullo modo possunt.

Hinc etiam patet, inutilem esse stipulationem rei sacrae, religiosæ, aut sanctæ, vel publicæ, vel liberi hominis, vel rei cuius commercium quis non habet; quia haec omnia exempta sunt commercio, saltem stipulantis. In his omnibus rebus statui debet duplex regula. Prima est stipulationem hujusmodi rerum non valere, quamvis deinde in commercio esse coiperint; puta si liber homo factus sit servus, aut publica res facta sit privata, & sic de ceteris; quia ad stipulationes quoque accommodari potest regula, quæ vulgo cicitur Catoniana. Ea quæ ab initio non valent, non possunt tractu temporis convalescere, l. 41. §. tractari, ff. de leg. 1. s. q. m. p. o. d. s. up. R. non r. m. s. l. o. n. t. i. b. o. l. o. n.

Secunda regula est, stipulationem rei quæ est in commercio infirmari, si ea res in commercio esse delicerit, forte si res profana fiat sacra, si locus purus fiat religiosus, & sic de ceteris. In hoc casu regula altera juris civilis valet. Ea quæ ab initio constiterunt inutilia fieri, si in eum casum pervenerint a quo incipere non possunt.

Similiter quoque propter easdem regulas inutilis est stipulatio; si rem meam stipulatus fuerim, etiam si deinde mea esse delicerit, aut si alienam stipulatus fuerim, quæ postea mea aliunde facta sit, l. 82. ff. de verb. oblig. Differt tamen regula stipulatio a ceteris quas modo diximus stipulationibus, quatenus rem sacram v. g. non possumus stipulari sub ea conditione, si profana facta fuerit; aut liberum hominem si servus factus sit, l. inter, §. sacram, ff. eod. quia (ut ibi additur) neque civile, neque naturale est, ut expectemus tam tristem casum, durumque eventum hominis liberi, ut fiat servus; & sic de ceteris. At verò rem suam rectè aliquis stipulatur, sub ea conditione, si sua esse delicerit, l. existimo 98. ff. eod. Hæc enim alienatio æquitati naturali ac civili maxime est consentanea, §. per traditionem, sup. de rer. divisi. & l. 12. C. mandati, nedum juri civili aut naturali aduersetur.

#### Ad §. Si quis alium.

**S**i quis alium daturum, facturumve quid promiserit, non obligabitur. Veluti si spondeat Titium quinque aureos daturum. Quod si effectum se, ut Titius daret, spoponderit, obligatur.

**I**N UTILIS quoque est stipulatio, si quis promiserit factum alienum: v. g. Titium ædes stipulantis refecturum; aut ei daturum aliquid. Ex ea enim stipulatione, neque Titius obligatur; quia nemo obligatur ex contractu alieno, l. pen. C. ne uxor pro marito. Neque etiam obligatur promissor; quia de se unumquemque promittere oportet, d. l. inter in pr. Sed excipiens est ab hac regula, casus ille, si quis promiserit, se effecturum ut Titius daret aliquid vel faceret, l. illa stipulatio 67. ff. eod. & l. ult. ff. de reb. cred. quia ille factum suum promisit.

*Ad 5. Si quis alii.*

**S**i quis alii, quam ei cuius juri subjectus sit stipuletur, nihil agit. Planè solntio etiam in extraneam personam conferri potest: veluti si quis ita stipuletur, *Mibi aut Seio dare spondes?* Ut obligatio quidem stipulatori acquiratur; solvi tamen Seio, etiam invito eo, recte possit: ut liberatio ipso jure contingat; sed ille adversus Seium habeat mandati actionem. Quod si quis sibi, & alii, cuius juri subjectus non sit, dati decem aureos stipulatus est, valet quidem stipulatio: sed utrum totum debeatur stipulatori, quod in stipulationem deductum est, an vero pars dimidia, dubitatum est: sed placuit, non plus quam dimidiad partem ei acquiri. Ei [vero] qui juri tuo subjectus est, si stipulatus sis, tibi acquiris; quia vox tua tamquam filii sit, sicuti & filii vox tamquam tua intelligitur in iis rebus, quæ tibi acquiri possunt.

**QUEMADMODUM** nemo potest promittere factum alienum, & obligationis onus extraneo imponere; ita neque potest aliquis utilitatem alienam stipulari, & stipulando obligationem extraneo acquirere; quia inventæ sunt stipulationes, ut quis per eas acquirat quod suâ interest; cæterum ut alii detur, nihil interest stipulatoris, ff. alteri b. n. r. l. 38. §. alteri, ff. de verb. obl. & d. l. inter in pr. Hoc tamen non vetat, quin valeat hæc stipulatio, *Mibi aut Seio dare spondes?* Namque Seius eo casu adjectus tantum est solutionis gratia. Neque hoc agitur in illa stipulatione, ut Seio ulla obligatio, aut ulla actio acquiratur; sed tantum ut promissori detur facultas solvendi Seio; eaque solutione liberationem consequendi, etiam invito creditore. Quam liberationem alioquin non obtineret; quia regulariter qui solvit alteri quam creditori, non liberatur, §. item si, inf. de mandato. Cum autem Seio adjecto solutum est, tenetur Seius stipulanti actione mandati directa; quia videtur tamquam ejus procurator pecuniam acceptile.

Multum itaque intercedit discriminis, utrum quis hoc modo stipulatus fuerit, *Mibi aut Seio decem dare spondes?* an vero illo, *Mibi & Seio decem dare spondes?* Prior stipulatio utilis est omnimodo, sicut jam diximus. Posterior vero est prorsus inutilis, quoad extraneum, d. l. inter in pr. Stipulanti vero proficit tantum pro dimidia parte ejus summa; quasi sibi quinque, & Seio alia quinque stipulatus fuisse videatur. Neque est locus juri accrescendi, sicut inter collegatarios; quia singulis collegatariis ab initio totum debetur, §. si eadem sup.

*de legat.* quod in contractibus dici non potest. Ideo autem fecimus semper in hac quæstione mentionem extranei, quia aliud juris est in illis personis, quas patriæ potestatis vinculum conjungit. Pater enim & filius eamdem personam constituere intelliguntur, *l. ult. C. de impub.* & *aliis subst.* & ut ait Imperator. Vox tua tamquam filii est: & vox filii tamquam tua intelligitur, in iis rebus quæ tibi acquiri possunt. Sed hoc infra diligenter in tit. pen. *hujus libri* explicabatur. Interim tamen advertendum est, receptum esse in hoc Regno, ut Notarii sive Tabelliones publici pro absentibus stipulentur, *Guid. Pap. qu. 49.* & *317. juxta l. 2. ff. rem pup. salv. for.* Eo excepto, quod donationem inter vivos accipere pro absente non possunt, propter expressam constitutionem Francisci I. anno domini 1539. art. 133. quæ id prohibitum est. Unde sequitur, dubitandum non esse, quin per procuratorem fieri possit stipulatio.

*Ad §. Pratercā.*

**P**RATERCĀ à inutilis est stipulatio, si [ quis ] ad ea, quæ interrogatus fuerit, non respondeat: veluti si quis decem aureos à te dari stipuletur, tu quinque promittas, vel contrā: aut si ille purè stipuletur, tu sub conditione promittas, vel contrā: si modò scilicet id exprimas; id est si cui sub conditione vel in diem stipulanti, tu respondeas *presenti die spondeo*. Nam si hoc solum respondeas, *promitto*; breviter videris in eamdem diem vel conditionem spondisse. Neque enim necesse est in respondendo eadem omnia repeti, quæ stipulator expresserit.

**I**NUTILIS denique sit stipulatio, propter res in stipulationem deductas; si alia res contineatur in interrogatione stipulantis, & alia in responsione promittentis; uno verbo, si congrua non fuerit interrogationi responsio: v. g. si quis Sichum stipulanti promittat decem; aut si quis decem stipulanti promittat quinque; aut si purè stipulanti aliquis in diem vel sub conditione promittat, vel è converso. Verum in hoc casu & aliis in quibus quid adjicitur vel detrahitur stipulationi, si diversitas responsionis illico placuerit stipulatori; contrahetur obligatio in illud quod in responsione continetur, v. g. in quaque; quia alia hoc modo stipulatio contracta esse intelligitur: tum etiam quia in majori summa minor continetur, *l. 1. §. si quis simpliciter, & §. sequ. ff. de verb. oblig.*

*Ad §. Item inutilis.*

**I**T EM inutilis est stipulatio, si vel ab eo stipuletis, qui tuo iuri subjectus est, vel si is à te stipuletur. Sed servus quidem non solum domino suo obligari non potest, sed ne quidem ulli alii: filii verò familiarum aliis obligari possunt.

**R**ATIONE personarum quatuor ob causas sit inutilis stipulatio, videlicet propter

propter vinculum potestatis, propter infirmitatem corporis vel animi, propter defectum voluntatis, & propter absentiam.

Et primò quidem potestatis intuitu infirma est stipulatio jure civili: si servus promittat aliquid domino, vel filiusfamilias patri in cuius potestate est, vel vice versa; quia eamdem personam constituere intelliguntur. Sed hoc non impedit, quin filiusfamilias patri suo naturaliter obligetur, *i. frater à fratre, ff. de condit. indeb.* Imò vero etiam civiliter cuiuslibet extraneo obligatur, tam ex contractibus, quam ex delictis, *i. tam ex contractibus, ff. de judic. excepta causâ mutui & voti, l. 3. ff. de SC. Maced. & l. 2. ff. de pollicit.* Servi vero ex contractibus quidem non obligantur; quia in personam servilem nulla cadit obligatio, *i. in personam 22. ff. de reg. jur.* At vero ex delictis obligantur; quia non oportet delicta hominum manere impunita, *i. 51. ff. ad L. Aquit.*

*Ad §. Mutum.*

**M**UTUM neque stipulari, neque promittere posse palam est, quod & in surdo receptum est; quia & is qui stipulatur, verba promittentis; & is, qui promittit, verba stipulantis audire debet: unde apparet non de eo nos loqui, qui cardinā exaudit; sed de eo, qui omnino non audit.

**I**N FIRMITAS corporis non patitur ut mutus & surdus stipulentur. Mutum non posse stipulati palam est; quia stipulatio verbis contrahitur; ex eaque non nascitur obligatio, nisi quatenus lingua contrahentium nuncupatum est, *l. 99. ff. de verb. obl.* Idemque dicendum est de surdo, id est de illo, qui omnino non exaudit; quia & ille qui stipulatur, verba promittentis; & ille qui promittit, verba stipulantis audire debet, *l. 1. in pr. ff. cod. & l. 1. §. ult. ff. de oblig. & alt.*

*Ad §. Furiosus.*

**F**URIOSUS nullum negotium gerere potest; quia non intelligit, quod agit.

**P**ROPTER infirmitatem animi furiosus & impubes jus stipendi non habent, & furiosum quidem non posse stipulari manifestum est, cum stipulatio consensum & presentiam contrahentium exigit: furiosus autem nullum habeat consensum, & per omnia & in omnibus absens & quiescentis loco habebatur, *l. 2. §. furiosus, ff. de jur. codic.* Prodigus autem cui bonis interdictum est, licet furioso in multis & quiparetur, *l. 1. ff. de curatoribus furioso, & l. 12. in fir. ff. de tutor. & curat.* nihil tamen verat, quin recte stipuletur & stipulando libi acquirat, *l. 6. ff. de verb. oblig.* ne alioquin bonorum interdictio, qua in prodigi favorem introducta est, in eius detrimentum retorqueatur; quod jus civile non patitur, *l. 6. C. de legib.*

## Ad §. Pupillus.

**P**UPILLUS omne negotium rectè gerit ; ita tamen , ut ubi tutoris auctoritas necessaria sit , adhibetur tutor , veluti si ipse obligetur : nam alium sibi obligare etiam sine tutoris auctoritate potest. Sed quod diximus de pupillis , utique de iis verum est , qui jam habent aliquem intellectum : nam infans , & qui infantiae proximus est , non multum à furioso distant ; quia hujusmodi ætatis pupilli nullum habent intellectum. Sed in proximis infantiae , propter utilitatem eorum , benignior juris interpretatio facta est ; ut idem juris habeant , quod pubertati proximi. Sed qui in potestate parentis est impubes , ne auctore quidem patre obligatur.

**I**MPU BERUM ætas † in tres gradus sive partes distinguitur. Alii siquidem dicuntur infantes , alii infantiae proximi , alii denique proximi pubertati. Infans † dicitur , qui minor est septem annis , *i.e. si infantis , cod. de jure delib.* ita dictus , quasi non loquens & fandi impos ; quia omnino non loquitur , vel non intelligit quid dicat. Infantiae proximus ; seu infante major , sive qui fari potest , ( hæc enim tria synonyma sunt ) † est qui excessit ætatem septem annorum ; ita dictus , quod anno septimo absolvatur integritas loquendi. Pubertati proximus quisnam sit , ambigitur inter Juris Interpretes. Alii definiunt eam ætatem incipere anno 12. completo ; alii 13. alii sexto mense ante pubertatem ; alii Judicis arbitrio & potestati totum committunt ; alii denique ( quod probabilius arbitror ) totum tempus à septem annis completis usque ad pubertatem dividunt in duas partes æquales , quarum prior fit proxima infantiae , posterior vero fit proxima pubertati. Masculi † itaque qui excederunt annum decimum & dimidium sint proximi pubertati ; fœminæ vero tales sint post annum nonum & diuidium.

Altera iterum distinctio adhibenda est inter impuberis patresfamilias , qui pupilli appellantur ; & filiosfamilias , seu qui sunt in patris potestate. Et pupilli quidem pubertati proximi absque tutoris auctoritate possunt stipulari , *in pr. sup. de auctor. tut.* sed infans & infantiae proximus non possunt ; quia non multum à furioso distant , & nullum ferè intellectum habent. Sed , ut ait Imperator , propter utilitatem pupillorum benignior juris interpretatio facta est , ut non solum pubertati proximi , sed etiam proximi infantiae possint stipulari sine auctoritate tutoris. Non tamen possunt stipulanti obligari , nisi adsit tutoris auctoritas ; quia ut dicitur *in d. princ.* placuit meliorem quidem conditionem licere eis facere , etiam sine tutoris auctoritate ; deteriorem vero non aliter , quam cum tutoris auctoritate. Atque ita perspicuum esse videtur quod dicitur *in l. 5. ff. de reg. jur.* in negotiis contrahendis , alia causa habita est furiosorum , alia eorum qui fari possunt , quamvis actum rei non intelligerent. Nam furiosus nullum negotium contrahere potest ; pupillus vero qui fari potest , omnia tuteore auctore agere potest.

At vero reliqui impuberis qui sunt in potestate patris , stipulari quidem

possunt sine patris auctoritate ; sed numquam possunt aliis obligari , quamvis ad sit patris auctoritas , l. ult. §. pupillus , ff. de verb. oblig. Ratio disparitatis esse videtur , quia pupillo adversus tutorem suum competit tutelæ actio propter male adhibitam auctoritatem ; sed filio contra patrem eo nomine nulla competit actio. Lis enim nulla esse potest inter patrem & filium in ejus potestate constitutum , nisi de castrensi peculio , l. 4. ff. de judic. Non tamen inde inferendum est , majorem esse tutoris in pupillam , quam patris in filium potestatem ; quia id potius propter utilitatem pupillorum receptum est , quam ratione potestatis.

*Ad §. Si impossibilis.*

**S**I impossibilis conditio obligationibus adjiciatur , nihil valet stipulatio. Impossibilis autem conditio habetur , cui natura impedimento est , quo minus existat : veluti si quis ita dixerit , *si digito cœlum attigero , dare spondes?* At si ita stipuletur , *si digito cœlum non attigero , dare spondes?* Purè facta obligatio intelligitur ; ideoque statim peti potest.

PROPTER defectum voluntatis fit inutilis stipulatio , quoties contrahentes animum contrahendi non habuerunt. Contrahere autem noluisse intelliguntur , si conditionem impossibilem vel legibus interdictam vel probrosam stipulationi ad ecerint affirmative conceptam , hoc vel simili modo : *Si cœlum digito tetigero , centum dare spondes?* Idemque juris est in ceteris contractibus , l. non solum 31. ff. de oblig. & aet. quamvis legata aliasque ultimas voluntates hujusmodi actio non vitiet , l. 3. ff. de cond. & demonstr. & §. impossibilis sup. de hered. inst. sed pro mendo habeatur , l. 1. ff. de condit. inst. licet legitur in Pandectis Florentinis : atque ideo hæc legata pura consentur. l. 5. §. idemque , ff. quan. dies leg. vel fid. ced. Ratio diversitat<sup>s</sup> est , quia testamenta fiunt ab uno homine , cui potest facile mendum excidere ; in nullo enim peccare magis est divinitatis , quam humanitatis , l. 2. §. si quid , C. de vet. jur. encl. Sed contra<sup>t</sup> actus non fiunt , nisi adhibito duorum consensu ; quorum uni non potest tale mendum excidere , quod alter non animadverterit : ideoque contrahentium in hujusmodi actu talcm cogitationem fuisse credendum est , ut nihil agi existimarent , d. l. non solum.

Quoties autem conditio impossibilis additur negativè , v. g. hoc modo : *Si cœlum digito non attigero , centum dare spondes?* Pura est re ipsâ hæc obligatio ; licet figura verborum conditionalis esse videatur , l. 9. §. 1. ff. de novat. quia hæc conditio omnino extitura est , juxta regulam Dialecticorum certissimam : Quoties ex duobus contradictoriis unum est impossibile , toties alterum est necessarium : vel licet alii loquuntur ; cuius affirmatio est impossibilis , ejus negatio est necessaria.

*Ad §. Item verborum.*

**I**TEM verborum obligatio inter absentes concepta , inutilis est. Sed cum hoc materiam litium contentiosis hominibus praestabat ,

fortè post tempus tales allegationes opponentibus , & non præsentes fuisse , vel se vel adversarios suos , contendentibus ; ideo nostra constitutio propter celeritatem dirimendarum litium introducta est , quam ad Cæsarienses Advocatos scripsimus , per quam disposuimus , tales scripturas , quæ præstò esse partes indicant , omnino esse credendas , nisi is , qui talibus uititur improbis allegationibus , manifestissimis probationibus vel per scripturam , vel per testes idoneos approbaverit toto eo die quo conficiebatur instrumentum , sese vel adversarium suum in aliis locis fuisse .

**A B S E N T E S** dicuntur hoc loco † quicumque se invicem audire non possunt ; *l. 1. in pr. ff. de verb. oblig.* Si quis igitur ex his stipulari velit , per servum præsentem id facere debet ; quia stipulatio non potest contrahi , nisi utroque se invicem exaudiente , *d. l. 1.* Sed quia necessitas probandi incumbit illi qui affimat , non illi qui negat , *l. 2. ff. de probat.* contentiosi homines inde captabant occasionem allegandi post tempus , se vel adversarios suos præsentes non fuisse ; atque ita cum actores post tempus id probare non possent , propter mortem , vel absentiam , vel oblivionem eorum , qui præsentes fuerant ; aditus ea de causa Justinianus Imperator à Cæsariensibus Advocatis , constituit , eum qui contra fidem instrumenti talibus uititur improbis allegationibus , probare teneri , se vel adversarium suum in aliis locis fuisse totâ eâ die , quâ conficiebatur instrumentum ; eamque probationem fieri debere vel per scripturam vel per testes omni exceptione mijores , *l. 14. C. de contrah. stipul.* Ex cuius facti probatione manifestè resultat & convincitur illa absentia , cum per rerum naturam idem corpus non possit esse simul in duobus locis . Ex quibus debemus inferre , pro instrumento militare semper præsumptionem veritatis , id est verum semper præsumi illud , quod in instrumento continetur , donec probetur contrarium .

#### *Ad §. Post mortem.*

**P**Ost mortem suam dari sibi nemo stipulari poterat ; non magis , quâm post ejus mortem , à quo stipulabatur . Ac nec is , qui in alicujus potestate est , post mortem ejus stipulari poterat ; quia patris vel domini voce loqui videretur . Sed & si quis ita stipuletur , *Pridic quâm moriar , vel pridie quâm morieris , dare spondes ?* inutilis erat stipulatio . Sed cum ( ut jam dictum est ) ex consensu contrahentium stipulationes valeant , placuit nobis etiam in hunc juris articulum necessariam inducere emendationem : ut sive post mortem , sive pridie quâm moriatur stipulator sive promissor , stipulatio concepta sit ; stipulatio valeat .

**R A T I O N E** formæ & conceptionis verborum , multæ fiant inutiles stipulationes . Et primò quidem hæc stipulatio , *post mortem tuam , vel post mortem meam , centum mihi dare spondes ?* olim erat inutilis , nec non etiam ea quæ sequi-

tur : Pridie quam moriar, vel pridie quam morieris, dare spondes ? idque propter rationes expositas ad §. pen. sup. de legatis. Sed hæc scrupulosa Veterum observatio in legatis & stipulationibus à Justiniano sublata est, l. un. C. ut actiones ab hered. & contra hered. incipient, sicut expositum est in loco laudato.

*Ad §. Item si quis.*

**I**T E M si quis ita stipulatus erat, Si navis [eras] ex Asia vene-  
rit, hodie dare spondes ? inutilis erat stipulatio, quia præpostorè  
concepta est. Sed cùm Leo inclytæ recordationis, in dotibus eam-  
dem stipulationem, quæ præpostera nuncupatur, non esse rejicien-  
dam existimaverit ; nobis placuit, & huic perfectum robur accom-  
modare, ut non solum in dotibus, sed etiam in omnibus valeat  
hujusmodi conceptio stipulationis.

**S**CRUPULOSA quoque altera Veterum observatio circa præpostoram sti-  
pulationem ab Imp. abrogata est, l. præposteri 25. C. de testam. Præpostera ap-  
pellatur † quæ præpostorè concepta est, id est inverso ordine ac turbato : ita ut  
quæ debent esse priora, posteriore loco ; & quæ debent esse posteriora, priore  
collocentur : v. g. Si navis eras ex Asia venerit, hodie decem mihi dare spondes ?  
hoc præpostero ordine vitiari contractus & ultimas voluntates Veteribus pla-  
cuerat. Verùm Leo Imperator cujus constitutio non extat, præpostoram stipu-  
lationem in dotibus rejici noluit, v. g. si mulier hoc modo stipuletur à marito :  
Si sine liberis decepero, dotem mihi cum moriar dare spondes ? quæ est species  
Theophili ; vel si maritus ab uxore ita stipuletur : Promittis mihi dare hodie cen-  
tum doris nomine, si nuptiae secuta fuerint ? Justinianus denique Imperator præ-  
posteri reprehensionem in testamentis & stipulationibus sustulit ; eo tamen sen-  
su, ut exactio rei debitæ post conditionis vel diei eventum differatur, l. 25. C.  
de testament.

*Ad §. Ita autem.*

**I**T A autem stipulatio concepta, veluti si Titius dicat, Cùm mo-  
riar, dare spondes ? vel Cùm morieris : & apud Veteres utilis  
erat, & nunc valet.

**H**E C autem stipulatio, cùm moriar, vel cùm morieris, mihi dare spondes ?  
& apud Veteres valebat, & nunc etiam valet, l. quodcumque, §. i. & §. pen. ff.  
de verb. oblig. quia tempus mortis, sive tempus illud, quod est in ultimo vita  
necisque confinio, vitæ adnumeratur, L 18. ff. de manum. testam.

*Ad §. Item post mortem.*

**I**T E M post mortem alterius rectè stipulamus.

SIMILITER quoque numquam dubium fuit, quia posset aliquis stipulari post

mortem alterius ; dummodò alter ille *esset extraneus* : Quod ideo addo ; quia si servus stipularetur sibi dari aliquid post mortem domini ; vel si filius stipularetur aliquid sibi dari post mortem patris , non valebat stipulatio ; eò quòd filius & servus *voce* patris vel domini loqui videantur : Constat autem neminem olim potuisse stipulari aliquid sibi dari post mortem suam , §. *post mortem h. n. t.* Sed hoc jus abrogatum est , ut ibidem additur.

*Ad §. Si scriptum.*

**S**i scriptum in instrumento fuerit , promisisse aliquem , perinde habetur , atque si interrogatione præcedente responsum sit.

**A**d formam quoque stipulationis pertinet , quòd interrogatio debeat præcdere , & subsequi promissio ; ne inutilis fiat stipulatio . Si tamen scriptum sit in instrumento promisisse aliquem , videntur omnia solemniter acta , §. *ult. sequ. tit.* & perinde habetur ac si interrogatione præcedente responsum sit , l. 30. & l. 134. §. *pen. ff. de verb. oblig.* Neque enim tantum militat pro instrumento ea , quam supra diximus , præsumptio veritatis ; sed etiam præsumptio solemnitatis . Que præsumptiones onus probandi transferunt in adversarium , l. *ult. ff. quod metus caus. gest. crit.* probationem tamen contrariam non excludunt . Ideoque licet scriptum sit in instrumento , *rogavit Titius, spoondit Mævius* ; permittitur tamen Mævio probare , quòd non animo stipulantium hoc factum sit , sed tantum pacientium , l. 7. §. *quod ferè, ff. de pact.*

*Ad §. Quoties.*

**Q**UOTIES plures res unâ stipulatione comprehenduntur , si quidem promissor simpliciter respondeat , *dare spondeo* , propter omnes tenetur . Si verò una ex his , vel quasdam daturum se spponsoriter obligatio in iis , pro quibus spponsoriter , contrahitur . Ex pluribus enim stipulationibus , una , vel quedam videntur esse perfectæ : singulas enim res stipulari , & ad singulas respondere debemus .

**A**t si promissor de multis rebus à stipulatore interrogatus , velit pro omnibus & singulis obligari , debet pro singulis respondere ; vel quod perinde est , post omnes interrogaciones debet respondere simpliciter , *promitto* . Quod verbum unicum *promitto* , omnia jam ante dicta complectitur . Sic apud Livium lib. I. Collatinorum deditio . *Deditis-ne vos ; populum Collatinum, urbem, agros, aquam, flumina, delubra, utensilia, divina, humanaque in meam Populique Romani ditionem ? Dedimus.*

At si quis de una tantum respondeat , sola ejus rei stipulatio valet ; cæteræ verò stipulationes sunt inutiles . Dico cætere ; quia quoties de pluribus rebus fit stipulatio , tot sunt stipulationes , quot sunt res in stipulationem deductæ , l. quia dicimus 32. in pr. ff. de evict. & l. scire debemus 29. ff. de verb. oblig. Ex quibus stipulationibus ita conjunctis , numquam ea quæ est utilis per inutilem

ytiatur ; juxta vulgatam regulam , cap. unile , ff. de reg. jur. in 6.

Non tamen credendum est , eo casu , quo quis acervum tritici vel summam pecuniax stipulatur , tot esse stipulationes , quot sunt grana vel nummi ; hoc enim absurdum esset , d. l. 29. & re verâ hæc omnia sub uno communi nomine & per modum tantum alicujus totius considerantur ; & tamquam unum corpus constans ex distantibus partibus uni nomini subjectis , l. rerum in pr. ff. de usucap.

*Ad §. Alteri.*

**A**LTERI stipulari ( ut suprà dictum est ) nemo potest. Inventæ enim sunt hujusmodi stipulationes vel obligationes ad hoc , ut unusquisque acquirat sibi quod suâ interest : cæterum si alii detur , nihil interest stipulatoris. Planè si quis velit hoc facere , poenam stipulari conveniet : ut nisi ita factum sit , ut est comprehensum , committatur poenæ stipulatio etiam ei , cuius nihil interest. Pœnam enim cum stipulatur quis , non illud inspicitur , quod interdit ejus , sed quæ sit quantitas in conditione stipulationis. Ergo si quis [ ita ] stipuletur , *Titio dari* , nihil agit ; sed si adjecterit pœnam , *nisi dederis* , tot aureos dare spades ? tunc committitur stipulatio.

**A**D formæ quoque defectum pertinere videtur , quod stipulatio alteri extra-neo facta , sine pœnæ adjectione inutilis sit ; quia , ut jam diximus , stipulationes ad hoc fuerunt institutæ , ut quis sibi acquirat quod suâ interest : cæterum ut alii detur , nihil interest stipulatoris , l. 38. §. alteri , ff. de verb. oblig. Sed si pœna adjiciatur , v. g. hoc modo , *Promittis Mævio dare decem ? Si non dederis decem Mævio , triginta mihi dare spades* ? tunc confirmabitur hæc stipulatio , non quidem ipso jure , sed propter metum pœnæ dumtaxat , quæ stipulationi addita est ; quia cum pœnam aliquis stipulatur , non illud inspicitur , quid interdit ejus , sed quæ sit quantitas in conditione stipulationis , d. §. alteri. Indò vero licet promissor ultra duplum summae principalis subire periculum non debeat , l. un. C. de sent. qua pro eo quod interest profer . nihilominus tamen pœnam debet quam promisit , quantacumque fuerit ; quia illud quod petitur est simplum tantum , non duplum aut triplum ejus quod promissum est.

*Ad §. Sed & si quis.*

**S**E D [ & ] si quis stipuletur alii , cum ejus interesset , placuit stipulationem valere. Nam si is , qui pupilli tutelam administrat cœperat , cesserit administratione contutori suo , & stipuletur rem pupilli salvam fore ; quoniam interest stipulatoris fieri , quod stipulatus est , ( cum obligatus futurus sit pupillo , si male res gesserit ) tenet obligatio. Ergo et si quis procuratori suo dari stipulatus sit , habebit vires stipulatio. Et si creditori suo [ quis stipulatus sit ] quod

suâ interest , ne fortè vel poena committatur , vel prædia distrahan-  
tur , quæ pignori data erant ; valet stipulatio .

P R E C E D E N S regula exceptionem patitur , quoties stipulatoris interest , ut extraneo aliquid detur : tunc enim etiam sine ulla poenâ adjectione valet stipulatio ; nec locum habere potest ratio superius allata , quæ stipulationem alteri factam infirmat ex d. l. 38. §. alteri . Valet itaque stipulatio , si quis stipulatus fuerit , ut detur aliquid suo creditori , cui fortè pignori dederat prædia sua , quorum distractionem reformidat ; si condicâ die pecuniam ei non solverit : vel cui fortè creditori suo poenam promiserat , si certo die debitum non solvere . Jure itaque metuit ne poena hujusmodi committatur , id est effectum habeat , ac proinde ejus maximè interest stipulationem valere , arg. l. 13. ff. rat. rem hab.

*Ad §. Versâ vice.*

V E R S A VICE , qui alium factum promisit , videtur in ea esse  
causa , ut non teneatur , nisi poenam ipse promiserit .

V E R S A quoque vice si quis promittat aliud daturum aut facturum aliquid , non obligatur , nisi poenam adjectet ; quia inter stipulantem & promittentem negotium contrahi debet , l. 83. in pr. ff. de verb. oblig. At si poenam promittat , valet stipulatio : v. g. Promittis , Titi , Mævium mibi refecturum ædes meas ? si id non fecerit , pœna nomine centum mibi dare spondes ? Quia qui ita poenam promittit , suo nomine poenam promittit , non alieno : ideoque si Mævius ædes non refecerit , tenebitur Titius , quantum ad poenam . Dico quantum ad poenam , ut ostendam id non pertinere ad principalem obligationem ; quia nullâ adjectione fieri potest , ut qui promisit factum merè alienum obligetur , l. si quis alium , sup. b. t. aut ut quisquam ex alieno contractu obligetur , l. pen. Cod. ne uxor pro marito .

*Ad §. Item nemo.*

I T E M nemo rem suam futuram , in eum casum , quo sua sit , utiliter stipulatur .

S I C U R non valet stipulatio rei suæ , ut suprà dictum est , ita quoque non valet stipulatio rei alienæ , v. g. fundi Tusculani , sub hac formula : Fundum Tusculanum cùm meus erit , mibi dare spondes ? Quia paria sunt in jure hæc duo , fieri aliquid tempore illico ac minimè idoneo , & conferri in tempus illicitum , l. 4. Cod. de donat. ante nupt. Idem quoque dicendum ait Theoph. si Mævius cui fundus Tusculanus legatus est , sub conditione si navis ex Asia ve-  
nerit , stipuletur eum fundum sibi dari sub ea conditione ; quia in id tempus conseretur obligatio , quo fundus ille fiet stipulantis . Verum periculosem vide-  
tur id sine distinctione admittere . Nam si legatum id Lege Faleidiæ ministratur , vel propter non aditam ex testamento hereditatem infirmetur , vel quia legata-  
tus ante conditionis eventum deceperit , absurdum & iniquum esset conditiona-  
lem

Iem illam stipulationem non valere. Hoc igitur exemplum tunc solummodo congruum est, cum legatum valet sine ulla diminutione.

*Ad §. Si de alia.*

**S**i de alia re stipulator senserit, de alia promissor, perinde nulla contrahitur obligatio, ac si ad interrogatum responsum non esset: veluti si hominem Stichum à te quis stipulatus fuerit, tu de Pamphilo senseris, quem Stichum vocari credideris.

A D defectum denique formæ, sive conceptionis verborum, pertinere videatur quod stipulatio infirmatur propter obscuritatem vel ambiguïtatem verborum: ut si quis à te hominem Stichum fuerit stipulatus, tu de Pamphilo senseris, quem Stichum vocari credideris. Ejusque rei ratio est, quia errantis nullus est consensus, l. 8. & 9. C. de jur. & facti ignor.

Cæterum valet stipulatio, si id quod aurum putabam, cum ex esset, stipulatus fuerim, l. si id quod aurum, ff. de verb. oblig. quamvis emptio in simili causa non valeat, l. in venditionibus, §. inde queritur, & l. quid tamen, ff. de contr. empt. Ratio diversitatis est, quia decepti stipulantis interest, saltem axis promissi stipulationem consistere. Melius siquidem est ipsi ex illud habere pro auro, quam nihil. Contrà verò emptoris decepti interest, ne pro corpore æneo quod accepit, pretium corporis aurei solvere teneatur.

*Ad §. Quod turpi.*

**Q**uod turpi ex causa promissum est, veluti si quis homicidium vel sacrilegium se facturum promittat, non valet.

R A T I O N E cause propter quam fit stipulatio, infirmatur obligatio, si illa turpis fuerit, v. g. si quid homicidii, aut sacrilegii, vel furti faciendi gratia promissum sit, l. generaliter 26. & l. si flagitiis 123. de verb. oblig. quia non valent conventiones, quæ præbent occasionem delinquendi, l. 5. ff. de pact. dotal. Unde etiam sit, ut juramentum quod est contra bonos mores obligationem non patiat, cap. non est, de reg. jur. in 6. quia juramentum non debet esse vinculum iniquitatis. Quin etiam, si quis pecuniam Titio promiserit, ne Titius sacrilegium vel aliud maleficium faceret, cessat obligatio, l. 7. §. si ob maleficium, ff. de pactis; adeo ut id quod eâ causâ præstitum est, repeti possit, l. 1. in fine, & l. 2. ff. de condic. ob turp. caus. Turpis denique videtur causa stipulationis; si quis ex causa aleæ aliquid promiserit: ita ut ex ea promissione actio non detur, & quod solatum est repetatur, l. 2. & l. ult. C. de aleat. & l. ult. §. l. ff. quarum rer. aleio non detur. Quod ad lictos ludos extendi non debet, in quibus solius industria beneficio victoria obtinetur, l. ult. C. de aleator.

Cæterum illud videtur hoc loco maximè advertendum, stipulationem sine ulla causa factam, mutui v. g. aut depositi inutili esse; non quidem ipso iure, sed oppositâ dumtaxat exceptione dolii mali, l. 2. §. circa, ff. de mali & met. except. Et hoc est quod dicunt Pragmatici (*une obligation doit être causée*)

Eiusque rei ratio est , quia causa obligandi est ipsius obligationis quasi quædam anima ; quâ deficiente obligatio vivere aut consistere non potest.

*Ad §. Cùm quis.*

**C**UM quis sub aliqua conditione stipulatus fuerit , licet ante conditionem decesserit ; postea existente conditione haeres ejus agere potest. Idem est & ex promissoris parte.

**SUPEREST** ut varios utilium stipulationum effectus videamus , sive sub conditione , sive addito tempore , sive etiam purè contractæ fuerint. Et primò quidem , licet ille qui sub conditione stipulatus est , ante conditionis eventum agere non possit , nec ante id tempus quidquam ei debeatur , §. si quis agens infra de act. totum tamen jus suum ad heredem suum transmittit , si ante illum conditionis eventum decesserit ; quia in stipulationibus conditionalibus tempus contractus inspicimus : adeò ut stipulatori cuicunque jus aliquod acquisitum esse videatur , ab illo contractus tempore , etiam ante conditionis eventum ; quod jus ad haeredes transmittitur , licet in testamentis transmissio illa locum non habeat , l. que legata , & l. si filius fam. ff. de reg. jur. & l. 11. §. 1. ff. qui pot. in pign. hab.

*Ad §. penult.*

**Q**UI hoc anno aut hoc mense dari stipulatus est , nisi omnibus partibus anni vel mensis præteritis , non rectè petet.

**QUOTIES** verò additur tempus in stipulatione ; multum interest dispicere quomodo additum sit. Nam si quis stipulatus fuerit hoc anno vel hoc mense sibi centum dari , non poterit agere priusquam totus ille annus vel mensis præterierit , l. qui hoc anno , ff. de verb. oblig. At si quis stipuleretur centum annua sibi dari , vel in singulos menses , initio anni vel mensis debitor obligatur & potest conveniri , l. i. C. quando dies legat. vel fideic. ced. & l. 12. §. 1. ff. cod. prout vulgato disticho continetur.

*Annuā si debes , tunc inspicias caput anni.*

*Anno si debes , in fine teneberis anni.*

Ratio diversitatis pendere videtur , ex eo quod favores debeant ampliari , cap. odia de reg. jur. in 6. Cùm itaque vox annua in favorem creditoris addatur in priori jam dicta stipulatione , ad hoc scilicet ut sapis exiger posset promissam sibi pecuniam , quæ alioquin semel dumtaxat ei deberetur ; inde fit ut statim ineunte anno , ex latissima favoris illius interpretatione , creditori actio competat. Contrà verò hæc clausula hoc anno , quæ favet debitori in secunda præfata stipulatione , efficit ne debitor statim tencatur ; & usque ad ultimum anni diem & momentum extenditur.

*Ad §. ult.*

**S**I fundum dari stipuleris , vel hominem , non poteris continuo agere ; nisi tantum spatiū præterierit , quo traditio fieri possit.

Ex stipulatione pura, statim quidem cedit & venit dies obligationis, *i. cedere diem 213. in pr. ff. de verb. sign.* non tamen probanda videtur sententia existimantium, nullum laxamentum neque illas inducias tribui debitori. Quin potius asserendum est, eum qui hominem Stichum v. g. aut fundum Tusculanum promisit, non posse continuo conveniri; sed tunc demum, cum tantum spatium præterierit, quo traditio fieri possit. Neque enim statim debet venire debitor cum sacco, *i. quod dicimus, ff. de solutionibus.* Neque damnum magnum est in mora modici temporis, *i. 2. in pr. ff. de judic.*

## T I T U L U S X X I.

## D E F I D E F U S S O R I B U S.

*Ad Princip.*

**P**Ro eo, qui promittit, solent alii obligari qui fidejussores appellantur; quos homines accipere solent, dum curant, ut diligenter sibi cautum sit.

**FIDEJUSSOR** est ille qui pro alio per stipulationem se obligat, citra ullam novationem. Dixi *citra novationem*, ut distinguantur fidejussor ab expromissore, qui pro alio ita se obligat, ut eum liberet, & totam obligationem in se transfundat; quod non præstant fidejussores: atque ideo ad promissores appellantur, *i. 5. §. satis acceptio, ff. de verb. oblig.* eo quod ad promissionem alterius accedant. Unde fit ut creditorum causa tutior sit, dum plures habent ejusdem rei nomine sibi obligatos. Dicetus autem videtur fidejussor, vel quod fide suâ jubeat cum alio contrahi, vel quod debitum alienum suâ fide & suo periculo esse jubeat. Quod tamen ita accipendum non est, ut fidejussor promittat reum principalem aliquid daturum vel facturum; *i. sicut, ff. h. t.* quia factum alienum inutiliter promittitur, *d. i. sicut, & i. 38. in pr. ff. de verb. obl.* nec rursus eo sensu ut promittat se soluturum eo casu, quo reus principalis non solverit; quia alioquin non posset conveniri, nisi excusso principali debitore; quod constat jure Institut. nostrarum falsum fuisse, & ante Nov. 4. §. *tm̄ gratiā, inf. de mand.* & *i. ult. C. h. t.* Dicendum est igitur, fidejussorem stipulatione adhibita promittere, se daturum vel facturum quod alias debet; vel dicere, *fidejubeo pro M. evio in summam decem nummorum, aut quid simile.*

Hunc titulum in tres partes dividimus: in prima, obligationem sive onera fidejussorum expendemus: in secunda, juris remedia quæ illis concessa sunt: in tertia denique, formam contrahendæ hujus stipulationis.

*Ad §. I.*

**I**N omnibus autem obligationibus adsumi possunt; id est, sive re, sive verbis, sive litteris, sive consensu contractæ fuerint. At

nec illud quidem interest, utrum civilis, an naturalis sit obligatio, cui adjicitur fidejussor: adeo quidem, ut pro servo quoque obligetur, sive extraneus sit, qui fidejussorem à servo accipiat; sive ipse dominus in id, quod sibi naturaliter debetur.

**OBLIGATIO** fidejussoris licet verbis contrahatur, omnibus tamen obligationibus indistincte potest accedere, sive re, sive verbis, sive etiam solo consensu contrahantur; quia sicut stipulatio est juris gentium quoad usum, ut supra diximus, ex l. 8. ff. de acceptilat. ita & stipulationes accessoria fidejussorum. Imò verò fidejussor adhiberi potest in naturalibus obligationibus: ita ut quando reus principalis naturaliter tantum obligatur, fidejussor ejus obligetur civiliter; v. g. si filius patri, vel servus domino aut extraneo obligetur, & pro eo fidejussor interveniat.

Non tamen ex his inferendum est, exigi posse à marito fidejussores dotis jam constitutæ, l. 1. & 2. cod. ne fidejuss. dot. dentur; sive quia postquam mulier se & suam dotem credendam marito existimavit, hæc fidejussoris petitio injuriam facit fidei conjugali; sive quia litium multitudo esset immensa, si fidejussores admitterentur propter dotes, quibus nihil est frequentius.

*Ad §. Fidejussor non tantum.*

**F**IDEJUSSOR non tantum se obligatur, sed etiam hæredem relinquit obligatum.

**OBLIGATIO** fidejussoris in hæredes ejus transmittitur; quia contrahit & sibi & hæredi suo intelligitur contrahere, l. si pactum, ff. de prob. Et quamvis creditor in accipiendo fidejussore, fidem personæ solius sequi videatur; re ipsa tamen non tam ipsi, quam bonis ejus plerumque fidem adhibet: ita ut nulla causa subsit, cur eam obligationem personæ fidejussoris cohærere existimemus.

*Ad §. Fidejussor & præcedere.*

**F**IDEJUSSOR & præcedere obligationem, & sequi potest.

**QUAMVIS** autem fidejussoris obligatio sit accessio alterius obligationis, ut supra diximus; principalem tamen obligationem non tantum potest sequi, sed etiam præcedere: ita ut tunc demum incipiat consistere obligatio fidejussoris, cum nata fuerit principalis. Ex. gratiâ: Si pro Mævio mutuas pecunias accepturo, Titius se obligaverit Sempronio creditori; ante numerationem pecuniarum, non erit obligatus Titius fidejussor: quia cum principalis causa non consistit, neque etiam ea qua sequuntur locum obtinent, l. 178. ff. de reg. jur. Interim igitur, donec pecunia numeretur, in pendent obligatio fidejussoris, qui videtur sub ea dumtaxat conditione fidejussisse, si postea fieret numeratio.

*Ad §. Si plures.*

**S**I plures sint fidejussores, quotquot erunt numero, singuli in solidum tenentur. Itaque liberum est creditoris, à quo velit solidum petere. Sed ex Epistola Divi Hadriani compellitur creditor à singulis, qui modò solvendo sunt, litis contestatæ tempore, partes petere. Ideòque si quis ex fidejussoribus eo tempore solvendo non sit, hoc cæteros onerat. Sed si ab uno fidejussore creditor totum consecutus fuerit, hujus solius detrimentum erit, si is, pro quo fidejussit, solvendo non sit; & sibi imputare debet, cùm potuerit juvati ex Epistola Divi Hadriani, & desiderare, ut pro parte in se detur actio.

**FIDEJUSSORIBVS** jura subveniunt multis modis, & primò quidem ex Epistola Divi Hadriani, concessa est illis exceptio divisionis: ita ut vi ac potestate illius exceptionis, compellatur creditor à singulis confidejussoribus, qui solvendo sunt litis contestatæ tempore partes petere. Dixi *vi illius exceptionis*; quia ipso jure singuli fidejussores tenentur in solidum, *l. 3. C. h. t.* ac proinde si unus fidejussor solidum solverit, nullam habet soluti repetitionem, neque adversus creditorem, quia nihil indebitum accepit; neque adversus cæteros fidejussores, quia nihil cum eis negotii contraxit: sed sibi debet imputare, cur beneficio illo usus non fuerit, cùm posset. Dixi præterea, *qui solvendo sunt litis contestatæ tempore*; quia si quis fidejussorum eo tempore solvendo non fuerit, hoc cæteros onerat, *l. 26. ff. eod.* nec nocet creditori. Neque enim Principes solent beneficia cuiquam concedere in alterius detrimentum, *l. 4. C. de emanc.* liber.

Idemque sentiendum est de confidejussoribus potentioribus, qui vix possunt conveniri, id est in iudicium vocari, & quantumvis abundant opibus, locupletes tamen & idonei non censemur; quia fidejussor non tantum ex facultatibus locuples, id est idoneus esse intelligitur, sed etiam convenienti facilitate, *l. 2. in pr. ff. qui satisf. cog.* Potentiores siquidem pares esse non possumus, *l. 3. in pr. ff. de alien. jud. mut. cau. fact.* Similis ratio idem beneficium divisionis excludit si quis cum muliere pro alio fidejussit; quia certum est mulierem ex SC. Velleiano pro alio intercedere non posse, *l. 48. ff. h. t. & toto tit. ff. & C. ad Senatusconf. Vell.* Idem insuper juris est, si huic beneficio fidejussor renunciaverit: constat enim posse quemlibet renunciare privilegio in sui gratiam constituto, *l. pen. C. de paci. & l. 51. C. de Episc. & Cler.* neque injuriam fieri scienti & consentienti, *cap. scienti, de reg. jur. in 6.* Inficiantibus denique auxilium illud divisionis non indulgetur, *l. 10. §. 1. ff. h. t.* quia suâ fraude ac mendacio, sc̄e indignos eo beneficio præstiterunt.

*Ad §. Fidejussores ita.*

**F**IDEJUSSORES ita obligari non possunt, ut plūs debeant, quam debet is, pro quo obligantur. Nam eorum obligatio,

accessio est principalis obligationis : nec plus in accessione potest esse , quām in principali re. At ex diverso , ut minus debeant , obligari possunt. Itaque si reus decem aureos promiserit , fidejussor in quinque rectè obligatur ; contrà verò obligati non potest. Item si ille purè promiserit , fidejussor sub conditione promittere potest : contrà verò non potest. Non solum autem in quantitate , sed etiam in tempore minus aut plus intelligitur. Plus est enim statim aliquid dare ; minus est , post tempus dare.

**SUCCURRUNT** secundò leges fidejussori , quatenus in majorem summam obligari non potest , quām debitor obligetur ; licet dubium non sit quin magis & arctius rectè se obliget , ut suprà diximus. Uno verbo ( ut Philosophorum idiotismo utar ) potest fidejussor magis obligari , quām reus intensivè , sed non extensivè. Cujus diversitatis ratio est , quia contra formam juris est in hac causa , ut plus in accessione sit , quām in re principali. Contrà verò in sponsonibus fidejussorum , hoc unum agitur , ut quod minus firmum fuerit in obligatione principali , suā accessione muniant & corroborent : ideoque neque absurdum , neque iniquum est , ut fidejussorum obligatio sit efficacior principali , §. ult. inf. de replie. Si quis itaque pro eo qui decem debet in summam viginti nummorum fidejussiterit , obligatio fidejussoris non penitus infirmatur , ( quod quidam Interpretes crediderunt ) sed in decem illis consistit. Atque ita intelligendum est quod dicitur in l. 8. §. illud , ff. b. t. fidejussores in duriorem causam obligatos omnino non obligari , id est in solidum non obligari , sed tantum in eamdem summam in quam obligatus est reus ; quia in majori summa continetur minor , l. 1. §. si stipulanti , ff. de verb. oblig. arg. Quod potest insuper confirmari , l. si à reo in pr. ff. b. tit. ubi cùm reus se obligasset sub una conditione , putat si navis ex Asia venerit , fidejussor ejus deinde se obligat sub eadem conditione , & sub altera de novo adjecta disjunctivè , hoc scilicet modo. *Fidejubeo si navis ex Asia venerit , aut si Titius Consul fuerit.* Eo casu responderet Caius JC. fidejussorem aut nullo modo teneri ; aut ( quod magis est ) teneri si prius exiterit communis conditio ; id est prior , quām reus & fidejussor simul adhibuerint , nimirū si navis ex Asia venerit.

*Ad §. Si quid.*

**S**I quid autem fidejussor pro reo solverit , ejus recuperandi causā habet cum eo mandati iudicium.

**D A T A** est tertio fidejussori , qui pro reo solvit actio mandati contraria adversus reum , si eo mandante aut patiente fidejussiterit ; aut contraria negotiorum gestorum actio , si fidejussiterit sine mandato , l. 6. §. si passus , ff. mandati ; quia officium suum nemini debet esse damnosum , l. 6. videlicet , ff. ex quibus causis maiores 25. ann. in int. restit. & l. 1. ff. de contr. tut. act. Quæ actiones quales sint , suis infra locis commodius apparebit.

Sunt & alia duo juris remedia hoc loco non prætermittenda. Prius est beneficium cedendarum actionum jure Pandectarum inductum † quod in eo positum est;

ut non aliàs fidejussor creditorì solvere compellatur , nisi suas ei actiones omnes creditor cesserit contrà cæteros fidejussores , adversùs quos nullam alioquin habiturus esset actionem , l. cum alter , C. b. r. & l. ut fidejussor. ff. eod. Ad eam autem cessionem stipulator compelli potest , l. 17. ff. eod. Verum si post solutionem sibi factam , creditor suas actiones fidejussori cesserit , nihil agit , l. 76. ff. de solut. quia solutione ejus quod debetur , tollitur omnis obligatio , in pr. inf. quib. modis toll. oblig. nisi ante solutionem vel in ipsa peragenda convenerit , ut mandarentur actiones ; cum eo casu pretium magis mandatarum actionum solutum , quam actio quæ fuit , perempta videatur , d. l. 76.

Posterioris juris remedium , quod appellari solet beneficium ordinis vel discussio- nis , introductum est Novellà 4. Justiniani & auth. presente , C. cod. cuius effectus est , ut fidejassores à creditore conventi possint eum cogere ad prius discutiendas facultates rei principalis . Quid jus antea locum non habuit , l. 3. & l. 5. C. cod. & l. 3. §. l. ff. de duobus reis constat. Verum id privilegium cessat , si reus ab- sens fuerit aut minus idoneus , d. auth. presente ; aut si teus naturaliter dumtaxat fuerit obligatus , l. Marcellus 25. ff. eod. forte quia pupillus vel servus est ; aut denique si fidejussor huic beneficio renunciaverit ; quia invito beneficium non datur , l. 69. ff. de reg. jur.

His remediis merito succursum est fidejussoribus , qui plerumque sunt pœnitu- dinis rei , ut ait Ausonius ; & qui propter pecuniam ab alio consumptam sepe vexantur , deni teus principalis qui eam in suos usus convertit , fidejussorem sine auxilio turpiter derelinquit. Unde rectè Philocrates apud Plautum in Captivis , act. 2. scena 1.

Nam ferè maxima pars , morem hunc homines habent quod sibi volunt ;  
Dum id imperant , boni sunt ; sed ubi jam penes se habent ,  
De bonis pessimi & fraudulentissimi  
Sunt , &c.

Ad §. penult.

**G**RECÈ etiam fidejussor ita accipitur , τὴν ἐμὴν πίστει κελευθήγω , i. meā fide jubeo ego ; [ sed & si dixerit ] θέλω , sive βούλομαι , i. volo ; sed & οὐκί , i. affirmo ; pro eo erit , ac si dixerit λέγω , i. dico.

Q U O D denique attinet ad formam fideiussionis contrahendæ , eadem hoc re- vocanda videntur , quæ dicta sunt supra de stipulatione principali ; sed duo maxi- mè. Primum est quod Græcè & alià quâcumque lingua fidejussor intercedere possit ; atque ita potest dici quantum ad illum juris effectum , quod fideiussionum obligatio sit juris gentium , sicut dicitur de acceptilatione , l. 8. §. ult. ff. de ac- cept. Sed quantum ad formam & ad originem dubiam esse non debet , quin sit juris civilis , §. de constituta , infra de alt. verbis autem Græcis sic fieri stipulatio- nem ait Imperator , τὴν ἐμὴν πίστιν , κελευθήγω , sive ut est apud Theophilum & in l. 8. ff. eod. λέγω , βούλομαι , meā fide jubeo ego , dico , volo : & addit ; sed & si οὐκ dixerit , id est affirmo ; perinde est ac si dixerit λέγω , id est dico. Qui modus legendi dubitationis majoris signum continet sed & si , & tamen proponit qua- questionem Domitianam , id est dubitandi ratione destitutam , qualis est illa quæ pro- ponitur in l. Domitianus , ff. qui test. fac. poss. Placeret itaque legendum esse τιπὶ;

*quidni?* quæ particula in stipulatione Latina egregiam quæstionem complectitur, l. 1. §. si quis ita, ff. de verb. oblig. Sed quia textuum correctione, tamquam maximè perniciosa, vitanda est; satius videtur, id omne Veterum usui ac solemnitati imputare: quibus ab initio certa dumtaxat verba in stipulationibus placuerunt, donec paulatim à scrupulosa illa observatione discessum est.

*Ad §. ult.*

**I**N stipulationibus fidejussorum sciendum est hoc generaliter accipi, ut quodcumque scriptum sit quasi actum, videatur etiam actum. Ideoque constat, si quis scripserit se fidejussisse, videri omnia solemniter acta.

**A**LTERUM commune inter obligationem fidejussorum & principalem quoad formam est, ut cum scriptum est instrumento promisisse vel fidejussisse aliquem, presumatur etiam interrogatio praecessisse; & ut ait Imperator, presumuntur omnia solemniter acta, & sicut diximus supra de stipulatione principali, semper in eâ locum habet presumptione veritatis, & simul etiam presumptione solemnitatis. Quibus presumptionibus illa insuper tertia videtur addi posse; quod quisquis praesens passus fuerit se in aliquo instrumento scribi fidejussorem, fidejussisse intelligatur, l. 4. §. pen. ff. de fidejussor. tut. quia qui tacet consentire videtur, aut saltem non negare, l. qui tacet, ff. de reg. jur.



## T I T U L U S X X I I .

### DE LITTERARUM OBLIGATIONIBUS.

**O**LIM scripturâ siebat obligatio, quæ nominibus fieri dicebatur, quæ nomina hodie non sunt in usu. Planè si quis debere se scripserit, quod sibi numeratum non est, de pecunia minimè numerata, post multum temporis exceptionem opponere non potest. Hoc enim saepissime constitutum est: sic fit, ut & hodie, dum queri non potest, scripturâ obligetur; & ex ea nascatur condicione, cessante scilicet verborum obligatione. Multum autem tempus in hac exceptione anteà quidem ex principalibus constitutionibus usque ad quinquennium procedebat; sed ne creditores diutiùs possint suis pecuniis forsitan defraudari, per constitutionem nostram tempus coarctatum est, ut ultra biennii metas hujusmodi exceptio minimè extendatur.


**D**UPLEX exponitur hoc tit. litterarum obligatio, antiqua scilicet, & nova.  
Antiqua

Antiqua litterarum obligatio per scripturam argentariorum contrahebatur, qui nomina debitoris & creditoris referebant in Kalendarium suum: quocirca hæc obligatio nominibus fieri dicebatur. Imò vero, teste Theophilo, Antiqui cæteras obligationes in obligationem litterarum interdum transformabant; quod etiam confirmat M. Tullias *lib. 3. de offic. num. 59.* Cùm itaque frequens esset apud Veteres hæc litterarum seu nominum obligatio, inde factum est ut hæc vox nomen pro debito acciperetur: v. g. cùm dicitur nomina & actiones ipso jure esse divisa inter cohæredes ex L. 12. tab. l. 6. C. fam. erit sc. & filii-familias non posse fieri bonum nomen patris morte expectata, l. 1. ff. de SC. *Maced.* Verum hodie illæ litterarum obligationes simul cum veteribus argentiariis in desuetudinem abierunt.

Novâ litterarum obligatione adstringitur ille, qui spe futuræ numerationis, chirographum dedit suo creditori; quo fatetur; nullâ interpositâ stipulatione, se pecuniam accepisse, quam non accepit. Namque is débitor exceptionem non numerata pecunia opponere non potest post multum temporis, id est post quinquennium ex anterioribus constitutionibus, l. 1. C. Herm. de caut. & non num. pec. & post biennium ex constitutione Justinianî; sed adstringitur omnino necessitate solvendi. Cùm igitur ejus obligatio neque re, neque verbis contracta sit ex hypothesi; neque etiam solo consensu, ut constabit ex sequ. iit. manifestè sequitur, argumento à partium enumeratione deducto, eam obligationem sola scripturâ solilque litteris fuisse constitutam.

Hæc autem exceptio idèò intra illas temporis metas inclusa est, quia cùm neganti non incumbat probatio, sed ei tantum qui affirmat, l. 2. ff. de probat. & l. ad severatio, C. de non numer. pec. inde fit ut hæc exceptio onus probandi transferat in actorem, l. 3. cod. eod. ac proinde cùm post multum temporis difficilima fieret actori numerationis probatio, propter mortem, aut absentiam, aut obliuionem eorum qui numerationem pecunia viderant; cùmque inde pateret occasio calumniae contentiovis hominibus: merito creditoribus subventum est post illud tempus, constitutionibus Imperatorum, adversus debitores hujusmodi, qui neque illam exceptionem proposuerunt per modum querelæ sicut poterant, l. 8. cod. eod. neque condixerunt ab adversario chirographum suum (*leur cedule, leur promesse*) quod etiam leges eis concedunt, l. 1. C. cod. Suæ itaque facilitati ac negligentia totum illud suum damnum ac periculum debent imputare.

Usu fori nostri id non observatur, sicut testatur Dom. Cambolassius *lib. 4. cap. ult.* Potes enim debitor post multum temporis opponere exceptionem non numerata pecunia, jure quo utimur: sed ei soli onus probationis incumbit, ut scilicet probet factum aliquod, ex quo illius negationis veritas convincatur.



## T I T U L U S XXIII.

### DE OBLIGATIONIBUS EX CONSENSU.

**C**ONSENSU fiunt obligationes in emptionibus, venditionibus, locationibus, conductionibus, societatibus, mandatis.

D d d

Ideò autem istis modis obligatio dicitur consensu contrahiri, quia neque scripturā, neque præsentia omnimodo opus est: at nec dari quidquam necesse est, ut substantiam capiat obligatio; sed sufficit, eos, qui negotia gerunt, consentire. Unde inter absentes quoque talia negotia contrahuntur, veluti per epistolam, vel per nuntium. Item in his contractibus alter alteri obligatur in id, quod alterum alteri ex bono & æquo præstare oportet, (cùm alioqui in verborum obligationibus aliis stipuletur, aliis promittat.)

**C**ONTRACTUS illi consensu perfici dieuntur, † in quibus solo consensu contrahentium, citra omnem rei interventum, scripturam, aut verborum solemnitatem nascitur obligatio. Eorumque species † sunt quatuor, emptio & venditio, locatio & conductio, societas, & mandatum. In quibus omnibus duo sunt insuper valde singularia. Primum est, quod ultra citrōque obligationem pariant. In cæteris vero contractibus plerumque unus tantum contrahentium alteri obligatur; non vice versa: cuius rei exempla perspicua sunt in mutuo & stipulatione. Alterum singulare est, quod isti contractus sint omnes bona fidei: ita ut in illis multa præstentur ex bono & æquo, etiamsi promissa non sint, s. pen. infra de locatione & conductione. Alii autem quæ plurimi contractus sunt stricti juris: ita ut in illis catenus tantum nascatur obligatio, catenus lingua contrahentium nuncupatum est, *i. quidquid adstringenda, ff de verb. oblig.*



## T I T U L U S X X I V.

### D E E M P T I O N E E T V E N D I T I O N E.

*Ad Princip.*

**E**MPTIO & venditio contrahitur, simul atque de pretio convenienter; quamvis nondum premium numeratum sit, ac ne artha quidem data fuerit. Nam quod arrhæ nomine datur, argumentum est emptionis & venditionis contractæ. Sed hoc quidem de emptionibus & venditionibus quæ sine scriptura consistunt, obtinere oportet: nam nihil à nobis in hujusmodi emptionibus & venditionibus innovatum est; in iis autem, quæ scripturā conficiuntur, non aliter perfectam esse venditionem & emptionem constituimus, nisi & instrumenta emptionis fuerint conscripta, vel manu propriâ contrahentium, vel ab alio quidem scripta, à contrahentibus autem subscripta; & si per tabellionem fiunt, nisi & completiones acceperint, & fuerint partibus absoluta. Donec enim aliquid decet ex his, & poeniten-

tentiae locus est, & potest emptor vel venditor sine poena recedere ab emptione & venditione. Ita tamen impunè eis recedere concedimus, nisi jam arrharum nomine aliquid fuerit datum; hoc enim subsecuto, sive in scriptis, sive sine scriptis venditio celebrata est: is, qui recusat adimplere contractum, si quidem est emptor, perdit quod dedit; si vero venditor, duplum restituere compellitur, licet super arrhis nihil expressum est. Pretium autem constitui oportet: nam nulla emptio sine pretio esse potest.

**E M P T I O** & venditio † est contractus solo consensu constans de re aliqua alicui tradenda, dato certo pretio in pecunia numerata constituto; cuius contractus tractatum videtur Imperator hoc tit. in tres partes divisisse. Prima continet substantiam contractus. Secunda dirimit ad quem pertineat periculum rei venditæ ante traditionem. Denique emptiones utiles ab inutilibus distinguit.

Prima pars tituli in expositione predictæ definitionis consistit, quæ naturam hujus contractus explicat. Dixi 1. *Emptio & venditio est contractus*; quia placet magis hæc vox, quam generalior vox *conventio*, quam utitur suminus Antecessor, loco generis *in suo paratitulo*, ff. adhuc tit. quia juxta Dialeticos, (quibus haud dubie in arte sua credendum est) definitio debet fieri per genus proximum.

Dixi 2. *solo consensu*; quia etiamsi neque res tradita fuerit, neque pretium solutum; contractus tamen hujus substantia perfecta est. Rei autem traditio & pretii solutio ad consummationem contractus pertinent, non ad perfectionem. Ex quibus sequitur, hunc contractum inter absentes fieri posse; & nudam ultrò citrōque voluntatis declarationem inter præsentes in eo plerumque sufficere. Dico *plerumque*; nam si contrahentibus placuerit, ut non alias valeret venditio, quam si in scripturam redigeretur; tunc nulla otietur obligatio, priusquam in scriptis redacta sit, & priusquam ea scriptura sit omnibus numeris absoluta, l. contractus 17. cod. d. fide instrument. Ac proinde primitiæ locus est, nisi forte arrha datae fuerint. Quo casu emptor à contractu discedens eas amittit. Venditor vero si per eum steterit, ne contractus adimpleatur, duplum ejus quod accipit tenetur restituere, d. l. *contractus*. Arrha † dicuntur quidquid firmandi contractus gratia venditori traditur ab emptore, sive annulus, sive quid aliud simile. Cavendum autem ne ex datione arrharum inferamus, hunc contractum re perfici. Sine arrhis enim emptio consistit, atque ideo arrha ad substantiam contractus non pertinent, sed ad probationem dumtaxat, ut evidentius probari possit convenisse de pretio. Sicut ex diverso hæc scriptura de qua modo actura est, non impedit, quin solo consensu contractus consistat. Neque enim adhibetur illa scriptura ex natura generali contractus, sed ex speciali conventione contrahentium; ex qua omnes contractus legem accipiunt, l. i. s. si convenit, ff. depositi. Non tamen difficit, quin ex constitutionibus Molinensibus quoties de summa excedente centum libras una solutione præstandas, sola probatio per scripturam admittatur, exclusa plerumque probatione quæ sit per testes, art. 54.

Dixi 3. *de re aliqua*; quia emptio non potest intelligi sine re quæ veneat;

*l. 8. ff. h. t. nec interest an sit res illa corporalis vel incorporalis, l. 1. & passim ff. de hered. vel aet. vend.* Imò verò spes emi potest, v. g. captus pisium vel missilium, d. l. 8. §. aliquando.

Dicitur 4. tradendà non verò dandà; quia vendor non tenerur ad dandum; sed ad tradendum tantum, l. 11. §. 2. ff. de aet. empt. & vend. idèque rei alienae consistit venditio, l. rem alienam, ff. h. t. ita tamen ut vendor de evictione teneatur.

*Ad §. 1.*

**S**ED & certum esse pretium debet, alioqui si inter aliquos ita convenerit, ut quanti Titius rem aestimaverit, tanti sit empta: inter Veteres satis abundèque hoc dubitabatur, constaretne venditio, an non. Sed nostra decisio ita hoc constituit, ut quoties sic composita sit venditio, quanti ille aestimaverit, sub hac conditio ne staret contractus: ut si quidem ille, qui nominatus est, pretium definierit, (tunc) omnimodo secundùm ejus estimationem & pretium persolvatur, & res tradatur; & venditio ad effectum perducatur, emptore quidem ex empto actione, venditore ex vendito agente. Sin autem ille, qui nominatus est, vel noluerit, vel non potuerit pretium definire, tunc pro nihilo esse venditionem, quasi nullo pretio statuto. Quod jus, cùm in venditionibus nobis placuerit, non est absurdum in locationibus & conductionibus trahere.

**DICTUM** est 5. *dato pretio*; quia emptor tenerur nummos facere accipientis vendoris, d. §. 2. Favorabilior si quidem est causa vendoris quam emptoris. Quibus congruit illud Salviani lib. 5. de gubern. Dei, invidiam penes emporum, inopiam penes venditorem esse; quod emptor contrahat, ut substantiam suam augeat, vendor verò ut minuat.

Dictum est 6. *certo pretio*; quia quamdiu pretium incertum est, nullus est contractus. Primum autem potest esse certum dupli modo: vel enim simpliciter certum est ab initio, cùm scilicet quantitas ejus exprimitur, v. g. cùm fundus tibi venditur centum aureis; vel relatione factâ ad aliquam rem certam, v. g. quanti Mævius emit, vel quantum pretii in arca habes, l. 7. §. ult. ff. h. t. Quæ enim per rerum naturam sunt certa, non morantur obligationem, licet apud nos incerta sint, §. pen. sup. de verb. oblig. Imò verò ex decisione Justiniani, venditio valet, pretio ita statuto, quanti Titius aestimaverit, ita ut contrahentes Titii arbitrio stare teneantur. Titio verò pretium non definiens, venditio infirmatur, l. ult. cod. h. t. ubi hoc jus ad locationem & conductionem extenditur; quia est proxima locationi & conductioni, iisdemque juris regulis consistit, l. 2. in pr. f. locati.

*Ad §. Item pretium.*

**I**TEM pretium in numerata pecunia consistere debet. Nam in cæteris rebus, an pretium esse posset valde quærebatur: veluti

an homo , aut fundus , aut toga alterius rei pretium esse posset . [ Et ] Sabinus & Cassius etiam in alia re putabant pretium posse consistere : unde illud est , quod vulgo dicebatur , permutatione rerum emptionem & venditionem contrahi , eamque speciem emptionis & venditionis vetustissimam esse ; argumentoque utebantur Græci Poëtæ Homeri , qui aliquam partem exercitū Argivorum vinum sibi comparasse ait , permutatis quibusdam rebus , his verbis Latinè expressis :

*Adfuit ex Lemno ratibus tunc copia vini.  
Cæsaris insignes redimunt hinc vina Pelagi ,  
Ære alii , ferro quidam lucente , bovinis  
Tergoribus quidam , bubus plerique , sed ipsis  
Mancipiis alii.*

Diversæ scholæ auctores contrà sentiebant : aliudque esse existimabant permutationem rerum , aliud emptionem & venditionem : alioqui non posse rem expediri , permutatis rebus quæ videatur res venisse , & quæ pretii nomine data esse : nam utramque videri & venisse , & pretii nomine datam esse , rationem non pati . Sed Proculi sententia , dicentis permutationem propriam esse speciem contractus à venditione separatam , meritò prævaluit : cùm & ipse aliis Homericis versibus adjuvabatur , & validioribus rationibus argumentabatur ; quod & anteriores Divi Principes admiserunt , & in nostris Digestis latius significatur .

DICTUM est denique , *in pecunia numerata constituto* ; quia ex Proculeianorum sententia contra Sabinianos receptum est , ut in alia specie venditionis pretium non consistat : v. g. si fundus aliquis pro servo detur loco pretii , *l. pen. C. de rer. permut.* quia in eo contractu discerni non potest , uter contrahentium sit emptor , & uter venditor , *l. 1. ff. codem titulo* ; ac proinde nec potest distinguiri diversitas juris , quæ in utroque servanda est . Quibus rationibus facem præfert origo contractus , quæ eleganter exponitur *in l. 1. ff. b. t. his verbis :* *Origo emendi vendendique à permutationibus capit.* Olim enim non ita erat numerus ; neque aliud merx , aliud pretium vocabatur : sed unusquisque secundum necessitatem temporum ac rerum , utilibus inutilia permutabat , quando plerumque evenit , ut quod unius superest alteri desit . Sed quia non semper nec facile concurrebat , ut cùm tu haberes quod ego desiderarem , ego invicem haberem quod tu accipere velles ; imò verò cùm hæc duo concurrebant , frequentissime siebat ut tu nolles rem tuam pretiosam mihi dare , viliorem dumtaxat à me accepturus ; electa materia est , cuius publica ac perpetua xstimator difficultatis permutationum , æqualitate quantitatis subveniret . Ea materia formâ publicâ percussa usum dominiumque non tam ex substantia præbet quam ex quanti-

tate. Nec ultrà merx utrumque , sed alterum merx , alterum pretium vocatur. Ex quibus concludere est , contractum illum quo convenit , ut una species de- tur pro altera specie , non esse venditionem , sed permutationem.

*Ad §. Cùm autem.*

**C**UM autem emptio & venditio contracta sit ( quod effici diximus , simul atque de pretio convenerit , cùm sine scriptura res agitur ) periculum rei venditæ statim ad emptorem pertinet , tametsi adhuc ea res emptori tradita non sit. Itaque si homo mortuus sit , vel aliquâ parte corporis læsus fuerit , aut ædes totæ vel aliqua ex parte incendio consumptæ fuerint ; aut fundus vi fluminis totus vel aliqua ex parte ablatus sit , sive etiam inundatione aquæ aut arboribus turbine dejectis longè minor aut deterior esse cœperit , emptoris damnum est , cui necesse est , licet rem non fuerit nactus , pretium solvere. Quidquid enim sine dolo & culpa venditoris accedit , in eo venditor securus est. Sed & si post emptionem fundo aliquid per alluvionem accesserit , ad emptoris commodum pertinet. Nam & commodum ejus esse debet , cuius periculum est. Quod si fugerit homo , qui venit , aut subreptus fuerit , ita ut neque dolus , neque culpa venditoris intervenierit ; animadverendum erit , an custodiā ejus usque ad traditionem venditor suscepere. Sanè enim si suscepere , ad ipsius periculum is casus pertinet ; si non suscepere , securus est. Idem & in cæteris animalibus , cæterisque rebus intelligimus. Utique tamen vindicationem rei & condictionem exhibere debebit emptori ; quia sanè qui nondum rem emptori tradidit , adhuc ipse dominus est. Idem etiam est de furti & damni injuriæ actione.

**S E Q U I T U R** ut disquiramus ad quem spectet periculum & commodum rei venditæ post perfectam rei venditionem ; id est postquam de re certo pretio tradendâ convenerit inter emptorem & venditorem , & antequam res emptori sit tradita. Sanè dubium esse non debet , quia venditor dolum & culpam latam , sive dolo proximam præstare teneatur ; quia hæc duo in omnibus contractibus præstantur , quamvis convenerit ne præstentur , *l. contractus 23. ff. de reg. jur.* Culparam quoque , id est levem , non levissimam præstat venditor , *l. quod sape 35. §. si res , ff. b. t.* quia iste contractus evidenter utriusque contrahentis utilitatem respicit , sicut dictum est de pignore , *§. ult. sup. quib. mod. re contrah. obl.* Unde sequitur , venditorem ad medianam & exactam , non ad summam & exactissimam diligentiam obligari , si nihil aliud convenerit. At si venditor custodiā promiserit , quamvis alias custodia nomine exacta dumtaxat diligentia contineatur , *§. qua de fullone & sequ. de obl. qua ex del. nasc. diligentiam tamen*

exactissimam præstare tenebitur, ut ait Imperator; id est maiorem, quā natura contractū desideret; quia in contractibus verba non sunt otiosa. Nec tamen præstabat incendia, impetus prædonum, & alios casus fortuitos; quia hæc à nemine præstantur, d. l. contractus. Nec moveor quod Imp. dicat hoc loco *in vers. sanè*, illo casu quo venditor custodiā promiserit, periculum ad venditorem pertinere; quia hæc vox periculum, licet aliis pleramque significet illud quod accidit casu fortuito, ut in l. 9. cod. de pign. act. non raro tamen accipitur pro eo damno quod culpi levī vel levissimā contingit, l. 14. §. non solum, si sequ. ff. de furtis, & l. non tantum, ff. de petit. hered. sicut etiam accidit in d. vers. sanè.

Nunc itaque superest ut disquiramus ad quem spectet merus casus fortuitus. Quod ut clarius innoteſcat, distinguenda sunt à se invicem tria pericula; scilicet periculum rei, periculum evictiōnis, & periculum publicationis. Periculum rei dicitur in iure nostro, quando res perit, vel fit deterior casu fortuito, incendio putā, vel morte. Periculum evictiōnis accidit quando res emptori evincitur, id est per sententiam Judicis aufertur emptori a vero domino, vel ab alio aliam actionem in rem habente. Publicatio denique fieri dicitur, quando præcepto Principali, sive auctoritate Principis prædia in publicum rediguntur; forte ut siant incilia seu canales ad coniunctionem maritam; vel ut assignentur militibus in mercedem retrò actæ militie, sicut se in agris suis passum fuisse luget pastor Virgilianus Ecloga 1. Idque factum fuisse sine ulla possessorum culpa docet Servius ad illum locum.

## Undique totis

## Usque adeò turbatur agris.

His tribus periculis singulæ regulæ convenient. Et primò quidem de rei periculo statuendum est, quod licet regulariter ad dominum rei pertineat, l. 9. C. de pignor. act. & quamvis constet venditorem ante traditionem dominum esse; quia traditionibus tantum & usucaptionibus dominia rerum transferuntur, non nudis pactis, l. traditionibus 20. cod. de paēt. nihilominus tamen ante traditionem omne rei periculum ad emptorem pertinet, si venditor in mora non fuerit; quia is qui habet actionem ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur, l. 15 qui actionem 15. ff. de reg. jur. Quod confirmari videtur ex eo quod emere, auctore Festo, sit propriè accipere. Est & secunda ratio; quia solus emptor est in mora, non venditor, ex hypothesi. Mora verò cuique sua, non adversario nocere debet, cap. mora, de reg. jur. in 6. Tertia denique ratio est, quia debitores certi corporis ejus interita liberantur, cum nemo præstet casus fortuitos, l. contractus, ff. de reg. jur.

Non igitur assentendum est summo Antecessori existimanti, id assertum ab Imp. hoc loco ex stricto jure; verum aliud obtinere ex aequitate, quæ postulat, sicut ipse ait, ut emptor, cui res aufertur ante traditionem, ejus pretium non amittat. Quā in re uititur auct. ritate l. si fundus 33. ff. locati, ubi emptor qui pretium fundi solvit, potest repetere a venditore, si is fundus fuerit publicatus. Sed hæc interpretatio admitti non debet; quia Justinianus in 3. cūmque in proæmio nostrarum Institutionum, assertit nihil esse in illis positum inutile; sed illud tantum, quod in ipsis rerum obtinet argumentis. Non debemus igitur ab illis quæ scripta & expressa sunt in textu nostro discedere, nisi urgeat evidens auctoritas vel necessitas. Secundò, quia non quilibet aequitas cerebrina & commentitia contra tex-

tum amplectenda est, sed ea tantum quae jure comprobatur. Quemadmodum enim aiebat Celsus adolescens in l. 91. §. sequitur, ff. de verb. oblig. in questionibus de bono & quo, plerumque sub auctoritate juris scientiae perniciose erratur. Tertio denique in d. l. si fundus, ff. locati, in qua fundatur præcipuum aduersariorum argumentum, non agitur de rei periculo, sed tantum de publicatione fundi, quæ a rei periculo longè distat. Cæterum si res vendita non interveniente dolo, vel culpâ venditoris amissa sit, aut deterior facta fuerit; non competit emptori vindicatio neque condicō, neque actio furti, aut damni injuriādati, sed soli venditori; ideoque actiones illas venditor emptori tenetur cedere, ut eas procuratorio nomine possit exercere. Quales autem sint illæ actiones ex libro sequenti clarius apparebit.

Circa evictionem hæc regula servanda est, quod eius periculum semper ad venditorem pertineat. Neque hoc recipit ullam dubitationem, quamvis constet (ut supra dictum fuit) rei alienæ venditionem valere, l. rem alienam, ff. b. t. Non enim valet ut dominium transferatur, sed tantum ad hoc ut traditionis necessitas incumbat venditori, & emptori competit actio ex empto.

Circa publicationem denique media via servanda est, nimirum quod ante traditionem periculum publicationis ad venditorem pertineat, d. l. si fundus, ff. locati; post traditionem vero periculum sit emptoris, L. Lucius Titius 21. ff. de evit. quia publicationis ea est natura, ut solum possessorem damno afficiat.

*Ad §. penult.*

**E**MPTIO tam sub conditione quam pure contrahi potest. Sub conditione, veluti; *Si Stichus intra certum diem tibi placuerit, erit tibi emptus aureis tot.*

SUPEREST, ut quibus casibus emptio sit utilis videamus. Quamvis autem jure civili alienatio fiat per emancipationem, quæ est actus legitimus; ideoque expressam conditionis adjectiōnem non admittit, l. 77. ff. de reg. jur. nihilominus tamen apud Romanos emptio & venditio non tantum pure, ex jure civili; sed etiam sub conditione, ex jure gentium fieri potest; quia populus Romanus non tantum proprio, sed etiam communi omnium gentium jure utitur, §. 1. sup. de jur. natur.

Venditionis conditionalis exemplum hoc tradit Imp. *Si Stichus intra certum diem tibi placuerit, erit tibi emptus aureis tot.* Neque obstat quod non valeat venditio, collatâ conditione contractus in arbitrium contrahentium, l. 13. cod. b. t. quod & sola obligationis definitio superius allata satis convincit. Namque ita demum infirmatur venditio ex d. l. 13. si in merum & plenum contrahentium arbitrium contractus conditio conferatur, hoc vel simili modo, si volueris; non vero quoties illud arbitrium intra certas temporis metas restringitur, ut fit in hac specie, *si Stichus intra certum diem tibi placuerit.* Imò vero (ne quis forte Imp. arguat, quod rei alioquin facilis difficilem dederit expositionem) quotidiana rerum experimenta docent prædictam conditionem in venditionibus frequentem esse ac necessariam. Nemo enim facile rem aliquam emit ignoram sibi, nisi eam prius exploraverit, aut saltem nisi ejus rei explorationem sibi reservet,

Cæterum

Cæterum ab hac venditione longè distat venditio sequens : *Sic tibi venditus esto aureis tot, nisi intra certum tempus tibi displicerit.* Namque hujusmodi venditio est pura, quæ sub conditione resolvitur; non tamen sub conditione contrahitur, *I. 3. ff. b. t. & I. 6. ff. de res. vend.* Prior verò, de qua agitur in §. nostro, est conditionalis, ut ex textu ipso apparet; ac proinde ante conditionis eventum, seu antequam emptori res placuerit, est imperfecta: unde equatur in eo casu, periculum rei ante traditionem esse vendoris, *I. 8. ff. de per. & comm. rei vend.* Quod etiam accidit cum vinum venditum est, non per aversionem, sed in singulas mensuras. Tunc enim si ante mensurationem coacuerit vel corruptum sit, periculum est vendoris; quia iste contractus tacitam habet conditionem, si mensuratio facta sit, *I. quod sepe, §. in his, ff. b. t. & I. 2. de per. & comm. rei vend.*

In posteriori verò specie, videlicet cum dictum est : *Sic tibi venditus esto aureis tot, nisi intra certum diem tibi displicerit*, non differtur ullatenus obligatio, sed statim ab initio perfecta est; idèque ante traditionem periculum est emptoris, secundum ea quæ dicta sunt in superiori §.

## Ad §. ult.

**L**OCA sacra vel religiosa, item publica ( veluti forum, basilicam ) frusta quis sciens emit: quæ tamen si pro profanis vel privatis deceptus à venditore quis emerit, habebit actionem exempto, quod non habere ei liceat, ut consequatur, quod sua interest eum deceptum non esse. Idem juris est, si hominem liberum pro servo emerit.

**P R A E T E R A** quamvis rei sacræ, religiosæ, vel publicæ, vel liberi hominis emptio non consistat ( quia haec non sunt in hominum commercio ) ex ea tamen emptione actio emptori competit adversus venditorem, ut consequatur, quod sua interest, se deceptum non esse. Consistit igitur emptio quantum ad illam actionem, quod maximè æquum est; quia difficile dignosci potest homo liber à servo, *I. 4. & I. 5. ff. b. t. & §. ult. sup. de vulg. substit.* Idemque de cæteris præfatis rebus dicendum est. Sed tamen quoad cætera, contractus non consistit; refragante, ut jam diximus, natura rei venditæ; quæ non est in commercio.

Ex contractu emptionis & venditionis duæ nascuntur actiones, videlicet empti & venditi. Actio empti sive exempto + competit emptori adversus venditorem, ad hoc ut sibi rem venditam tradere teneatur, & præstet quidquid sibi ex fide bona cum præstare oportet. Actio venditi sive ex vendito + competit venditori adversus emptorem, ad hoc ut pretium rei emptæ dare teneatur, & quidquid insuper ex fide bona cum præstare oportet.

# T I T U L U S X X V.

## DE LOCATIONE ET CONDUCTI<sup>E</sup>NCE.

*Ad Princ.*

**L**OCA<sup>T</sup>I<sup>O</sup> & conductio proxima est emptioni & venditioni, iisdemque juris regulis consistit. Nam ut emptio & venditio ita contrahitur, si de pretio convenerit; sic locatio & conductio ita contrahi intelligitur, si merces † constituta sit. Et competit locatori quidem locati actio, conductori vero conducti.

LOCAT<sup>I</sup>O & conductio † est contractus solo consensu constans, quo id agitur ut pro usu alicuius rei, aut pro hominis opera, certa merces præstetur in pecunia numerata constituta; vel breviūs. Locatio & conductio † est contractus, quo res aliqua utenda vel facienda trahitur sub mercede certæ pecuniae. Locator † dicitur ille, qui dat aliquid utendum vel faciendum alteri sub mercede certæ pecuniae. Unde apparet, conductorem non esse existimandum aut definiendum ex datione pecuniae; neque locatorum ex ipsius acceptione, ut quidam existimant; sed tantum ex datione vel ex acceptione rei utendæ aut faciendæ, unum ab altero distingui. Nam quoties res aliqua utenda datur, ille qui dat mercedem est conductor: qui vero mercedem accipit est locator. Sed quoties datur res aliqua facienda, v. g. domus ædificanda, pecuniam accipit conductor, quem nostro idiomate vocamus (*l'Entrepreneur*:) locator vero dat pecuniam. Quin etiam in eo contraetu (quod singulariter notandum est) uterque contrahens vario respectu conductor simul est & locator. Nam dominus locat opifici ædificium faciendum, opifex vero illud faciendum conducit. Rursum opifex est locator suarum operarum; dominus vero est illarum conductor. Quibus ita præmissis, duo tractabimus hoc titulo, videlicet similitudinem istius contractus cum superiore, & varios ejus effectus.

*Ad §. I.*

**E**T quæ suprà diximus, si alieno arbitrio pretium permisum fuerit; eadem & de locatione & conductione dicta esse intelligimus, si alieno arbitrio merces permissa fuerit. Qua de causa si fullo polienda, curandave, aut sarcinatori sarcienda vestimenta quis dederit, nullâ statim mercede constitutâ, sed posteà tantum daturus, quantum inter eos convenerit; non propriè locatio & conductio contrahi intelligitur, sed eo nomine actio præscriptis † verbis datur.

**SIMILITUDO** utriusque contractus primùm apparet ex nomine. Namque

illi qui locant, interdum dicuntur vendere; is vero qui conductus, dicitur nonnumquam redemptor, l. 29. ff. b. 1.

Præterea limitudo patet ex re ipsa; quoniam uterque contractus iisdem juris regulis consistit. Sicut enim in alienum arbitrium pretium conferri potest in emptione & venditione; ita quoque & merces in locatione & conductione, l. ult. C. de contrah. empt. Quod si merces nulla ab initio constituta sit, sed tantum convenerit, ut locator fulloni v. g. sive vestium sarcinatori tantum daret, quantum postea inter eos convenerit; non competit actio locati aut conducti, sed actio præscriptis verbis.

Quod ut clarius intelligatur, monendi sumus, contractus + alios dici nominatos, & alios innominatos. Contractus nominati + dicuntur, qui certum & proprium nomen habent, & certam definitamque naturam. Ex his oritur actio ab ipso contractu denominata: ex. gratia, Locatio & conductio est contractus nominatus, ex quo locatori competit actio locati adversus conductorem, ad hoc ut mercedem solvere, vel opus conductum peragere teneatur. Conductori vero datur actio conducti adversus locatorem, ad hoc ut rei usum ei præstet, vel operarum mercedem.

Innominati vero contractus + sunt, qui certum & proprium nomen non habent, nec certam definitamque naturam; sed ex varia conventione contrahentium substantiam accipiunt. Cum enim plura sint negotia quam vocabula, l. 4. ff. de prescr. verbis & in fact. act. inde fit ut nomen proprium ac speciale deficiat in his contractibus. Hi sunt innumerabiles, §. sed jus sup. de jur. natur. sed tamen revocantur ad quatuor, do ut des, do ut facias, facio ut des, facio ut facias. Harum conventionum ea natura est ut obligationem non pariant, priusquam alter contrahentium causam dederit contractui, id est priusquam dederit aliquid vel fecerit, l. 7. §. sed & si, & §. sed cum nulla, ff. de pact. quia ante illud factum vel dationem, haec conventions non sunt contractus, sed nuda pacta, l. 3. C. de rer. permis. sed postquam datum est vel factum aliquid ab uno contrahente, sunt veri contractus, ex quibus oritur actio præscriptis verbis. Nam cum deficiunt vulgaria atque usitata actionum nomina, præscriptis verbis agendum est, l. 2. ff. de presc. verbis. Quæ actio ideo sic appellatur, quia datur ex præscripto conventionum; & quia per eam actor postulat, ut adversarius satisficiat, seu fidem liberet, juxta illud quod præscriptum est verbis conventionis. Vocabatur etiam actio in factum; quia non ex solemnni formula proponitur, sicut ceteræ ordinariæ actiones, sed per solam facti narrationem.

*Ad §. Præterea.*

**P**RÆTEREA, sicut vulgo queretur, an permutatis rebus emptio & venditio contraheretur; ita queri solebat de locatione & conductione, si forte rem aliquam utendam sive fruendam tibi aliquis dederit, & invicem a te utendam sive fruendam aliam (rem) acceperit. Et placuit non esse locationem & conductionem, sed proprium genus contractus. Veluti si cum unum bovem quis haberet, & vicinus ejus unum, placuerit inter eos, ut per denos dies invicem boves commodarent, ut opus ficerent, & apud

alterum ( alterius ) bos perierit ; neque locati , neque conducti , neque commodati competit actio , quia non fuit commodatum gratuitum : verum praescriptis verbis agendum est .

APPARET præterea similitudo utriusque contractus , ex eo quod in utroque pretium debeat consistere in pecunia numerata , l. 1. ff. de contrah. empt. & l. 5. §. 1. & 2. ff. de prescr. verb. Si quis itaque bovem unum habeat , & vicinus itidem unum ; & placuerit inter eos , ut sibi invicem boves commodarent ad collendos agros ; non est locatio & conductio , propter præfatam rationem . Non est præterea commodatum , quia commodatum debet esse gratuitum ; si igitur bos unius apud alterum perierit , praescriptis verbis agendum est , tamquam ex contractu innominato .

*Ad §. Ad d.*

**A** Deo autem aliquam familiaritatem inter se videntur habere emplio & venditio , item locatio & conductio ; ut in quibusdam causis queri soleat , utrum emplio & venditio contrahatur , an locatio & conductio : ut ecce de prædiis , quæ perpetuo quibusdam fruenda traduntur ; id est , ut quamdiu pensio sive redditus pro his domino præstetur , neque ipsi conductori , neque hæredi ejus , cuive conductor hæresve ejus id præmium vendiderit , aut donaverit , aut dotis nomine dederit , aliove quocumque modo alienaverit , auferre liceat . Sed talis contractus , quia inter Veteres dubitabatur & à quibusdam locatio , à quibusdam venditio existimabatur ; Lex Zenoniana lata est , quæ emphyteuseos contractus propriam statuit naturam , neque ad locationem neque ad venditionem inclinantem , sed suis pactionibus fulciendam : & si quidem aliquid pactum fuerit , hoc ita obtinere , ac si naturalis esset contractus . Sin autem nihil de periculo rei fuerit pactum , tunc si quidem totius rei interitus accesserit ; ad dominum super hoc redundare periculum : sin autem particulatis , ad emphyteuticharium hujusmodi damnum venire : quo jure utimur .

PROBATUS denique hæc similitudo , ex eo quod difficile fuit apud Veteres unum contractum ab altero distinguere in dupli specie . Prior species est , cum quis prædia sua dat alteri colenda & fruenda eâ lege , ut quamdiu pensio annua domino præstetur , res illas ei vel successoribus ejus quibusque auferre non possit . Hoc negotiorum contractus utriusque quedam habet insignia , emptionis scilicet , & conductionis : emptionis quidem , quod fiat in perpetuum ; conductionis vero , quod annuam pensionem contineat . Sed Zenonis constitutione effectum est , ut iste contractus proprio nomine ac jure censeatur , & appellatur Emphyteufis , sive contractus emphiteuticus , ab 78 episcopis , id est ab inferendo seu implantando ; quod ab initio steriles agri dari solerent in emphyteufis , ut meliora-

rentur & colerentur, assumpto per synecdochen speciei nomine, pro genericō. Tractu verò temporis inductum est, ut prædiorum fertilium, imo & ædium, emphyteusis concederetur, l. 15. §. si de veltigalibus, ff. de damn. infect. Potest igitur emphyteusis definiti f contractus juris civilis, quo res aliqua immobilis alicui in perpetuum fruenda conceditur, eā lege ut quamdiu pensio annua soluta fuerit, ea res auferri ipsi non possit. Differit itaque maximè diuturnitate temporis emphyteusis à locatione & conductione; sed insuper, quod colonus præstet pensionem annuam in compensationem usūs & fructuum; emphyteuta verò in recognitionem dominii: ideoque dicitur Deus in signum universalis dominii, sibi decimas reservasse, cap. 33. exir. de decim. Mirum itaque esse non debet, si colono ob sterilitatem pensio remittatur vel minuator, l. 15. §. si vis, ff. h. t. emphyteutæ non item: unde vulgo dicitur, redditus emphyteuticos non esse grandini obnoxios. Sanè si totum prædium emphyteuticum inundatione, vel incendio, vel hiatu terræ perierit, nulla impostorū pensio annua debetur; quia rei extinctæ nullus est dominus.

## Ad §. Item queritur.

**I**T B M queritur, si cum aurifice Titius convenerit, ut is ex auro suo certi ponderis certæque formæ annulos ei faceret, & acciperet ( verbi gratiâ ) decem aureos; utrum emptio & venditio, an locatio & conductio contrahi videatur? Cassius ait, materiæ quidem emptionem & venditionem contrahi, operæ autem locationem & conductionem. Sed placuit tantum emptionem & venditionem contrahi. Quod si suum aurum Titius dederit, mercede pro opera constitutâ; dubium non est, quin locatio & conductio sit.

**P O S T E R I O R** species hæc fuit. Titius cum aurifice convenerat, ut aurifex ille, ex auro suo annulos certi ponderis certæque formæ ei faceret, & acciperet decem aureos. Eo casu existimabat Cassius, materiæ quidem emptionem fieri, operarum verò conductionem esse. Sed prævaluit unicum esse negotium sive contractum emptionis & venditionis; neque locationem & conductionem ullam esse, l. 2. §. adeò, ff. h. t. quia si aurifex haberet annulos ex auro suo factos, & inter nos pactic fieret ut eos mihi daret certo precio, dubium non esset, quin emptio & venditio ita contraheretur. Dubitandum igitur non est, quin idem contractus maneat, si in eundem casum contractus concordio conferatur, sicut accidit in nostra specie. Vera est emptio nemini discrepante, si quis pisces capiendos emerit, l. 8. §. 1. ff. de contr. empt. quidni etiam vera sit emptio, si quis ab aurifice annulos faciendos enierit? Utendem est itaque Sabini regulâ in hoc casu, si quis velit aliquid sibi ab altero fieri; nec materiam det opifici, sed tantum pecuniam; emptionem esse, nec posse ullam locationem videri, ubi corpus non datur ab eo, cui id fieret. Sed si Titius suum aurum dederit aurifexi, ut ex eo annulos sibi faceret, locationem & conductionem esse non ambigitur. Quo argumento non insubtiliter uti videntur sutores, dum se mercatorum nomen adscribant, ideoque se sutoribus tanquam mercenariis præferunt.

*Ad §. pen.*

**C**ONDUCTOR [autem] omnia secundum legem conductionis facere debet: & si quid in lege prætermisum fuerit, id ex bono & æquo præstare.

**EFFECTUS** locationis triplex hoc titulo proponitur. Primus est, ut quæcumque à contrahentibus speciali conventione promissa sunt, præstentur; quia contractus ex conventione contrahentium legem accipiunt, l. 1. §. si convenit, ff. depositi. Cum autem aliquid in lege conventionis prætermisum est, hoc tamen præstatur, si illud natura contractus fieri postulet; eò quod hic contractus sit bonæ fidei, atque ideo in eo exuberantior debeat esse bona fides, quam in stipulatione aut in aliis contractibus stricti juris, prout pleniùs apparebit ex §. actionum & 2. seqq. inf. de act. In judiciis enim bonæ fidei tantumdem valet officium Judicis, quantum in stipulatione nominatim facta interrogatio, l. 7. ff. de negotiis gestis.

*Ad Vers. Qui pro usu.*

**Q**UO pro usu aut vestimentorum aut argenti, aut jumenti mercedem aut dedit, aut promisit; ab eo custodia talis desideratur, qualem diligentissimus paterfamilias suis rebus adhibet: quam si præstiterit, & aliquo casu fortuito eam rem amiserit; de restituenda ea non tenebitur.

**SECUNDUS** effectus hujus contractus est, ut in eo sicut in pignore, dolus malus, lata culpa & levis præstentur, non autem levissima: ita ut conductor ad exactissimam diligentiam compelli non debeat, sed tantum ad exactam; quia iste contractus utriusque gratiæ perficitur, sicut pignus, l. 5. §. 2. ff. commod. & §. ult. sup. quib. mod. re contrah. oblig. Neque obstat quod ait hoc loco Justinianus, ab eo qui pro usu vestimentorum aut argenti aut jumenti mercedem dedit aut promisit, talern custodiam desiderari, qualem diligentissimus paterfamilias suis rebus adhibet; quia id speciale est in rebus jam enumeratis, quæ sui naturæ maximum requirunt diligentiam; ideoque qui illas conduxit utendas, videtur summa illam diligentiam promisisse. Quod etiam asseritur de eo, qui columnam transportandam suscepit, l. si merces 25. §. qui columnam, ff. hoc tit. Nec placet responsio eorum qui dicunt superlativum hoc loco accipi pro positivo. Neque enim credendum est, verba in legum contextu esse otiosa, aut temerè posita.

*Ad §. ult.*

**M**ORTUO conductore intra tempora conductionis, hæres ejus eodem jure in conductione succedit.

**TERTIUS** denique effectus est, ut mortuo conductore, hæres ejus in conduc-

tione succedat, l. 10. C. eod. Idem dicendum est de hærede locatoris, quia ille qui contrahit, non tantum sibi, sed etiam hæredi suo contrahere intelligitur, l. si factum 9. ff. de probat. ideoque hæres locatoris conductorem expellere non potest, quia quem de evictione tenet actio, eundem agentem repellit exceptio, l. vindicantem, ff. de evict. l. 1. §. 1. & l. ult. in pr. ff. de except. rei vend. & trad. Aliud obtinet in singularibus successoribus. Nam si prædium locatum dominus venderit vel legaverit, non tenetur emptor vel legatarius stare huic contractui; sed potest colonum vel inquilinum expellere, d. l. 25. §. 1. & l. 32. ff. b. t. & l. 9. C. eod. quia legatarius non est juris successor, §. legatariis, sup. de test. ordin. Idemque dicendum est de emptore, cum emptio non sit modus acquirendi per universitatem. Verum colono & inquilino expulsis datur actio ex conducto adversus locatorem vel hæredem ejus; ut sibi frui licet, aut ut consequantur quod suâ interest, se prohibitos non esse, d. l. 25. §. 1. quia obligationi facti succedit actio in id quod interest, l. 13. §. 1. ff. de re judic. Quocircum ejus periculi vitandi gratiâ vendor sèpius cù lege vendit, ut conductor in eadem conductione permaneat, d. l. 9. & d. l. 25. §. 1.

Aliud juris est in emphyteuta, quem neque hæres, neque alias successor universalis potest expellere; neque etiam emptor aut successor alias singularis, l. 1. de jure emphytent. quia emphyteuta licet verè dominus non sit, pro domino tamen habetur; ideoque utilis ei in rem actio competit, l. 1. §. 1. ff. si ager vetit. id est emphytent. petat.



## T I T U L U S X X V I .

### D E S O C I E T A T E .

*Ad Princip.*

**S**OCIETATEM coire solemus, aut totorum bonorum, quam Græci specialiter *κοινωνίας* appellant; aut unius alicujus negotiationis, veluti mancipiorum vendendorum emendorumque; aut olei, aut vini, aut frumenti emendi vendendique.

SOCIETAS † est contractus solo consensu constans; de honesta & justa lucri vel damni communicatione. Dicitur t. solo consensu constans; quia licet traditionibus & usucaptionibus non nudis pactis, rerum dominia transferantur, l. 20. C. de pact. per nudam tamen conventionem societatis communicatur dominium inter socios; quia tacita traditio creditur intervenire, l. 1. in fine cum l. sequ. ff. b. t. Quod ita procedit propter fictionem brevis manus; quatenus unus socius, quod antea suo tantum nomine possidebat, post societatem contractam intelligit suo & socii nomine possidere; atque ita utrinque facta videtur traditio, cum ab utroque vice mutuâ, possessio videatur translata & acquisita, juxta vulgatum axioma, quod quis per alium facit, intelligitur facere per se ipsum, cap. qui facit, de reg. jur.

*in 6.* Nec obstat quod dicitur *in l. 4. in princ. ff. hoc tit.* societatem re & verbis fieri ; quia non est is sensus ejus legis, ut rem tradi, vel stipulationem adhiberi necesse sit ; sed tantum ut expresso consensu & aperta conventione contrahatur , & tacita insuper voluntate & facto eorum, qui res suas in commune conferunt animo societatis contrahendae, sed tamen citra ullam expressam ejus voluntatis declarationem. Neque enim dubium est, quin nomen factum significet, *l. 1. sup. de tut. & in pr. inf. de oblig.* que ex del. nascit. Dicitur *2. de honesta, &c.* ut excluditur societas furum, latronum, & similium : quia delictorum turpis ac fœda communio legibus reprobatur. Dixi *3. & justa*; quia semper reprobata est leonina societas, quā continetur ut unus socius totum lucrum auferat, & de damno non teneatur, *l. 29. infine, ff. hoc tit.* Quæ societas ita nuncupatur ab Esopis fabula, in qua induxit leo prædam inter se & socios suos ita dividens, ut solus ipse omnes & singulas partes illius prædæ consequatur. Idque eleganter videtur suo more Phædrus expressisse his versibus :

*Nunquam est fidelis cum potente societas :*  
*Testatur hec fabella propositum meum.*  
*Vaccæ & capella & patiens oris injuria :*  
*Socii fuere cum leone in saltibus.*  
*Hè cùm cepissent cervum vasti corporis,*  
*Sic est locutus partibus factis leo :*  
*Ego primam tollo, nominor quia leo ;*  
*Secundam, quia sum fortis, tribuetis mihi :*  
*Tum quia plus valeo, m: sequetur tercia :*  
*Malo afficietur si quis quartam tetigerit.*  
*Sic totam prædam sola improbitas abstulit.*

Dixi denique de lucri vel damni communicatione. Lucrum † appellatur utilitas quæ superest omni damno deducto. Et ex diverso, damnum † appellatur jactura & detrimentum quod accidit omni lucro deducto, *l. 30. ff. h. t.*

Societatis † duas sunt species : vel enim est universorum bonorum, vel aliquis dumtaxat negotiationis, v. g. ad emendum vel distrahadum. Quamvis autem societas vitæ uxorem quodammodo dominam faciat rerum ad maritum pertinentium, *l. 1. ff. de act. rer. amot.* non tamen credendum est, veram esse societatem inter virum & uxorem ; quia neque uxor pro marito, neque maritus pro uxore potest conveniri, *toto tit. C. ne uxor pro marito.* Verum in regionibus Galliæ, quæ consuetudine reguntur, quædam est societas conjugatorum : quantum uxor in acquisitionibus a marito factis partem aliquam nanciscitor.

Omnium itaque societatum hic huius communis est, ut lucri faciendi gratia contrahantur. Sed quia votis & conatibus hominum non semper responderet evenitus, Deo Optimo Maximo aliter disponente, sepe contingit ut lucrum non fiat, imò vero non raro damnum emergat ; ideo prius aliquot regulas circa illam lucri & damni communicationem, tum deinde modos solvendæ societatis recensebimus ; tertio denique quid unus socius alteri socio præstare teneatur, perstringemus.

## Ad §. I.

**E**T quidem si nihil de partibus lucri & damni nominatim con-  
venerit, æquales scilicet partes & in lucro & in damno spec-  
tantur. Quod si expressæ fuerint partes, hæ servari debent. Nec  
enim umquam dubium fuit, quin valeat conventio, si duo inter  
se paeti sint, ut ad unum quidem duæ partes & lucri & damni per-  
tineant, ad alium tertia.

**P**RIMA regula est. Si nihil nominatim convenerit inter contrahentes, par-  
tes & in damno & in lucro æquales sunt; quia quoties partes non exprimuntur,  
id tacite actum videtur, ut sint æquales, *l. nomen 164. §. partitionis, ff. de*  
*verb. signif. & §. si plures sup. de hered. instit.* Sed si illud quod socii conferunt  
inæquale fuerit, debet illa æqualitas fieri non arithmeticè, sed geometricè, &  
cum aliqua inæqualitate, ratione scilicet habita ejus quod quisque contulit, *l. 6.*  
& *l. 80. ff. h. tit.*

Secunda regula est. Si partes expressæ fuerint, hæ servari debent; quia  
omnes contractus ex conventione contrahentium legem accipiunt, *l. 1. §. si con-*  
*venit, ff. depos.* Quavis itaque societas æqualitatem exigat inter socios, valet  
tamen hæc conventio, ut ad unum quidem duæ partes & lucri & damni per-  
tineant, ad alium vero tertia utriusque.

## Ad §. De illa.

**D**E illa sanè conventione quæsumum est, si Titius & Seius inter  
se paeti sint, ut ad Titium lucri duæ partes pertineant, damni  
tertia; ad Seium duæ partes damni, lucri tertia; an rata debeat ha-  
beri conventio? Quintus Mutius contra naturam societatis + talem  
paetionem esse existimavit, & ob id non esse ratam habendam. Ser-  
vius Sulpitius (cujus sententia prævaluit) contrà sensit; quia sæpe  
quorundam ita pretiosa est opera in societate, ut eos justum sit + con-  
ditione meliore in societatem admitti. Nam & ita coiri posse socie-  
tatem non dubitat, ut alter pecuniam conferat, alter non confe-  
rat, & tamen lucrum inter eos commune sit; qui sæpe opera alicuius  
pro pecunia valet. Et adeò contra Quinti Mutii sententiam ob-  
tinuit, ut illud quoque constiterit posse convenire, ut quis lucri  
partem + ferat, de damno non teneatur. Quod & ipsum Servius con-  
venienter [sibi] fieri existimavit. Quod tamen intelligi oportet, ut  
si in alia re lucrum, in alia damnum illatum sit compensatione fac-  
tâ, solum quod supereft intelligatur lucro esse.

**Q**UIN etiam contra sententiam Quinti Mutii Scævolæ obtinuit, ut valeret  
ff

hæc conventio, ut unus lucri duas partes percipiat, & unam tantum damni sustineat; alter verò unam tantum lucri partem accipiat, & duas damni partes patiatur. Ratio Servi Sulpitii ita sentientis hæc fuit, quia sæpe opera alicujus pro pecunia valet. Nam si unus ex sociis omnia pericula itinerum & navigationum solus sustineat, & quum est, ut minorem damni partem patiatur; majorem verò lucri partem auferat. Idque ex eo potest confirmari, quod unus in societate admitti possit, qui nullam pecuniam, sed operam tantum conferat; quia non solum potest dici, quod opera ejus pro pecunia valeat, sed etiam quod sapientia & industria nullo pretio nummario debeat estimari, l. 1. §. proinde, ff. de var. & extr. cognit. Idem quoque dicendum arbitror, etiam si opera unius socii non sit majoris pretii; quia, ut jam dictum est, quoties expresse sunt partes, hæc servari debent.

## Ad §. illud.

**L**LU D expeditum est, si in una causa pars fuerit expressa, (veluti in solo lucro, vel in solo damno) in altera verò omissa; in eo quoque, quod prætermissum est, eamdem partem servari.

**TERTIA** regula est. Si in solo lucro pars expressa sit, in damno de quo non est facta mentio, eadem pars servari debet, & vice versa; quia secundum naturam est ut commoda ejusque rei cum sequantur, quem sequuntur incommoda, l. 10. ff. de reg. jur. & ut ait Theoph. id quod exprimitur est regula omitti.

## Ad §. Manet.

**M**ANET autem societas eo usque, donec in eodem consenserit perseveraverint. At cùm aliquis renunciaverit societati, solvitur societas. Sed planè si quis callidè in hoc renunciaverit societati, ut obveniens aliquod lucrum solus habeat; veluti si totorum bonorum socius, cùm ab aliquo hæres esset relictus, in hoc renunciaverit societati, ut hæreditatem solus lucrifaceret; cogitur hoc lucrum communicare. Si quid verò aliud lucrifaciat, quod non captaverit, ad ipsum solum pertinet. Ei verò, cui renunciatum est, quidquid omnino post renunciatam societatem acquiritur, soli conceditur.

**DISSOLVITUR** societas multis modis; videlicet renunciatione, morte unius socii, sine negotii, publicatione, & cessione bonorum. Renunciatio legitimè facta ab uno socio, societatem dissolvit; quia obligatio qua solo consensu contrahitur, contrario quoque consensu dissolvitur, §. ult. infra quib. mod. toll. oblig. & l. 35. ff. de reg. juris. Dixi legitimè facta: nam si quis fraudulenter societati omnium bonorum renunciet, ut lucrum proximè obventurum forte alijus hæreditatis, solus percipiat; hanc pecuniam suæ fraudis patietur, ut lucrum quod postea perceperit, cum socio dividere teneatur; damnum verò, si quod

acciderit, solus sustineat. *Socius* verò cui renunciatum est, quidquid post renunciationem hujusmodi acquisierit, communicare non cogitur. Uno verbo, is qui fraudulentiter renunciat societati, à se quidem liberat socios suos; se autem ab illis non liberat, *I. actione 65. §. dixinus; ff. b. t.* Sed si quid aliud acquirat fraudulentus renunciator quod non captaverit, id est de quo acquirendo in ipsa renunciatione non cogitaverit, ad ipsum solum pertinet; quia non debent ulterius progredi pñnae, quam progrediantur delicta, *I. sanctimus 25. C. de pñnis.*

## Ad §. Solvitur.

**S**OLVITUR adhuc societas etiam morte socii; quia qui sociatem contrahit, certam personam sibi eligit. Sed & si consensu plurium societas contracta sit, morte unius socii solvitur, etsi plures supersint, nisi in coēunda societate aliter convenerit.

**M**ORTE unius socii solvitur societas cæterorum, & ad hæredes non transit. Quod non est ita intelligendum, ut aduersus hæredes socii, actio de eo quod ante gestum est denegetur, *I. verum, §. in b. credem, ff. b. t.* sed tantum ut hæres socii mei socius meus non sit, *I. 35. ff. eod.* Quamvis enim regulariter contrahentes sibi & hereditibus suis contrahere intelligantur, *I. 9. ff. de probat.* hæc tamē regula nullit in illis contractibus, qui personæ cohærent, cujusmodi sunt societas & mandatum, eo quod ex amicitia plerumque orientur; ideoque ad hæredem non transeant, *I. 8. §. tale, ff. de lib. leg.*

## Ad §. Item si.

**I**TEM si alicuius rei contracta societas sit, & finis negotio impositus est, finitur societas.

**P**ERACTO negotio cujus gratiâ inita fuit societas, æquum est omnes socios à societate dimitti. Idem quoque dicendum est expleto tempore, ad quod societas contracta fuerat: v. g. si duo societatem coierint usque ad decem annos, *I. 65. §. item si, & §. itemque, ff. b. t.* quia contractus ex conventione contrahebentium legem accipiunt.

## Ad §. Publicatione.

**P**UBLICATIONE quoque distrahi societatem, manifestum est: scilicet si universa bona socii publicentur. Nam cùm in ejus locum alias succedat, pro mortuo habetur.

**P**UBLICATIO bonorum unius socii eundem effectum nanciscitur; quia morti æquiperantur, *I. verum, §. ult. ff. b. t.* Publicatio † hoc loco est bonorum alicuius in publicum sive fiscum translatio; (*confiscation des biens*) v. g. cùm deportato vel in metallum damnato bona admittuntur. Atque ita intelligendum

Iffij

est quod dicitur in d. §. ult. capituli diminutione solvi societatem; maximâ scilicet & mediâ, non verò minimâ. Neque obstat quod deportatus retineat ea quae sunt juris gentium, & ea tantum amittat quae sunt juris civilis, l. 15. ff. de interd. & releg. Namque hoc ita intelligendum est, ut deportatus possit quidem facere omnes contractus juris gentium; non autem ut omnes quos fecit retineat: cum fiscus statim post deportationem ei succedat in omnibus bonis & juribus jam acquisitis. Imò verò in omnibus quae post deportationem acquirit, eundem fiscum successorem habiturus sit, d. l. 15.

*Ad §. penult.*

**I**T E M si quis ex sociis mole debiti prægravatus, bonis suis cesserit; & ideo propter publica aut privata debita substantia ejus veneat, solvitur societas: sed hoc casu, si adhuc consentiant in societatem, nova videtur incipere societas.

**C E S S I O N E** denique bonorum solvitur societas; quia morti æquiparatur sicut publicatio, l. 4. §. 1. ff. b. t. Unde meritò M. Tullius ait in oratione pro Quintio, quorum bona ex edicto possidentur & distrahabuntur, eorum quoque famam & vitam & sanguinem distrahi. Cessio bonorum est miserabile juris remedium, quo debitor bona sua omnia dimittens creditoribus, hoc jus consequitur, ut propter æs alienum non possit detрудi in carcere, aut in carcere detineri.

*Ad §. ult.*

**S**O CIUS socio utrūm eo nomine tantum teneatur pro socio actione, si quid dolo commiserit, sicut is, quidem deponi apud se passus est, an etiam culpæ, id est desidiae atque negligentiae nomine, quæsitus est. Prævaluit tamen, etiam culpæ nomine teneri eum. Culpa autem non ad exactissimam diligentiam dirigenda est. Sufficit enim talem diligentiam communibus rebus adhibere socium, qualem suis rebus adhibere solet. Nam qui parùm diligentem socium sibi adsumit, de se queri, sibi que hoc imputare debet.

**S U P E R E S T** ut videamus, quid socius socio præstare teneatur; quod non magnâ indiget disquisitione. Cum enim constet ex §. ult. sup. quib. mod. re contr. oblig. in his contactibus qui communem contrahentis utriusque utilitatem respiciunt, præstari culpam, id est medium seu exactam, non etiam summam sive exactissimam diligentiam: facile est idem ius statuere in societate, quam manifestum est ad utriusque socii commodum pertinere.

Ex hoc contraactu nascitur actio pro socio utrumque directa. Neque datur alia actio contraria, sicut in commodato & deposito; quia uterque socius dominus est. Nomen autem sumpsit à formula sub qua concipiatur. Quod pro socio communiter gestum est, l. 65. §. si post ff. b. t. Ubi disjunctio accipitur pro

subdisjunctione, sive potius pro coniunctione, quæ appellatur *συναρθετική*  
in l. 4. C. de verb. signif.

## T I T U L U S X X V I I .

## D E M A N D A T O .

Ad Princ.

**M**ANDATUM contrahitur quinque modis: sive suâ tantum gratiâ aliquis tibi mandet, sive suâ & tuâ, sive alienâ tantum, sive suâ & alienâ, sive tuâ & alienâ. At si tuâ tantum gratiâ mandatum sit, supervacuum est mandatum, & ob id nulla ex eo obligatio, nec mandati, inter eos actio nascitur.

MANDATUM † est contractus solo consensu constans, quo negotium aliquod alicui gratuitò gerendum committitur & suscipitur. Dicitur 1. solo consensu; quia sine rei traditione & scriptura perficitur: neque verba solemnia & typica requirit, ut ait Theophilus ad §. pen. inf. de his per quos ag. possumus. Dictum est 2. quo negotium committitur: nam si quis negotium non committat alteri, sed commendet tantum aliquem hominem, non inducitur mandati obligatio, l. ult. C. quod cum eo qui in alien. potest. est, & l. fideicomissa, §. 2. ff. de leg. 3. Dixi 3. gratuitò; quia si merces intervenierit, erit locatio & conductio, non mandatum. Dicitur denique & suscipitur; quia non contrahitur mandatum, nisi utriusque consensu. Unde fit, ut ex mandato duplex nascatur mandati actio, directa scilicet, & contraia. Directa mandati actio † competit domino mandanti adversus procuratorem, ad hoc ut susceptum mandatum exequatur, vel præstet id quod interest, nec non etiam ut reddat rationem sua administrationis. Actio mandati contraia † competit procuratori adversus dominum, ad hoc ut ei restituat sumptus, quos fecit in rebus mandatis exequendis. Procurator † dicitur qui aliena negotia mandato domini administrat, l. 1. ff. de procur. Usus autem procuratorum pernecessarius est, ut qui rebus suis ipsi superesse vel nolunt, vel non possunt, per alios possint sua negotia expedire, d. l. 1. §. ult.

Circa hunc contractum tria præstat Imp. h. t. I. varios fines mandati exponit. II. modos quibus diisolvitur. III. denique formam sub qua contrahitur.

Finis nomen duobus modis accipitur in hac causa. Neque enim solùm significat causam propter quam contrahitur, sed etiam terminum negotii gerendi, qui præscriptus fuit à domino ejusdem negotii. Inspecto fine contrahentium, in prima acceptione, quinque modis mandatum contrahitur: vel enim aliquis mandat tibi suâ tantum gratiâ, vel suâ & tuâ, vel alienâ tantum, vel suâ & alienâ, vel denique tuâ & alienâ. Posset etiam addi hoc loco sextum genus mandati, quod quis contrahit suâ, tuâ, & alienâ gratiâ, ex l. 8. §. si tutores, ff. b. t. Tuâ autem tantum gratiâ mandatum frustra contrahitur: quæ omnia ferè sigillatim ab Imp. discutiuntur.

## Ad §. 1.

**M**ANDANTIS tantum gratiâ intervenit mandatum : veluti si quis tibi mandet , ut negotia ejus gereres , vel ut fundum ei emeres , vel ut pro eo sponderes .

S U à , id est mandantis gratiâ fit mandatum ; si quis mandet tibi , ut negotia ejus geras , vel ut pro eo fidejubeas , vel ut certum fundum ei emas . Quo ultimo casu valet mandatum , licet in eo expressum non sit , l. 3. §. 1. ff. b. t. quia mandatum eo casu , procuratoris arbitrio relictum intelligitur , secundum communem & legitimam rei estimationem . Quamvis autem mandatum hujusmodi nullatenus pertineat ad utilitatem procuratoris , sed solius domini ; non tamen in eo servatur regula superius tradita in appendice tit. 15. ex l. 2. §. nunc vendendum , ff. commod. ut dolus tantum & culpa dolo proxima præstari debeant ; quia aliena negotia exacto officio gerenda sunt ; nec quidquam in coruni administratione neglectum ac declinatum culpâ vacutum est , l. 1. in re mandata , C. b. t. Ideoque procurator omnem culpam præstat , & à solo casu fortuito præstanto immunis est , l. 13. C. cod. Ratio juris specialis esse videtur eadem , qua fuit assignata ad §. pen. sup. de loc. & conduct. quia non rectè geruntur negotia sine magna diligentia atque industria ; ideoque eam & mandans videatur exigisse , & mandatarius etiam in eo contractu promisso intelligitur .

## Ad §. Tuâ gratiâ.

**T**U â gratiâ & mandantis : veluti si mandet tibi , ut pecuniam sub usuris crederes ei , qui in rem ipsius mutuaretur : aut si volente agere cum eo ex fidejussoria causa , mandet tibi , ut cum reo agas , periculo mandantis : vel ut ipsius periculo stipuleris ab eo , quem tibi deleget in id , quod tibi debuerat .

**M**ANDATI quod tuâ & meâ gratiâ fiat , id est in communem domini simul & procuratoris utilitatem , tria ab Imp. proponuntur exempla . Primum est , si mandem tibi , ut pecuniam credas sub usuris procuratori meo Titio , qui in rem meam mutuaretur . Tu enim vi ac potestati illius mandati usuras summe illius conquereris . Usura autem est lucrum , quod accedit ad sortem sive debitam quantitatem . Ego vero per Titium res meas peragam .

Secundi exempli notitia pender primum ex his quæ diximus ad §. si quid sup. de fidejuss. ante Nov. 4. licuisse creditori statim ab initio experiri adversus reum , vel adversus ejus fidejussores , non excuso reo principali . l. 5. C. de fidejuss. Pendet insuper ex l. generaliter ult. C. eod. unde constat reum liberari ex jure veteri , si creditor contra fidejussorem agere cœperit , & versa vice fidejussorem quoque securum esse , si creditor debitorem elegerit . His positis , secundum exemplum sic debet constitui : Fidejussoram apud te pro Titio in summam centum nummorum , quam ei mutuam dederas . Cum autem cessante Titio agere

velles adversus me ex fidejussoria causa; mandavi tibi, ut adversus eum ageres  
meo periculo. Tunc mea procul duoio & tua etiam versatur utilitas. Mea qui-  
dem; quia inducias consequor, ut non possim conveniri, nisi post excussum  
reum principalem. Tua autem versatur utilitas; quia ex vi mandati meo peri-  
culo agis contra reum. Alioquin enim ageres tuo ipsius periculo *ex d. l. genera-  
liter*. Ideoque si quid minus a reo obtinueris, adversus me agens mandati actio-  
ne consequeris, *l. 22. §. interdum, & l. 45. §. pen. & ult. ff. b. t.* Ex quibus  
locis Tribonianus minus exacte (quod diffiteri non possumus) hoc exemplum  
descripsit, quasi id jas tempore conditarum Institutionum adhuc vigeret, quod  
ante duos annos fuerat sublatum, *d. l. ult. ut docet ejus subscriptio, juncta cum sub-  
scriptione proximi Inst.*

Tertium exemplum pendet ex eo quod per novationem debitor liberatur, *§.  
pen. inf. quib. mod. toll. oblig.* Unde sequitur, cum quoque liberari per delega-  
tionem, que novationis est species; ideoque ille qui delegat solvit, *l. 8. §. in-  
terdum, ff. ad SC. Vellei.* ita ut qui reum delegat, non praeter eum esse solven-  
do, sed solummodo præstare debeat eum suum esse debitorem. Si tibi igitur  
meo creditori mandavetim, ut stipuleris meo periculo summam debitam à Ma-  
xvio debitore meo, quem tibi delego, id est quem in meum locum subrogo, &  
tuum vice meā debitorem constituo, certum est meam agi in eo contractu utilita-  
tem; quia eo pacto extinguitur, aut saltem differtur obligatio mea: plus siqui-  
dem est statim aliquid dare, & minus post tempus dare, *§. fidejussores sup. de  
fidejuss.* Tuā quoque gratiā id mandatum fit, cum fiat delegatio meo periculo,  
non tuo: ita ut si reus inops fiat & cedat bonis, præstare tibi debeat quod mi-  
nus debito exegeris. Ceterum diligentiam exactissimam in his casibus esse præ-  
tandam constat satis argumento à fortiori deducto ex dictis *ad §. superiorēm.*

## Ad §. Alienā.

**A**LIE NĀ autem tantum causā intervenit mandatum: veluti  
si tibi aliquis mandet, ut Titii negotia gereres, vel ut Ti-  
tio fundum emeres, vel ut pro Titio sponderes.

ALIENĀ tantum gratiā mandatum contrahitur, si mandem tibi ut Maxii  
negotia geras, aut pro Titio fidejubeas, aut ut pro ipso fundum aliquem cer-  
tum emas. Obstat videtur quod dicitur in *l. 8. §. mandati, ff. b. t.* mandati ac-  
tionem tunc competere, cum cœpit interesse mandantis; sed si nihil interit, cel-  
fare mandati actionem, eamque hactenus competere, quatenus interest. Atqui  
nihil interest mandantis aliena geri negotia. Videbatur igitur dicendum, alienā  
tantum gratiā mandatum contrahi non posse. Idque ex eo confirmari videtur,  
quod alteri stipulari nemo possit: unde sequitur, nullum alium contractum alte-  
rius utilitatem fieri posse, cum tot sint genera stipulationum, quot sunt rerum  
contrahendarum, *§. pen. sup. de divis. stipul.* Verū respondeo, dubium non  
esse, quin semper interfit procuratoris valere illud mandatum, si exequi illad  
cooperit; ideoque eum tunc agere posse, ut sibi restituantur impensæ, quas fecit  
in illo mandato exequendo. Mandatoris quoque qui eo nomine convenitur in-  
terest, rectè peractum faille mandatum negotium. Ex aliis etiam causis contin-  
gere potest, ut licet ejus non interfit ab initio, id est tempore quo mandatum

contrahitur; ex postfacto tamen ejus interesse incipiat quasi negotiorum gestoris; aut quia se domino obligavit de gerendis ipsius negotiis. Quo casu incipiet actio mandati directa mandanti competere adversus ejusmodi procuratorem, d. §. mandati.

*Ad §. Suâ & alienâ.*

**S**Uâ & alienâ: velut si de communibus suis & Titii negotiis gerendis tibi mandet, vel ut sibi & Titio fundum emeres, vel ut pro eo & Titio sponderes.

**S**Uâ insuper & alienâ gratiâ mandatum contrahi posse certum est; veluti si quis mandet ut communia sibi cum Titio negotiâ geras: quamvis alias si quis & sibi Titio stipuletur, dimidium sibi & dimidium Titio stipulari intelligatur: ita ut duæ sint eo casu stipulationes, una utilis, altera inutilis, §. si quis alii, sup. de inut. stipul. Cujus difficultatis solutio ad superiorēm §. tradita est.

*Ad §. Tuâ & alienâ.*

**T**Uâ & alienâ: veluti si tibi mandet, ut Titio sub usuris crederes; quia si sine usuris pecuniam crederes, alienâ tantum gratiâ intercedit mandatum.

**T**Uâ & alienâ gratiâ mandatum fiet, si tibi mandaverim, ut pecunias Titio credas sub usuris. Titius enim pecuniarum tuarum dominium acquiret, tu verò usurarum lucrum nancisceris. Hoc lucrum jure civili debetur ex stipulatione, non verò ex nudo pacto; nisi agatur de oleo aut frumento, aut simili annonâ, l. 12. & 23. C. de usur. In hoc tamen Regno ex Constitutionibus Regiis non debentur usurâ in stipulationem deductâ, nisi à tempore litis motæ, si sortis condemnationem creditor obtinuerit. *Conſit. Aurel. art. 60.*

*Ad §. Tuâ tantum.*

**T**Uâ tantum gratiâ intervenit mandatum: veluti si tibi mandet, ut pecunias tuas in emptiones potius prædiorum colloces, quam fœneres: vel ex diverso, ut pecunias tuas fœneres potius, quam in emptiones prædiorum colloces. Cujus generis mandatum, magis consilium quam mandatum est, & ob id non est obligatorium; quia nemo ex consilio mandati obligatur, etiam si non expediat ei, cui mandabatur; cum liberum cuique sit, apud se explorare, an sibi expediat consilium. Itaque si otiosam pecuniam domi te habentem hortatus fuerit aliquis, ut rem aliquam emeres, vel eam crederes; quamvis non expediat tibi eam emissæ, vel credidisse; non tamen tibi mandati tenetur. Et adeò hæc ita sunt, ut quæsitus sit, an mandati teneatur, qui mandavit tibi,

ut

ut pecuniam Titio foenerares : sed obtinuit Sabini sententia , obligatorium esse in hoc casu mandatum ; quia non aliter Titio credidisset , quam si tibi mandatum esset.

T U A tamum gratia intervenit mandatum : si quis mandet tibi , ut pecunias tuas , quas apud te otiosas & steriles habes , potius colloces in emptiones praediorum quam des foenori . Hoc mandatum non est obligatorium ; quia hoc mandatum nomine tenus mandatum est ; re ipsa tamen nihil est aliud quam consilium . Ex consilio autem non sit fraudulentio nemo obligatur , l. consilii 47. ff. de reg. jur. Quocirca apud Dion. lib. 52. Augustum moneret Agrippa , ne indignetur adversus eos qui ipli consilium dedit ; quia illorum mentem spectare oportet , non inculcare eventum . Quod autem asseritur in l. 6. §. plane , ff. hoc tit. si tibi mandavero quod tua intererat , & alias facturus non esses ; mandati tibi actionem competere , eti mea nihil interfuit : ita demum locum habet , cum mandatum excedit terminos simplicis consilii ; v. g. si tibi mandavero , ut adires hereditatem tibi suspectam , cavens tibi me omne dannum præstitorum ; quod plerumque faciunt creditores , l. 32. b. t. Idem juris est si mandaverim tibi , id est hortatus te fuerim , & hortando efficerim ut Titio potius quam alteri pecuniam mutuam crederes , dicens eum esse idoneum & locupletem ; quia non aliter Titio credidisset , nisi hortatus fuisset . Dixi id est hortatus fuerim , quia si supponamus , mandatum tibi esse ut Titio pecuniam sub usuris credas , nulla esset nova questio , aut nova dubitandi ratio , cum constet ex §. proxime precedente , id mandatum tua & aliena gratia fieri . Distinguuntur igitur haec duo , mandare , & hortari . Qui mandat , vult maximè & urget fieri id quod mandat . At vero qui hortatur & dat consilium , permittit rem totam consulentis arbitrio : neque urget , neque laborat , utrum id fiat , nec ne.

Sua denique , tua & aliena gratia fit mandatum , si contutor tuus tibi mandaverit , ut servum pupillo communii necessarium emas , l. 8. §. si tutores , ff. b. t.

### Ad §. Illud quoque.

I LUD quoque mandatum non est obligatorium quod contra bonos mores est : veluti si Titius de furto , aut de damno faciendo , aut de injuria facienda mandet tibi . Licet enim poenam istius facti nomine præstiteris , non tamen ullam habes adversus Titium actionem .

F I N I S ille mandati jure non approbatur : si quis aliquid alteri mandaverie contra bonos mores , furtum v. g. aut delictum aliud committendum ; quia rei turpis mandatum nullum est , l. 6. §. rei , ff. b. t. atque ideo licet procurator qui ejusmodi mandatum executus est , ejus criminis nomine poenam corpoream vel pecuniariam passus fuerit ; nullam tamen eo nomine mandati actionem contraria habebit adversus eum qui mandavit ; quia nemo auditur qui propriam allegat turpitudinem , l. 3. & l. 4. in pr. & §. 1. 2. & 3. ff. de cond. ob turp. caus.

*Ad §. Is qui exequitur.*

**I**S qui exequitur mandatum, non debet excedere + fines mandati. Ut ecce si quis usque ad centum aureos mandaverit tibi ut fundum emeres, vel ut pro Titio sponderes, neque pluris emere debes, neque in ampliorem pecuniam fidejubere: alioqui non habebis cum eo mandati actionem: adeò quidem ut Sabino & Cassio placuerit, etiam si usque ad centum aureos cum eo agere volueris, inutiliter te acturum. Sed diversæ scholæ auctores rectè usque ad centum aureos te acturum existimant: quæ sententia sanè benignior est. Quod si minoris emeris, habebis scilicet cum eo mandati actionem: quoniam qui mandat ut sibi centum aureorum fundus emeretur, is utique mandasse intelligitur, ut minoris ( si possit ) emeretur.

**I**N secunda acceptione finium vocabuli, circa fines mandati illud disquirendum restat, utrum procurator qui excessit fines mandati, habeat mandati actionem. Qua in causa Proculeianorum sententiam contra Sabinianos probat Imp. ita ut ille cui mandatum est ut fundum emeret centum nummis, si emerit ducentis, non possit quidem petere ducentos, quia excessit fines mandati, sed centum aureos rectè petat; quia in majori summa minor continetur, *i. s. stipulanti, ff. de verb. oblig.* Planè si dominus eum fundum sibi traditum à procuratore accipiat, post denunciationem pretii sibi factam, videtur emptionem approbare: ac proinde mandati actione contrariâ tenetur ad pretium integrum restituendum; quia ratihabitatio mandato comparatur, *i. vero procuratori 12. §. ult. ff. de solut.*

*Ad §. Recte.*

**R**ECTÈ quoque mandatum contractum, si dum adhuc integrâ res sit, + revocatum fuerit, evanescit.

**D**ISSOLVITUR mandatum tribus præcipuis modis, revocatione, morte + & renunciatione. Revocatio mandatum dissolvit, si re integrâ fiat; quia dominus contrahendo mandatum, non ad hoc se obligasse intelligitur, ut perfici patetur mandatum suum; sed ad hoc tantum ut sumptus à procuratore faciendo ei restitueret, vel præstaret quod ejus interesseret. Dixi *si re integrâ fiat*; id est, si fiat antequam procurator aliquam partem attigerit negotii sibi mandati. At si sumptus aliquos fecerit procurator, revocatione mandatum non dissolvitur; sed necesse est insuper ut accedat restitutio impensarum.

*Ad §. Item si.*

**I**TEM si adhuc integro mandato mors alterutrius interveniat, id est, vel ejus qui mandaverit +, vel illius qui mandatum suscep-

rit, solvitur mandatum. Sed utilitatis causâ receptum est; si eo mortuo, qui tibi mandaverat, tu ignorans eum decessisse, executus fuisse mandatum; posse te agere mandati actione: alioqui justa & probabilis ignorantia tibi damnum adferret. Et huic simile est, quod placuit si debitores, manumisso dispensatore Titii, per ignorantiam liberto solverint, liberari eos: cùm alioqui strictâ juris ratione non possent liberari; quia alii solvissent, quām cui solvere debuerint.

MORTIS procuratoris vel domini mandatum dissolvitur; quia originem habet ex amicitia, l. 1. §. ult. ff. b. t. Quam amicitiam personæ cohærere constat: utilitatis tamen causâ receptum est, mandati actionem non perimi, si procurator mortem mandantis ignorans, mandatum executus fuerit: ne scilicet alii cui justa & probabilis ignorantia damnum afferat.

Hanc juris regulam Imp. illustrat exemplo servi dispensatoris; cui post manumissionem, debitores domini ignorantes solverunt, eaque solutione liberacionem consecuti sunt. Dispensator † dicebatur ille servus, qui rationes familiae & pecunias domini dispensabat, seu administrabat, & scenori dabat; desumpto nomine ab antiquo more pendenda sive ponderanda pecunia. Neque enim pecunia sine ponderatione dabatur aut accipiebantur. Unde factum est, ut erogatio pecunia sub nomine ponderis designetur; idèque impensa appellantur & expensa. Et ex eo quoque usu impendendi verbum ortum est. Quisquis itaque servum dispensatorem suum facit, intelligitur mandare suis debitoribus, ei ut solvant, arg. l. qui hominem 34. §. si Titium, ff. de solut. Contrà verò qui servum suum manumittit, intelligitur quoque hoc mandatum suum revocare; quia per manumissionem fit novus homo & alias homo, l. 27. §. in fine, ff. de adm. leg. & l. 98. §. ult. ff. de solut. Debitores igitur qui dispensatori manumisso ignorantes solverunt, strictâ ratione non liberantur; quia alteri quām creditori solverunt. Liberantur tamen contemplatione æquitatis, ne justa ignorantia illis damnum afferat. Idemque dicendum est de omnibus debitoribus, qui procuratori quondam ordinario sui creditoris ad exigendas pecunias debitas constituto solverunt, post revocationem mandati, cùm eam ignorarent, l. 12. §. sed & si quis, ff. de solut.

#### Ad §. Mandatum.

**M**ANDATUM non suscipere, cuilibet liberum est; susceptum autem consummandum est, aut quam primum renunciandum, ut per semetipsum, aut per aliud eamdem rem mandator exequatur. Nam nisi ita renuncietur, ut integra causa mandatori reservetur eamdem rem explicandi; nihilominus mandati actio locum haber, nisi justa causa intercesserit, aut non renunciandi, aut tempestivè renunciandi.

RENUNCIATIONE denique re integrâ fidâ, mandatum extinguitur. Sicut enim invito beneficium non datur, l. invito, ff. de reg. jur. ita quoque be-

neficium invitus non præstat, *l. 13. §. sicut, ff. comod.* neque qui mandavit potest conqueri de renunciatione, in qua nullum ipsius versatur dispendium, *l. in creditore, ff. de evict.* Dixi re integrâ; quia si dominus non possit post renunciationem suum negotium vel per se, vel per alium expedire; tenetur procurator præstare ei id quod interest, nisi ipsum aut valetudo, aut alia negotii necessitas detinuerit, & tempestivam renunciationem impediens, *l. sane 23. cum duabus seqq. ff. b. t.* quia facile credendum non est, duabus necessariis rebus unum sufficere: nam si uni affuerit, abstrahi alteri necesse est; sicque nulli earum idoneum inveniri: dumque ad utramque festinat, neutram bene peragere, *l. ult. in pr. & §. ult. Cod. de Affessr.*

*Ad §. penult.*

**M**ANDATUM & in diem differri, & sub conditione fieri potest.

QUOD attinet ad formam mandati, nihil prohibet, quin purè, vel in diem, vel sub conditione contrahatur; quia non est ex numero actuum legitimorum, qui vitiantur per expressam diei vel conditionis adjectionem, *l. actus legitimi 77. ff. de reg. jur.* Ac proinde liberum est contrahentibus quascumque voluerint conditiones mandato adjicere.

*Ad §. ult.*

**I**N summa sciendum est, mandatum, nisi gratuitum sit, in aliam formam negotii cadere. Nam mercede constitutâ incipit locatio & conductio esse. Et (ut generaliter dicamus) quibus casibus sine mercede suscepto officio, mandati sive depositi contrahitur negotium: iis casibus interveniente mercede locatio & conductio intelligitur contrahi. Et ideo si fulloni polienda curandave quis dederit vestimenta, aut sarcinatori sarcienda, nullâ mercede constitutâ neque promissâ, mandati competit actio.

VERUM cavendum est merces adjiciatur; quia mandatum gratuitum esse oportet, cùm originem ex officio atque amicitia tradat, cui contraria est merces, *l. 1. §. ult. ff. b. t.* Quod tamen non vetat, quin post gestum officium merces aliqua laborum procuratori debeatur. Neque enim hæc merces efficit mandatum minus gratuitum; quia uniuscujusque contractus initium spectandum est, *l. 8. in pr. ff. de procur.* Cærerum procuratorum merces dicitur salarium; advocatorum verò & professorum merces plerumque dicitur honorarium, *l. 1. §. in honorariis, ff. de var. extraord. cognit.* Interdum tamen salarium dicitur, *l. 3. ff. cod.*

DE OBLIGATIONIBVS QUÆ QUASI  
ex contractu nascuntur.

## T I T U L U S X X V I I I .

*DE OBLIGATIONIBVS QUÆ QUASI  
ex contractu nascuntur.*

*Ad Princip.*

**P**Ost genera contractuum enumerata, dispiciamus etiam de iis obligationibus, quæ quidem non propriè nasci ex contractu intelliguntur: sed tamen quia non ex maleficio substantiam capiunt, quasi ex contractu nasci videntur.

**Q**UASI contractus † est negotium, quod inter aliquos tacitè geritur, & sine expresso partium consensu obligationem parit, ex causa contractui simillima. Ejus quinque species exponuntur hoc tit. negotiorum gestio, tutelæ vel curæ administratio, rei communio, hæreditatis acquisitio, & indebiti solutio,

*Ad §. I.*

**I**GITUR cùm quis negotia absentis gesserit; ultrò citròque inter eos nascuntur actiones, quæ appellantur negotiorum gestorum, domino quidem rei gestæ adversùs eum, qui gessit, directa competit actio: negotiorum autem gestori contraria, quas ex nullo contractu propriè nasci, manifestum est: quippe ita nascuntur istæ actiones, si sine mandato quisque alienis negotiis gerendis se obtulerit: ex qua causa ii, quorum negotia gesta fuerint, etiam ignorantibus obligantur. Idque utilitatis causâ receptum est: ne absentium, qui subitâ festinatione coacti, nulli demandatâ negotiorum suorum administratione, peregrè profecti essent, desererentur negotia: quæ sanè nemo curaturus esset, si de eo, quod quis impendisset, nullam habiturus esset actionem. Sicut autem is, qui utiliter gessit negotia, dominium habet obligatum negotiorum gestorum; ita & contrà iste quoque tenetur, ut administrationis reddat rationem. Quo casu ad exactissimam quisque diligentiam compellitur reddere rationem: nec sufficit talem diligentiam adhibere, quamvis rebus adhibere solet; si modò aliis diligentior (eo) commodius administratus esset negotia.

**N**Egotiorum gestio † est absentis alicujus negotiorum ultrò & sine

mandato suscepta administratio: unde constat, negotiorum gestorem à procuratore distingui, quod negotiorum gestor sine mandato negotia aliena administraret; procurator vero cum mandato, *l. 1. ff. de procur.* Ex negotiorum gestione, oritur duplex actio negotiorum gestorum, directa, & contraria. Actio directa † competit domino adversus negotiorum gestorum, ad hoc ut suæ gestionis rationem reddat, & damnum si quod emerserit restituat. Contraria vero † competit negotiorum gestori contra dominum, ad hoc ut ei restituat sumpitus quos fecit in illa administratione; quia officium suum nemini debet esse damnosum; & quia alioquin absentium, qui subita festinatione coacti, nulli demandata negotiorum suorum administratione discesserunt, nemo curaturus esset negotia, si de eo quod quis impendisset, nullam habiturus esset actionem.

Hac obligatio non oritur ex delicto, neque ex quasi delicto. Landandus enim est magis quam vituperandus, qui absenti amico, etiam non rogatus praestat officium. Quamvis enim culpa sit immiscere se rei ad se non pertinenti, *l. culpa de regulis jur.* id tamen ad eos dumtaxat pertinet, qui rem aggreduntur ad suam peritiam non spectantem. Non oritur etiam ex vero contractu; cum inter eos locum habeat quibus res est ignota. Superest igitur, ut afferamus eam nasci quasi ex contractu; quia ad mandatum proxime accedit. Nam si dominus sciret statum rerum suarum, consensurus utique esset administrationi ac defensioni.

Per directam autem actionem exigi potest à negotiorum gestore, sicut à procuratore, ut praestet exactissimam diligentiam, *l. à procuratore 13. & l. 21. C. mandati, l. si mater 24. C. de usuris, & l. 25. §. non tantum, ff. fam. ercise.* cuius juris ratio allata est *ad tit. superiorem*, quæ & procuratori & negotiorum gestori communis est: sed fortior est altera & propria negotiorum gestoris: quod ultrò & non rogatus alienis negotiis gerendis se obtulit. Quæ ratio facit, ut depositarius, qui dolum tantum & latam culpam regulariter praestat, *d. l. contractus,* culpam quoque levissimam, seu, quod perinde est, diligentiam exactissimam teneatur praestare, si deposito se obtulerit, *l. 1. §. sepe, ff. depositi.*

#### *Ad §. Tutores.*

**T**UTORRES quoque, qui tutelæ judicio tenentur, non propriè ex contractu obligati esse intelliguntur: (nullum enim negotium inter tutorem & pupillum contrahitur) sed quia sanè non ex maleficio tenentur, quasi ex contractu teneri videntur. Hoc autem casu mutuæ sunt actiones. Non tantum enim pupillus cum tute habet tutelæ actionem; sed & contrà tutor cum pupillo habet contrariam tutelæ, si vel impenderit aliquid in rem pupilli, vel pro eo fuerit obligatus, aut rem suam creditoribus ejus obligaverit.

**TUTELÆ** vel curæ administratio est quasi contractus non absimili ratione; quia valde accedit ad mandatum, sicut superior quasi contractus. Nullum quidem negotiorum hac in re expressè geritur inter minorem & tutorem ejus vel curatorem; quia tutor invitus datur, & pupillo invito; curator verò invitus datur, licet volentibus adultis. Sed tamen utraque administratio non minus acce-

dit ad mandatum quam negotiorum gestio, & fortiori hodie ratione; cùm tutor vel curator non prius accedant ad tutelam vel curationem, nisi promiserint juramento præstito in jure & apud acta, se res minorum rectè gesturos, *l. ult. & auth. quod nunc, C. de curat. furiosi vel prod.*

Ex quasi contractu tutelæ gestionis oritur duplex actio tutelæ, directa scilicet, & contraria. Directa tamen competit pupillo finitam tutelam contra tutorem, ad hoc ut reddat rationem suæ administrationis, & ut reliqua inferat, *l. I. in pr. ff. de tutela & rat. distracta.* Quia in causa non tantum dolum & latam culpam præstat tutor, sed etiam levem, *l. contractus 23. ff. de reg. jur. & l. 7. C. arbitr. tutela.* Levissimam tamen culpam non præstat tutor; quia excusatione dignus est, (idemque dicendum est de curatore, qui etiam invitus datur) si pro captu suo bonâ fide facit, quod potest; & diligentiam non minorem in rebus pupillaribus adhibet, quam paterfamilias rebus suis ex bona fide præbere deberet, *l. à tutoribus 33. in pr. ff. de admin. tut.* Verum non solum tenetur tutor præstare damnum, quod ex ipsius administratione pupillus patitur; sed etiam lucrum quod non acquisivit cum posset, *l. 21. C. eod. l. 15. in fine cum tribus sequ. ff. locati & d. l. 7.* Contraria tutelæ actio tamen competit tutori contra pupillum, ad hoc ut sibi restituat sumptus quos fecit in sua administratione.

Ex quasi contractu curæ gestionis, duæ similiter competunt ultrò citròque actiones negotiorum gestorum, directa, & contraria: non quidem directa, sed utiles cum taxat; quia licet curator sit similis negotiorum gestori, quatenus sine mandato negotia adolescentis administrat; differt tamen plurimum à negotiorum gestore, quoniam munus sibi impositum detractare non potest, nec ultrò administrat, sicut negotiorum gestor. Tutoris autem obligatio erga pupillos suos non est procul dubio ex delicto. Quæ enim culpa argui potest in illis qui Legum vel Magistratus imperio obsequuntur, etiam inviti? Non est etiam ex contractu; quia pupillus non contraxit cum tutori, sed in eum incidit, & ignorat omnia, *l. ult. ff. rem pup. vel adolesc. salv. fore.* Supereft igitur, ut eam obligationem quasi ex contractu oriri dicamus; quia hæc res ad mandati causam proxime accedit, sicut de negotiorum gestione superius dictum est.

Cæterum pro utraque illa administratione, bona tutorum vel curatorum ex tacita hypotheca minoribus obligantur, *l. pro officio, C. de admin. tut. l. un. §. 1. C. de rei ux. act.* Quin etiam bona vitrii, qui matrem pupilli uxorem duxit antequam rationes tutelæ suæ reddiderit, & reliqua intulerit, similiter obligantur, *l. 2. C. quand. multi tut. off. fungi poss.*

*Ad §. Item.*

**I**T E M si inter aliquos communis res sit sine societate; veluti quod pariter eis legata donatave esset: & alter eorum alteri ideo teneatur communi dividendo judicio, quod solus fructus ex ea re percepit, aut quod socius ejus solus in eam rem necessarias impensas fecerit; non intelligitur ex contractu propriè obligatus esse, quippe nihil inter se contraxerunt; sed quia ex maleficio non tenetur, quasi ex contractu teneri videtur.

**R**EI communio quæ citra necessitatem voluntaria ullius societatis intervenit, parit actionem communi dividendo, cum agitur de re aliqua singulari, quam plures communiter possident pro indiviso, ex aliquo titulo singulari acquisitam; ut si legata pluribus aut donata villa vel domus eadem fuerit. Dixi *citra necessitatem voluntaria ullius societatis*; quia in actione communi dividendo, nihil interest utrum res sit communis cum societate, vel sine societate, l. 1. ff. eod.

**H**æc rei communio non potest appellari delictum, aut quasi delictum; quia fit sine dolo & culpa; neque verus contractus, cum plerumque inter ignorantes interveniat. Supereft igitur ut quasi contractus esse dicatur; quia societas naturam sapit quodammodo; atque ideo societas non raro appellatur. **H**ujus communionis nomine socius socio obligatur, primò ad divisionem; quia cum communio multas plerumque parat discordias, l. cum pater 77. §. dulcissimis, ff. de leg. 2. nemo cogitur invitus in communione permanere, l. ult. C. comm. divid. Tenetur insuper ad lucrum communicandum & sumptus restituendos; quod infra suo loco exactius Deo propicio & commodius exponetur. Interim tamen monendi sumus, eam obligationem quæ ex rei communione procedit, ita esse necessariam, ut cadat in personam pupilli & furiosi, etiam sine ulla auctoritate tutoris, vel curatoris assensu, l. furiosus 46. ff. de oblig. & att. Obligatur denique ad talem diligentiam adhibendam, qualem in suis rebus adhibere solitus est, l. 25. non tantum, ff. fam. ercise. Quam diligentiam si praestiterit, securus fiet; quoniam cum hujusmodi socio non contrahimus, sed incidimus in eum; & quia socios nos fecit & conjunxit, non consensus, sed res, d. §. non tantum.

*Ad §. Idem juris.*

**I**DEM juris est de eo, qui cohæredi familiæ exercitandæ judicio ex his causis obligatus est.

**I**N hæreditate quoque communi, quam plures pro indiviso possident, eadem rei communio eisdem habet effectus, iisdem ex causis. Quæ omnia prius infra locis exactius Deo favente investigabimus.

*Ad §. Hæres quoque.*

**H**ÆRES quoque legatorum nomine non propriè ex contractu obligatus intelligitur: (neque enim cum hærede, neque cum defuncto, ullum negotium legatarius gessisse propriè dici potest) & tamen quia ex maleficio non est obligatus, quasi ex contractu debere intelligitur.

**H**ÆREDITATIS acquisitio est etiam quasi contractus, ita ut hæres adeundo hæreditatem censeatur se legatariis obligasse ad omnia eis legata præstanta; *I. 3. §. ult. & l. seq. ff. ex quib. caus. in posses. eatur*; quia cum hæreditas duabus partibus constet, lucro & onere, intelligitur hæres qui lucrum amplectitur, onus quoque ei annexum agnoscere, *arg. l. un. §. pro secundo, C. de caduc. toll.* Aliud dicendum arbitror de creditoribus defuncti, quibus hæres non novo, sed veteri dumtaxat juris vinculo obstringitur ex persona defuncti. Quicumque enim contrahit, non tantum sibi, sed etiam hæredi suo contrahere intelligitur, *I. si pactum 9. ff. de probat.* Quod confirmatur ex nostro textu, ubi probat Imp. actionem, quæ datur legatario, non descendere ex contractu, eò quod legatarius neque cum hærede, neque cum defuncto contraxerit. Quæ ratio esset absurdissima, si hæres ex contractu defuncti non obligaretur illis qui cum defuncto contraxerunt.

Ex legato itaque competit legatario adversus hæredem actio in personam, quæ dicitur ex testamento; & oritur ex præfato quasi contractu. Competit insuper eidem legatario actio in rem adversus quemcumque possessorem rei legatæ, quando corpus aliquod legatum est, *v. g. fundus Tusculanus, & actio hypothecaria adversus quemcumque possessorem rerum hereditiarum, l. 1. C. commun. de legatis, & 9. 2. sup. de leg.* Dixi quando corpus aliquod legatum est, quia si legata fuerit quantitas, actio in rem locum non habet. Ejus enim legatis est hæc unica, ut patiat obligationem; cuius substantia est ut alium nobis obstringat necessitate aliquid danci vel præstandi. *I. 3. ff. de oblig. act. quod obtineretur tantum per actionem in personam, §. 1. inf. de act.* Ceterum hæres legatario culpam & diligentiam, id est omnem culpam præstare tenet, *l. 47. §. pen. ff. de leg. I.*

Obligatio igitur illa, quæ hæres legatariis adstringitur, cum neque sit *ex delicto*, neque ex quasi delicto, ut patet; neque etiam ex contractu, cum legatarii ignorantissime voluntatem testatoris, *I. 21. C. de testam.* superest dicendum eam nasci quasi ex contractu. Si quis quæsierit, cui contractui simile sit hoc negotium responderi posse videtur, simile esse donationi quæ sub modo conficitur, *I. 3. & toto tit. C. de dona.* quæ sub modo vel condit. confit. vel etiam contractibus innominatis: *Do, ut des; Do, ut facias.*

*Ad §. pen.*

**I**TEM is, cui quis per errorem non debitum solvit, [quæ ex contractu debere videtur.] Adeo enim non intelligitur propriæ ex contractu obligatus esse, ut si certiori rationem sequamur; magis (ut suprà diximus) ex distractu, quam ex contractu possit dici obligatus esse. Nam qui solvendi animo pecuniam dat, in hoc dñe videtur, ut distractus potius negotium, quam contrahat. Sed tamen perinde is qui accipit obligatus, ac si ministrum ei daretur; & ideo conditione tenetur.

**I**NDEBITI denique solutio quæ facta est per errorem facti, est quasi contractus; quia ille qui solvit, licet eo animo sit ut velit suam obligationem ex-

tinguere; nihilominus tamen presumendus est eo animo fuisse; ut id quod solvit vellet repetere, si sciret indebitum esse. Et vice versa, is qui indebitum accipit, eo animo intelligitur accipere, ut nihil alienam injuriā retineat. Quae res speciem habet aliquam negotii, *i. si in arca 33. ff. de condit. indeb.* videlicet mutui. Omnis enim datio in anteceatum promutuum est: quod titulorum ordo satis ostendit, *lib. 12. ff.* Non obstat igitur quod non hāc mente indebitum solutum & acceptum sit, ut obligatio nascatur; quia plerumque id accidit, ut extra id quod expressim agitur tacita obligatio nascatur, *i. is, ff. qui commod.* Sed si quis simulet se esse creditorem, & sciens indebitum accipiat; furtum commitit, & furti actione tenetur, *i. falsus 43. in pr. ff. de furtis.*

## Ad §. Ult.

**E**X quibusdam tamen causis repeti non potest quod per errorem non debitum solutum sit. Sic namque definierunt Veteres, ex quibus causis inficiando lis crescit, ex iis causis non debitum solutum, repeti non posse; veluti ex lege Aquilia, item ex legato. Quod Veteres quidem in iis legatis locum habere voluerunt, quæ certa constituta, per damnationem cuique legata fuerant. Nostra autem constitutio, cum unam naturam omnibus legatis & fideicommissis indulxit, hujusmodi augmentum in omnibus legatis & fideicommissis extendi voluit; sed non omnibus legatariis hoc præbuit, sed tantummodo in iis legatis & fideicommissis, quæ sacro-sanctis Ecclesiis, & cæteris venerabilibus locis, quæ religionis vel pietatis intuitu honorantur, relicta sunt: quæ si indebita solvantur, non repetuntur.

Ex quibusdam tamen causis repeti non potest quod per errorem solutum est, juxta illam definitionem, sive regulam Juris antiqui. In quibus causis inficiando lis crescit in duplum, ex his causis indebitum solutum repeti non potest; quia transfigisse cum adversario intelligitur ille qui solvit, ut simpli solutione, dupli condemnationem, aut saltem periculum effugeret. Neque oportet lites transactione finitas iterum in judicium revocare; cuius rei duo exempla tradit Imp. hoc loco, plura traditur in §. sed furti inf. de action. Prius exemplum pertinet ad L. Aquiliam, de qua acturi sumus in principio libri sequentis. Posterius pertinet ad legata certa per damnationem relicta; quæ si haeres inficitur, poterit in duplum a legatario conveniri. Id jus ad omnia genera legatorum Justinianus extendit convenienter sibi; quippe qui legatis omnibus unam voluit esse naturam, *i. 1. C. comm. de leg.* Sed tamen aliunde id restrinxit ad ea legata quæ piis locis, videlicet factos sanctis Ecclesiis, nosocomiis, xenodochiis vel similibus relinquuntur. Certum † appellatur quod ex ipsa pronunciatione appetit quid, quale, quantumque sit; v. g. aurei decem, fundus Tusculanus, homo Stichus, *i. 74. §. 1. ff. de verb. oblig.* Errat valde Theoph. dum ait hoc loco, incertum esse legatum; si quis haeredem suum dare damnavet;

ea quæ sunt in arca : quia id legatum certum esse definit. Ulp. l. 75. §. sed qui vinum, ff. eod. sicut exposuimus ad princ. sup. de verb. oblig.



## T I T U L U S X X I X.

### P E R Q U A S P E R S O N A S N O B I S obligatio acquiritur.

*Ad Princ.*

**E**XPOSITIS generibus obligationum, quæ ex contractu vel quasi ex contractu nascuntur, admonendi sumus acquiri nobis non solum per nosmetipos, sed per eas quoque personas, quæ in nostra potestate sunt, veluti per servos & filios nostros: ut tamen quod per servos nostros nobis acquiritur, totum nostrum fiat; quod autem per liberos, quos in potestate habemus, ex obligatione fuerit acquisitum, hoc dividatur secundum imaginem rerum proprietatis & ususfructus, quam nostra decrevit constitutio: ut quod ab actione commodum perveniat, hujus usumfructum quidem habeat pater, proprietas autem filio servetur, scilicet patre actionem movente secundum novellæ nostræ constitutionis divisionem.

**Q**UE M A D M O D u m rerum dominia non tantum nobis acquiruntur per nosmetipos, sed etiam per servos & filios nostros quos in potestate habemus, & per liberos homines vel servos alienos quos bona fide possidemus; nec non etiam per servos alienos in quibus usumfructum vel usum habemus, ut constat ex simili titulo libri superioris: ita quoque dicendum est de obligationis acquisitione. Quocirca omisssâ longiori ejus rei interpretatione, ac superfluâ repetitione, quatuor tantum notatu digna subjiciemus.

Primum est: Si servus vel filius familias † sub conditione contraxerint, licet deinde conditionis eventus manumissionem vel emancipationem sequatur; non tamen filio vel servo manumisso obligatio acquiritur, sed patri vel domino, l. que legata 18. cum l. sequ. ff. de reg. jur. quia in stipulationibus conditionalibus tempus contractus int̄picimus, l. 26. ff. de stipul. servorum, & l. 11. ff. qui potior. in pign. hab. Aliud dicendum est de legatis conditionalibus, d. l. 18.

Præterea monendi sumus, quod in obligationibus ex causa adventitia à filiofamilias acquisitis, ususfructus & actio patri competit, non filio; & quod illa actio sumptibus patris moveri debeat. Cùm enim eo casu nuda proprietas sit apud filium, ex qua substantia possibile est filium sumptus litis degenerare, l. ult. §. ubi autem, C. de bonis qua liberis in potestate patris constitutis acquirantur.

## Ad §. I.

**I**TEM per liberos homines, & alienos servos, quos bonâ fide possidemus, acquiritur nobis: sed tantum ex duabus causis, id est, si quid ex operis suis, vel ex re nostra acquirant.

TERTIÒ advertendum est, quod ait Imp. per liberos homines, vel per servos alienos, quos bonâ fide possidemus obligationem nobis acquiri; si quid ex re nostra, vel ex operis suis acquisierint. Sed hoc novam difficultatem non continet, ut appareat ex his quæ dicta sunt ad §. de his autem, sup. per quas pers. nobis acquir.

## Ad §. Pen.

**P**E R eum quoque servum, in quo usumfructum, vel usum habemus, similiter ex duabus istis causis nobis acquiritur.


ILLUD difficilius videtur, quod idem jus statuat circa servos alienos, in quibus usumfructum vel usum habemus; ubi usuarium fructuario videtur adæquare. Neque assentior existimantibus hæc duo verba *vel usum*, hoc loco esse delenda; eo quod minus juris sit in usu, quam in usu fructu, §. 1. sup. de usu & habit. & quod operaे servi in fructu sint, l. 4. ff. de oper. servor. Nam ea in omnibus editionibus, nomine ferè discrepante reperiuntur. Et constat insuper ex l. 12. in fine cum l. seqn. ff. de usu & hab. posse usuarium ex servi operis acquirere: non indistinctè quidem, sicut fructarius; sed aliquo tantum casu. Nam si fundum conduxit, nihil vetat servum cuius usum habet ibi operari, & ita de cæteris. Quo etiam modo intelligendum est quod dicitur in l. pen. ff. eod. cum cui usus sylvæ relicitus est, posse ligna cædere & vendere, quemadmodum fructuariis licet. Nam id quoque intra modum usûs procul dubio restringendum est.

## Ad §. Ult.

**C**OMMUNEM servum pro dominica parte dominis acquirere certum est; excepto eo, quod nominatim uni stipulando, aut per traditionem accipiendo, illi soli acquirit: veluti cum ita stipulatur, *Titio Domino meo dare spondes?* Sed si domini unius jussu servus fuerit stipulatus, licet anteà dubitabatur, tamen post nostram decisionem res expedita est, ut illi tantum acquirat, qui hoc ei facere jussit, ut suprà dictum est.

QUARTÒ denique advertenda est decisio Justiniani circa questionem apud Veteres agitamat, cuinam servus communis obligationem acquirat, qui jussus ab uno ex dominis stipulari, domini alterius nomine stipulatus est. Qui-

dam Jurisconsulti jubenti domino favebant; eò quod non oporteret servorum malitiis indulgere. Alii favebant domino cuius nomen expressionem esset; quia in stipulationibus etenim tantum nascitur obligatio, quatenus lingua contrahentium nuncupatum est, *l. 99. ff. de verb. oblig.* Justiniano placuit media sententia: ita ut si unus dominus servum communem sibi stipulari jussit, & is servus alteri domino facerit stipulatus; ei dumtaxat acquiratur obligatio, qui jussit: quia nequitia servi eo casu manifesta est, cui non est indulgendum. At si dominus ille simpliciter jussit servo communi ut stipularetur, non expressa personâ, cui velit fieri stipulationem; & is servus alterius domini nomine stipulatus sit: ei soli acquiri obligationem voluit Justin. *l. ult. C. b. t.* quia celsus eo casu nequitia servilis suspicio. Neque enim facile & sine causa malitia presumitur: quin potius quilibet debet presumi vir bonus, donec probetur contrarium, *cap. un. ext. de scrutin. in ord. fac.*



## T I T U L U S X X X.

### *QUIBUS MODIS TOLLITUR OBLIGATIO.*

*Ad princip.*

**T**Ollitur autem omnis obligatio solutione ejus, quod debetur: vel si quis, consentiente creditore, aliud pro alio solverit. Nec interest qui solvat; utrum ipse qui debet, an alius pro eo: liberatur enim & alio solvente, sive sciente, sive ignorantie debitore, vel invito eo solutio fiat. Item si reus solverit; etiam illi, qui pro eo intervenerunt, liberantur. Idem ex contrario contingit, si fidejussor solverit: non enim ipse solus liberatur, sed etiam reus.

**OBLIGATIO** duobus modis infirmatur, videlicet ope exceptionis, quod sequenti libro exponetur, vel ipso jure. Sicut autem certi sunt modi iure instituti ad constituendam obligationem; ita quoque certi sunt modi eodem jure constituti, quibus finiatur. Qui modi solvenda obligationis convenient singuli & respondent ex diverso, singulis illis modis quibus obligatio contrahitur. Unde sequitur, obligationes quae re contrahuntur, tolli solutione; eas quae fiunt verbis, acceptilatione dissolvi; eas denique quae ex solo consensu nascuntur, contrario quoque consensu perimi; quia unumquodque eodem genere vinculorum dissolvi debet, quo colligatum est, *l. 35. ff. de reg. jur. & cap. t. ext. eod.* Litterarum autem obligationem omisit Imp. hoc tit. eo quod in usi esse desierit. Hac quoque contraria olim scriptura dissolvebatur: quae pertinet illud Horatii *Sat. 3.*

*Si male rem gerere insani est : contrà bene, sani :*  
*Putidius multo cerebrum est ( mihi erede ) Petilli*  
*Dicitianiis quod in nūquām rescribere possit.*

Ad quem locum vetus Commentator , scribere ( inquit ) juris verbum est ; pro mutuum sumere ; rescribere , est reddere debitum . Dictantis , id est creditoris pecuniam ; quia cum damus , dicimus argentario , scribe cautionem pro ea pecunia . Et paulo post . Rescribere est debitum solvere , hoc est scriptum debiti liberare . Idem quoque confirmat Donatus in Phormionem Tarentii ad hunc locum *act. 5. Sc. 7.*

*Sed transi fodes ad forum , atque illud mibi*  
*Argentum jube rursum rescribi Phormio.*

Rescribi ( inquit Donatus ) reddi , seu per mensē scripturam dari . Et paulo post . Quoniam numerationem pecuniae antecedit scriptura , rescribere dicebant pro renumerare .

Solutionis vocabulum generaliter sumptum omnem omnino liberationem significat , *l. liberationis 47. & l. solutionis 176. ff. de verb. sign.* Sed hoc loco sumitur pro naturali & reali , ut loquuntur Philosophi , præstatione ejus quod debetur . Ad eò autem verum est solutione ejus quod debetur perimere obligationem ; ut nihil intersit , utrum debitor ipse solvat , an pro debitore alius , etiam eo ignorantē & invito . Naturalis enim ratio suadet , ut alterius ignorantis & inviti conditionem meliorem facere possumus , *l. 13. ff. de solut.* & *l. 39. ff. de negot. gest.* Quamvis autem beneficium esse non videatur , quod accipienti non placet ; revera tamen beneficium est cæteris majus , quod in invitox confertur , ut ait Seneca *lib. 2. de benefic. cap. 19.* Unde recte idem Seneca *cap. 23. & 24. ejusdem libri* ait , maxima esse beneficia , quæ à parentibus accipimus , dum aut nescimus aut nolumus .

Ex his sequitur , reo solvente fidejussorem liberari ; quia rei principalis locum obtinet , *l. 4. ff. de fidejuss.* & eadem obligatione tenetur , *l. 1. §. verbis,* *ff. de verb. oblig.* Ex diverso fidejussore solvente , reus liberatur actione creditoris ; sed non liberatur actione mandati , quæ tenetur erga fidejussorem , *§. si quid suprà de fidejuss.* Quamvis autem hic modus solvenda obligationis conveniat maximè obligationi , quæ re contrahitur : hoc tamen non vetat , quin omnis obligatio , id est cujuscumque generis fuerit , eodem modo perimitur .

Ad solutionem proximè accedunt compensatio , consignatio , & confusio . Compensatio † est debiti & crediti inter se contributio , *l. 1. ff. de compensat.* hanc certum est pro solutione haberi , *l. 19. ff. de liber. causa,* & *l. 15. ff. ratam rem haberi.* Consignatio † est totius rei debitæ quam creditor sibi oblatam accipere noluit , penè aliud depositio , eâ lege facta , ut possit creditor quando voluerit eam accipere à depositario . Hæc quoque liberat debitorem , quia pro solutione habetur , *l. 9. C. de solut.* Et quia iura maximè favent liberationi , *l. Arrianus , ff. de obl. & aet.* Confusio hoc loco † appellatur jurium debitoris & creditoris in una persona conjunctio ; ut si debitor creditori suo vel creditor debitori suo hæres extiterit , *l. 7. C. de partis , & l. 50. ff. de fidjusso.* Hac autem confusione , ideo tollitur omnis obligatio , quia nemo potest esse debitor sui ipsius : hæres siquidem cum defuncto eamdem personam constituere intelligitur *Nov. 48. in pr.*

**I**T B M per acceptilationem tollitur obligatio. Est autem acceptilatio, imaginaria solutio. Quod enim ex verborum obligatione Titio debetur, id si velit Titius remittere, poterit sic fieri, ut patiatur hæc verba debitorem dicere: *Quod ego tibi promisi, habesne acceptum?* Et Titius respondeat, *habeo*. Sed & Græcè potest acceptilation fieri: dummodò sic fiat, ut Latinis verbis solet [exigi,] ἔχεις ταῦτα δινάρια τότε; ἔχω ταῦτα; id est, tot denarios acceptos habes? *Acceptos habeo.* Quo genere (ut diximus) tantum ea solvuntur obligations, quæ ex verbis consistunt, non etiam cæteræ. Consentaneum enim visum est, verbis factam obligationem, aliis posse verbis dissolvi. Sed & id, quod alia ex causa debetur, potest in stipulationem deduci, & per acceptilationem dissolvi. Sicut autem quod debetur, pro parte rectè solvit, ita in parte debiti acceptilatio fieri potest.

**A C C E P T I L A T I O** † est imaginaria solutio, ut ait Imp. Ex Modestino verò, acceptilatio † est liberatio per mutuam interrogationem, quâ utriusque contingit ab eodem nexu solutio, l. 1. ff. de acceptilatione. Quæ definitio cum sit generalis & communis omnium acceptilationum, non autem specialis definitio Aquiliana stipulationis, quod nonnulli crediderunt; hæc verba per mutuam interrogationem, ita sunt interpretanda, ut significant non duas hinc & inde interrogaciones & totidem responses; sed unam tantum interrogationem, cui congrua & subsequens unica responso conveniat. Similiter quoque hæc verba utriusque solutio, sumuntur activer in persona creditoris, quatenus liberat debitorem; & passiver in persona debitoris, quatenus liberatur: quod & ipsum dicere coguntur, qui eam definitionem explicitant de Aquiliana dumtaxat stipulatione. Clarius autem ita definiri posse videtur acceptilatio vulgaris de qua hic agitur. Acceptilatio † est verborum conception, quâ creditor interrogatus respondet debitori se accepisse quod sibi debetur, licet reverè interdum id non acceperit. Sicut autem illud quod debetur, pro parte rectè solvit volenti creditor, ita quoque pro parte debiti fieri potest acceptilatio; quia est imago veræ solutionis. Dixi volenti creditor: nam invitus creditor, solutionem pro parte accipere non cogitur, l. tutor, §. *Lucius*, ff. de usur. & l. 9. C. de solut. eo quod partium solutio multa habeat incommoda, l. 3. ff. fam. excise.

Cæterum licet acceptilatio aliquatenus cum stipulatione conveniat, quoad formam & conceptionem verborum; non tamen credendum, eam esse speciem stipulationis: quia nomen contractus non debet concedi distractui, sive modo solvenda obligationis, §. 1. sup. quib. mod. re contrah. oblig. Præterea stipulatio potest in diem vel sub conditione contrahi, §. *omnis sup. de verb. oblig.* acceptilatio verò per expressam dici vel conditionis adjectionem vitiatur, l. 77. ff. de reg. jur.

*Ad §. Est autem.*

**E**ST autem prodita stipulatio, quæ vulgo Aquiliana appellatur, per quam contingit, ut omnium rerum obligatio in stipulatum deducatur, & ea per acceptilationem tollatur. Stipulatio enim Aquiliana renovat & omnes obligationes, & à Gallo Aquilio ita composita est: *Quidquid te mihi ex quacumque causa dare, facere oportet, oportebitur, praesens, in diemve, aut sub conditione: quarecumque rerum mihi tecum actio est: quaque adversus te petitio, vel adversus te persecutio est, eritve: quodve tu meum habes, tenes, possides, dolore malo fecisti, quo minus possideas: quanti quaque earum rerum res erit, tantam pecuniam dari stipularius est Aulus Agerius, spopondit Numerius Nigidius. Quod Numerius Nigidius Aulo Agerio spopondit, id haberetne à se acceptum Numerius Nigidius Aulum Agerium rogavit; Aulus Agerius Nume- rio Nigido acceptum fecit.*

**P**RÆTER vulgarem illam acceptilationem, est & altera quædam acceptilationis species, quæ sit per Aquilianam stipulationem ab auctore suo Gallo Aquilio ita nuncupatam. Hæc stipulatio omnes obligationes, quæ verbis contractæ non sunt, primum innovat, & in stipulatum deducit: tum deinde in stipulatum deductas, simili verborum conceptione dissolvit. Cum enim unumquodque eodem genere vinculorum dissolvi debeat, quo colligatum est, *l. 35. ff. de reg. jur.* manifestum est solam verborum obligationem posse acceptilatione dissolvi, secundum veterem juris rigorem ac subtilitatem; ac proinde cæteras obligationes debere in verborum obligationem transfundi, ad hoc ut possint acceptilatione dissolvi.

Hujus Aquilianæ stipulationis formulam tradit Imp. b. t. de promptram *ex l. 18. s. 1. ff. de acceptilatione.* Ex qua colligere est, quam anxia fuerit Veterum diligentia in componendis cautionibus; & quod maluerint multa potius ex abundantia cautela adjicere, quam prætermittere necessaria; quia nimis quidquid in stipulationibus omittitur pro omisso habetur, neque suppletur, *l. 99. ff. de verb. oblig.* Quo exemplo docemur clausulas contractibus esse potius extendendas, quam restringendas; quia hujusmodi restrictio & brevitas non solum obscuritatem, sed etiam lites parit.

*Ad §. pen.*

**P**RÆTEREA novatione tollitur obligatio: veluti si id, quod tibi Seius debebat, à Titio dari stipulatus sis. Nam intervenient novæ personæ, nova nascitur obligatio, & prima tollitur, transdata in & posteriorem; adeò ut interdum, licet posterior stipula-

tio inutilis sit, tamen prima novationis jure tollatur: veluti si id, quod tu Titio debes, à pupillo sine tutoris auctoritate stipulatus fuerit: quo casu res amittitur. Nam & prior debtor liberatur, & posterior obligatio nulla est. Non idem juris est, si à servo quis fuerit stipulatus. Nam tunc prior perinde obligatus manet, ac si posteà nullus stipulatus fuisset. Sed si eadem persona sit, à qua posteà stipuleris; ita demum novatio fit, si quid in posteriore stipulatione novi sit: forte si conditio, aut dies, aut fidejussor adjiciatur, aut detrahatur. Quod autem diximus, si conditio adjiciatur, novationem fieri; sic intelligi oportet, ut ita dicamus factam novationem, si conditio extiterit: alioqui, si defecerit, durat prior obligatio. Sed cùm hoc quidem inter Veteres constabat, tunc fieri novationem, cùm novandi animo in secundam obligationem itum fuerat; per hoc autem dubium erat, quando novandi animo videretur hoc fieri, & quasdam de hoc præsumptiones alii in aliis casibus introducebant: ideò nostra processit constitutio, quæ aper-tissimè definivit, tunc solum novationem prioris obligationis fieri, quoties hoc ipsum inter contrahentes expressum fuerit, quod propter novationem prioris obligationis convenerunt: alioqui & mane-re pristinam obligationem, & secundam ei accedere, ut maneat ex utraque causa obligatio, secundum nostræ constitutionis definitionem, quam licet ex ipsis lectione aperiūs cognoscere.

**V E R B I S** quoque dissolvitur obligatio per novationem. Est autem novatio † prioris debiti in aliam obligationem vel civilem vel naturalem trans-fusio atque translatio, l. 1. in pr. ff. de novat. Hæc autem verbis fit d. l. 1. Et per eam ita prior obligatio extinguitur, ut pena promissa, usus ex ea causa debitæ, privilegium prioris actionis, pignora denique & fidejussores tol-lantur, l. 8. in pr. l. 15. l. 18. l. 27. & l. 29. ff. eod. Nova autem obli-gatio dupliciter fieri potest, mutata scilicet personâ debitoris, vel debitorē eodem remanente.

Cùm mutatur debitor nihil interest, an secunda obligatio naturalis fuerit, vel civilis. Nam si id quod tu Titio debes, Titius stipuletur à pupillo no-vandi animo sine tutoris auctoritate, atque ita pupillum expromissorem acci-piat; prior civilis obligatio extinguitur, & nova constituitur in persona pu-pilli; quæ est tantum obligatio naturalis, l. 1. §. 1. ff. eod. &c proinde inef-ficax ad agendum; sibique debet imputare creditor, quod civilem in natura-lem transmutaverit. Qui enim cum alio contrahit, vel non est, vel saltem non debet esse ignarus conditionis ejus, cum quo contrahit, l. 19. ff. de reg. jur.

Aliud dicendum est si Titius id quod ei debes à servo stipulatus fuerit. Li-cet enim servi ex contractibus suis naturaliter obligentur aliis, & alios sibi oblligent, l. 14. ff. de oblig. & act. non tamen habent legitimam personam ad expromittendum. Quod Theophilus cā ratione confirmat; quia non sufficit ad

novationem ineundam, quod secunda obligatio sit naturalis; sed insuper requiritur quod sit aliqua persona in qua consistat. At verò servus nullam personam habet jure civili, l. 32. & l. 209. ff. de reg. jur. Idque maximè indubitatum est in stipulationibus, quas constat esse juris civilis, §. de constituta inf. de act. Neque obstat quod servus à domino personam accipit. Hæc enim regula ad eos dumtaxat casus pertinet, in quibus facit conditionem domini sui meliorem, stipulando v. g. vel legatum acquirendo; non autem si faciat deteriorem, v. g. promittendo, vel hereditatem adeundo, §. item vobis, sup. per quas pers. nob. acquir. Alioquin enim si hanc regulam tam latè & generaliter acciperemus, sequeretur servum testamentum facere, nuptias contrahere, & Judicem existere posse; quod esset absurdissimum, & ab omnibus principiis alienum.

Si in novatione remaneat idem debitor, necesse est ut aliquid novi, dies forte vel conditio secundæ obligationi adjiciatur: aliquoquin enim non fit novatio. Quoties autem conditio novationi adjicitur, illud specialiter advertendum est, nullam esse novationem, nisi conditio extiterit; quia ad novationem contrahendam necesse est ut consistat secunda obligatio, quam certum est deficiente conditione deficere. Ceterum cùm in omni novatione novandi animus requiratur, cùmque de illo animo multæ orientur controversiæ; Justinianus noster hæc iurgia compescuit, constituens publici otii & quietis gratiâ, numquam intelligi factam fuisse novationem, nisi in posteriori obligatione expressum sit, quod animo novandi contracta fuerit, l. ult. C. de novat.

### Ad §. ult.

**H**Oc amplius ex obligationes, quæ consensu contrahuntur, contrariâ voluntate dissolvuntur. Nam si Titius & Seius inter se consenserint, ut fundum Tusculanum emptum Seius haberet centum aureis: deinde re nondum secutâ (id est, neque pretio soluto, neque fundo tradito) placuerit inter eos, ut discederetur ab ea emptione & venditione, invicem liberantur. Idem est in conductione & locatione, & in omnibus contractibus, qui ex consensu descendunt, sicut jam dictum est.

**C**ONTRARIO consensu dissolvi eas obligationes, quæ solo consensu contrahuntur, ex superioribus satis constat juncta l. 35. ff. de reg. jur. Sed hoc re tantum integrâ verum est, id est quandiu conventio intra nudos placiti fines stetit. Nam si vendor ex. g. rem tradiderit, non dissolvetur obligatio emptoris solo contrario consensu; sed insuper requiritur, ut emptor rem sibi traditam venditori restituat, l. 1. C. quando lic. ab empt. discedere.

## A P P E N D I X

## DE MONETA ROMANA.

**F**Rquentissima quæ in jure occurrit mentio Romanæ pecuniae, mihi imponere necessitatem videtur, exponendi hoc loco per indicem, quis fuerit valor cuiusque monetæ antiquitus; ut cupidi legum adolescentes hanc notitiâ præmuniri, plurimos Institutionum locos clarius intelligent, qui alioquin ipsis essent difficiles & perobscuri. Quæ itaque in titulis de *Attiliano* tut. de *donat.* de *legat.* & de *success.* *libert.* nec-non etiam in exponendis contractibus, circa rem nummariam de industria prætermisi, ne interruptio tractatum aliquam ipsis inferret caliginem, nunc resumo; ut quæ in præcedentibus defuerant, ex hoc loco sippellantur, & nullâ remorâ obstantes, possint alii juris textus, qui in eo versantur cardine, facilius enucleari.

Monetæ nomine intelligimus nummos formâ publicâ percussos; ita dictos quod de suo pondere ac valore per suam inscriptionem nos doceant. Dicuntur nummi *an*n*us** re*v*er*itas***, id est a lege; quia valorem suum omnem à lege accipiunt. Appellantur etiam pecuniae, seu pecunia, propter effigiem pecudis quæ in ære Romanorum erat insculpta; sicut Atheniensium nummi bovem referabant; unde natum adagium *B*os* è*t*er*ti*us*** x*ar*ct*us***, bos in lingua, adversus eos qui pecunia corrupti tacent.***

Romanorum moneta vel fuit ex ære, vel ex argento, vel ex auro. Præcipua quæ fuit ex ære, moneta vocabatur *As* quasi *A*es**; Varro lib. 1. de ling. Lat. Unde in L. 12. tab. assiduus pro locuplete ponitur ab assibus, id est ab ære dando ita dictus, teste Gellio, l. 16. cap. 10. Et quoniam in negotiis publicis ditiores frequentes aderant; inde factum, ut qui frequens adest dicatur assiduus; quia *ass*es* d*u*it***; id est *dat*. Hinc etiam fit, ut *æ*s** alienum dicatur pecunia quam debemus aliis; unde & obserati dicti sunt, qui multum debent. Ex diverso *æ*s** nostrum dicitur, quod alii nobis debent, l. 213. §. 1. ff. de verb. sign.

Cum autem asses olim libriles essent, id est ponderis unius libræ; inde factum ut *As* vocaretur etiam pondo & libra: ideoque dupondium significabat duplarem assem, quasi duplex pondo. Et quemadmodum libra dividitur in duodecim uncias, ita & as dividitur in duodecim duodecimas; quæ ideo unciae vocantur. Earum partium propria sunt nomina ab uncia usque ad assem, videlicet sextans, quadrans, triens, &c. sicut superius expositum est ad §. hereditas de hered. insit.

Uncia mulifariam dividitur. Primum enim dividitur in duas partes, quæ singulæ semunciae nuncupantur. Semuncia igitur est pars tertia fescuncis sive fescuncie, quæ continet unam unciam & dimidiam alteries. Dividitur præterea uncia in sex partes, quæ singulæ sextule nuncupantur. Sextula igitur est sexta pars unciae: & dimidia sextula est duodecima pars unciae. Dividi potest in superuncia in quatuor partes quæ dicuntur Sicilici. Sicilicus igitur est quarta pars unciae. Dividitur denique uncia in viginti quatuor scriptulos ex Volelio

Mætiano in libro de ponderibus. Verum constat post ipsum viginti octo scriptulos in uncia fuisse contentos, *i. e. C. Theod. de ponderatoribus.* Comparatione autem earum partium minorum as dictus est solidus; quia eo nomine integrum significatur.

Primus Romæ æs eudi jussit Numa Pompilius rude tantum, atque informe, *Plin. lib. 34. cap. 1.* sed primus signatum feriri jussit Servius Tullius. Mirandum videtur, non tamen probandum quod summus Antecessor scripsit *lib. 7. observ. cap. 33.* cum agitur de numerata in ære pecunia, assens esse minimum æris nummum. Constat enim, teruncios sive quadrantes fuisse ex ære antiquis & sextantes & trientes, qui erant assis partes.

Ex argento moneta percuti cœpit anno urbis conditæ 585. *Plin. lib. 33. cap. 3.* & vocata est *argenteus* propter materiam; & denarius, quia decem assibus æquipollebat: ideoque signabatur hæc nota X. Infra denarium fuit quinarius, qui valebat asses quinque, cui erat inscripta hæc nota V. Et rursum quinario dimidiâ parte minor fuit sestertius, ita dictus quasi semis tertius, eò quod valeret duos asses & dimidium. Sic etiam in *l. 12. tab.* dictus fuit sestertius pes recte *Volus. Mart.* Eius nota fuit LLS vel IIS, quasi duas libræ, & semis, cuius figuræ sive sigilli duas priores litteræ usu & tractu temporis mutatae sunt in hanc notam H; ita ut sestertius sic designetur HS. Fuerunt & alia argenteæ monetæ species. Tressis significavit tres asses. Unde *apud Pers. Sat. 5.* Tressis agaso dicitur servus pretii trium assium. Quartussis valuit quatuor asses. Quinques valuit quinque; & Centussis valorem habuit centum assium. Unde Pers. *eadem Sat. 5. versu ult.*

*Et centum Gracos curio centusse licetur.*

Hic monendi sumus duo fuisse apud Veteres sestertiiorum genera; parvum scilicet, quod appellabatur sestertius in masculino genere, de qua monetæ specie jam diximus; & magnum, quod dicebatur tantum in neutro, & valebat mille sestertios parvos. Idque nomen suppurationibus solis utile erat, non ad designandum certum monetæ genus; quia nullus umquam percussus fuit nummus ejus pretii. Sex itaque sestertia & sex millia sestertiiorum apud Latinos Auctores sunt synonyma, quod convincit locus ille Juven. *Sat. 4.*

*Mullum sex millibus emit;*

*Æquantem sanè paribus sestertia libris.*

Quo loco dicitur *sex millibus* per ellipsis nominis *sestertiiorum*, videlicet *parvorum*: quæ loquendi figura apud Veteres est frequentissima. Etiam dicebant Veteres quadringenta subaudientes vocem *sestertia*; ut designarent censum equestrem, L. Rosciæ constitutum. Unde Horatius,

*Si quadrungentis sex septem millia defunt;*

*Plebs eris.*

*Et apud Juven. Sat. 1.*

*Quinque taberne*

*Quadrungenta parant.*

Familiare quoque fuit Veteribus vocem *millia* reticere: atque ita in *L. lella*, *ff. de rebus cred.* vox *quindecim* significat quindecim millia: & in *l. si testamento*, *ff. si duo*, *ff. de fidejuss.* *viginti*, dicitur *viginti* pro viginti millibus, & *decem* pro decem millibus. Vox denique *quinquaginta* significat quinquaginta millia, in *l. debitor*, *ff. de neg. gest.* ut ex consequentibus apparet in tribus illis legibus *jam laudatis*. Similis ellipsis est apud Tacitum *q. annal.* ubi SC. refert, quo

cautum est, ne quis gladiatorium munus ederet, cui minor quadringentorum millium res.

Numerabant insuper Antiqui sestertios & sestertia per adverbia supra centum millia hoc modo, *bis centena millia, decies centena millia, millies centena millia,* & sic de ceteris. Neque enim, Plinio teste, numerum ullum habebant supra centum millia. Sexplicime quoque haec sola adverbia adhibebant, omissis vocibus *centena millia;* dicentes *decies sestertiū pro sestertiōrum, vel simpliciter decies.* Quo sensu Paulus ait, non esse statu liberum, cui libertas relēta est sub conditione si millies dederit, *l. 4. §. 1. ff. de statu lib.*

Ex auro nummi eusi sunt Romæ anno 62. post argenteos, & valebant singuli stante republicâ viginti denarios, tum deinde crevit valor ad viginti quinque denarios, id est ad centum sestertios. Quod convincitur ex Suetonio, Plutarcho, & Tacito in vita Othonis. Suetonius quidem & Plutarchus narrant, Othonem, quoties cœnā Principem acciperet, excubanti cohorti aureos viritim distribuisse; id est, singulis militibus singulos aureos largitum fuisse. Tacitus verò ait, cohorti excubias agentes centenos eum nummos divisisse, id est centenos sestertios: neque enim dubium est, quin nummus & sestertius apud Romanos synonyma fuerint. Unde rectè Casaubonus ita concludit in *prædictum Suet. locum.* Ergo aureus unus & centum nummi, idem. Neque obstat quod ait Just. in *s. pen. sup. de success. libert.* ubi his verbis utitur: *Ut si quidem libertus vel liberta minores sint centenarii, id est minus centum aureis habeant substantiam: sic enim Legis Papie summam interpretati sumus, ut pro mille sestertiis unus aureus computetur.* Unde inferendum videtur, unum aureum non tantum sestertiis parvis five nummis adæquari, sed etiam mille ejusdem generis sestertiis. Verum Resp. Imperatore non interpretari simpliciter Legem Papiam, sed emendare: ita ut valorem aurei non augeat, sed veterem tantum liberti locupletis estimationem diminuat: cum antea non diceretur dives juxta legem Papiam, nisi qui haberet centum millia sestertiiorum, id est mille aureos.

Sub Alexandro Severo (sicut testatur Lampridius in ejus vita) formati sunt ex auro sc̄misses, qui singuli dimidium unius aurei continebant: tum deinde tremisses, qui tertiam ejus partem constituebant; quorum aureorum comparatione habitâ, aureus cujus partes erant, vocatus est solidus, quasi integer, sicut supra diximus de alse: unde fit ut in jure nostro idem plerumque sint haec duo, aureus, & solidus.

Cæterum sicut olim ex singulis argenti libris 84. argentei cudebantur, teste Plinio lib. 33. cap. 9. ita & Constantinus Magnus totidem aureos ex singulis auri libris formari voluit, l. 1. C. Theod. de ponderat. ita ut ex singulis unciiis auti, septem aurei cuderentur; quorum singuli essent ponderis quatuor scriptulorum. Postmodum verò Valentinianus Imperator constituit ut septuaginta duo solidi five aurei pro una libra auri debitâ accepto ferrentur, l. 5. C. Just. de susceptoribus lib. 10. pondere tamen singulorum aureorum eodem remanente. Unde factum est ut immenso numero aureorum qui libram conficerent, aucta fuerit estimatione singulorum aureorum: ac proinde specierum annonarium pretia fuerint immunita, l. 2. C. de vet. numis. potestate lib. 11. quæ cumdem Valentinianum Imp. auctorem habet.

*Finis Libri tertii.*



THEOPHILUS  
RENOVATUS,  
S I V E  
LEVIS AC SIMPLEX VIA  
AD INSTITUTIONES  
JURIS CIVILIS.  
LIBER. QUARTUS.

**H**I C liber continet reliquum Tractatum de obligationibus ; eas vide-  
licet obligationes exponens, quæ ex delicto, vel quasi delicto na-  
scuntur : deinde tertium juris objectum, id est actiones & similia juris  
remedias complectitur, exceptiones nimirum & interdicta. Quibus  
omnibus ita peractis, universum hoc opus Institutionum Juris civilis, duplaci  
tractatu concluditur. Primo enim officium litigantium & Judicis exponitur in  
exercendis & dirimendis judiciis privatis, de quibus solis eatenus actum est.  
Postremò denique judicia publica quasi per indicem attinguntur.

T I T U L U S P R I M U S.  
DE OBLIGATIONIBUS QUÆ EX DELICTO  
naſcuntur.

*Ad princ.*

**C**UM sic expositum superiore libro de obligationibus ex con-  
tractu, [ & quasi ex contractu ; ] sequitur, ut de obligatio-  
nibus ex maleficio, [ & quasi ex maleficio ] dispiciamus. Sed illæ

quidem [ ut suo loco tradidimus ] in quatuor genera dividuntur : hæ verò unius generis sunt ; nam omnes ex re nascuntur , id est ex ipso maleficio , veluti ex furto , rapina , damno , injuria .

**D E L I C T U M** † generaliter definiri posse videtur , omne factum illicitum , quod læsionem alterius continet ; ejus † duæ sunt species , publicum & privatum . Delicta publica † sunt , quæ ad læsionem status publici pertinent , quorumque accusatio descendit ex legibus publicorum judiciorum ; ita dicta quasi populica , eò quod eorum accusatio cuivis è populo pateat , & tendat ad tueri vigorem publicæ disciplinæ . Talia sunt adulterium , homicidium , & alia de quibus agetur tit. ult.

Delicta privata † sunt quibus privati alicujus utilitas læditur ; & ex quibus agunt forensi actione illi tantum , quorum interest . Hæc simplicis delicti aut maleficii nomine plerumque designantur : nonnumquam tamen appellantur crimina , ( sicut delicta publica ) & de illis quoque sicut de criminibus propriè dictis extra ordinem , agi potest criminaliter , l. ult. ff. de privat. delictis , l. ult. ff. de furtis , & l. ult. ff. de injur. Delictorum privatorum † quatuor sunt species , furtum , rapina , damnum injuria datum , & injuria . Quamvis autem rubrica nostra generalis sit , de furto tamen solo agitur hoc titulo , & de actionibus quæ adversus furem competunt occasione furti .

*Ad §. I.*

**F U R T U M** est contrectatio fraudulosa , lucri faciendi gratiâ , vel ipsius rei , vel etiam usus ejus , possessionisve , quod lege naturali prohibitum est admettere , l. 1. §. ult. ff. de furt. Contrectare est † loco movere , l. 1. §. si rem , ff. de acquir. possess. & l. 15. ff. ad exhib. Unde merito abolita est sententia existimantium fundi furtum fieri , §. quod autem sup. de usucap. Definiū etiam hec contrectatio potest interversio possessionis ; quia nisi possessio intervertatur , sive adiatur , furtum non fit , l. 2. §. Scavola , ff. si is qui testamento liber esse jussus est , &c. Quod autem additur vel ipsius rei , non eo pertinet , ut fiat furtum proprietatis , quasi proprietas furto adini possit : neque enim proprietas in furem transit , sed penes dominum remanet ; cui ea de causa competit adversus furem vindicatio , & condic̄o furtiva , §. ult. b. t. Sed hoc referendum est ad priora verba , videlicet lucri faciendi gratiâ : ita ut fur non solum intelligatur , qui lucrum voluit facere proprietatis ; sed etiam ille qui lucrum usus vel possessionis in sua fraudulenta contrectatione captavit . Additur itaque præterea vel etiam usus ejus : unde sequitur , commodatarium qui re sibi commodata usus est ultra modum in commodato præscriptum , furti reum esse . Subjungitur deinde , possessionisve : unde sequitur , debitorem qui rem suam creditori a se oppignerat tam subripuit , furibus quoque esse adnumerandum ; quia possessionem & secunditatem quam habuit in rei detentione ei ademit . Dicitur denique quod lege no-

turali probibitum est admittere ; quia contra naturam est aliquem ex iactura aliena locupletari , l . nam & hoc natura , ff . de condit . indeb .

Ex his constat , recte furem à Paulo definiri , lib . 2 . sent . tit . 3 . eum qui dolo malo rem alienam contrectat . Sed hæc vox dolo malo , intelligenda est lucri faciendi gratiæ , &c . Nam alioquin potest dolo malo res aliena sine vitio furti contrectari : v . g . cùm plagium committitur , quod sine animo lucri fieri certum est .

#### Ad § . Furtum autem .

**F**URTUM autem , vel à furvo , id est , nigro , dictum est , quod clam & obscurè fiat plerumque nocte : vel à fraude , vel à ferendo , id est , auferendo : vel à Græco sermone , quod ἄρπας appellant fures . Imò & Græci à ferendo ἄρπας dixerunt .

FURTI nomen , vel à furvo descendit , id est nigro ; èo quod tempus nigrum , sive nocturnum furtis sit commodissimum . Unde Horatius ,

*Ut jugulent homines , surgunt de nocte latrones .*

*Tu teipsum ut serves , non expurgisceris .*

Dicitur etiam à fraude ; quia furtum sine fraude & affectu furandi non committitur , § . item si is sup . de usuc . vel etiam à ferendo ; vel quod maximè omnium placet à Græca voce ἄρπα id est fur : quia Latinum idioma à Græco deducitur : ita ut Dialectus potius Æolica , quam lingua primigenia videatur . ἄρπα verò ànò τε φέγγιν , id est à ferendo seu auferendo dicitur apud Græcos .

#### Ad § . Furorum .

**F**URORUM autem duo sunt genera : manifestum , & nec manifestum . Nam conceptum & oblatum , species potius actionis sunt furto cohaerentes , quam genera furorum , sicut inferius apparebit . Manifestus fur est quem Græci ἀνταρπεῖσθαι appellant : nec solum is , qui in ipso furto deprehenditur ; sed etiam is , qui in eo loco deprehenditur , quo [ furtum ] sit : veluti qui in domo furtum fecit ; & , nondum egressus januam , deprehensus fuerit : & qui in oliveto olivarum , aut in vineto uavarum furtum fecit , quamdiu in eo oliveto aut vineto deprehensus fuerit . Imò ulterius furtum manifestum est extendendum , quamdiu eam rem fur tenens visus vel deprehensus fuerit : sive in publico , sive in privato : vel à domino , vel ab alio antequam eò pervenerit , quod deferre vel depolare destinasset . Sed si pertulit , quod destinavit , tametsi deprehendatur cum re furtiva , non est manifestus fur . Nec manifestum furtum quid sit , ex iis , quæ diximus , intelligitur : nam quod manifestum non est , id scilicet nec manifestum est .

F U R T O R U M † duo sunt genera; manifestum, & non manifestum. Manifestum † est illud, cuius reus vel in ipso furto, vel in loco furti deprehensus est; vel rem furtivam tenens, antequam eō perferreret, quō perferrere destinaverat. Deprehensus fur † dicitur non solum si intervenerit manus in eum injectio, sed etiam cum solutinmodò visus est ab aliquo, sive domino, sive extraneo, l. 3. §. 1. & l. 7. ff. de furtis. Unde Pastor Virgilianus ut exprobret socio furtum manifestum, his verbis uititur Ecloga 3.

*Non ego te vidi Damonis, pessime, caprum  
Excipere insidiis, mulium clamante Liciscā?  
Et cùm clamarem, quō nunc se proripit iste?  
Tityre, coge pecus: tu post carecta latebas.*

Quamvis autem eo ultimo disticho fiat clamoris mentio; non tamen eum necessarium fuisse dicendum est ad furem manifestum constituendum; cùm in nullo juris loco hæc conditio requiratur.

Furtum non manifestum est † illud cuius reus deprehensus non est, neque in ipso furto, neque in loco furti, neque cum re furtiva, antequam eō perferreret, quō perferrere destinaverat.

#### *Ad §. Conceptum.*

C O N C E P T U M furtum dicitur, cùm apud aliquem testibus præsentibus furtiva res quæsita & inventa sit: nam in eum propria actio constituta est, quamvis fur non sit, quæ appellatur concepti. Oblatum furtum dicitur, cùm res furtiva ab aliquo tibi oblata sit, eaque apud te concepta sit: utique si eâ mente tibi data fuerit ut apud te potius quam apud eum, qui dedit conciperetur. Nam tibi, apud quem concepta sit, propria adversus eum qui obtulit, quamvis fur non sit, constituta est actio, quæ appellatur oblati. Est etiam prohibiti furti actio adversus eum, qui furtum quærere testibus præsentibus volentem prohibuerit. Præterea poena constituitur edicto Prætoris per actionem furti non exhibiti adversus eum, qui furtivam rem apud se quæsิต & inventam non exhibuit. Sed hæ actiones, scilicet concepti & oblati, & furti prohibiti, nec-non furti non exhibiti, in defuetudinem abierunt. Cùm enim requisitio rei furtivæ hodie secundum veterem observationem non fiat, merito ex consequentia etiam præfatæ actiones ab usu communi recesserunt: cùm manifestum sit quodd omnes, qui scientes rem furtivam susceperint, & celaverint, furti nec manifesti obnoxii sunt.

E x furto oriuntur multæ actiones, † scilicet furti concepti, oblati;

Kkk

prohibiti ; non exhibiti , manifesti , & non manifesti , & furti ope , consilio facti.

Actio furti concepti † dabatur antiquitus adversus eum , apud quem res furtiva fuerat deprehensa in triplum , ut testis est *A. Gellius lib. 11. cap. ult.*

Actio furti oblati † competebat bonae fidei possessori , apud quem res furtiva deprehensa erat in triplum , adversus illum qui illam ad ipsum detulerat eo animo ut potius apud ipsum , quam apud se conciperetur , sicut constat ex *A. Gellio loco citato.*

Actio furti prohibiti † erat actio quædam pœnalis ei cuius interest competens adversus eum , qui furtum apud se querere volentem testibus presentibus prohibuisset. Ejus poena nullibi invenitur expressa ; sed verisimile est eam fuisse in duplum , eò quod in ipsa de furto non manifesto agatur.

Actio furti non exhibiti † est illa quæ datur illi cuius interest rem subreptam non esse , adversus eum qui rem furtivam apud se quæsitam & inventam non exhibuit ; quam etiam fuisse in duplum eadem ratione conjicimus.

Sed hæc omnes actiones in desuetudinem abidere : neque enim hodie disquisitio rei furtiva fit secundum veterem observationem , id est per lancem & licium , teste *Gellio d. cap. ult. & lib. 16. cap. 1.* Quid autem fuerit apud Veteres furtum querere per lancem & licium , omnium optimè exposuisse videtur *Petrus Pithœus , lib. 1. subsec. vorum cap. 1. ex Petr. Arbiro :* videlicet quod hæc perquisitio fieret per lictorem sive apparitorem Magistratus , qui licio cinctus , sive versicoloria veste , & lancem præ manibus ferens , in qua erant ~~æugeæ~~ sive præmia indicinæ , rem furto subreptam perquirebat.

#### *Ad §. Pœna.*

**P**OENA manifesti furti , quadrupli est , tam ex servi , quam ex liberi persona : nec manifesti , dupli.

**A C T I O** furti manifesti † est actio merè pœnalis Prætoria , ei tantum competens cuius interest , adversus furem manifestum in quadruplum indistinctè. Dico indistinctè , id est tam ex servi quam ex liberi hominis persona ; quia id cautum fuerat edicto Prætoris. Olim vero ex L. 12. tab. fur manifestus , si servus esset , virginis cædebatur , & è saxo Tarpeio præceps dejiciebatur. Siu autem fuisset liber homo , verberibus affectus addicebatur ei cui furtum factum esset. Cum igitur pœna capitalis sit illa quæ adimit vitam vel civitatem , l. 2. ff. de pub. judic. non jure mihi videtur Borcholten Servium arguisse , quod dixerit pœnam furti manifesti olim capitalem fuisse ante edictum Prætoris , ad illum versus *Virgilii lib. 8. Aeneid.*

#### *At furis Caci mens effera.*

Actio furti non manifesti † est actio civilis , merè pœnalis , in duplum competens ei cuius interest , adversus furem nec manifestum. Dicitur civilis , quia ex L. 12. tab. oritur , quæ sicut in furto manifesto Draconis severitatem secuta est , qui omnibus furibus pœnam capitis imponebat ; ita quoque in furto non manifesto Solonis lenitatem amplexa est , qui fures solâ dupli pœnâ puniebat. Videndum est *A. Gellius lib. 11. cap. 18.* Fures autem manifesti gravius cæte-

ris coērcebantur ; vel ad exemplum Lacedæmoniorum à quibus Romani leges suas acceperant ; vel quia magis infamis erat eorum persona ; vel denique quia illorum delictum pejori erat exemplo.

*Ad §. Furtum autem fit.*

**F**URTUM autem fit , non solum cùm quis intercipiendo causâ rem alienam amovet ; sed generaliter cùm quis alienam rem invito domino contrectat. Itaque siue creditor pignore , siue is apud quem res deposita est , eâ re utatur ; siue is qui rem utendam accepit , in alium usum eam transferat , quam cuius gratiâ ei data est ; furtum committit : veluti si quis argentum utendum acceperit , quasi amicos ad coenam invitaturus , & id perægrè secum tulerit ; aut si quis equum gestandi causâ commodatum sibi , longius aliquo duxerit ; quod Veteres scripsierunt de eo , qui in aciem equum perduxisset.

**A C T I O** furti de qua mentionem habuimus , locum habet adversus eos ; qui res alienas invito domino contrectant. Quin etiam illi , qui liberos homines , vel res proprias subripuerunt , huic actioni obnoxii sunt ; nec non etiam illi , qui furtum non fecerunt , sed opem tantum & consilium dederunt ad furtum faciendum.

Furti igitur actione tenetur , qui rei alienæ lucrum captans , eam contrectat , & illi insuper qui in sua contrectatione solius usûs vel possessionis lucrum facere cogitant : v. g. qui re alienâ , quam apud se habent , contra domini voluntatem utuntur : Ideoque creditor cui pignus ad securitatem tantum , non ad usum datum est , §. ult. sup. quib. mod. re contr. oblig. si pignore utatur , furti tenetur , l. 54. in pr. ff. b. t. Idemque dicendum est de depositario , qui custodia non usûs causa rem habet , l. 24. ff. depos. ita ut penes eum res deposita tamquam sacra debeat custodiri , à cuius contactu abstinendum est.

Ad commodatarium denique idem jus pertinet : si commodato ad alium usum utatur , quam cuius gratiâ contractum est , l. 76. in pr. ff. b. t. Unde apud Val. Maximum lib. 8. cap. 2. furti damnatus est , qui equo , cuius usus usque Ariciam fuerat commodatus , ulteriore ejus municipiâ clivo vectus esset. Quin etiam si quis rem sibi commodatam alteri commodavit , furti tenetur. Nec movere nos debet quasi nihil sui gratiâ faciat. Species enim lucri est ex alieno largiri , & acquirere beneficij debitorem , l. 54. §. 1. ff. eod.

*Ad §. Placuit.*

**P**LACUIT tamen eos qui rebus commodatis aliter uterentur , quam utendas acceperint , ita furtum committere : si se intelligant , id invito domino facere ; cumque , si intellexisset , non

permissum : at si permissum credant, extra crimen videri optimâ sanè distinctione ; quia furum sine affectu furandi non committatur.

**H** & c tamen regula fallit in eo, qui rem alienam contrectans, existimavit se consentiente domino id facere ; quia is dumtaxat fur dicens est, qui invito domino se rem ejus contrectare cognovit, *l. inter omnes, §. recte, ff. b. t.* Nec tamen credendum est ei qui res alienas amoverit hanc solam excusationem sufficere, quod putaverit se domini voluntate id facere ; quia in rebus prohibitis dolus presumitur, donec bona fides probetur, *arg. l. 5. C. de injur.*

*Ad §. Sed & si.*

**S**E & si credat aliquis invito domino se rem commodatam sibi contrectare, domino autem volente id fiat, dicitur furtum non fieri. Unde illud quæsum est, cum Titius servum Mævii sollicitaverit, ut quasdam res domino subriperet, & ad eum perferret, & servus id ad Mævium pertulerit. Mævius [autem] dum vult Titium in ipso delicto deprehendere, permiserit servo quasdam res ad eum perferre : utrum furti, an servi corrupti judicio teneatur Titius, an neutro ? & cum nobis super hac dubitatione suggestum est, & antiquorum prudentium super hoc altercationes perspeximus, quibusdam neque furti, neque servi corrupti actionem præstantibus, quibusdam furti tantummodo : nos hujusmodi calliditati obviā eentes, per nostram decisionem sancimus, non solum furti actionem, sed & servi corrupti contra eum dari. Licet enim [is] servus deterior à [sollicitatore] minime factus est, & ideo non concurrant regulæ, quæ servi corrupti actionem introducunt ; tamen consilium corruptoris ad perniciem probitatis servi introductum est, ut sit ei penalis actio imposta tamquam [si] re ipsâ fuisset servus corruptus : ne ex hujusmodi impunitate & in alium servum, qui facile posset corrumpi, tale facinus à quibusdam perpetretur.

**H**UJUS §. species est admodum singularis. Titius servum Mævii Pamphilum sollicitaverat, ut quasdam res domino furaretur, & ad se perferret. Denunciavit eam fraudem Mævio domino suo Pamphilus. Mævius ut Titium deprehenderet in ipso delicto, permisit servo, ut quasdam res ad Titium perferret. Cum igitur Pamphilus eas res ad Titium pertulisset, quæsum est, an Titius furti vel servi corrupti judicio, an neutro. vel utroque simul teneretur ? Quidam dicebant actionem furti cessare ; quia domini consensus in illa contrectatione intercesserat ; idèque asserabant locum esse actioni de servo corrupto.

Alii denegabant actionem servi corrupti ; quia sollicitator suaserat quidem fugam & furtum servo alieno , sed non persuaserat , neque deteriorem eum efficerat ; ideoque non est ulla aestimatio ejus damni per corruptionem illati , qua secundum naturam ejus actionis , in duplum peti possit . Alii utramque præfatam actionem denegabant , conjunctis in hac controversia utriusque rationis momentis . Justiniano verò placuit utramque actionem competere ; ne alioquin ex illa impunitate detur occasio pessimis hominibus in alios servos tale facinus perpetrandi , aut saltem pertentandi , l. 20. b. t. Ut igitur duplum vel quadruplum in utraque actione , furti scilicet & servi corrupti definiatur ; facienda erit aestimatio ejus quod deberetur , si res verè fuissent subreptæ , aut si servus verè corruptus fuisset .

*Ad §. Interdum etiam.*

**I**NTERDUM etiam liberorum hominum furtum sit ; veluti si quis liberorum nostrorum , qui in potestate nostra sunt , subrep-  
tus fuerit .

LICET liberi homines nullius sint , ita ut ne ipsi quidem sui ipsorum domini sint , quantumvis sui juris esse dicantur ; cum nemo sit dominus suorum membrorum , l. 13. ff. ad L. Aquil. Et quamvis liberum corpus nullam recipiat estimationem , quæ duplari possit , l. 1. §. cùm , & l. ult. ff. de his qui effud. vel dejec. hominum tamen liberorum nomine interdum furti actio competit in duplum aut quadruplum ; quando scilicet filiifamilias subrepti sunt . Tunc enim parentes quorum in potestate sunt , furti agere possunt , in duplum vel quadruplum ejus quod eorum interest , eos subreptos non esse . Cujus rei ratio pendet ex patria potestate ; cui filius ita ferè erat subditus apud Romanos , sicut servus dominica : unde sit ut pater filium possit vindicare , adjectâ causâ ex jure Quiritium , l. 1. §. pen. ff. de rei vindic.

*Ad §. Aliquando.*

**A**Liquando autem etiam suæ rei furtum quis committit : veluti si debitor rem , quam creditori pignoris causâ dedit , substraxerit .

SUXE rei quodammodo furtum debitor facit , qui pignus traditum creditorū subripit . Dixi quodammodo ; quia re verâ rei nostrâ furtum facere non possumus , Paul. lib. 2. sent. tit. ult. §. si rem . Verum custodia sive possessionis eo casu sit furtum , quatenus creditoris interest rei potius incumbere quam actioni , l. 25. & l. 204. ff. de reg. jur. Ideoque creditor ejus quod interest aestimationem dumtaxat petet in duplum aut quadruplum , per actionem furti .

## Ad §. Interdum quoque.

**I**NTERDUM [ quoque ] furti tenetur , qui ipse furtum non fecit ; qualis est is , cuius ope & consilio furtum factum est. In quo numero est , qui tibi nummos excussit , ut alius eos raperet ; aut tibi obsterit , ut alius rem tuam exciperet ; aut oves tuas vel boves fugaverit , ut alius eas acciperet. Et hoc Veteres scripsierunt de eo , qui panno rubro fugavit armentum. Sed si quid eorum per lasciviam , & non datâ operâ , ut furtum admitteretur , factum est ; in factum actio dari debet. At ubi ope Mævii Titius furtum fecerit , ambo furti tenentur. Ope & consilio ejus quoque furtum admitti videtur , qui scalas fortè fenestrî supponit ; aut ipsas fenestras vel ostium effringit , ut alius furtum faceret , quive ferramenta ad effrigendum , aut scalas , ut fenestrî supponerentur , commodaverit , sciens cuius rei gratiâ commodaverit. Certè qui nullam opem ad furtum faciendum adhibuit , sed tantum consilium dedit , atque hortatus est ad furtum faciendum , non tenetur furti.

**A**CTIO furti ope , consilio facti , † est actio competens ei cuius interest , adversus eum qui opem aut consilium dedit ad furtum faciendum. Consilium dare † dicitur qui persuadet & impellit atque instruit ad furtum faciendum. Opem autem fert † qui ministerium aique adjutorium præbet ad res subripiendas. Sed an ille qui tantum consilium dedit , neque opem tulit ; vel ex diverso , qui opem tulit , sed consilium non dedit , hâc actione teneatur , valde quæsum est. Cuius quæstionis nodus ut dirimatur , monendi sumus vocem consilii ambiguam esse & equivocam. Interdum enim idem significat , quod propositum (*un dessein* ; ) quo sensu verum est neminem farto faciendo opem talisse videri , nisi consilium malignum habuerit. Non tenetur igitur furti , qui scalas fenestrî supponendas furi commodavit , nesciens cuius rei facienda gratiâ fut scalas acciperet , l. 50. §. recte , & l. 54. §. pen. ff. de furt. Interdum vero consilium idem est quod suasio ad furtum faciendum (*un conseil , une instruction pour faire un larcin*) quo sensu is qui sciens prudens opem tulit ad furtum faciendum , licet consilium sive suasionem non dederit ; furti tamen ope , consilio facti actioni obnoxius est , l. 6. ff. de condit. furt. At si quis consilium dederit ad furtum aliquod faciendum , licet alias opem non tulerit ; cädem tamen actione tenetur , si modò furtum secutum fuerit. Quod ideo addo , quia si non subsequatur , cessat hæc actio , l. 53. §. ult. ff. de verb. signif. Idemque dicendum est cum quis furtum generaliter suasit : v. g. ego alicui , ut inde se aleret ; quia scilicet nudum consilium non est obligatorium , ut innuit Imp. hoc §. n.

Ad §. Hi qui.

**H**I qui in parentum vel dominorum potestate sunt , si rem eis subripiunt , furtum quidem faciunt , & res in furtivam

causam cedit (nec ob id ab ullo usucapi potest, antequam in domini potestatem revertatur) sed furti actio non nascitur; quia nec ex alia ulla causa potest inter eos actio nasci. Si vero ope & consilio alterius furtum factum fuerit, quia utique furtum committitur, convenienter ille furti tenetur; quia verum est, ope & consilio ejus furtum factum esse.

CUM filiusfamilias & servus patri aut domino suo aliquid subripiunt, vera furtum sit; eaque res, cum furtiva sit, usucapi non potest. Non tamen contra filium vel servum furti actio competit; quia lis nulla potest consistere inter patrem & filium, qui in ejus potestate est, nisi de castrensi peculio, l. 4. ff. de judic. Cum servis vero nulla est actio, l. 107. ff. de reg. juris, quia jure civili pro nullis habentur, l. 32. ff. eod. Est & altera ratio utrique communis; quod patrifamilias in filios ac servos suos animadvertisi jus competit: ita ut jus virae ac necis patri in filium jure civili, & domino in servum jure gentium olim competeret; postmodum vero moderata dumtaxat emendatio permissa est. Unde fit ut pater, qui filium male tractaverit, compelli possit ad eum emancipandum, l. ult. ff. si à par. quis manum. sit. Verum tamquam Judex ab ipsa natura constitutus non prohibetur in filios vitio deditos animadvertere; ut quos ad vitæ decora, domesticæ laudis exempla non provocant, saltem correctionis medicina compellat, arg. l. un. C. de emend. propinqu. Dominus vero loris quidem ac virgis servum corrigere potest, vel in vinculis detinere: ita ut licet eam ob causam servus mortuus sit, nullum tamen criminis, id est accusationis, medium sustineat. Sed homicidii reus erit, si vel unguis ferreis, vel admocis ignibus, vel equuleo eum torserit, vel alia ratione, laqueo putre, vel veneno, vel ictu lapidis, aut fustis occiderit, l. un. C. de emendat. serv. Fustis nomine intelligitur eo loco pondus aliquod ligni crassioris, vel etiam clava aliqua (unlevier, une massue.) Ex teli siquidem seu armorum genere colligitur animus occidendi, l. 1. §. Divus, ff. ad l. Corn. de sicut.

*Ad §. Furti autem.*

FURTI autem actio ei competit, cuius interest rem salvam esse, licet dominus non sit. Itaque nec domino aliter competit, quam si ejus interficit rem non perire.

FURTI actio competit ei cuius interest, l. 10. ff. h. t. quod tamen non est indistinctè intelligendum. Primò enim constat emptori ante rei traditionem actionem furti denegari, §. cum autem sup. de empt. & vend. & l. 18. ff. h. t. quamvis constet emptoris maximè interesse rem non subripi; cum ad eum spectet rei periculum, l. 18. ff. de per. & comm. rei vend. & d. §. cum autem. Præterea creditor ob rem debitoris sibi non oppignetam, quæ furto subrepta est, furti agere non potest; quamvis aliunde creditum servare nequeat, l. 49. ff. h. t. His addi potest ille cui res aliqua ex stipulatione vel ex testamento debetur, l. is cui, & l. is cuius, §. ult. ff. de furt. Non igitur omnis cuius interest furti actionem habet, sed is tantum qui rem alienam tenuit domini voluntate.

tate, d. l. is cuius; v. g. creditor in re oppignerata, fullo & sarcinato in vestibus quas resciendas conduxit bona fidei, emptor in rebus bonâ fide acquisitus, & commodatarius in rebus commodatis; nouò verò depositarius in re deposita.

*Ad §. Unde constat.*

**U**NDE constat creditorem de pignore subrepto furti [actione] agere posse, etiam si idoneum debitorem habeat; quia expedit ei pignori potius incumbere, quam in personam agere: adeò quidem, ut quamvis ipse debitor eam rem subripuerit, nihilominus creditori competit actio furti.

**CREDITORIS** interesse furtum pignoris non fieri, palam est; cum præstare culpam teneatur, §. ult. sup. quib. mod. re contrah. oblig. eoque nomine domino agenti pignorarii actione teneatur, l. 14. §. idem scribit, ff. b. t. Sed si creditori debitor satisfecerit, soli domino actio furti competit, non creditori; quia creditoris nihil amplius interest, nisi forte res culpâ creditoris subrepta sit, d. §. idem scribit.

*Ad §. Item si fullo.*

**I**TEM si fullo polienda curandave, aut sarcinato sacerienda vestimenta mercede certâ [constitutâ] acceperit, eaque furto amiserit; ipse furti habet actionem, non dominus, quia domini nihil interest eam rem perire, cum judicio locati à fullone aut sarcinatore rem suam persequi possit. Sed & bonæ fidei emptori subreptare, quam emerit, quamvis dominus non sit, omnino competit furti actio, quemadmodum & creditori. Fulloni vero & sarcinatori non aliter furti actionem competere placuit, quam si solvendo fuerint: hoc est, si domino rei aestimationem solvere possint. Nam si solvendo non sint, tunc quia ab eis suum dominus consequi non possit, ipsi domino furti competit actio; quia hoc casu ipsius interest rem salvam esse. Idem est, & si in parte solvendo fuerit fullo aut sarcinator.

**I**DEM juris est in fullone & sarcinatore; quia rei domino tenentur actione ex locato, per quam dominus securus fit. Verum quia inanis est actio, quam inopia debitoris excludit, l. 6. ff. de dolo malo, si fullo & sarcinato solvendo non fuerint, soli domino datur furti actio; quia in eo casu domini solius interest, non fullonis aut sarcinatoris. Illius enim qui non habet quod perdar, periculo nihil est, l. itaque 12. in pr. ff. b. t. Solvendo autem nemo esse intelligitur, nisi qui solvere potest totum quod debet, l. 114. ff. de verb signif.

Emptori quoque bonæ fidei, id est ei qui rem alienam à non domino bona fide acquisivit ex causa onerosa, eadem actio competit eamdem ob causam.

Aliud

Aliud dicendum est de illo qui possidet ex causa donationis, vel simili alia  
lucrativa, l. 71. s. 1. ff. eod. quia aliud est emere, aliud ex lucrativis causis ac-  
quirere, l. apud, s. si quis, ff. de dol. mal. & met. except. Verum nihil interest,  
utrum emptor solvendo sit, nec ne; quia utroque casu ejus interest, propter  
premium quod ei abest.

*Ad s. Quæ de fallone.*

**Q**Uæ de fallone & sarcinatore diximus, eadem & ad eum, qui commodata res est, transferenda Veteres existimabant. Nam ut ille fullo mercedem accipiendo, custodiam præstat; ita is quoque, qui commodatum utendi causâ accepit, similiter nece-  
sse habet custodiam præstare. Sed nostra providentia etiam hoc in nostris decisionibus emendavit, ut in domini voluntate sit; sive  
commodati actionem adversùs eum, qui rem commodatam ac-  
cepit, movere desiderat; sive furti adversùs eum, qui rem subti-  
puit; & alterutrâ earum electâ, dominum non posse ex pœnitentia  
ad alteram venire actionem. Sed si quidem furem elegerit, illum  
qui rem utendam accepit, penitus liberari. Sin autem commoda-  
tor veniat adversùs eum, qui rem utendam accepit; ipsi qui-  
dem nullo modo competere posse adversùs furem furti actionem,  
eum autem qui pro re commodata convenitur, posse adversùs  
furem furti habere actionem: ita tamen si dominus sciens rem esse  
subreptam, adversùs eum, cui res commodata fuerit, pervenit.  
Sin autem nescius & dubitans rem esse subreptam, apud eum  
commodati actionem instituerit, postea autem re compertâ, vo-  
luerit remittere quidem commodati actionem, ad furri autem ac-  
tionem pervenire; tunc licentia ei conceditur & adversùm furem  
venire, obstaculo nullo ei opponendo, quoniam incertus consti-  
tutus movit adversùs eum, qui rem utendam accepit, commo-  
dati actionem; nisi domino ab eo satisfactum fuerit: tunc ete-  
num omnino furem à domino quidem furti actione liberari: sup-  
positum autem esse ei, qui pro re sibi commodata domino satis-  
fecit; cum manifestissimum sit, etiam si ab initio dominus actio-  
nem commodati instituerit, ignarus rem esse subreptam; postea  
autem hoc ei cognito, adversùs furem transierit: omnino libera-  
ri eum, qui rem commodatam acceperit, quemcumque causæ exi-  
tum dominus adversùs furem habuerit; eadem definitione obti-  
nente, sive in parte, sive in solidum solvendo sit is qui rem com-  
modatam acceperit.

**N** commodatario idem jus antiquitus obtinebat, quod in fullone & sarcinatore jam expositum est. Sed constitutione Justiniani sanctum fuit, ut commodanti sive domino rei subreptæ competenter electio; an vellet agere commoda-  
ti adversus commodatarium, vel furti adversus furem; ita tamen ut semel facta electione unius actionis non liceret ei variare, & ad alteram recurrere. Unde sit, ut electo fure commodatarius liberetur; & vice versa, ut electo commodatario sur securus fiat, *l. ult. C. b. t.* Ideò autem commodanti benignius succursam est, quam locanti; quia qui commodat meram plerunque liberalitatem exercet, rei suæ usum sponte abdicat, & nullam ex suo commodato utilitatem percipit; ideoque propter benignum ejus officium, majori prærogativa dignus fuit, quam locator, qui absque ulla liberalitate & solius suæ utilitatis gratia, contraxit cum fullone aut sarcinatore.

*Ad §. Sed is, apud quem.*

**S**ED is, apud quem res deposita est, custodiam non præstat; sed tantum in eo obnoxius est, si quid ipse dolo malo fecerit. Quâ de causâ si res ei subrepta fuerit, quia restituendæ ejus rei nomine depositi non tenetur, nec ob id ejus interest rem salvam esse; furti agere non potest, sed furti actio domino competit.

**D E P O S I T A R I U S** furti actionem non habet; quia eius nihil interest; cùm dolum tantum præstare teneatur, *l. 23. ff. de reg. jur.* Quod si dolum admiserit, non tamen idè minus actio illa ipsi denegatur, quamvis illius inter sit; quia nemo ex improbitate sua actionem consequitur, *l. 12. §. 1. & l. 14. §. is. autem, ff. b. t.* Idemque juris est, si latâ ejus culpâ depositæ rei furtum fiat, quia lata culpa pro dolo habetur, *l. quod Nerva, ff. depos.* Sed si custodiam promiserit depositarius, vel sponte deposito se obtulerit, furti agere non prohibetur; quia manifestum est, ejus interesse ex honesta causa, rem penes se depositam salvam esse, *arg. d. l. 14. §. qualis, junctâ l. 1. §. sepe ff. depos.*

*Ad §. pen.*

**N** summa, sciendum, quæsitum esse, an impubes rem alienam amovendo, furtum faciat? Et placuit, quia furtum ex affectu (furandi) consistit, ita demum obligari eo crimine impuberem, si proximus pubertati sit, & ob id intelligat se delinquere.

**Q U O D** autem diximus; actionem furti competere adversus furem; id locum habet; etiam adversus impuberem; sed hoc ita demum verum est si pubertati sit proximus & doli capax. Nam infantes penis delicta vindicantibus non debent esse obnoxii, *l. 12. ff. ad L. Cornel. de sicar.* Idem dicendum arbitror de proximis infantæ, cùm eos quoque innocentia consilii tucatur; sed proximos pubertati, doli capaces xtas à poena non liberat; quia malorum mores infirmi-

tas animi non excusat, l. 1. C. si adversus delictum. Unde eleganter adversus tales pueros declamat Apuleius apol. 2. sed etiam malitiâ præcoci puerum quis non aversetur atque oderit? cùm videat velut monstrum quoddam priùs robustum scelere, quam corpore; ante nocentem quam potentem; viridi pueritiâ, canâ malitiâ: vel potius hoc magis noxiū, quod cum veniâ perniciōsus est; & nondum pœna, jam injuria sufficit. Cæterum ille solum impuberis delictum pœna obnoxium est, quod in facto; non in omissione aut nudâ negligentiâ consistit, l. 2. Cod. cod. & quod jus commune & naturale infringit, non civile, cap. 2. extr. de delict. puer.

*Ad §. ult.*

**F**URTI actio, sive dupli, sive quadrupli, tantum ad pœnæ persecutionem pertinet. Nam ipsius rei persecutionem extrinsecus habet dominus, quam aut vindicando, aut condicendo potest auferre. Sed rei vindicatio quidem adversus possessorem est; sive fur ipse possideret, sive alius quilibet: condicō autem adversus furem ipsum hæredem ejus, licet non possideat, competit.

PRÆTER actionem furti merè pœnalem, aliæ tres insuper competit adversus furem, propter rei persecutionem; videlicet rei vindicatio, actio ad exhibendum, & conductio furtiva. Priorē duxā dantur adversus possessorem, sive fur ipse possideat, sive alius quilibet. Sed condicō furtiva adversus furem & furis hæredem domino competit, quamvis nenter possideat. Imò vero quamvis res consumpta sit, condicō competit, quia licet res consumpta vindicari non possint, condici tamen possunt, §. si tamen sup. de rer. divis. Agi denique contra furem criminaliter & extra ordinem potest, l. ult. ff. de furt. quod etiam in cæteris privatis delictis locum habet, l. ult. ff. de privat. delict.



## T I T U L U S I I.

### D E V I B O N O R U M R A P T O R U M.

*Ad Princip.*

**Q**UI res alienas rapit, tenetur quidem etiam furti (quis enim magis alienam rem invito domino contrectat, quam qui vi rapit? ideoque recte dictum est eum improbum furem esse) sed tamen propriam actionem ejus delicti nomine Prætor introduxit, quæ appellatur vi bonorum raptorum; & est intra annum quadrupli, post annum simpli: quæ actio utilis est, etiamsi quis unam

rem, licet minimam, rapuerit. Quadruplum autem non totum poena est, sicut in actione furti manifesti diximus, sed in quadruplo inest, & rei persecutio: ut poena tripli sit, sive comprehendatur raptor in ipso delicto, sive non. Ridiculum enim esset levioris conditionis esse eum, qui vi rapit, quam qui clam amovet.

**I**N hoc titulo agitur de rapina & actione vi bonorum raptorum, quae ex illa oritur: actionis itaque nomen in hac rubrica nostra subintelligitur, sicut & in multis aliis per universum juris corpus sparvis. Rapina est † violenta & fraudulenta rei mobilis ablatio. Hec alias dicitur violentum & improbum furtum, nec immerito: neque enim quisquam magis invito domino rem contrectat, quam raptor. Atque ideo propter bona vi rapta, non tantum actio vi bonorum raptorum, sed etiam furti competit; manifesti quidem in quadruplum merè penale, si raptor fuerit deprehensus. Actio autem furti nec manifesti locum habet, si deprehensus raptor non fuerit. Actio vi bonorum raptorum est in quadruplum non merè penale intra annum; post annum vero in simplum pro sola rei persecutio.

Ex his tamen non sequitur, levioris esse conditionis eum qui vi rapit, quam qui clam amovet; quia fur tenetur tantum in quadruplum, si deprehensus fuerit; raptor vero in quadruplum tenetur indistincte, sive deprehendatur in ipso delicto, sive non. Fieri autem facile posse, ut raptor in delicto non comprehendatur, convincitur ex l. 52. §. ult. ff. de furt. ubi dicitur eum qui ex domo, in qua nemo erat, aliquid rapuerit actione vi bonorum raptorum & furti non manifesti teneri, si nemo eum deprehenderit tollentem. Præterea simplex rei persecutio in actione vi bonorum raptorum famosa est, §. pen. inf. de pena tem. lit. At vero in furto, rei persecutio non est famosa; quia conditioes damnum famæ non irrogant, l. 36. ff. de oblig. & act. Vindicatio quoque rei furtivæ haud dubie famosa non est, cum detur indistincte adversus quemcumque possessorem, §. 1. inf. de act.

Nec obstat quod actio furti manifesti in quadruplum sit merè penalis; actio vero vi bonorum raptorum non sit penalis, nisi in triplum; quia hæc actio majorem famæ labem irrogat, quam furti actio: ideoque sicut duriori penâ infamia vitatur & compensatur; ita ut penæ severitate cum reo transactum de existimatione videatur, l. 13. §. pen. ff. de his qui not. infam. & l. 4. C. eod. sic etiam vice versa majoris penæ pecuniarie defectum, major infamia plenè compensat in hac specie. Dubium denique non est, quin raptor manifestus furti non manifesti actione tenetur. Non igitur raptoris levior est conditio, quam furis.

#### Ad §. I.

**I**T A tamen competit hæc actio, si dolo malo quis rapuerit. Nam qui aliquo errore ductus, rem suam esse existimans, & imprudens juris, eo animo rapuerit, quasi domino liceat etiam per vim rem suam auferre à possessoribus, absolvi debet. Cui scilicet conveniens est, nec furti teneri eum, qui eodem hoc

animo rapuit. Sed ne, dum talia excogitantur, inveniatur via per quam raptiores impunè suam exerceant avaritiam, melius divalibus constitutionibus pro hac parte prospectum est, ut nemini licet vi rapere vel rem mobilem, vel se moventem, licet suam, eamdem rem existimet: sed si quis contra statuta Principum fecerit, rei quidem suæ dominio cadere; sin autem aliena [res] sit, post restitutionem ejus, etiam estimationem ejusdem rei praestare. Quod non solum in mobilibus rebus, quæ rapi possunt, constitutiones obtinere censuerunt; sed etiam [in] invasionibus circa res soli fiunt, ut ex causa ab omni rapina homines abstineant.

**G R A V I O R** quoque est actio vi bonorum raptorum actione furti; quatenus nemo tenetur furii, nisi dolo malo res alienas contrectaverit, §. placuit, *Sup. tit.* Sed qui rem aliquam vi rapit, indistincte punitur, sive malam, sive bonam fidem habuerit ex constitutione Imp. Valentiniani, Theodosii & Arcadii, l. 7. C. *unde vi.* Nam qui res proprias rapuit, dominio earum cadit. Qui vero rapuit alienas, eas restituere compellitur, &c. pretium earum insuper solvere; sive crediderit esse suas, sive cognoverit alienas: idemque jus obtinet in invasionibus. Rapina & furtum in rebus mobilibus dumtaxat locum habent; invasiones vero circa res soli fiunt.

*Ad §. ult.*

**S**A N è in hac actione non utique expectatur, rem in bonis actoris esse. Nam sive in bonis sit, sive non; si tamen ex bonis sit, locum haec actio habebit. Quare sive locata, sive commoda-ta, sive etiam pignorata, sive deposita sit [res] apud Titium, sic ut intersit ejus eam rem [per vim] non auferri, (veluti si in deposita re culpam quoque promisit) sive bona fide possideat, sive usumfructum quis habeat in ea, vel quid aliud juris, ut intersit ejus non rapi; dicendum est, ei competere hanc actionem, non ut dominium accipiat: sed illud solum, (quod) ex bonis ejus qui rapinam passus est (id est) quod ex substantia ejus ablatum esse proponatur. Et generaliter dicendum est, ex quibus causis furti actio competit in re clam facta, ex iisdem causis habere hanc actionem.

**C O N V E N I U N T** vero inter se invicem haec duæ actiones, quod in quibus casibus in re clam facta, furti actio competit: in iisdem si vis facta fuerit, competit actio vi bonorum raptorum. Neque inspicimus in ulla istarum actionum, utrum res recepta in bonis alicujus fuerit, vel ex bonis tantum: eique semper competant cujus interest rem receptam non fuisse. In bonis † dicuntur

esse illa tantum ; quorum dominium ad nos pertinet deducto omni ære alieno ,  
*l. sub signatum 39. §. 1. ff. de verb. signif.* Ex bonis vero nostris † illa esse dicuntur , que cum ad dominium nostrum non pertineant , in substantia tamen & numero rerum nostrarum inveniuntur , §. furii autem , & quatuor seqq. sup. tit.



## T I T U L U S III.

### AD LEGEM AQUILIAM.

*Ad princip.*

**D**AMNI injuriæ actio constituitur per Legem Aquiliam ; cuius primo capite cautum est , ut si quis alienum hominem , alienamve quadrupedem , que pecudum numero sit , injuriâ occiderit , quanti ea res in eo anno plurimi fuerit , tantum domino dare damnetur .

**D**AMNUM injuriâ datum † nihil est aliud , quam patrimonii diminutio ; quæ non jure alteri illata est , per corruptionem rei aut deteriorationem ejus . Quæ ultima verba idè addimus , quia qui furtum facit aut rapinam , patrimonium quidem alienum minuit ; damnum tamen dedille non dicitur : neque enim rem alienam corruptit aut deteriorum efficit . De illo damno lata est Lex Aquilia , rogante Aquilio Tribuno plebis : unde apparet plebis dictum esse , non legem strictè sumptam , *l. in fine ff. b. t.* Hæc Lex ceteris legibus quæ ante se damno injuriâ dato latæ sunt , derogavit *d. l. i.* & tribus capitibus illud vindicavit ; quorum primum & tertium hoc tit. explicitur .

**C**apite primo L. Aquiliæ caverit , ut qui alienum hominem , alienamve quadrupedem , quæ pecudum numero sit , injuriâ occiderit , quanti *id in eo* anno plurimi fuerit , tantum æs domino dare damnatus esset . Cujus capititis singula ferè verba sigillatim exponenda sunt , ut Justinianæ textus sequamur vestigia .

Dictum est primò , *alienum hominem , alienamve quadrupedem :* unde apparet ea lege servos quadrupedibus adæquari in damno injuriâ dato , *l. 2. §. ut igitur , ff. b. t.* non tamen in omnibus casibus hæc adæquatio locum habet , *l. vetus in pr. ff. de usfr. l. in pecudum ff. de usfr. & §. si quis ancillas sup. de legat.*

*Ad §. 1.*

**Q**UOD autem non præcisè de quadrupede , sed de ea tantum quæ pecudum numero est , caverit ; eo pertinet , ut neque de feris bestiis , neque de canibus cautum esse intelligamus ; sed de iis tantum , quæ ( gregatim ) propriè pasci dicuntur : quales sunt

equi, muli, asini, oves, boves, capræ. De suibus quoque idem placuit. Nam & sues pecudum appellatione continentur; quia & hi gregatim pascuntur. Sic denique & Homerus in Odyssæa ait (sicut Ælius Martianus in suis institutionibus Latinè refert, )

*Sectantem videoas, qui errant per pascua, porcos*

*Ad Coracis saxum, juxta fontemque Arethusam.*

DICTUM est præterea, quæ pecudum numero est; quia id jus ad canes & ad feras bestias non pertinet, sed ad illa tantum animalia, quæ pecudum numero sunt, id est quæ gregatim pascuntur; cujusmodi sunt equi, muli, asini, oves, boves, & capræ, nec non etiam sues. Quod ultimum cùm posset Justin. quotidianis experimentis comprobare, maluit exemplo Martiani JC. in l. 55. §. pecoribus, ff. de leg. 3. Homericis versibus id illustrare ex Odisseæ lib. 13. qui Latinè ita mihi videntur exponi posse.

*Adstantem invenies suibus, qui pabula querunt*

*Ad Coracis saxum, atque Arethusæ fontis ad undas.*

Elephantî verò & Camelî, licet sint feræ naturæ, pecudibus tamen adnumerantur, quia jumentorum operam præstant, l. 2. §. ult. ff. b. t.

### *Ad §. Injuriam.*

**I**NJURIA autem occidere intelligitur, qui nullo jure occidit. Itaque qui latronem [ insidiatorem ] occiderit, non tenetur utique, si aliter periculum effugere non potest.

DIXIT 3. Imp. *injuriam*; quia ut sit locus Legi Aquiliæ, non sufficit servum occisum fuisse vel quadrupedem; sed oportet injuria id esse factum, l. 3. ff. cod. Injuria verò occidisse tunc dicitur, qui nullo jure occidit, sive dolo, sive etiam sola culpâ levissimâ id fecerit, l. 44. ff. b. t. Quod est valde admodum singulare in hoc genere delicti, ut sine animo delinquendi committatur. Ex his sequitur, cum qui servum alienum latronem sibi insidiantium occiderit, securum esse debere; quia vim illatam vi repellere omnes leges omniaque jura permitunt, l. 4. & l. 45. §. pen. ff. cod. Ideoque cito ter M. Tullius pro Mil. num. 10. Non est (inquit) hæc scripta, sed nostra Lex, quam non didicimus, accepimus, legimus; verum ex natura ipsa arripiimus, hausimus, expressimus; ad quam non docti, sed facti; non instituti, sed imbuti sumus: ut si vita nostra in alias insidias, si in vim, si in tela aut latrōnum, aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expedienda salutis.

Duas tamen hæc régula restrictiones patitur. Prior est quod is solus excusat qui se tuendi dumtaxat, non ulciscendi causâ, alteram occiderit, d. §. pen. & qui observaverit moderationem inculpatæ tutelæ, l. 1. C. unde vi. Altera restrictio est, quod in hoc Regno necessarium sit, etiam ei qui aggredientem occidit gratiæ diplomata impetrare. Unde fit ut Pedanei Judices eos percusso-

res non possint absolvere ; quia apud eos non possunt concedi hujusmodi litteræ ; cùm id pertineat ad solas Cancellarias Principis. Verum post appellationem ad Regios Judices interpositam , adhibitâ formulâ ejusmodi rescriptorum plenam securitatem innocentem consequuntur.

*Ad §. Ac ne is quidem.*

**A**C ne is quidem hâc lege tenetur , qui casu occidit , si modo culpa ejus nulla inveniatur : nam alioqui non minùs ex dolo , quam ex culpa quisque hâc lege teneretur.

Is quoque qui occidit alterum casu aliquo merè fortuito , non dicitur iniuria occidit. Sed si culpa præcesserit , non minùs ex dolo , quam ex culpa tenetur qui occidit , ut dicitur in hoc §. id est non minùs ex culpa quam ex dolo. Sic enim inverso ordine verborum sâpe loquentur Jurisconsulti , l. 7. §. pactorum , ff. de pactis in pr. sup. de hered. insit. & l. ab hostibus , §. non minùs , ff. ex quib. cau. major. 25. ann. in int. restit. Cujus juris hæc ratio afferri posse videtur ; quia æquius est , periculum damni culpâ illati ad eum pertinere qui culpam admisit , quam ad eum cui illatum est. Idque illustratur ab Imp. quatuor exemplis propositis.

*Ad §. Itaque.*

**I**T A Q U E si quis dum jaculis ludit , vel exercitatur , transeuntem servum tuum trajecerit , distinguitur. Nam si id à milite in eo campo , ubi solitum est exercitari , admissum est , nulla culpa ejus intelligitur : si aliis tale quid admiserit , culpæ reus est. Idem juris est de milite , si in alio loco , quam qui ad exercitandum militibus destinatus est , id admiserit.

**P R I M U M** constituitur in eo qui jaculis ludit ; quia ludus noxious in culpa est , l. 11. ff. b. t. nisi forte concurrent duæ conditions , quatum concursus factum excusat : videlicet quod miles damnum aliquod dederit jaculando ; & quod in eo loco jaculatus fuerit , ubi solent milites exercitari , in campo scilicet sub campi Doctore. Ad quem ludum respexit Juven. Sat. 5. loquens de militia tyrone.

*Qui tegitur parmâ & galeâ , metuensque flagelli  
Discit ab hirsuta jaculum torquere capella.*

Id est ab amento ex pelle caprina confecto , quod metonymicè designatur per capellam ipsam : sicuti naves ipsæ , pinus , cupressi , vel alterius materiae nomine apud Poëtas sâpissime designantur.

*Ad*

*Ad §. Item si putator.*

**I**TEM si putator ex arbore dejecto ramo servum tuum transeuntem occiderit; si propè viam publicam, aut vicinalem id factum est, neque proclamavit, ut casus evitari posset, culpæ reus est: sed si proclamavit, nec ille curavit præcavere, extra culpam est putator, atque extra culpam esse intelligitur, si seorsum à via forte, vel in medio fundo cædebat, licet non proclamavit; quia [in] eo loco nulli extraneo jus fuerat versandi.

**S**ECUNDUM exemplum depromitur ex persona frondatoris, qui putator *hoc loco* dicitur, & in l. 13. ff. eod. eo quod superfluos arboris ramos amputet, & arborem puram putam faciat. Si igitur putator propè viam publicam vel vicinalem dejecto ramo servum prætereuntem culpâ suâ occiderit, L. Aquiliâ teneatur. Via publica † appellatur via magna, quæ ducit ad magnas urbes, & maximè ad eam quæ est sedes Imperii; ideoque videtur dicta via Regia. Via vicinalis est quæ ducit ad vicos, l. 2. §. viarum, ff. ne quid in loco publico. Culpæ reus est putator, qui in viam publicam vel privatam ramos dejicit; nec proclamat, ut transeuntes sibi cavere possint. At si nullum fuerit iter, solum dolum præstare tenetur: neque ei imputari potest, cur non divinaverit, an per eum locum esset aliquis transitus, d. l. 31.

*Ad §. Præterea.*

**P**RÆTEREA, si Medicus, qui servum tuum secuit, dereliquerit curationem (ejus) & ob id mortuus fuerit servus, culpæ reus erit.

**T**ERTIUM exemplum proponitur in persona Medici, cuius non solum negligentia supina, sed etiam imperitia Lege Aquiliâ coercetur. Supina dicitur negligentia, si ad extrahendum calculum, vesicam servi tui secuerit, vel brachium sphacelo correptum amputaverit; & deinceps eum servum curare desierit: ita ut servus eam ob causam mortuus sit. Quo casu dubium non est, quin Medicus Lege Aquiliâ teneatur; quia occidisse videtur, qui mortis causam praesedit, l. ita vulneratus 51. in pr. ff. ad L. Aquil.

*Ad §. Imperitia.*

**I**MPERITIA quoque culpæ adnumeratur: veluti si Medicus (ideò) servum tuum occiderit, quia malè cum secuerit, aut perperam ei medicamentum dederit.

**S**UPINA quoque Medicus imperitia Legi Aquiliæ obnoxia est: forte si pro Mmm

vena arteriam vel nervum secuerit , vel vehementius aliquod catharticum ei propinaverit ; quia homicidii crimen est in hominis salute peccare , *Cassiod. lib. 6. Variar. cap. 19.* & ut dicitur in l. *illicitas 6. §. sicuti, ff. de offic. Praef.* sicuti Medicus imputari eventus mortalitatis non debet , ita quoque quod per imperitiam commisit imputari ei debet ; & pretextu humanæ fragilitatis , delictum decipiens in periculo hominis innoxium esse non deber . Atque ita intelligendum videtur illud Ovidianum distichon de remed. amor.

*Non est in Medico , semper relevetur ut ager.*

*Interdum doct̄a plus valet arte malum.*

Ex quibus colligere est , Medicorum nomen , non tantum viris peritis , qui remedia prescribunt , sed etiam Chirurgis & Pharmacopæis convenire ; eo quod hæc tria munia ab antiquis Medicis exercerentur.

*Ad §. Impetu.*

**I**MPE TU quoque mulierum , quas mulio propter imperitiam retinere non potuit , si servus tuus oppressus fuerit , culpæ reus est mulio . Sed si & propter infirmitatem eas retinere non potuerit , cum aliis firmior eas retinere potuisset ; æque culpâ tenetur . Eadem placuerunt de eo quoque , qui cum equo veheretur , impetum ejus aut propter infirmitatem , aut propter imperitiam suam retinere non potuerit .

QUARTUM denique exemplum pertinet ad eos muliones & equorum ductores , qui vel propter imperitiam , vel propter infirmitatem virium mulos vel equos , quos ducebant , non potuerunt retinere ; cum aliis solertia vel robustior eos continere potuisset . Nam si unus ex servis ea de causa à mulo vel equo obtritus sit , tenebitur mulio vel equi ductor actione L. Aquiliae ; quia nemo affectare illud debet , in quo intelligit vel intelligere debet infirmitatem suam aliis periculosam futuram , l. 8. §. 1. ff. b. t.

*Ad §. His autem.*

**H**IS autem verbis legis quanti id eo in anno plurimi fuerit , illa sententia exprimitur : ut si quis hominem tuum , qui hodie claudus , aut mancus , aut luscus erit , occiderit , qui in eo anno integer , aut pretiosus fuerit ; non tanti teneatur , quanti hodie erit , sed quanti in eo anno plurimi fuserit . Quâ ratione creditum est , poenalem esse hujus legis actionem ; quia non solum tanti quisque obligatur , quantum damni dederit , sed aliquando longè pluris . Ideoque constat in hæredem eam actionem non transire ; quæ transitura fuisset , si ultra damnum numquam lis æstimaretur .

**DICTUM** est denique in primo cap. Legis Aquiliæ; *quanti ea res in anno plurimi fuerit*: quibus verbis designatur damnum illatum aestimari habita ratione aestimationis maximæ, quæ fuit anno retrò, id est trecentis sexaginta quinque diebus retrorsum computatis à die inficti vulneris mortiferi. Unde si servum habeas pictorem qui propter soleriam artis eximie valeat centum nummos; eique servo pollex intra annum absindatur, ita ut fiat pretii dum taxat decem nummorum; quisquis postea eum servum occiderit, condemnabitur ad centum nummos tibi præstandos: sicut aestimabatur, priusquam artem cum pollice amisisset, l. 23. §. 3. ff. h. t. Ex quibus inferendum est, actionem L. Aquiliæ penalem esse cùm servus occisus intra annum pluris valuit, quam eo tempore, quo interemptus est; ideoque in hæredes non dari, §. 1. inf. de perpet. & temp. aet. ubi id Deo favente exactius discutietur.

## Ad §. Illud.

**L**UD non ex verbis legis, sed ex interpretatione placuit, non solùm perempti corporis aestimationem habendam esse, secundum ea quæ diximus; sed eò ampliùs, quidquid præterea, peremptio eo corpore, damni vobis illatum fuerit: veluti si servum tuum hæredem ab aliquo institutum antè quis occiderit, quam is jussu tuo hæreditatem adierit. Nam hæreditatis quoque amissæ rationem esse habendam constat. Item si ex pari mularum unaam, vel ex quadrigis equorum unum quis occiderit, vel ex comedis unus servus occisus fuerit; non solùm occisi fit aestimatio, sed eò ampliùs, id quoque computatur, quanti depretiati sunt, qui supersunt.

**R**EI nomine designatur in Lege Aquilia corpus occisum. Sed quia tota restitutio in iuris interpretatione conflitit; ita ut nemo restituere tem videatur, nisi omnem causam & conditionem rei restituat, l. ult. §. 1. ff. de verb. sign. idèo Prudentes (quorum officium est iura semper in melius producere, l. 2. §. post originem, ff. de orig. jur.) eam interpretationem Legi Aquiliæ addiderunt; ut omnis causa sive utilitas peremptio corpori coherens aestimetur, & ejus quod interest ratio habeatur, l. 21. §. ult. l. 22. & l. 23. in pr. ff. h. t. v. g. si servus hæres ab extraneo institutus, aut si ex servis comedis unus, vel ex pari mularum una occidatur: tunc enim non solùm perempti corporis facienda est aestimatio, sed etiam hæreditatis amissæ, & ejus etiam, quo cætera corpora depretiata sunt. Damnum tamen affectionis non aestimatur, forte si quis servum tuum, eundemque filium tuum naturalem occiderit; quia pretia rerum non ex affectu singulorum, sed communiter funguntur, l. 33. ff. h. t. & l. pretia in pr. ff. ad L. Falcid.

## Ad §. Liberum.

**L**IBERUM autem est ei cuius servus occisus fuerit, & ex iudicio privato Legis Aquiliæ damnum persequi, & capitalis criminis [cum] reum facere.

**P**RÆTER actionem sive judicium privatum Legis Aquiliae, is qui servum alienum dolo malo occidit, tenetur ius super judicio publico Legis Corneliae deficariis; quia haec Lex non distinguit cuius conditionis homo occisus sit, vel liber, vel servus, l. 1. §. & qui hominem, ff. ad L. Cornel. de ficiar. Dixi dolo malo; quia licet ex Lege Aquilia ob culpam etiam levissimam teneamur, l. 4. ff. b. t. ex Lege tamen Cornelia nemo tenetur, nisi dolum admiserit, l. 7. ff. ad L. Cornel. de ficiar. Per actionem autem Legis Aquiliae, judicio publico Legis Corneliae nullum fit præjudicium, l. 23. §. si dolo, ff. b. t. id est nihil vetat, quin illud, quod privato judicium erit, publico postmodum judicio iterum judicetur (*l'un ne fait point de préjudice à l'autre.*) Alio itaque sensu in l. 4. ff. de publ. judic. dicitur in actione L. Aquiliae, præjudicium fieri judicio publico; id ad probationem homicidii in judicio publico faciendum, multum conferre rem anteà judicatam circa actionem Legis Aquiliae. Nostro idiomate dicemus, (*l'un fert de préjugé à l'autre.*) Sunt & alia præjudicij significaciones.

*Ad §. Caput.*

## CAPUT secundum Legis Aquiliae in usu non est.

**C**APUT secundum Legis Aquiliae in usu non est. Quid verò in eo capite caustum fuerit valde incertum est. Suspiciatur summus Antecessor in suo paratello, ff. ad b. t. in eo secundo capite actum fuisse de quavis alia specie damni dati, quæ neque in primo, neque in tertio capite contineretur, etiamsi non esset laesa res nostra, sed intercepta dumtaxat aliqua utilitas. Quod probat ex Plinio lib. 9. natur. histor. ubi narratur, pescatorem quemdam erga socium condemnatum fuisse in decem libras, eo quod Anthiam pescem conciliatorem capture in macello vendidisset. Tuitius tamen fore arbitror, si id secundum caput referamus ad mores servi corruptos; quia Lex Aquilia continuauit omne damnum iniuria datum, & ceteris legibus, quæ de eo damno anteà locutæ fuerant derogavit, l. 1. ff. b. t. Quod insuper immuere videtur quæ in jure saepe occurrit comparatio actionis L. Aquiliae & servi corrupti, §. sed furti inf. de act. & l. 5. §. hec actio, ff. de serv. corr. Nec video quid obstet, quoniam pescator ille Plinianus actione pro socio vel Legis Aquiliae ex tertio ejus capite fuerit condemnatus. Ceterum ideò videtur secundum hoc caput in desuetudinem abiisse, quod ex eo adversus inficiantem dumtaxat daretur actio in duplum. Sed actio servi corrupti Prætoria est, & in duplum statim ab initio, & cessante omni inficiatione; ideoque propter maiorem ejus utilitatem paulatim effectum est, ut secundum caput Legis Aquiliae in usu esse desierit.

*Ad §. Capit.*

## CAPITUS tertio de omni cætero damno cavitur. Itaque si quis servum vel eam quadrupedem, quæ pecudum numero est, vulneraverit sive eam quadrupedem, quæ pecudum numero non est, veluti canem, aut seram bestiam vulneraverit, aut occiderit sive hoc capite actio constituitur. In ceteris quoque omnibus animali-

bus, item in omnibus rebus, quæ animâ carent, damnum per injuriam datum, hac parte vindicatur. Si quid enim ustum, aut ruptum, aut fractum fuerit; actio ex hoc capite constituitur, quamquam poterat sola rupti appellatio in omnes istas causas sufficere: ruptum enim intelligitur, quod quoquo modo corruptum est. Unde non solum fracta, aut usta, sed etiam scissa, & collisa, & effusa, & quoquo modo perempta, atque deteriora facta, hoc verbo continentur. Denique responsum est, si quis in alienum vinum, aut oleum, id miscuerit, quo naturalis bonitas, vini aut olei corrumperetur; ex hac parte Legis [Aquilie] cum teneri.

**T**ERTII capitinis erant hæc verba: Ceterarum rerum preter hominem vel pecudem occisos, si quis alteri damnum faxit, sive quid usserit, fregerit, ruperit injuria, quanti ea res erit in diebus triginta proximis, tantum a domino dare dannas esto, l. si servus 27. §. Tertio autem, ff. b. t. Quæ voces ea res, non sunt ita interpretandæ; ut si quis servum vulneraverit qui valuerat centum numeros, is domino centum numeros solvere continuo teneatur; sed tantum ut præstet ei estimationem illius damni, quæ maxima fuit intra triginta dies superiores.

Ex his sequitur, tertio huic capiti locum esse; si quis servum alienum vulneraverit, aut quadrupedem alienam, quæ pecudum numero sit; aut si quis alterius generis quadrupedem occiderit, aut si aliquid usserit, fregerit, ruperit, aut quavis ratione deterius fecerit vinum, vel oleum, vel quid aliud alienum. Uno verbo in capite tertio L. Aquilie cautum fuerat de omni cætero damno injuriæ dato, quod neque in primo neque in tertio capite contineretur.

## Ad §. Illud.

**I**LUD palam est, sicut ex primo capite ita demum quisque tenetur, si dolo aut culpâ ejus homo aut quadrupes occisus occasive fuerit; ita ex hoc capite, de dolo aut culpa, [&] de cætero damno quinque teneri.

**SUPEREST**, ut hæc duo Legis Aquilie capita inter se invicem conferamus, & in quibus differant & convenient perscrutemur. Dicitur non solum quoad genus damni dati, & rerum in quibus damnum illatum est; sed insuper, quoddam damnum datum ex tertio capite estimetur, non quanti res fuerit in eo anno, sicut sit in primo capite; sed tantum quanti ea res fuerit triginta diebus superioribus, à die damni illati numerandis.

Conveniunt verò in multis hæc duo capita. Primum utrobique & dolus & culpa puniuntur, l. 44. ff. b. t. Præterea in utroque capite estimatione ratione temporis præteriti, non præsentis. Unde vulgo dicitur, Legem Aquilam in occipito oculos habuisse, quod semper retro respiciat. In utroque insuper agitur de illo damno quod sit per læsionem alicuius corporis, ut constabit ex §. ult.

Ad §. pen.

**E**X hoc tamen capite non quanti in eo anno, sed quanti in diebus triginta proximis res fuerit, obligatur is, qui damnum dederit.

**C O N V E N I U N T** 4. hæc duæ Legis partes, quod sicut vox plurimi expressa fuit in primo capite, ita etiam in textio intelligitur repetita, ex mente plebis Romana, quæ Aquilio Tribuno plebis interrogante hanc Legem constituit. Quamvis enim interpretatione legum, pœna sint potius mollienda quam asperrandæ, l. pen. ff. de pœnis; non tamen est admittenda hæc pœnarum mitigatio, quoties urget contraria mens Legislatoris evidenter expressa, sicut accidit in hoc casu; quia ea quæ in præcedentibus semel expressa sunt, intelliguntur in consequentibus repetita, l. 134. §. 1. ff. de verb. oblig.

Ad §. ult.

**A**T nec plurimi quidem verbum adjicitur, sed Sabino rectè placuit, perinde habendam estimationem, ac si etiam hac parte plurimi verbum adjectum fuisset: nam plebem Romanam, quæ Aquilio Tribuno interrogante hanc Legem tulit, contentam fuisse, quod primâ parte eo verbo usâ esset.

Cæterum placuit, ita demum directam ex hac Lege actionem esse, si quis præcipue corpore suo damnum dederit. Ideoque in eum, qui alio modo damnum dederit, utiles actiones dari solent. Veluti si quis hominem alienum, aut pecus ita incluserit, ut fame necaretur: aut jumentum ita vehementer egerit, ut rumperetur: aut pecus in tantum exagitaverit, ut præcipitaretur: aut si quis alieno servo persuaserit, ut in arborem ascenderet, vel in puteum descenderet, &c. is ascendendo, vel descendendo, aut mortuus, aut aliquâ parte corporis læsus fuerit, utilis actio in eum datur. Sed si quis alienum servum (aut) de ponte, aut de ripa in flumen dejecerit, &c. is suffocatus fuerit, eò quod projectus, corpore suo damnum dedisse, non difficulter intelligi potest, ideoque ipsâ Lege Aquiliâ tenetur. Sed si non corpore damnum fuerit datum, neque corpus læsum fuerit, sed alio modo alicui damnum contigerit; cùm non sufficiat, neque directa, neque utilis Legis Aquiliæ actio: placuit eum qui obnoxius fuerit, in factum actione teneri; veluti si quis misericordiâ ductus alienum servum compeditum solverit ut fugeret.

**C O N V E N I U N T** denique hæc duo capita Legis Aquiliæ, quod ex illis

oriatur actio ; quæ dicitur actio damni injuriæ dati , & actio damni injuriæ , vel actio damni injuriæ ; nec-non etiam Legis Aquiliæ , & ex L. Aquilia. Estque triplex , † directa , utilis , & in factum . Directa L. Aquiliæ actio † est illa , quæ competit adversus cum qui corpore suo damnum dedit corpori alieno ; ita dicta , quod directe descendant ex verbis & mente L. Aquiliæ ; & quod dirigatur secundum verba ejusdem Legis. Utilis actio L. Aquiliæ † datur eo casu , quo corpus corpore læsum non est , sed tantum corporis occasione damnum corpori datum est : ut si quis pecedes alienas ita incluserit , ut fame perirent. Dicitur utilis ; quia utilitate seu æquitate suadente ad similitudinem directæ & ex manifesta Legis mente introducta est à Prudentibus , quorum officium est iura semper in melius producere , l. 2. §. post originem , ff. de orig. jur. Actio denique in factum ex L. Aquilia † competit , quoties neque corpus corpore aut corporis occasione læsum est ; sed alia tantum ratione damnum datum est : ut si quis servum alienum compeditum , misericordiâ ductus solverit ut fugeret. Eo enim casu , deficiente directâ actione , quæ descendit ex verbis Legis , & deficiente etiam utili actione , quæ ex mente illius oritur ; necessarium fuit inducere aliam actionem , quæ in factum Prætoria nuncupatur ; eò quod auctoritate Prætoris inducta sit ; & quod citra solemnam formulam & per solam facti narrationem proponatur. Ceterum non raro actio in factum pro actione utili usurpatur.



## T I T U L U S I V.

## D E I N J U R I I S.

*Ad Princ.*

**G**E N E R A L I T E R injuria dicitur omne quod non jure fit specialiter , alias contumelia , quæ à contemnendo dicta est , quam Græci ἕρεμον appellant : alias culpa , quam Græci ἔγκλημα dicunt , sicut in Lege Aquilia damnum injuriæ datum accipitur : alias iniquitas & injustitia , quam Græci [ ἀδικίας ] καὶ ἀδικίαν vocant. Cum enim Prætor vel Judex non jure contra quem pronunciat , injuriam accepisse dicitur.

**I**NJURIA nomen multis modis accipitur : generaliter scilicet , pro eo omni quod non jure fit ; specialiter vero tribus modis. Primo quidem pro contumelia , quæ à contemnendo dicta est ; & haec est acceptio hujus loci , eoque sensu injuria † definiri potest delictum , quo alterius fama , dolo interveniente , minuitur. Accipitur pro culpa , ut fit in L. Aquilia ; quæ dum coercet damnum injuriæ datum , eo injuriæ nomine non tantum dolum continet , sed etiam quacumque culpam etiam levissimam , l. 44. ff. ad L. Aquil. Quid

est omnino speciale in illo genere delicti : nam in ceteris delictum sine affectu delinquendi non committitur. Tertio denique sumitur injuria pro iniuitate & injustitia, quam Prætor vel alius Judex committit cum iniquè decernit. Eo tamē casu Prætor ius reddere dicitur, relatione scilicet facta non ad id quod Prætor facit, sed ad illud quod Prætorem facere convenit, *i. pen. ff. de just. & jur.* Quibus ita præmissis tria exponemus hoc tit. quemadmodum injuria sive contumelia irrogetur, quibus modis coercentur, & quā ratione aboleantur.

## Ad §. I.

**I**NJURIA autem committitur non solum cum quis pugno pulsatus, aut fustibus cæsus, vel etiam verberatus erit; sed & si cui convicium factum fuerit, sive cuius bona quasi debitoris, qui nihil deberet, possessa fuerint ab eo qui intelligebat nihil eum sibi debere; vel si quis ad infamiam alicujus, libellum, aut carmen, (aut historiam) scripsérunt, composuerunt, ediderunt, dolore malo fecerunt, quo quid corum fieret; sive quis matremfamilias, aut pretextatum, prætextatamve adfectatus fuerit; sive cuius pudicitia attentata esse dicetur: & denique aliis plurimis modis admitti injuriam manifestum est.

**I**RROGATUR injuria dupli modo, re, aut verbis; re id est facto, cum quid in alterius injuriam committitur; ut si quis pugno aut fustibus alium vulneret; aut si cuius bona quasi debitoris, cum nihil deberet, possessa fuerint ab eo qui intelligebat nihil eum sibi debere. Dixi 1. cum nihil deberet; quia aliud est in vero debitore: nemini siquidem injuriam facit, qui suo jure utitur, *i. in factum*, §. 1. ff. de reg. jur. Dixi 2. ab eo qui intelligebat nihil eum sibi debere; quia non fit injuria sine affectu facientis.

Verbis fit injuria vel lingua nuncupatis, vel scripto expressis. Lingua quidem, cum convicium adversus aliquem profertur, ut si quis latro aut fur falso fuerit appellatus. Dico falso; quia eum qui nocentem infamavit, non est æquum ob eam rem condemnari: cum Reipublicæ expedit, nocentium crimina nota esse, ut quilibet sibi ab eorum fraudibus cavere possit, *i. eum qui* 18. in pr. ff. h. t.

Scriptis denique fit injuria, cum carmen famosum, aut historia contra alterius famam componitur, quæ injuria hodie *Pasquillus* appellatur, à statua quadam Pasquilli Romæ posita, cui hujusmodi scripta affigi solent. Quo casu non tantum punicndus est, qui composuit aut componi curavit haec scripta; sed etiam qui reperta edidit atque exhibuit, *i. 11. C. de famosis libellis.* Hujus criminis poena fuit capitalis, ex Lege 12. tab. teste *M. Tullio* lib. 4. de Republica. Deinde inductum est, ut autores famosi libelli essent intestabiles, id est ut neque possent testamentum facere, neque in testamentis alienis testes existere, *i. is cui, ff. qui test. fac. poss. & i. 5. §. pen. ff. hoc tit.* Poena denique legis antiqua postmodum in usum revocata est, *d. i. 11.*

Illa quoque injuria gravis est, si quis matremfamilias, aut prætextatum affectatus

assectatus fuerit vel appellaverit, l. 15. §. tenetur, ff. h. t. Assectari dicitur † qui tacitus mulierem frequenter sequitur: assidua enim frequentia quasi præbet nonnullam infamiam. Appellare † verò est sermone pudicitiam attenare, d. l. 15. §. alius. Prætextati & prætextatae † dicebantur apud Rómanos pueri ingenui, puellæque similiter ingenuæ, qui quæve annum 16. ætatis nondum compleverant; ita diidi quod togam gestarent, cujus oræ purpuræ prætextæ erant & ornatae: quam togam deponebant anno ætatis 17. simul cum bullæ, quam collo appensam eadēm ætate gestaverant.

## Ad §. Patitur.

**P**ATITUR autem quis injuriam non solum per semetipsum sed [etiam] per liberos suos, quos in potestate habet: itemque per uxorem suam; id enim magis prævaluit. Itaque si filiae alii cius, quæ Titio nupta est, injuriam feceris; non solum filiae nomine tecum injuriarum agi potest, sed etiam patris quoque & matriti nomine. Contrà autem, si viro injuria facta sit, uxor injuriarum agere non potest. Defendi enim uxores à viris, non viros ab uxoribus, æquum est. Sed & sacer nurus nomine, cujus uita [ejus] potestate est, injuriarum agere potest.

**N**EC tantum injuria alicui irrogatur in persona sua, sed etiam in persona eorum, qui aliquo iure ei subjiciuntur; cujusmodi sunt liberi, uxor, & natus. Unde sequitur, cum mulieri matrimonio conjunctæ injuria irrogatur, quatuor personas injuriarum agere interdum posse, videlicet mulierem ipsam, maritum, sacerum & patrem in cuius ipsa est potestate; neque enim matrimonio patria potestis dissolvitur, ut constat ex hoc §. nostro, & ex l. 1. §. ult. ff. de lib. exhibend.

Per servum quoque proprium, dominus injuriam patitur, si modò duæ conditiones concurrant; nimis quod in eum servum aliiquid atrocius commissum sit, & quod in contumeliam domini id factum sit. Si quis itaque atrox aliiquid in servum admiserit, absque ullo animo contumeliam domino inferendi, cessat eo casu injuriarum actio. Sed tamen Prætor inultam injuriam relinquare non debet; esset enim absurdum impunitum manere quidquid atrocius in servum aliquem priuaro odio fuisse admittum, d. l. 15. §. si quis, & §. itaque. Cæterum servis ipsis injuria fieri non videtur; quia nullum habent caput, §. servus sup. de cap. diminui, nullamque habent dignitatem aut existimationem, quæ possit minui. Quoties igitur servo injuria illata est, non est iospicienda persona servi, sed domini.

## Ad §§. Servis autem, &amp; si communi.

**S**ERVIS autem ipsis quidem nulla injuria fieri intelligitur, sed domino fieri per eos videtur, non tamen iisdem modis, quibus

etiam per liberos & uxores; sed ita, cum quid atrocius commis-  
sum fuerit, & quod aperte ad contumeliam domini respicit: ve-  
luti si quis alienum servum [atrociter] verberaverit, & in hunc ca-  
sum actio proponitur. At si quis servo convictionem fecerit, vel pug-  
no cum percusserit, nulla in eum actio domino competit.

**S**i communī servo injuria facta sit; aequum est, non pro ea par-  
te, quā dominus quisque est, aestimationem injuriæ fieri, sed ex  
dominorum persona, quia ipsis sit injuria.

**E**x his sequitur, post injuriam illatam servo communī, aestimationem injuriæ non esse faciendam pro virili aut pro dominica parte singulorum dominorum, sed tantum pro ratione dignitatis cuiusque domini; quia secundum gradum dignitatis viræque honestatem crescit aut minuitur injuriæ aestimatio; & quod maius est famæ pretium, eo etiam pluris aestimanda est labes quæ illi inu-  
ritur. Neque obstat l. 16. ff. eod. ubi refertur ex Pedio Jurisconsulto non  
aequum esse, ut pro majori parte fiat damnatio, quam pro qua parte dominus  
est. Aliud siquidem est aestimatio injuriæ, & aliud damnatio. Si igitur servo  
communi ex æquis portionibus Senatoris & Plebeii fiat injuria; eaque agente Se-  
natore aestimetur viginti aureis; reus condemnabitur Senatori in decem aureos.  
Si autem dominus ille qui plebeius est, injuriarum actione experiatur, & duodecim tantum aureis injuria aestimetur; reus plebeio illi sex tantum aureos sol-  
vere damnabitur. Atque ita licet aestimatio injuriæ fiat pro ratione & dignitate  
cuiusque domini, non sit tamen condemnatio pro maiore parte, quam pro qua  
singuli domini sunt, d. l. 16.

*Ad §. Quod si ususfructus.*

**Q**UOD si ususfructus in servo Titii est proprietas Mævii; ma-  
gis Mævio injuria fieri intelligitur.

**P**ER servos autem in quibus usumfructum habemus, injuriam non patimus;  
Atque ideo nobis injuriarum actio non competit, nisi forte ea injuria contume-  
liam nostram aperte respiciat, l. item apud, §. pen. ff. b. r. quia per illas per-  
sonas obligationem acquirere non possumus, nisi ex duabus causis; si quid ex  
re nostra vel ex operis suis acquisierint, §. 1. & 2. sup. per quas person. nobis  
oblig. acquiritur. Hæc vero obligationis acquisitione ad neutrā causam perti-  
net, nisi forte in contumeliam fructuarii, ejusmodi servo injuria illata sit, d. l.  
15. §. pen.

*Ad §. Sed si libero.*

**S**ED si libero [homini,] qui tibi bonâ fide servit, injuria facta  
sit, nulla tibi actio dabitur; sed suo nomine is experiri poterit,  
nisi in contumeliam tuam pulsatus sit; tunc enim competit & tibi

injuriarum actio. Idem ergo est & in servo alieno bonâ fide tibi serviente, ut toties admittatur injuriarum actio, quoties in tuam contumeliam injuria ei facta sit.

IDE M ferè juris est in libero homine bonâ fide posse, cui soli competit ea de causa injuriarum actio propter similem rationem, nisi injuria ipsi illata sit in contumeliam possessoris. Quæ etiam distinctio in servo alieno bonâ fide posse similem ob causam servanda est, d. l. 15. s. qui nsumfr. & sequ.

*Ad s. Pœna.*

**P**OENA autem injuriarum ex lege duodecim tabularum propter membrum quidem ruptum talio erat: propter os vero fractum nummariae pœnae erant constitutæ, quasi in magna Veterum paupertate. Sed postea Prætores permittebant ipsis, qui injuriam passi sunt, eam æstimare, ut Judex vel tanti [reum] condemnet, quanti injuriam passus æstimaverit; vel minoris, prout ei visum fuerit. Sed pœna quidem injuriæ, quæ ex lege duodecim tabularum introducta est, in desuetudinem abiit. Quam autem Prætores introduxerunt (quæ etiam honoraria appellatur) in judiciis frequentatur. Nam secundum gradum dignitatis vitæque honestatem, crescit aut minuitur æstimationis injuriæ. Qui gradus condemnationis, & in servili persona, non immerito servatur, ut aliud in servo actore, aliud in medii actûs homine, aliud in utilissimo, vel compedito ius [æstimationis] constituatur.

**C O R C E T U R** injuria illata multis modis. Primò quidem ex L. 12. tabulari propter membrum ruptum pœna talionis erat imposta, his verbis. *Si membrum rupit, ni cum eo pacit; talio esto.* Talio est reciproqua pœna sive vindicta: ut ei v. g. qui brachium alienum rupisset, suum brachium rumperetur. Propter os vero fractum nummariae pœnae erant constitutæ, quasi in magna Veterum paupertate. Quod ad pœna gravitatem pertinet, quia unius nummi jactura pauperibus gravissima est. Ubi adnotandum singula ossa membrum non constituere. Nam caput v. g. pluribus ossibus constat.

Quæ fuerint illæ nummariae pœnae pro osse fracto constitutæ, incertum est: Verum illud constat ex Aula Gellio lib. 20. cap. 1. propter leves alias injurias pœnam viginti quinque assium fuisse impositam. Sed quia crescentibus divitiis Populi Romani, hæc pœna eludebatur, & fiebat ridicula; ideo alia pœna ex edicto Prætoris invaluit; hæc maximè occasione, quam narrat Gellius d. loco. Luc. (inquit) Neratius fuit egregie homo improbus, atque immanni recordia. Is pro delectamento habebat os hominis liberi manus suæ palmâ verberare. Eum servus sequebatur crumenam plenam assium portans, & quemcumque depalmaverat, numerari statim secundum duodecim tabulas, viginti. quinque

ales jubebat. Cessante itaque hodie illâ pœna legitima ex edicto Prætoris inducta est pœna honoraria, qua in eo consistit: ut injuriam passus eam aestimeret; & Judex datus à Prætore tanti condemnet reum, quanti facta est aestimatio, vel minoris prout æquius arbitrabitur.

In aestimatione injuriarum facienda, non solum diversi sunt gradus condemnationis in persona liberorum hominum, sed etiam in servis. Quamvis enim in servorum conditione nulla sit differentia, §. ult. sup. de jure person. alia tamen aestimatio injuriarum in servo auctore, alia in compedito, alia in mediastino fieri debet. Servus auctor † dicebatur servus Kalendario præpositus; id est qui pecunias domini fænori collocabat, & exigebat a debitoribus; qui dispensator etiam dicitur, §. item si adhuc sup. de mandato. Cujus manus tanto in pretio erat, ut nonnumquam liberi homines actus gerendi causâ se venundari paterentur, l. 5. f. filio, §. irritum, ff. de injusto rup. & irr. fac. testam. Servi compediti † erant, quos improbos vel fugitiuos dominus vinculis, nervis & compedibus coercet. Illi erant pessimimi, & pessimæ omnium conditionis: adeò ut si manumissi fuissent, pessimam omnium libertatem consequerentur, & deditiū fierent, Ulp. tit. 1. & Paulus lib. 4. sent. tit. 12. Mediastini denique † dicebantur medii statutis seu medii actus homines & vulgares servi, qui neque præstantissimi servorum erant, neque vilissimi; sed medio quadam jure ac pretio censebantur: qui tamen non erant artifices, l. ult. in pr. ff. de operis servorum. Quibus ita præmissis, perspicuum est majorem fieri domino injuriam in persona servi auctoris, quam mediastini, aut compediti; quia quid pluris dominus servum facit, eò gravior ac molestior domino in persona servi contumelia interrogatur, d. l. 15. §. Itaque.

Ad §. Sed & lex.

**S**E & lex Cornelia de injuriis loquitur, & injuriarum actionem introduxit, quæ competit ob eam rem quod se pulsatum quis, verberatumve, vel domum suam vi introitam esse dicat. Domum autem accipimus, sive in propria domo quis habitet, sive in conducta, sive gratis, sive hospitio receptus sit.

NON tantum ex jure Prætorio, sed etiam ex civili, nimirum ex L. Cornelia, injuria coercetur; sed in tribus dumtaxat casibus, cum nimirum aliquis se pulsatum vel verberatum, vel domum suam vi introitam ab adversario esse dicit. Inter pulsationem & verberationem hoc interest, quod pulsare † sit sine dolore cædere; verberare autem † cum dolore, l. 5. ff. b. t. Coercitio illa L. Cornelia duplex est, criminalis, & civilis. Criminaliter quidem agere privato iudicio in his casibus è lege concessum est, l. 7. ff. cod. & l. 42. §. 1. ff. de procur. summa certè ratione; quia pulsare & verberare Civem Romanum, ad quem solum hac lex pertinet, atrox injuria est; ut ostendit M. Tull. in oratione 5. in Verr. sub finem. Idemque dicendum est in tertio casu; quia domus sua tuissimum cuique refugium & receptaculum esse debet, l. 18. ff. de ius voc. Nec interest, an domus illa sit propria injuriarum passi, vel conducta, vel commoda-ta, sive etiam in ea jure hospitii & amicitiae receptus sit; quia non jus proprietas, sed solus usus habitationis inspicitur. Civilis autem actio Legis Corneliae

constitutionibus Principum inducta est : ita ut condemnatio arbitrio & aestimatione Judicis permittatur , l. 7. §. posse , & l. 37. §. ult. ff. b. t.

*Ad §. Atrox.*

**A**TROX injuria aestimatur vel ex facto , veluti si quis ab alio vulneratus sit ; vel fustibus cæsus , vel ex loco , veluti si cui in theatro , vel in foro , vel in conspectu Prætoris injuria facta sit ; vel ex persona , veluti si magistratus injuriam passus fuerit ; vel si Senatori ab humili persona injuria facta sit , aut parenti patronove fiat à liberis vel libertis. Aliter enim Senatoris & parentis patronique , aliter extranei & humilis personæ injuria aestimatur. Nonnumquam & locus vulneris atrocem injuriam facit , veluti si in oculo quis percussus fuerit. Parvi autem refert , utrum patrifamilias , an filiofamilias talis injuria facta sit : nam & hæc atrox injuria aestimabitur.

CUM igitur in actione civili Legis Corneliz , quæ vindicat triplicem atrocem injuriam , condemnatio fiat aestimatione Judicis ; par est ut facienda illius aestimationis gratia , varios gradus atrocitatis injuriae videamus. Crescit aut minuitur aestimatio injurie ex variis facti , personæ , loci atque temporis circumstantiis : ideoque arbitrio Judicis interdum aestimatio minuenda est , & interdum etiam exalperanda. Occasione facti minor est injuria , si quis tantum pulsatus fuerit ; sed atrocior , si quis fuerit verberatus vel fustibus cæsus : quia hoc fit cum dolore , l. 5. ff. b. t. Inspectione facta personæ , quæ injuriam patitur ; minor est injuria quæ fit plebeio , & major quæ fit Senatori & Nobili , ut supra dictum est. Verum licet filiusfamilias , qui sui juris efficitur plus honoris adeptus f. ille dicatur , §. hoc quoque sup. per quas person. cuique acquir. non tam id efficit ut major injuria esse censeatur quæ patrifamilias , quam quæ filiofamilias irrogatur ; quia honor ille eorum tantum respectu intelligitur acquisitus , qui in eadem domo sunt , in qua obtinent principatum ; ad exteriores vero id minimè pertinet. Eius vero persona occasione quæ injuriam intulit , major infertur injuria ab ignobili , quam à potentiori ; & major à filio vel liberto , quam ab extraneo : quia filio & liberto honesta semper & sancta videri debet persona parentis & patroni , l. 9. ff. de obsequ. par. & patr. prest. Quò enim major alicui debetur honor ab aliquo , cò etiam est major injuria quam ab eodem patitur. Ratione loci levior fit injuria , si in solitudine inferatur gravior ; si in loco publico , vel in propria domo , vel in foro , vel in jure , inspectantibus omnibus irrogetur. Locus etiam vulneris injuriam facit atrocitem. Nam qui in oculo vel mala iecutum aut vulnus accipit , atrocius lèditur , quam si in genu vel tibia percutiatur. Temporis denique occasione injuriae incrementum accedit , si dum edantur spectacula , in concione , vel in conspectu Prætoris fiat , l. 7. §. ult. cum 2. seqq. ff. hoc tit.

## Ad §. In summa.

**I**N summa sciendum est, de omni injuria cum, qui passus est; posse vel criminaliter agere, vel civiliter. Et si quidem civiliter agitur, aestimatione factâ secundum quod dictum est, poena reo imponitur. Sin autem criminaliter, officio Judicis extraordinaria poena reo irrogatur: hoc videlicet observando, quod Zenoniana constitutio introduxit, ut Viri Illustres, quique super eos sunt, & per procuratores possint actionem injuriarum criminaliter vel persequi, vel suscipere, secundum ejus tenorem, qui ex ipsa manifestius appetit.

**QUEMADMODUM** de omnibus maleficiis privatis non tantum civiliter, sed etiam criminaliter agi potest, *l. ult. ff. de privat. delict.* ita etiam & de injuriis idem fere dicendum est, *l. ult. ff. b. t.* Dico fere; quia licet in ceteris privatis delictis ex judicio civili nullum fiat præjudicium criminale, *l. 4. ff. de publ. judic.* nihilominus tamen si quis egerit civiliter actione injuriarum, criminaliter deinde eo nomine experiri non poterit; & vice versa, *l. 6. & l. 7. §. 1. ff. b. t.* Ratio est, quia in utroque judicio actor agit causam doloris, *ut ait Valent. Imp. in Novella de libertis;* & dolorem imminutæ libertatis judicio pœnâque mitigat, *ut ait M. Tullius in orat. pro Cacinna.* Uno verbo in utroque judicio agit actor ut vindictam repeatat, non ut damnum faciat, *d. l. 7. §. 1.* Quam vindictam, si semel obtinuerint uno judicio, non debet per alterum rursus eam postulare. Ideoque videtur Imp. usus fuisse in hoc §. particulâ disjunctivâ vel. Contra vero in damno injuria dato usus est voce copulativa &, ut constat ex §. liberum sup. tit.

Differunt à civilibus judiciis criminalia; quia civilia sunt de utilitate privata, *l. 4. ff. de re judic.* eique tantum competent, cuius interest, *l. 28. §. incendiarii, ff. de panis;* & per procuratorem exerceri possunt, *l. non solum, §. agere, ff. b. t.* Sed criminale judicium tendit ad ultionem publicam, & ad tuendum vigorem publicæ disciplinæ, *l. 9. §. quod illicitè, ff. de publicanis,* & *l. 6. ff. de sep. viol.* atque ideo plerumque competit cuiuslibet e populo eius persecutio; sed per procuratorem exerceri non potest, *l. pen. §. ad crimen, ff. de publ. judic.* Excipiuntur tamen Viri Illustres & qui supra Illustres sunt, quibus ex constitutione Zenonis hoc beneficium indulatum est, ut actionem injuriarum per procuratorem possint criminaliter persequi, & suscipere, *l. ult. C. b. t.* Cujus privilegii duplex potest ratio assignari. Prior est, quod eximia hujusmodi personarum famæ consulendum sit. Nam injuriarum judicio, suo nomine condemnatus famosus est, *l. 1. ff. de his qui not. infam.* & is quoque infamis fit, qui injuriarum agit criminaliter, nec vineit, *d. l. ult.* At vero cum per alium id judicium peragitur, neque infamia notatur is cuius nomine agitur vel defendantur; cum eius nomen in sententia non exprimitur, sed procuratoris dumtaxat, *l. 1. C. de sent. & interloc. jud.* neque procurator qui alieno nomine condemnatur, *l. furti, §. si quis alieno ff. de his qui not. infam.* Posterior ratio haec affectur in Nov.

**T**ibi ne cogantur Viri Illustres aut ipsi assidere Magistratibus; quo ipsi loco iudicantur; aut rursus stare tamquam litigatores coram sedentibus inferioribus se Magistratibus. Utrumque enim periculum imminet; ne vel cunctitas contumelias afficiatur, vel judiciorum ordo turbetur.

Cæterum hodie usu invaluit tercia actio, injuriarum nomine, quæ tendit ad palinodiam sive recantationem (*à obligier celui qui a dit des injures de s'en dire.*) Cùm enim per illatam verbis injuriam existimatio admatur; & peccatum dimitti non debeat nisi restituatur ablatum, *cap. peccatum de reg. jur. in 6.* æquum vilum est, *condemnari eum* qui fecit injuriam, ad restitutionem famæ. Quæ famæ restitutio quamvis sit rerum omnium difficultima & ferè impossibilis; fieri tamen intelligitur, cùm ille qui fecit injuriam, petit veniam coram testibus ab eo qui injuriam passus est; vel negat esse vera convicia, quæ dixit.

*Ad §. pen.*

**N**O nō solum autem is injuriarum tenetur, qui fecit injuriam; id est, qui percussit; verum ille quoque tenetur, qui dolo fecit [injuriam,] vel qui procuravit, ut qui mala pugno percuteretur.

**Q**UECUMQUE diximus *b. t.* de coercitione injuriæ irrogataꝝ, non tantum  
Icum habent adversus eum qui injuriam intulit, sed etiam adversus illum, qui  
instigando aut suadendo effecit, ut alter inficeret injuriam. Paria enim sunt face-  
re per alium, & facere per se ipsum, *cap. qui facit, de reg. jur. in 6.*

*Ad §. ult.*

**H**Æc actio dissimulatione aboletur: & ideo si quis injuriam dereliquerit, hoc est statim passus ad animum suum non revocaverit; postea ex pœnitentia remissam injuriam non poterit recolere.

**A**BOLETUR injuria multis modis. Primò quidem, lapsu unius anni, *I. 5. C. b. t.* Secundò, morte illius qui injuriam passus est, quod diligentius exponetur *ad tit. de perpet. & tempor. act.* Tertiò, per actum expressum, si quis forte injuriam sibi illatam remiserit, *I. 27. §. paſta, ff. de paſtis.* Quartò denique, pacto tacito & tacita voluntate; si quis dissimulaverit, hoc est injuriam sibi illatam statim ad animum non revocaverit. Tunc enim videtur illam remisisse, *I. non solum 11. §. 1. ff. b. t.* Quod multò justius dicendum est, si injuriam passus familiariter cum eo qui injuriam irrogavit conversatus fuerit, vel sponte cum eo convivium fecerit.





## T I T U L U S V.

### DE OBLIGATIONIBUS QVÆ QUASI *ex delicto nascuntur.*

*Ad princ.*

**S**I Judex litem suam fecerit, non propriè ex maleficio obligatus videtur; sed quia neque ex maleficio, neque ex contractu obligatus est, utique peccasse aliquid intelligitur, licet per imprudentiam. Ideò videtur quasi ex maleficio teneri, & in quantum de ea re æquum religioni judicantis videbitur, pœnam sustinebit.

**Q**UASI delictum † est factum delicto simile culpa facientis & sine dolo ejus admisum, ex quo alterius emergit læsio. Ejus quatuor sunt species, † male per imperitiam judicatum, dejectum vel effusum, positum vel suspensum, & furtum in navi, caupona, vel stabulo factum.

Quando Judex male judicat, litem suam facere dicitur; id est periculum litis in se convertere. (*Il peut être pris à partie.*) Judex autem male judicat vel dolo malo, vel per imperitiam. Si dolo malo ita judicet, tenetur ex vero delicto ad praestandam solidam litis estimationem, *l. 2. C. de pœna Judicis, qui male judic.* Sin autem male per imperitiam judicet, litem quoque suam facit. Quid enim interest, sordidus Judicis, an stultitia res perierit, *l. si per imprudentiam 15. in pr. ff. de evict.* Verum Judex in eo casu, obligatur tantum ex quasi delicto, in quantum ea de re æquum videbitur religioni judicantis, *l. ult. ff. de extraordin. cognit.* Neque obstat, quod Medicus qui male per imperitiam servum alienum secuit, teneatur in solidum ex vero delicto, *§. imperitia sup. ad Leg. Aquil.* quia imperiti verum est delictum in eo, qui peritiam ignotæ sibi aliqui artis aut scientie sponte profitetur, *l. 9. §. pen. & l. 13. §. si gemina, ff. locati:* talis culpæ & delicti reus est Medicus in specie opposita. Aliud dicendum est de Judice, cum non spontaneo motu, sed publicâ auctoritate constituantur, etiam invitus, *l. 18. §. judicandi, ff. de mun. & honor.*

*Ad §. 1.*

**I**TEM is, ex cuius coenaculo, vel proprio ipsius, vel conducto, vel in quo gratis habitat, dejectum effusumve aliquid est, ita ut alieni noceret; quasi ex maleficio obligatus intelligitur. Ideò autem non propriè ex maleficio obligatus intelligitur, quia plerumque ob alterius

alterius culpam tenetur , aut servi , aut liberi . Cui similis est is , qui eâ parte , quâ vulgò iter fieri solet , id positum aut suspensum habet , quod potest ( si ceciderit ) alicui nocere : quo casu pœna decem aureorum constituta est . De eo verò , quod dejectum effusumve est , dupli quantum damni datum sit , constituta est actio . Ob hominem verò liberum occisum , quinquaginta aureorum pœna constituitur . Si verò vivat nocitumque ei esse dicatur ; quantum ob eam rem æquum Judici videtur , actio datur . Judex enim computare debet mercedes Medicis præstitas , cæteraque impendia , quæ in curatione facta sunt ; præterea operas , quibus curauit aut caritatus est ob id , quod inutilis est factus .

**D**EJECTI vel effusi nomine † continetur hic omne damnum quod dejectio-  
ne vel effusione , sine dolo facientis illatum est , in eo loco quâ vulgò iter fit :  
Hinc oritur actio in duplum adversus eum , ex cuius cœnaculo , seu proprio , seu  
conductitio , seu gratis habitato aliquid dejectum vel effusum est . Dejici † di-  
cuntur solida ; effundi † verò liquida . Hac actio est statim in duplum non me-  
rè pœnale , quamvis in cæteris damnis detur tantum actio in duplum contra in-  
ficiantem . Eiusque diversitatis ratio est , quoniam publicè expedit , posse quem-  
libet securè per itinera publica commicare , l. 1. §. 1. ff. de his qui effud. vel de-  
jec. Ob hominem verò liberum occisum damni æstimatio non fit in duplum ;  
quia liberum corpus nullam recipit æstimationem , l. ult. ff. eod. sed pœna quin-  
quaginta aureorum constituitur .

Positum vel suspensum † dicitur quidquid in ædium superioribus partibus po-  
situm suspensumve est , quod eâ parte transiuntibus , quâ vulgò iter fit ; vel eâ  
loco consistentibus , ubi consistere licet , suo casu nocere potest . Ad quam do-  
minorum negligentiam coercendam constituta est pœna decem aureorum ,

*Ad §. pen.*

**S**I filius familias seorsim à patre habitaverit , & quid ex cœna-  
culo ejus dejectum effusumve fuerit , sive quid positum suspen-  
sumve habuerit , cuius casus periculosus est ; Juliano placuit , in pa-  
trem nullam [ esse ] actionem , sed cum ipso filio agendum esse .  
Quod & in filiofamilias Judice observandum est , qui litem suam  
fecerit .

**S**i filius familias seorsim à patre habitaverit , per tempus minus decennio ;  
& intra id tempus ex cœnaculo ejus dejectum aliquid vel effusum sit , pater non  
tenetur , neque actione noxali , §. ult. inf. de nox. att. neque actione de pecu-  
lio ; quia ex penalibus causis non solet in patrem de peculio actio dari , l. ex pe-  
nalibus , ff. de reg. jur. sed adversus ipsum filium agendum est ; quia filius familias  
ex contractibus & ex delictis suis obligantur , l. tam ex contradib. , ff. de ju-

*dic.* Idemque dicendum est de posito & suspenso, & de malè per imperitiam judicato; quia eadem utrobique militat ratio æquitatis. Dixi *per tempus minus decennio*; quia si filius familiæ decem annis seorsim à patre habitaverit, tacita illicet præsumitur facta emancipatio, ac proinde cessat omnis dubitandi occasio, *l. i. Cod. de patr. potest.*

*Ad §. ult.*

**I**T B M exercitor navi, aut cauponæ, aut stabuli de dolo aut furto, quod in navi, aut capona, aut stabulo factum erit, quasi ex maleficio teneri videtur, si modò ipsius nullum est maleficium; sed alicujus eorum, quorum operâ navem aut cauponam aut stabulum exercet: cùm enim neque ex maleficio, neque ex contractu sit adversus eum constituta híc actio, & aliquatenus culpæ reus est, quòd operâ malorum hominum uteatur. Ideò quasi ex maleficio teneri videtur. In his autem casibus in factum actio competit, quæ hæredi quidem datur; adversus hæredem autem non competit.

**E**x furto denique in navi, capona, aut stabulo facto, datur actio in factum, contra exercitorem navi, cauponæ, vel stabuli; id est contra eum ad quem omnes obventiones & redditus navi, caponæ, vel stabuli pertinent, *l. i. §. exercitorem, ff. de exercit. att.* Hec actio in duplum competit, si modò ab his factum factum fuerit, quorum operâ in ea re uteatur; quia debuit fidem & mores eorum priùs explorare, *l. ult. §. servorum autem, ff. naut. caup. stabul. ut rec. refit.* Viatorum verò & inhabitantium factum non præstat: cùm illos ipse non videatur eligere; imò ne quidem potuerit eos venientes repellere. Inhabitatores verò si quos habeat perpetuos, ipse quodammodo elegisse videtur, qui non rejicit, cùm posset; ideoque tenetur eorum factum præstare, *l. un. §. ult. ff. furti adv. naut. caup. & stabularios.*



## T I T U L U S V I.

### D E A C T I O N I B U S.

*Ad princip.*

**S**UPEREST; ut de actionibus loquamur. Actio autem nihil aliud est, quam jus persecundi in judicio, quod sibi debetur.

**E**XPOSITIS hactenus duobus prioribus juris objectis; nunc aggreditur ultimum Imp. scilicet actiones, ex quibus universa juris pender notitia: adeò ut qui illas ignorat, juris imperitus esse aestimetur; qui vero ipsas novit, totum jus nosse dicatur. Actio  $\neq$  nihil est aliud, quam jus persequendi in judicio, quod sibi debetur, l. nihil aliud, ff. b. t.

Dicitur 1. *ius*; id est res incorporalis, sicut obligationes, servitutes, & alia quæ in jure consistunt. Unde eleganter ait Justin. Imp. in l. ult. C. de præsens long. temp. decem vel vig. ann. maiores nostros subtilissimo animo & civino quodam motu ad actiones & earum jura pervenisse, ut incorporales constitutæ, possint ubiquecumque jus suum & effectum corporalem extendere. Hinc etiam sequitur, actionem distingui à formula, quamvis non raro formula nomine designetur; quia actio competit statim atque proprietas vel obligatio acquisita est: formula vero non competit, priusquam impetrata fuerit a Prætore, ad hoc ut actio in judicium ducatur. Diverso itaque modo sumitur actionis nomen apud Philosophos & apud Jurisconsultos. Apud illos siquidem actio nulla est, nisi dum aliquid agitur; apud nos vero actio est, etiam antequam agatur.

Dicitur 2. *persequendi*; quod verbum commune est actionibus in rem & in personam: atque ideo hoc verbum aptius est, quam vox agendi, quæ est propria actionum in personam; aut vox petendi, quæ propriè convenit actionibus in rem, l. actio 28. ff. b. t.

Dicitur 3. *in judicio*; id est apud Judicem datum à Prætore; atque ita actiones distinguuntur à persecutionibus extraordinariis, quæ proponuntur in jure, id est apud Prætorem, & in eo loco ubi jus redditur à Magistratu, l. pen. ff. de just. & jur. Tales sunt petitiones fideicommissorum, l. pecunie 178. ff. de verb. sign. nec non etiam aliarum rerum de quibus agitur in toto tit. ff. de var. & extraord. cognit. In actionibus vero exercendis hic est ordo: ut Prætor vel alias Magistratus, discussis primùm apud se quibusdam judiciorum preparatoriis, det Judices, qui causa dirimant ex formula sibi præscripta; qui dicuntur Judices pedanei, delegati, disceptatores, recuperatores, & interdum etiam arbitri. Carterum hodie haec verba in judicio, non minus ad Magistratum, quam ad Judicem pertinent, post constitutionem Dioclet. & Maxim. quâ cautum est, ut Magistratus cautus, quæ apud suum tribunal deferuntur, notionis suæ examen adhibeant, quatenus causarum multitudine vel occupationes publicæ id fieri patientur. In Gallia vero nostra id non recipit dubitationem, cum omnes ferent Magistratus judicandi munere perfungantur.

Dicitur denique *quod sibi debetur*. Quæ verba non restringunt definitionem ad actiones dumtaxat personales, ut viri multi erudití crediderunt; ex eo quod per actionem in rem perimus quod nostrum est. Illud autem quod nostrum est, propriè & strictè loquendo nobis non debetur, l. Quintus Murius 27. §. 2. & l. scribit 34. ff. de auro & arg. leg. Sed contrarium evinci videtur ex eo quod Imp. in hac definitione utitur verbo *persequendi*, quod generale est, ut anteā diximus; & actioni tam in rem quam in personam communi, d. l. 28. ff. b. t. Præterea verisimile non est, Imperatorem proposita rubrica generali de actionibus, speciem dumtaxat personalis actionis definitionem tradere voluisse, & actionem in rem non definitam relinquere. Tertio denique statim post hanc definitionem actionis, primam actionum divisionem subiungit Imperator

in reales & personales ; quæ divisio absurdæ esset , & malè collocata , si sola actio in personam hoc loco definiretur.

Ad rationem autem oppositam , Respondeo , novum non esse , quod verbum debendi latè sumptum ad res quæ nostræ sunt extendantur . Nam servitutes nobis deberi dicuntur , l. arboribus , §. si per eundem , ff. comm. divid. quas tamen servitutes nostras esse constat , cùm per actionem in rem peti possint , §. èquè , inf. b. 1. junctâ l. in rem ff. de rei vind. Id insuper apparet ex l. pecunia 178. §. ult. ff. de verb. sign. ubi dicitur verbum debuit omnem omnino actionem comprehendere , etiam extraordinarias persecutio[n]es : quæ cùm ex officio Magistratus pendeant & obligatione careant ; l. 7. ff. de ann. leg. multò magis dicendum est , eo verbo contineri res nostras , quæ actione in rem peti possunt . Tertiò denique id confirmat Imp. in §. item si in judicio , inf. de except. ubi ait , illam adversus quem agimus actione in rem , nobis esse obligatum .

*Ad §. I.*

**O**MNIVM autem actionum , quibus inter aliquos apud judices arbitrio[s]ve de quacumque re queritur , summa divisio in duo genera deducitur : aut enim in rem sunt , aut in personam . Namque agit unusquisque aut cum eo qui ei obligatus est , vel ex contractu , vel ex maleficio : quo casu proditæ sunt actiones in personam , per quas intendit adversarium ei dare aut facere oportere , & aliis quibusdam modis . Aut cum eo agit , qui nullo jure ei obligatus est ; moveat tamen alicui de aliqua re controversiam : quo casu proditæ actiones in rem sunt ; veluti si rem corporalem possideat quis , quam Titius suam esse affirmet , possessor autem dominum ejus se esse dicat . Nam si Titius suam esse intendat , in rem actio est .

DIVISIONES actionum variæ proponuntur *hoc titulo & sequentibus* ; quibus nos alias quoque , quarum usus fréquens est ac necessarius , subjiciemus . Necessestas illarum divisionum ad amissim cognoscendarum inde convincitur ; quod nulla ferè sit actio , quæ non contineat in se multas qualitates , ex quibus oriuntur illæ divisiones , & ex quibus multæ multarum causarum pendent decisiones .

Prima actionum divisio † est in personales & reales . Actiones in personam sive personales † sunt illæ quæ dantur adversus eam , qui aliquo jure nobis obligatus est , ad aliquid dandum vel faciendum ; sive per quas intendimus adversarium nobis dare aut facere aliquid oportere , & addit Imperator & aliis quibusdam modis ; quia verbum faciendi generale est , l. 175. & l. 218. ff. de verb. sign. nec potest exprimere vim uniuscujusque actionis : ideoque actor magis speciali verbo sa[pi]ne utitur , ad explicandam negotii sui naturam ; & intendit adversarium tenet[ur] sibi aliquid tradere , solvere , vel præstare , vel quid simile facere .

Actiones in rem † sunt illæ , per quas rem nostram petimus quæ ab alio

possidetur. Hæ dantur adversùs quoscumque possessores, sive verè possideant, sive sint tantum in possessione, quales sunt depositarii, inquilini, & fructuarii, *l. officium 9. ff. de rei vind.* Neque obstat exemplum à Justiniano allatum, in quo vindicatio reciproca est: exempla non restringunt, tum etiam, quia hoc pertinet ad solemnum ac veterem vindicandi ritum, qui fiebat in hunc modum. Fundum qui est in agro Sabino, jure Quiritium meum esse aio. Imò meum, *Gell. lib. 20. cap. 1. & M. Tull. in orat. pro Mur.* Verùm tandem obtinuit ut minus solemnis vindicatio sufficeret domino, sive is jure Quiritium, sive solo jure gentium dominus esset, *d. l. officium, & l. 23. in pr. ff. eod. tit.*

Differunt itaque à se invicem actiones reales & personales. Primò quòd actio in personam oriatur plerumque ex obligatione; vindicatio vero ex domino, citra omnem obligationem: atque ideo actione in personam tenetur tandem is qui contraxit, vel deliquit, vel ejus hæres, quæ est secunda disparitas. Actione vero in rem tenetur quicumque possidet, *l. 1. C. de alien. jud. mut. caus. fact.* & ipsa etiam res eā actione tenetur, *l. 19. ff. de jure fisci.*

*Ad §. Aequè.*

**A**Què si agat [ quis, ] jus sibi esse fundo forte vel ædibus utendi, fruendi, vel per fundum vicini, eundi, agendi, vel ex fundo vicini aquam ducendi; in rem actio est. Ejusdem generis est actio de jure prædiorum urbanorum: veluti si ( quis ) agat jus sibi esse altius ædes suas tollendi prospiciendive, vel projiciendi aliquid, vel immittendi tignum in vicini ædes. Contrà quoque de usufructu, & de servitutibus prædiorum rusticorum, item prædiorum urbanorum, invicem quoque proditæ sunt actiones: ut si quis intendat jus non esse adversario utendi, fruendi, eundi, agendi, aquamve ducendi: item altius tollendi, prospiciendive, vel projiciendi, immittendive; istæ quoque actiones in rem sunt, sed negativæ. Quod genus actionis in controversiis rerum corporalium proditum non est. Nam in his is agit, qui non possidet; ei vero, qui possidet, non est actio prodita, per quam neget rem actoris esse. Sanè uno casu, qui possidet, nihilominus [ is ] actoris partes obtinet, sicut in latioribus Digestorum libris opportuniùs apparebit.

QUAMVIS actio in rem adversùs solos possessores competit, ut modò diximus, unde sequi videtur res incorporales vindicari non posse, cùm non possideantur, *l. 3. in pr. ff. de acquir. possess. & l. 4. §. si viam, ff. de usucap.* invalluit tamen ut servitutum nomine actio in rem competit. Quod primùm in usufructu adinissum est, eā forsitan ratione, quòd usufructus pars dominii est, *l. 4. ff. de usufr.* deinde vero ad cæteras servitutes productum fuit, *l. 2. in pr. ff. si servit. vindic.* Verùm differunt à se invicem in multis rerum corporalium & incorporalium vindicationes, & in duobus maximè,

Primum discrimen est ; quod in rebus corporalibus nemo audiatur , qui negatoriè agit , dicendo v. g. Fundum Tusculanum , quem Titius possidet , Titii non esse aio ; quia in pari causa melior est conditio possidentis , l. in pari , ff. d. reg. jur. & quia de suo jure , non de alieno , quemque agere oportet , l. 5. in pr. ff. si ususfr. petetur : id est unusquisque debet intentionem suam fundare ex jure quod ipsi habet ; non verò ex defectu juris adversarii sui . At verò in rebus incorporalibus duplex est prodita actio in rem † una confessoria , & altera negatoria . Actio confessoria † est illa , quā quis intendit tibi deberi servitutem in rebus alienis : v. g. jus utendi , fruendi , vel eundi , agendi , aut altius tollendi ædes suis ; ita dicta quod verbis confessoriis seu affirmativis concipiatur . Actio negatoria † est illa , per quam aliquis negat in re sua servitutem alteri deberi ; v. g. si cixerim tibi non esse jus utendi , fruendi fundo meo . Quo casu si rei veritas exactè dispiciatur , magis de meo jure , quam de alieno experior , d. l. 5. in pr. ff. si ususfr. petetur . Uno verbo , actio confessoria est vindicatio servitutis ; actio negatoria est vindicatio libertatis .

Alterum discrimen quod intercedit inter vindicationem rerum corporalium & incorporalium , est , quod in rebus corporalibus numquam ultrò datur actio possessori ; quia sufficit ei quod possideat , l. I. §. interdictum , ff. uti possid . Dixi ultrò , id est nemine provocante ; quia dubium non est , quin dominus idemque possessor rei suæ , actione in rem provocatus , possit uti contrariâ vindicatione , si velit , §. I. sup. h. t. At verò in servitutibus nihil impedit , quin possessor agere possit confessoriè & negatoriè : confessoriè quidem , ut assequatur tranquillam fruendi licentiam ; negatoriè verò , ut eam refineat , & nè inquietetur , l. 5. §. ult. ff. si ususfr. pet. Quod Imp. his verbis declarat : Sanè uno casu , is qui possidet , nihilominus actoris partes sustinet , sicut in latioribus Digestorum libris opportuniūs apparebit . Quem locum ut explicit Interpretes multi , vexant illum emendationibus suis , & in eo casu comminiscendo vexantur . Ego prætermis his ambagibus , crederem id esse explicandum de uno isto casu servitutum , de quibus hic agitur : ita ut vox uno , nihil aliud sonet quam precipuo . Atque ita Servius etiam interpretatur hanc vocem unus ad 2. librum Aeneidos . Non solus ( inquit ) sed præcius , ad hunc videlicet locum .

*Cadit & Ripheus justissimus unus ,  
Qui fuit Aeneadum.*

*Ad §. Sed istæ.*

**S**E istæ quidem actiones , quarum mentionem habuimus , & si quæ sunt similes , ex legitimis & civilibus causis descendunt . Aliæ autem sunt , quas Prætor ex sua jurisdictione comparatas habet , tam in rem , quam in personam , quas & ipsas necessarium est exemplis ostendere ; [ ut ] ecce : Plerumque ita permittit [ Prætor ] in rem agere , ut vel actor dicat se quasi usucepisse , quod non usuceperit ; vel ex diverso , possessor dicat adversarium suum non usucepisse , quod usuceperit .

SECUNDA actionum divisio † quam Justinianus per modum subdivisio-  
nis tradit hoc loco , est in Civiles & Prætorias , quæ etiam honoraria vo-  
cantur. Civiles actiones † sunt , quæ vel ex lege vel ex simili specie juris ci-  
vili strictè sumpti ortum habent. Quarum actionum tam realium quam perso-  
naliū , multa hactenus exempla allata sunt in toto decursu nostrarum Institu-  
tionum.

Prætorix actiones † sunt , quas Prætores civilibus actionibus deficientibus  
ex sua jurisdictione compararunt. Dixi ex sua jurisdictione ; quia Prætor non  
tantum dabat actiones civiles tamquam minister Legis , sed etiam suas , civilibus  
actionibus deficientibus , l. quia actionum , ff. de prescrip. verb. & in fact. act.  
Prætoriaæ actiones † subdividuntur iterum in reales & personales. Realium  
species † sunt quinque : Publiciana in rem actio , Publiciana rescissoria , Pau-  
liana , Serviana , & quasi Serviana.

*Ad §. Namque.*

**N**AMQVA si cui ex justa causa res aliqua tradita fuerit (ve-  
luti ex causa emptionis , aut donationis , dotis , aut lega-  
torum , ) [ & ] necdum ejus rei dominus effectus est ; si ejus  
rei possessionem casu amiserit , nullam habet in rem directam ac-  
tionem ad eam persequendam : quippe ita proditæ sunt jure civi-  
li actiones , ut quis dominium suum vindicet ; sed quia sane durum  
erat , eo casu deficere actionem ; inventa est à Prætore actio ,  
in qua dicit is qui possessionem amisit , eam rem se usucipisse ,  
quam usu non cepit , & ita vindicat suam esse : quæ actio Publi-  
ciana appellatur , quoniam primum à Publicio Prætore in edicto  
proposita est.

PUBLICIANA in rem actio † est actio Prætoria , quâ bona fidei pos-  
sessor rem nondum usucaptam vindicat ; adversus extraneum sine titulo possi-  
dentem , eo colore quasi eam usuciperit. Appellatur Publiciana ab auctore  
Publicio , qui fuit Prætor temporibus M. Tullii , ut constat ex oratione pro Cluen-  
tio. Dicitur in rem ; quia datur contra quemcumque possessorem. De Publi-  
ciana enim actione eadem dicenda sunt , quæ de directa rei vindicatione dixi-  
mus , l. 7. §. in Publiciana , ff. de Public. in rem act. Dictum autem fuit initio  
prædictæ definitionis est actio Prætoria ; cò quod datur à Prætore eo casu , quo  
deficit actori civilis vindicatio , quæ soli domino datur , l. in rem ff. de rei vind.  
juncta l. quia actionum , ff. de prescr. verb. & in fact. act. Dictum est secundò ,  
bona fidei possessor ; quia actio Publiciana in his dumtaxat casibus locum habet , in  
quibus locum habet usucapio , l. 7. §. ult. ff. de Public. in rem act. Constat au-  
tem sine bona fide usucaptionem non procedere. Unde fit ut in rebus furtivis &  
vi possessis casset Publiciana , l. 9. §. pen. ff. cod. Dictum fuit tertiod , rem non-  
dum usucaptam ; quia si completa esset usucapio , civilis in rem actio compete-  
ret , nec desideraretur honoraria , l. 1. §. 1. ff. cod. Dictum est quartò , adver-  
sus extraneum , id est non dominum ; quia si bona fidei possessor ageret contra

verum dominum ; repelleretur exceptione justi dominii , l. pen. ff. eod. Dicitum est quinto , *fras titulo possidentem* ; quia si extraneus justo titulo possideat , aliud dicendum est. Ac proinde si eidem res duobus ex justo titulo tradita sit à duobus non dominis , potior & melior causa est possidentis , d. l. 6. §. si duobus . Diximus denique , *eo colore quasi eam usuciperit* ; quia Prætor querit semper colorē legis , nè aliquid ex se moliri videatur , sed legi semper insistere , tamquam viva vox juris civilis , ut dicitur in l. 8. ff. de iust. & jur.

## Ad §. Rursus.

**R**URSUS ex diverso , si quis cùm Reipublicæ causâ abesseret , vel in hostium potestate esset , rem ejus , qui in civitate esset , usucuperit , permittitur domino , si possessor reipublicæ causâ abesse desierit ; tunc intra annum rescissâ usucapione eam petere : id est , ita petere , ut dicat possessorem usu non cepisse , & ob id suam rem esse. Quod genus actionis quibusdam & aliis simili æquitate motus Prætor adcommmodat , sicut ex latiore Digestorum , seu Pandectarum volumine intelligere licet.

PUBLICIANA rescissoria † est Præatoria in rem actio , quâ quis rem suam usucaptam ab eo , qui Reipublicæ causâ abest , vel in vinculis aut in hostium potestate est , post redditum intra annum vindicat , vel vice versa ; eo colore , quasi non fuerit usucapta. Voco illam Publicianam auctoritate l. 35. in honorariis , ff. b. t. Voco præterea rescissoriam ; eò quod usucaptionem rescindat & rescissâ usucapione detur. Dicitur 3. in rem ; quia sequitur quemcumque possessorem. Dixi 4. rem suam ; id est quondam suam , eodem sensu quo cicitur in sacris paginis , cæci vident , surdi audiunt ; id est qui anteā fuerant cæci , vel surdi. Dixi 5. usucaptam ; quia si res non fuisset usucapta , jure civili agi posset , l. in rem , ff. derei vind. Dixi 6. qui reip. causâ abest ; quia nemini officium publicum damno esse debet , l. 29. ff. ex quib. cau. majores 25. ann. in int. rest. Et quamvis in cæteris absentibus denunciatione ad domum vel coram præside factâ interrupatur usucapio , l. 2. C. de annal. except. hoc tamen ad eos non pertinet , qui reip. causâ absunt , propter dictam rationem. Dixi 7. vel in vinculis est : talis est , qui publicâ custodiâ coercetur , aut à latronibus vel potentioribus detinetur , vel etiam est in carcere ; quia nihil interest , utrum quis parietibus vel compedibus teneatur , l. 9. & sequ. ff. ex quib. caus. majores , &c. Dixi 8. aut in hostium potestate est : quamvis enim per se ipsum nihil possidere possit qui ab alio possidetur , l. 54. §. ult. ff. de acquir. rer. domin. ac proinde nec usucapere , l. sine possessione , ff. de usucap. nihil tamen vetat , quin per alios possideat , quos habuit in potestate dum in civitate esset , l. si is qui 15. §. quod servus , & l. justo 44. §. ult. ff. eod. Dixi 9. vel vice versa ; quia Prætor & absentibus Reipubl. causâ succurrerit , nè capiantur , & adversus illos etiam succurrerit , nè capiant , l. item art. 21. in pr. ff. ex quib. caus. maj. 25. ann. in int. restit. Vixi denique quasi non fuerit usucapta ; quia re vera usucapio processit in prædictis casibus. Neque obstat quod vulgo dicitur ex l. 1. §. ult. C. de ann. except.

cept. contra non valentem agere non currit præscriptio : Hoc enim restrin-  
gendum est ad illas tantum personas , quæ propter impedimentum legis agere  
non possunt , sicut accidit filiis familiæ vivente patre circa bona adventitia , d. §.  
ult. & uxori circa rerum dotalium persecutionem constante matrimonio , l. 7.  
cum notissimi , §. illud , C. de præscr. trig. vel quadr. ann. Aliud vero dicendum  
est de illis , quibus obstat impedimentum facti , adversus quos currit præscrip-  
tio ; sed possunt ipsi adversus illam restituiri , ut accidit in nostra hypothesi .

*Ad §. Item si quis.*

**I**T E M si quis in fraudem creditorum rem suam alicui tradi-  
derit , bonis ejus à creditoribus possessis , ex sententia Præ-  
fidis permittitur ipsis creditoribus , rescissâ traditione eam rem  
petere ; id est dicere eam rem traditam non esse , & ob id in  
bonis debitoris mansisse .

**A C T I O** Pauliana † est actio in rem Prætoria , quâ excussis bonis sui debi-  
toris , creditores bona ejus in suam fraudem alienata repetunt , rescissâ tradicio-  
ne . Hæc actio quia à Paulo Prætore originem sumpit , appellatur ideo Pau-  
lianæ , l. 38. §. In Faviana , ff. de usur.

Dixi 1. *esse actionem in rem* ; quod non est ita intelligendum , quasi actor di-  
cat , rem suam esse ; sed quod dicat , eam remansisse in bonis sui debitoris . Quod  
etiam accidit in Serviana & quasi-Serviana ; quia non omnes actiones in rem Præ-  
torie dominii vindicationem continent .

Dixi 2. *excussis bonis debitoris* ; quia ad fraudem de qua hic agitur , non suf-  
ficit fraudulentum consilium , sed insuper requiritur fraudis *eventus* , l. ait Pra-  
tor , §. 1. & §. que in fraudem , ff. que in fraud. credit . Qui *eventus* fraudis ap-  
parere non potest , nisi post excussa bona debitoris .

Dixi 3. *creditores* ; quo nomine non tantum continentur qui pecuniam cre-  
diderunt , sed omnes etiam , quibus aliquid ex qualibet causa debetur , l. credi-  
tores 10. cum duab. seqq. ff. de verb. sign.

Dixi 4. *bona ejus alienata* ; quod ita intelligendum est , ut si pater æris alieni  
mole prægravatus , filio suo fideicommissario , vel etiam extraneo fideicommis-  
sori ante tempus restituerit ; non videatur in fraudem creditorum alienare , sed  
magis fideliter facere , & pleniorum fidem exhibere defuncti voluntati , l. patrem  
19. & l. sequ. ff. que in fraud. cred. Nou tamen idem dicendum est , si pater fi-  
lio suo usumfructum remiserit peculii adventitii ; quia cessat isto casu omnis ne-  
cessitas restituendi fideicommissi .

Dixi 5. *in fraudem creditorum* ; id est interveniente fraude debitoris alienan-  
tis , & ejus etiam cui traditio facta est , l. 6. §. simili modo , ff. eod . Sed si tra-  
ditio fiat ex causa lucrativa , non distinguimus utrum sciverit vel ignoraverit ille ,  
cui aliquid traditum est . Neque enim injuria afficitur , cui lucrum dumtaxat ex-  
torquetur , non damnum infligitur , d. §. simili modo . Est & altera disparitatis  
ratio ; quod melior debeat esse causa creditoris , qui certat de damno vitando ,  
quam illius , qui certat de lucro acquirendo , l. ult. §. sin vero creditores ; C. de  
jure delib.

Dicitur denique *rescissâ traditione*; quia ipso jure valet illa traditio; s. per traditionem sup. de rer. divis. quippe quæ nullâ lege prohibetur. Manumissio verò in fraudem creditorum facta, ipso jure nulla est; quia Lex Ælia-Sentia illum prohibet, atque ita impedit libertatem, *in pr. sup. quib. ex caus. manum. non licet.* Nec dubium est, quin ea quæ contra legis prohibitionem fiant, pro infectis habeantur, l. 5. C. de legibus.

Cæterum hæc actio Pauliana rescissoria traditionis, sicut & præcedens usucaptionis rescissoria, anno utili terminatur; quia datur contra jus civile, l. in honorariis 35. ff. hoc tit. l. 1. in pr. & l. 10. in pr. ff. que in fraud. credit. In hoc autem Regno hæc actio, (sicut & cæteræ rescissoriæ,) intra decem annos proponenda est, ex constitutionibus Regiis (*toutes les actions rescissives se prescrivent dans dix ans.*) Neque umquam proponuntur actiones rescissoriæ, nisi Literis Regiis imperatris. Quod etiam locum habet in contractibus & aliis actibus, qui ipso jure nulli sunt. (*Les voies de nullité n'ont point de lieu en France.*)

Quamvis autem ex jure civili judicium rescindens & rescisorium non distinguantur, Jure tamen Canonico (quod in foro circa hanc partem prævaluit,) distinctio inter utrumque judicium recepta est: ita ut de rescindente prius debeat cognosci quam de rescitorio; neque umquam utrumque simul tractetur. Judicium rescindens † est illud in quo agitur de concedenda aut deneganda in integrum restitutione, adversus negotium aliquod iniquum, quod secundum juris rigorem ac nimiam subtilitatem consistit: v. g. si creditor velit restitui adversus apocham, quam metu coactus concessit suo debitori. Judicium rescisorium † est illud in quo post concessam in integrum restitutionem, perinde agitur de jure restituti, ac si nullum umquam impedimentum extitisset: v. g. si idem creditor adversus suam apocham restitutus, petat summam sibi debitam ex priori cautione.

#### *Ad §. Item Serviana.*

**I**T E M Serviana & quasi-Serviana (quæ etiam hypothecaria vocatur) ex ipsius Prætoris jurisdictione substantiam capiunt. Serviana autem experitur quis de rebus coloni, quæ pignoris jure promercedibus fundi ei tenentur. Quasi-Serviana autem est, quâ creditores pignora hypothecasve persequuntur: inter pignus autem & hypothecam (quantum ad actionem hypothecariam attinet) nihil interest. Nam de qua re inter creditorem & debitorem conveniet, ut sit pro debito obligata, utrâque hac appellatione continetur. Sed in aliis differentia est. Nam pignoris appellatione eam propriè rem contineri dicimus, quæ simul etiam traditur creditori, maximè si mobilis sit. At eam quæ sine traditione, nudâ conventione tenetur, propriè hypothecæ appellatione contineri dicimus.

**A**CTIO Serviana † est illa, quâ dominus prædii rustici persequitur securitatis

suæ causâ res coloni ab eo in fundum invectas & illatas , & pro mercedibus fundi expressâ conventione obligatas , adversus quemcumque possessorem . Appellatur autem Serviana à Prætore Servio ejus auctore .

Dicitur 1. in hac definitione *res coloni* . Is est conductor prædii rustici , sicut Inquilinus est conductor prædii urbani ; maximè si solus , id est sine domino habiter , l. 2. in fin. & l. 4. in pr. ff. de usu & habit.

Dicitur 2. *securitatis suæ causâ* ; quia hæc actio possessionem tantum seu custodiā , non dominium reo avocat , l. 66. in pr. ff. de evict. & ad hunc dumtaxat scopum collimat ; ut dominus possit servare *res huiusmodi* , donec sibi penitus integræ persolvatur .

Dicitur 3. *in fundum* ; id est in prædium rusticum : neque enim hæc actio in prædiis urbanis locum haberet .

Dicitur 4. *invectas & illatas* . Invectæ dicuntur res mobiles , ut aurum , vestis , & similia , quæ non à se , sed ab aliis moventur . Illatæ vero † dicuntur res mobiles se moventes , ut equi , boves , & similia animantia . Forner. ad l. 93. ff. de verb. sign.

Dicitur 5. *expressâ conventione obligatas* ; quia licet invecta & illata ab Inquiliño , intelligantur pro mercedibus prædii urbani tacite obligari , etiam sine ulla expressa conventione , l. 5. C. de loc. & conduct. aliud tamen obtinet in prædio rustico . Ratio disparitatis pendet , ex eo quod ea quæ moris sunt & consuetudinis , etiam si omilla fuerint , in bonæ fidei judiciis debent venire , l. quod si nolit , §. assidua , ff. de adit. edict. At vero apud Romanos hæc fuit consuetudo ut solearent fructus fundi pro mercedibus ejus expressâ conventione obligari , l. si servus 61. §. locavi , ff. de furt. Sed de invectis & illatis in prædium rusticum fieri non solebat hæc conventio , forte quia fructuum obligatio ad securitatem domini sufficere videbatur . In prædio autem urbano , cuius nulli sunt fructus , necessarium fuit ac frequens res invectas & illatas pro mercedis securitate obligare & atque ideo invaluit , ut invecta & illata pro mercede conductionis in prædiis urbanis obligarentur ; & ut eo non expresso , tacita semper earum rerum obligatio facta facile crederetur , l. ult. C. in quib. caus. pignus vel hypotheca tacite contrahitur .

Dicitur denique , contra quemcumque possessorem ; quia hæc actio realis est ; & quia res semel obligatae transiunt semper in accipientem cum sua causa , id est cum suo onere , cap. ex litteris 5. ext. depign.

### *Ad Vers. Quasi-Serviana.*

Quasi-Serviana actio , quæ utilis Serviana , hypothecaria , & interdum etiam pugnacitia dicitur , † est actio in rem Prætoria , quæ creditores hypothecarii persequuntur securitatis suæ causâ pignora vel hypothecas adversus quemcumque possessorem .

Dicitur 1. *actio in rem* , quia licet ex conventione & obligatione descendat , cujusmodi actiones in personam sunt , §. 1. sup. b. t. magis tamen cohæret rei , quam personæ . Ex omnibus itaque contractibus hypothecam continentibus , duplex actio competit creditori : una personalis adversus debitorem ejusque heredes , d. §. 1. & §. 1. inf. de perpet. & tempor. alt. realis altera , videlicet hypothecaria ; quæ non competit adversus heredem , nisi sit possessor .

Dicitur 2. *Pretoria*; quia vel à Prætore aliquo Servii exemplum imitante profita est, vel à Jurisconsultis ad exemplum Servianæ actionis inventa.

Dicitur 3. *creditores hypothecarii*; † id est qui habent hypothecam expressam vel saltem tacitam; cujusmodi sunt legatarii in rebus hereditariis, l. 1. C. commun. de legat. & minores in bonis tutorum vel curatorum, l. pro officio 20. C. de admin. tut. Aliud igitur dicendum est de creditoribus chirographariis, † id est qui solo chirographo debitoris muniti sunt, sine pignore vel hypotheca. Chirographum † est cautio privatâ manu debitoris scripta vel subscripta (*une cedule, une promesse de main privée sans aucune hypothèque.*) Tales creditores vocare solemus nostro idiomate, (*des créanciers cedulaires.*)

Dicitur 4. *pignora, hypothecasve*. Quæ nomina hoc loco non contractum aut conventionem significant, ut alibi sæpe, sed res ipsas, quæ per eam conventionem obligantur, ut dictum est ad §. ult. sup. quib. mod. re contrah. oblig. Quantum autem ad actionem hypothecariam attinet, inter pignus & hypothecam nulla est differentia; & ut ait Martianus Jurisconsultus in l. 5. §. 1. ff. de pignor. & hypoth. tantum nominis sonus differt. Unde sequitur, creditorem posse per hanc actionem æqualiter persequi res sibi ex contractu pignoris traditas, vel nudâ tantum hypothecæ conventione obligatas, contra quemcumque possessorem. Hinc apparet distinctio actionis hypothecariæ ab utraque actione pignoratitia, directa & contraria, de qua egimus in loco citato libri superioris, quamquam pignoratitia actionis nomen pro hypothecaria interdum adhibetur, l. 9. in fine ff. quib. mod. pign. vel hypoth. solvitur.

Cætera quæ ad hanc definitionem actionis quasi-Servianæ pertinent, cum Servianæ actionis definitione communia sunt.

#### *Ad §. In personam.*

**I**N personam quoque actiones ex sua jurisdictione propositas habet Prætor; veluti de pecunia constituta, cui similis videbatur receptitia. Sed ex nostra constitutione (cùm [&] si quid plenius habebat, hoc in actionem pecuniae constitutæ transfusum est) [&] ea quasi supervacua jussa est cum sua auctoritate à nostris legibus recedere. Item Prætor proposuit actionem de peculio servorum filiorumque familiarium; & eam, ex qua queritur, an actor juraverit, & alias complures.

PERSONALIUM actionum quæ ex Prætoris jurisdictione descendunt, duo sunt genera: Quædam enim ex conventione oriuntur, quæ sunt rei persecutoria: quædam ex delicto promanant, quæ pœnales sunt. Earum quæ ex conventione oriuntur tria proponuntur exempla, scilicet actio de constituta pecunia, (in quam actionem hodie vetus receptitia transfusa est,) actio de peculio, & actio ex jurejurando.

*Ad s. De constituta.*

**D**E constituta autem pecunia cum omnibus agitur, quicumque pro se vel pro alio soluturus se constituerint; nullâ scilicet stipulatione interpositâ. Nam alioqui si stipulanti promiserint, jure civili tenentur.

**CONSTITUTUM** † est nuda conventio, quâ quis promittit se solutum certâ die, quod ipse vel alius debet. Inde autem videtur nomen sumpfille, quod constituere sit diem dicere & designare, & simul cum aliquo statuere (*arrêter & accorder le temps*) quo sensu accipitur apud Juven. *Sat. 3.*

*Hic ubi nocturne Numa constituebat amica.*

Dicitur in hac definitione *certâ die*; quia omne constitutum fit ad diem: si autem nullâ die adjectâ aliquis constituerit, intelligitur decimâ die promisso, *I. promissor 21. ff. de constit. pec.* Unde apparet, usum constituti non in eo possumus esse, ut is cui purè debetur, ac proinde cui statim competit actio, *I. omnis sup. de verb. oblig.* post tempus dumtaxat agere possit; sed ut is cui debetur certo die, citeriore die agere possit, & debitum accipere.

Ex constituto oritur actio Prætoria de constituta pecunia; quæ convenit cum civili receptitia actione, quatenus in utraque agitur, de eo qui promisit se datum aliquid pro alio. Differabant tamen à se invicem hæ duæ actiones antiquitatis, sed in duobus maximè. Primo, quod ex constituto obligarentur omnes; ex recepto vero soli argentarii, qui recipiebant plerumque se soluturos, quod ab aliis debebatur. Præterea in constitutum veniebant pecuniae tantum, hoc est res pondere, numero, vel mensurâ constantes. In receptum vero veniebant non solum quantitates, sed etiam corpora, *I. pen. C. de constit. pec.* atque ita ut monet Theoph. plenius erat receptum constituto si res spectemus; plenius vero erat constitutum recepto, si inspiciamus personas. Cæterum Justinianus abrogavit *in d. I. pen.* veterem receptitam actionem, & quidquid habebat plenius transfundit in actionem de constituta pecunia, quæ hodie civilis est, & ad omnia rerum genera pertinet; quia pecuniae nomine omnia continentur, *d. I. pen.*

*Ad s. Actiones.*

**A**CIONES autem de peculio, ideo adversus patrem, dominumve comparavit Prætor; quia licet ex contractu filiorum servorumve ipso jure non teneantur, æquum tamen est peculio tenus (quod veluti patrimonium est filiorum filiarumque, item servorum) condemnari eos.

**ACTIONES** de peculio descendunt etiam ex jurisdictione Prætoris, & competunt adversus patrem vel dominum ex contractu filiifamilias vel servi peculium habentis. Idque summâ ratione constitutum est; quia cum patres vel domini ex peculio servorum vel filiifamilias luctum sentiant, æquum quoque fuc-

rat, pro modo peculii eos creditoribus condemnari, arg. l. 10. ff. de reg. jur. Neque enim ferendus est ille, qui lucrum quidem amplectitur; onus autem ei annexum nititur detrectare, l. un. §. pro secundo, C. de caduc. toll. Est & altera ratio, quod ille qui cum servo contrahit, universum peculium eius, quod ubicumque est, veluti patrimonium intuetur, l. 32. in pr. ff. de pecul. idemque dicendum est de filiofamilias. Debent igitur pater & dominus pro modo illius peculii, quod esse penes filium vel servum voluerunt, creditoribus satisfacere. Dixi ex contractu; quia ex delictis servi vel filiofamilias, non solet in patrem vel dominum actio de peculio dari, l. ex penalibus 59. ff. de reg. jur. quia non censentur filio & servo peculium concessisse ut delinquent, sed tantum ut contrahant; Quæ actiones de peculio sequenti titulo diligentius exponentur.

*Ad §. Item si quis.*

**I**T E M si quis postulante adversario juraverit, deberi sibi pecuniam, quam peteret, neque ei solvatur: justissime commodaet ei talem actionem, per quam non illud queritur, an ei pecunia debeatur; sed an juraverit.

'**A**CTIO in factum ex jurejurando † est illa, quā actor quī reo deferente juravit sibi pecuniam deberi, adversus eundem experitur ad obtinendam ejus pecuniae condemnationem. Hæc appellatur actio in factum, & utilis actio judicati, l. auctori, C. de rebus credit. & l. sed si possessori, ff. de jurejur. quia per facti narrationem proponitur; & quia jurandum non minorem obtinet auctoritatem quam res judicata, l. 2. ff. eod. Atque ideo sicut res judicata pro veritate habetur, l. 23. ff. de stat. homin. ita quoque postquam semel reo deferente actor juravit, non amplius queritur, an pecunia debeatur; sed tantum an iuratum sit. Eiusque rei ratio est, quod illi qui jurandum detulit, potest imputari, quod adversarium in propria causa Judicem ac testem constituerit, l. ult. C. de fidicomm. Aliud vero dicendum est de jurejurando, quod delatum est a JUDICE, l. admonendi 31. ff. de jurejur. quia eo casu nihil est, quod imputari possit ei adversus quem juratum est.

*Ad §. Pœnales.*

**P**OENALES quoque actiones Prætor multas ex sua iurisdictione introduxit: veluti adversus eum qui quid ex albo ejus corrupisset; & in eum qui patronum vel parentem in jus vocasset; cum id non impetrasset: item adversus eum qui vi exemerit eum qui in jus vocaretur, cuiusve dolo alias exemerit, & alias innumerabiles.

**P**RÆTORIUM actiones ex delicto descendentes pœnales sunt bene multis: sic enim malum legere quam pene, ut vulgo legitur (quod nullum sensum habet idoneum.) Sic enim & Hirtius dixit de bello Hispan. bene multis val-

peribus affectos. Quarum actionum pœnaliū tria hoc loco proponuntur exempla.

Prima actio pœnalis est de albo corrupto. Album Prætoris erat tabula quædam in qua Prætores publicè proponebant, perpetuæ jurisdictionis causâ, quid juris dicturi essent anno suo in unoquoque causarum genere: Ita dictum fuit, quod scriptum esset in tabula dealbata; vel potius, quia (ut ait Theophilus) *albus yepuparis*, albis litteris; id est in mundum redactis characteribus prescriptum erat. Quo sensu dicitur album Decurionum, *toto tit. ff. de albo scrib.* & metaphoricè album cruditorum. Dico *perpetua jurisdictionis causâ*; quia aliud dicendum est, si quis corruerit id quod prout res incidit a Prætore decreatum est, *l. 7. in pr. ff. de jurisdictione*. v. g. si proposita chartâ aliquem evocavit, ut præsentiam sui faceret, *l. contumacia, ff. de re judic.* Hæc actio popularis est, id est cuilibet è populo competit; & pœnâ quiagentorum aureorum propositâ contemptam Prætoris majestatem ulciscitur, *l. 9. ff. de jurisdictione*.

Secunda actio pœnalis Præatoria est in eum qui patronum vel parentem, veniam à Prætore non impetratâ in jus vocavit, propositâ pœnâ quinquaginta aureorum, *l. pen. ff. de in jus vocando*; quia scilicet honesta semper & sancta videri debet filiis & libertis persona parentis & patroni, *l. 9. ff. de obsequ. parent. & patron. præst.*

Tertia actio pœnalis Præatoria est de illo qui cum qui in jus vocabatur vi exemerit condemnatione faciendâ, quanti ea res est, *l. pen. §. 1. ff. nè quis cum qui in jus vocab. vi eximat.* Sed excipiendus est is casus, si ea persona exempta sit, quæ in jus vocari non potuit, veluti parens & patronus. Nam si deliquit qui vocavit, non deliquit igitur qui vi eximit, *l. 1. §. ult. ff. eod.*

#### Ad §. Prajudiciales.

**P**RÆJUDICIALES actiones in rem esse videntur: quales sunt per quas queritur an aliquis liber, an libertus sit, vel de partu agnoscendo. Ex quibus ferè una illa legitimam causam habet, per quam queritur, an aliquis liber sit: cæteræ ex ipsius Prætoris jurisdictione substantiam capiunt.

**P**ROPOSITA primâ actionum divisione in reales & personales, earumque subdivisione in civiles & Prætorias, ut nihil hujus divisionis tractatui deceat videatur, subjungit Imperator actiones præjudiciales; & an sint reales vel personales, vel Prætoriae aut Civiles expendit. Tum deinde corollarii vice explicat, quomodo actiones in rem & in personam re ipsâ & nomine à se invicem distinguantur.

Circa primum dubitandi ratio hæc suisse videtur, quod præjudiciales actiones non dentur adversus cum, qui nobis aliquo jure obligatus est ad dandum aliquid vel faciendum quod est proprium actionum personalium, *l. actionum 25. ff. b. t.* neque dentur etiam ad hoc ut res nostra quæ ab alio possidetur, nostra esse dicatur, nobisque restituatur; quod est proprium actionum in rem, *§. 1. supra hoc titulo.* Huic dubio aliquatenus respondet Imperator dum ait præjudiciales actiones in rem esse videri. Quod verum quidem non est, quantum ad secundam partem intentionis actionum in rem. Neque enim petimus in præ-

judiciis aliquid nobis restitu , sicut sit in actionibus in rem ; l. officium 9. & l. qui restituere 68. ff. de rei vindic. sed quoad primam dumtaxat partem , quatenus actor per hujusmodi actionem aliquid suum vindicat ; v. g. dominus vindicat servam in servitatem ; servus vero , aut alius pro eo ( qui assertor dicitur ) vindicat libertatem ; & sic de ceteris. Merito itaque definitur actio prajudicialis , † ex Theopli. formula sola intentione constans , quæ condemnationem non habet. Uno verbo est actio de statu. Praejudicium vero hoc loco est quæstio de statu ; eoque nomine inde utitur , quod plerumque prius judicari debeat , quam altera causa , quæ ab ea pendet ; putat si agatur de alimentis , de operis , vel de aliquo simili. Dixi plerumque ; quia licet haec prajudicialis actio plerumque sit preparatoria alterius actionis , sola tamen & per se moveri potest , etiam si alia nulla causa interveniat , l. ult. ff. si ingenuus esse diceretur.

Triplex est actio prajudicialis. † Prima est illa in qua queritur an quis sit liber vel servus , quæ etiam appellatur liberalis causa , & liberale judicium. Secunda , an quis sit ingenuus vel libertinus. Tertia denique est de partu agnoscendo : que singulæ in libris Pandectarum speciales habent locos ac titulos. Prima legitimam causam habet , ut ait Imperator , id est actio civilis est ; quia oritur ex L. 12. tab. quâ cavebatur , ut in ea quæstione , vindicia dicarentur secundum libertatem ; id est ut ille cui status controversia movebatur , pendente judicio esset in libertate , l. 2. §. & cum placuissest , ff. de or. jur. Ceteræ prajudiciales actiones sunt Prætoriae.

*Ad §. Sic itaque.*

**S**I c itaque discretis actionibus , certum est , non posse actionem suam rem ita ab aliquo petere , si appareat eum dare oportere. Nec enim quod actoris est , id ei dari oportet : scilicet quia dari cuiquam id intelligitur , quod ita datur , ut ejus fiat. Nec res quæ [ jam ] actoris est , magis ejus fieri potest. Plane odio furum , quo magis pluribus actionibus teneantur effectum est , ut extra poenam dupli aut quadrupli , rei recipiendæ nomine fures etiam haec actione teneantur , si appareat eos dare oportere ; quamvis sit adversus eos etiam [ haec ] in rem actio per quam rem suam quis esse petit.

ACTIONES reales à personalibus differunt , non solum re ipsâ , sed etiam nomine. Differunt re ipsâ , quatenus res tantum nostras petimus per actionem in rem ; numquid alienas , nisi forte ex edicto Prætoris. Per actionem autem in personam , non tantum nostras res nostras , sed etiam alienas. Verum non condicimus nisi alienas ; atque ita intelligendum , quod vulgo dicitur , *Vindicamus res nostras , condicimus alienas.* Illi autem , qui dominus est , ideo permisum non fuit rem suam condicere ; quia condicere † est intendere aliquid sibi dari oportere : quod autem semel nostrum est , nostrum amplius fieri non potest , §. sed si rem sup. de legat. Et quamvis ex pluribus causis idem nobis deberi possit ; idem tamen ex pluribus causis nostrum esse non potest , l. 14. §. pen. ff. de except. rei judic. & l. 159. ff. de reg. jur.

Hac

Hæc tamen regula exceptionem patitur in causa furum ; quorum odio , & ut pluribus actionibus teneantur , inductum est , ut dominus rei furtivæ possit adversus fures eam condicere ; quod domino agenti maximè utile est : quia etiam si fur non sit rei possessor , neque dolo desierit eam possidere ; adversus furem tamen condicatio competit , §. ult. sup. de obl. qua ex delict. nasc. Vindicatio vero datur adversus solum possessorem , d. §. ult. quod ad eum etiam pertinet qui dolo malo desit possidere ; quia dolus malus pro possessione habetur , l. 131. & l. 150. ff. de reg. jur. Neque obstat quod dicitur in §. si tamen sup. de rer. divis. posse condici a furibus & quibusque possessoribus. Nam agitur eo loco de rebus extinctis. In hoc autem §. nostro agitur de rebus extantibus ; quarum nomine solus dominus potest uti condicione adversus solos fures vel alias furibus similes.

Cæterum , non asserit Imperator hoc loco actiones personales numquam dari dominis ad rei suæ repetitionem : hoc enim falsum esse arguunt actiones commodati & depositi directæ , quas constat esse personales , §. 1. sup. hoc tit. & dominis competere : causæ siquidem commodati depositi & similes , quæ temporales sunt , dominium non mutant. Sed hoc tantum ait Justinianus , non posse eum qui dominus est , agere actione personali ad repetitionem rei suæ , sub hac formula , si paret dare oportere , propter rationem jam expositam.

#### *Ad §. Appellamus.*

**A**PPELLAMUS autem in rem quidem actiones , vindicationes ; in personam vero actiones , quibus dare aut facere oportere intenditur , condiciones. Condicere enim est denunciare priscâ linguâ : nunc vero abusivè dicimus , condicitionem actionem in personam esse , quâ actor intendit dati sibi oportere. Nulla enim hoc tempore eo nomine denuntiatio fit.

QUOD ad nomen attinet ; differunt actiones reales à personalibus , quod reales dicantur vindicationes ; fortè à vi , quæ dicebatur , quam appellat quotidiam M. Tullius in orat. pro Cæcinn. & A. Gellius festucariam , lib. 20. cap. 10. cui in eodem capite opponitur solida vis , vel à vindiciis ; quia teste Festo , vindiciae dicebantur olim res , de quibus erat controversia ; aut potius , quia vindiciae dicebantur inter litigantes : eoque vindiciarum nomine antiquitus designata fuit adjudicatio possessionis , aut possessio ipsa ; ut cum dicitur in 12. tabulis , vindicias dandas esse secundum libertatem , l. 2. §. & cum placuisse , ff. de orig. jur.

Condicitionum vero nomen generaliter tribuitur omnibus actionibus personalibus ; quia condicere priscâ linguâ est denunciare. Et ( ut verbum sonat ) condicere est simul dicere , id est diem in commune statuere ; atque ita dicitur condicere cœnam , id est denunciare alicui , ut adsit , & vice versa promittere se ad futurum. Is autem mos fuit antiquitus , ut qui item movere velleret , denunciaret adversario suo , ut in ius veniret ; qui adversarius aut ire in ius statim debebat , aut vadere seu sponsorem dare , quod in judicio sisteret ad diem constitutum : quæ res dicebatur vadatio. Similiter quoque postquam Magis-

tratus Judicem Partibus dederat , qui post tertium diem judicaturus esset ; litigantes sibi mutuo renunciabant in perendinum diem , ut ad judicium venirent ; quæ res comperendinatio dicebatur , teste Alfonso in Verrinam tertiam . Est autem perendinus dies idem quod tertius dies ( *après demain.* ) Hic erat ritus condictionum sive denunciationum in omnibus actionibus , tam realibus quam personalibus . Condictionis tamen nomen soli actioni in personam tributum est , eâ forte ratione , quia cum actio in rem habeat nomen speciale vindicationis , actioni in personam , nomen utriusque judicii commune visum est idoneè convenire . Quoties enim aliqua species proprium nomen non habet , proprium nomen generis sibi facit , ut exemplo adoptionis & cognitionis potest facile comprobari . Nunc vero dicimus abusivè condictionem , licet hodie *verus* ille denunciationum ritus exoleverit . Cæterum , usi invaluit ut condictionum nomen illarum actionum personalium speciale ac proprium sit , quæ sub formula dandæ concipiuntur , id est quibus intenditur aliquid dari oportere .

*Ad §. Sequens.*

**S**EQUENS illa divisio est , quod quedam actiones rei perse- quendæ gratiâ comparatæ sunt , quedam poenæ persecundæ , quedam mixtæ sunt .

**TERTIA** actionum divisio † est , quod quedam sint rei persecutoriæ , quedam poenales , & quedam mixtae .

Actiones rei persecutoriæ † sunt , quibus persecutimur quod ex patrimonio nobis abest , l. 35. ff. de obl. & act.

Poenales vero actiones † sunt , quibus non illud persecutimur quod ex patrimonio nobis abest , sed aliquid aliud , facti coercencî gratiâ . Ex patrimonio autem non tantum abesse videtur res nostra , quam adversarius possidet ; sed etiam id quod nobis debetur , & rei peremptæ aestimatio , §. si tamen sup. de rer. divis. juncto §. ult. sup. de obl. que ex delicto nascuntur . quibus addi debet etiam id quod interest , & pena conventionalis quæ in locum ejus succedit , l. ult. ff. de Prætor. stipul.

Actiones mixtae † sunt duplicitis generis : vel enim idem mixtae sunt , quod sint tam rei quam poenæ persecutoriæ ; vel quod sint tam in rem , quam in personam & de quibus singulis sigillatum agendum est .

*Ad §. Rei persecunda.*

**R**EI persecunda causâ comparatæ sunt omnes in rem ac- tiones . Earum vero actionum , quæ in personam sunt , eæ quidem , quæ ex contractu nascuntur , ferè omnes rei persecun- dæ causâ comparatæ videntur : velati quibus mutuam pecuniam , vel in stipulatum deductam petit auctor , item commodi , depo- siti , mandati , pro socio exempto , vendito , locato , conducto . Planè si depositi agatur eo nomine , quod tumulūs , incendiī , ruī-

næ , naufragii causâ depositum sit : in duplum actionem Prætor reddit ; si modò cum ipso , apud quem depositum sit , aut cum hærede ejus dolo ipsius agitur ; quo casu mixta est actio.

OMNES actiones in rem sunt rei persecutoriæ ; quia per illas persequimur res nostras , vel ad jus nostrum pertinentes ; sed è converso , omnes rei persecutoriæ non sunt reales. Constat enim , quā plurimas actiones personales esse rei persecutorias. Quòd ut clarius appareat , separat Imp. actiones in personam , quæ ex contractu oriuntur , ab illis quæ oriuntur ex maleficio.

Actiones quæ descendunt ex contractu , omnes ferè sunt rei persecutoriæ. Dixeremus ; quia excipitur ab hac regula actio depositi , quod tumultus , incendii , ruinæ , vel naufragii causâ factum est. Quo casu contra depositarium inficiantem , & contra hæredem , qui dolum adiunxit , in duplum agitur , l. 1. §. 1. & 3. seqq. ff. depos. cuius dupli actio mixta est , id est tam rei , quam pœnae persecutoria. Ideo autem gravior pœna tunc infligitur , quam in volgari deposito ; quia cum quis fidem elegit depositarii , contentus esse debet simplio. Cum vero urgente necessitate deponit , crescit perfidiæ crimen ; & contemplatione publicæ utilitatis coercendum est. Est enim inutile ( id est iniquum ) in causis hujusmodi fidem frangere , d. l. 1. §. hec autem. Iniquitas autem ejus perfidiæ ex eo maximè apparet , quòd in illa communi omnium trepidatione , in qua unusquisque est de sua salute sollicitus , non licet domino fidum amicum eligere , apud quem res suas deponat : ideoque cum maius sit perfidiæ periculum , necessarium fuit maius adhiberi remedium , Cod. ubi periculum de elect. in 6. Ex dolo autem defuncti depositarii , hæres quidem tenetur in solidum , l. 49. ff. b. t. sed in simplum dumtaxat , d. l. 1. §. 1. Aliud vero est teneri in solidum , & aliud teneri in duplex.

*Ad §. Ex maleficiis.*

**E**X maleficiis vero proditæ actiones , aliæ tantum pœnae persequendæ causâ comparatae sunt ; aliæ tam pœnae , quam rei persequendæ , & ob id mixtæ sunt. Pœnam tantum persequitur quis actione furti. Sive enim manifesti agatur quadrupli , sive non manifesti dupli , de sola pœna agitur. Nam ipsam rem propriâ actione persequitur quis , id est suam esse petens ; sive fut ipse eam rem possideat , sive alius quilibet. Eò amplius adversus furem etiam condicō est [ rei. ]

ACTIONES personales ex maleficiis descendentes omnes pœnam persequuntur. Sed quædam sunt merè pœnales , quædam mixtæ. Merè pœnales sunt furti manifesti in quadruplum , & non manifesti in duplum. Namque dominus potest rem suam seorsim persequi vindicatione adversus furem , vel condicione ; etiamsi actione pœnali furti , duplum vel quadruplum fuerit consecutus , §. ult. sap. de oblig. que ex delict. nasc. Eodem quoque modo pœnalis est actio de albo corrupto , & similes de quibus actum est ad §. pœnales supra hoc sit.

*Ad s. Vi autem.*

**V**I autem bonorum raptorum actio mixta est ; quia in quadruplo rei persecutio continetur : pœna autem tripli est. Sed & Legis Aquilæ actio de damno injuriâ [ dato , ] mixta est : non solum si adversus inficiantem in duplum agatur , sed interdum & si in simplum quisque agat : veluti si quis hominem claudum auctoratum occiderit , qui in eo anno integer & magni pretii fuerit : tanti enim damnatur , quanti is homo eo in anno plurimi fuerit , secundum jam traditam divisionem. Item mixta est actio contra eos , qui relicta sacrosanctis Ecclesiis , vel aliis venerabilibus locis , legati vel fideicommissi nomine , dare distulerint , usque adeò ut etiam in judicium vocarentur. Tunc enim & ipsam rem , vel pecuniam , quæ relicta est , dare compelluntur , & aliud tantum pro pœna : & ideo in duplum ejus sit condemnatio.

**M**IXTA actiones prioris generis , id est tam rei quam pœnae persecutoriae sunt , † quæ præter commodum quod actori abest , aliquid etiam aliud persecuntur , facti coercendi gratiâ. Talis est actio vi bonorum raptorum , quæ intra annum est in quadruplum mixta ; post annum vero in simplum rei damnata persecutoria , in pr. sup. de vi bon. rapt. Talis est etiam actio L. Aquilæ , §. his autem verbis sup. de L. Aquil. Talis denique est actio ex testamento legatorum vel fideicommissorum nomine , quæ sacrosanctis Ecclesiis vel aliis piis locis relicta sunt. Hæc enim non tantum crescit in duplum , cum heres inficiatus est legatum , sed etiam cum legati solutionem distulit , donec eo nomine in judicium vocaretur , §. sed furti infra eod.

*Ad s. Quædam.*

**Q**UÆ DAM actiones mixtam causam obtinere videntur , tam quemquam in personam : qualis est familiæ erescundæ actio , quæ competit cohæredibus de dividenda hereditate. Item communis dividendo , quæ inter eos redditur , inter quos aliquid commune est , ut id dividatur. Item finium regundorum actio , quæ inter eos agitur , qui confines agros habent. In quibus tribus judiciis permittitur Judicii rem alicui ex litigatoribus ex bono & æquo adjudicare : & si unius pars prægravari videbitur , cum invicem certâ pecuniâ alteri condemnare.

**A**CTIONES mixtae posterioris generis † sunt , quæ tam in rem quam in personam dantur : la rem quidem , quatenus dominii questionem continent ; in

personam verò , propter personales præstationes ; quæ in his iudiciis veniunt , l. 22. §. pen. ff. fam. ercisc. l. 4. sicut autem , ff. comm. divid. & l. 1. ff. fin. regund. Tales sunt actio familiarē erciscundæ , communī dividundo , & finium regundorum : quæ aliā insuper ratione mixta dicuntur ; quod in illis uterque litigantium & rei & actoris partes sustineat , l. 27. §. 1. ff. b. t.

Actio familiarē erciscundæ † est illa , quæ datur inter cohæredes , qui communem hæreditatem pro indiviso possident ; ad hoc ut hæreditas dividatur , & quod eo nomine alterum alteri dare facere oportebit , præstetur. Præstanti autem sunt in hac actione cohæredi fructus , quos alter cohæres percepit supra partem suam ; & sumptus itidem quos cohæres fecit in hæreditate communī , ultra id quod ratione suæ partis facere tenebatur , §. si familiæ inf. de offic. jud. Nomen habet hæc actio , ex eo quod familia nomen significet hæreditatem , vel potius res hæreditarias ; ercisci verò priscâ lingua est dividere. Petet siquidem alter vel uterque cohæres per eam actionem , ut dividatur hæreditas quæ possidetur pro indiviso ; ( Par indivis ) id est , ante factam divisionem , & ante distinctas partes singulorum. Justissima autem est illa petitio divisionis ; quia nemo invitus cogitur in communione permanere , l. ult. C. comm. divid. eo quod communio pariat discordias , l. cum pater , §. dulcissimis , ff. de leg. 2.

Actio communī dividundo est illa , quæ datur inter illos , qui rem aliquam singularem , communem pro indiviso possident ; ad hoc ut dividatur , & quod eo nomine alterum alteri dare facere oportebit , præstetur. Hæc actio locum habet , sive sit res aliqua inter duos communis , occasione societatis voluntariae , sive fortuitæ , l. 2. ff. comm. divid. Verum rei communio tunc tantum appellatur quasi contractus , cum sine societate voluntaria , res aliqua communis est , §. item si , sup. de obl. qua quasi ex contr. nasc.

Actio finium regundorum † est illa , quæ inter eos datur qui confines agros habent ; ad hoc ut fines regantur , & quod alterum alteri dare facere oportebit , præstetur ; sicut exponetur exactius , Deo propitio , ad tit. inf. de offic. jud. quod hujus loci non patientur angustia. Theoph. quoque interpretationem hujus loci in alium locum remittit his verbis : ὡς ἐν τοῖς de iudiciis , τῷ δὲ μαθητῇ , quæ verba Curtius sic interpretatur , sicut infrā favente Deo in titulo de officio iudicis dicemus. Fabrotus verò : sicut favente Deo in tractatu de iudiciis discemus. Non placet versio prior ; quia idem Theoph. iisdem verbis uititur in §. 2. infrā de offic. jud. Eum insuper titulum non inscribit de iudiciis , sed τοῖς οὐρανοῖς τῶν δικαστῶν. Non placet etiam posterior ; quia est mere divinatoria : tum etiam quia Græci Legum interpres commentaria & tractatus non edebant ; obstante Justiniani constitutione , quæ id fieri prohibebat , l. 2. §. hoc autem , & l. 3. §. illud , Cod. de vet. jur. encl. sed epitomas , & τεξτα dumtaxat , vel indices. Commodius videtur exponi posse , sicut discemus Deo propitio in secunda parte Digestorum , quæ τὰ de iudiciis nuncupatur , l. 3. §. Euseb. C. de vet. jur. encl. l. 2. §. secundus cod. tit. & in constit. ad Antecess. §. in secundo. Præterea in ea parte agitur de actionibus in utraque Theoph. citatione designatis , libro videlicet 6. & 10. Hæc denique pars secunda docebatur in scholis Justinianæis secundo studiorum anno , ut docet constitutio ad Antecess. §. in secundo.

## Ad §. Omnes.

**O**MNES autem actiones, vel in simplum conceptæ sunt, vel in duplum, vel in triplum, vel in quadruplum: ulterius autem nulla actio extenditur.

**Q**UARTA actionum divisio † est, quod vel in simplum, vel in duplum, vel in triplum, vel in quadruplum dentur: ulterius autem nulla actio extenditur. Licet enim servo aliquo occiso fiat etiam aestimatio hereditatis servo delatae ex interpretatione Prudentum in actione L. Aquilie, §. illud sup. de Leg. Aquil. quo casu potest illa aestimatio quadruplum exceedere perempti corporis: nihilominus tamen nulla actio extenditur ultra quadruplum ejus damni, quod culpâ adversarii actor passus est: quæ est mens Imperatoris hoc loco.

## Ad §. In simplum.

**I**N simplum agitur: veluti ex stipulatione, & mutui datione, ex empto, vendito, locato, conducto, mandato, & denique ex aliis quamplurimis causis.

**I**N simplum sunt omnes actiones rei persecutoriæ, tam in rem, quam in personam. Imò verò pœnales quoque actiones, quæ citrā mentionem dupli, tripli, vel quadrupli concipiuntur, eodem numero sunt; cujusmodi est actio de albo corrupto in quingentos aureos, edicto Prætoris, l. 7. in pr. ff. de iurisdict.

## Ad §. In duplum.

**I**N duplum agimus: veluti furti nec manifesti, damni injuriæ ex Lege Aquilia, depositi ex quibusdam causis. Item servi corrupti: quæ competit in eum, cuius hortatu consiliove servus alienus fugerit, aut contumax adversus dominum factus est, aut luxuriosè vivere cœperit, aut denique quolibet modo deterior factus sit. In qua actione earum etiam rerum, quas fugiendo servus abstulerit, aestimatio deducitur. Item ex legato: quod venerabilibus locis relictum est, secundum ea quæ supra diximus.

**A**CTIONES in duplum sunt; furti nec manifesti, damni injuriæ dati, depositi ex quibusdam causis, id est depositi miserabilis, servi corrupti, & ex legato, quod piis locis relictum est: quæ omnes actiones, unicâ exceptâ, superius expressæ sunt.

Actio itaque servi corrupti, de qua sola dicendum restat, † est illa quæ domino competit in duplum damni dati, adversus cum qui mores ipsius servi cor-

rupit ; putà si servus fugitus ; aut aleator factus fuerit , aut luxuriosè vivere cœperit . De moribus autem filiūfamilias corruptis utilis actio patri competit , quoniam patris interest liberorum animum non corrumpi ; l. 14. §. 1. ff. de ser-vo corrup. & quia pater filii sui ex jure Quiritium dominus esse videtur , l. 1. §. per hanc autem , ff. de rei vind. Nulla autem directa actio servi corrupti patri competit ; quia liberum caput dominum non habet : tum etiam quia crediderunt legum conditores , vix posse patrem aliquem reperiri , qui velit infamiam dominū suū , & mores filii vitiosos omnibus innotescere ; cum hæc in ejus opprobrium redundant omnia .

## Ad §. Tripli.

**T**RIPPLI vero [ agimus , ] cum quidam majorem verâ aesti-matione quantitatem in libello conventionis inserunt , ut ex hac causa viatores , id est executores litium , ampliorem summam sportularum nomine exigerent . Tunc enim id , quod propter eorum causam damnum passus fuerit reus , [ in ] triplum ab actore conse-quetur : ut in hoc triplo etiam simplum , in quo damnum passus est , connumeretur . Quod nostra constitutio introduxit , quæ in nostro Codice fulget , quam procul dubio certum est ex lege condic-tia emanare .

**I**N triplum unica actio proponitur mixta ; quæ datur contra illum , qui majorem verâ aestimatione quantitatem libello conventionis inseruit , cā mente ac frande ut viatores , apparitores , seu executores litium ampliorem summam sportularum nomine , à reo exigerent : sportulas autem reus apparitori solvere tenebatur pro modo pecuniae , quam petebat actor . Postquam igitur abrogatum fuit vetus jus illud , ut quicumque plus peteret causâ caderet ( *sicut dis-cutietur ad §. si quis agens inf. eod.* ) si quis majorem summam libello suo ex-pressisset , ut majoribus sportularum sumptibus adversarium oneraret : condic-tio ne ex lege poterat conveniri in triplum ex constitutione Justiniani , quæ periit cum Codice primæ prælectionis cui inserta fuerat , ex qua constitutione pro-cul dubio certum est condic-tiam ex lege actionem promanare ( sic enim legen-dum est juxta Theoph. Cujacium , Russardum & veteres libros , ad quos pro-vocant : ) id est dubium esse non debet , quin hæc actio debeat dici condic-tio ex lege . Nam quoties novâ lege obligatio inducitur , nec cavitur quo ge-nere actionis aliquis experiarur , ex lege agendum est , l. un. ff. de condic-ti.e ex lege .

## Ad §. Quadrupli.

**Q**UADRUPLI autem agitur ; veluti furti manifesti : item de Qeo , quo metū causâ factum sit , deque ea pecunia , quæ in hoc data sit , ut is cui datur calumniae causâ negotium alicui fa-ceret , vel non faceret . Item ex lege condic-tia nostra constitu-

tio oritur, in quadruplum condemnationem imponens iis executoribus litium qui contra nostræ constitutionis normam, à reis quidquam exegerint.

IN quadruplum actionum quatuor hoc loco exempla referuntur, furti manifesti, quod metus causâ, de calunnia, & adversus executores litium, qui sportulas à litigatoribus exegerint supra modum Justiniani constitutione definitum; quibus addere quintum possumus, videlicet vi bonorum raptorum.

Et propter calumniam quidem competit nobis actio in quadruplum adversus eum, qui pecuniam accepit ab alio ut nobis aliquod negotium faceret. Quocirca si Mævius & à Titio centum nummos sumpserit, ut mihi per calumniam litem inferret; & à me ipso summam eandem metu extorserit, nè mihi negotium faceret: Titio quidem nullatenus obligatur, quia quoties dantis turpitudo versatur, cessat repetitio, l. 5. C. de cond. ob turp. caus. l. 2. in fine, & l. 4. §. pen. ff. eod. & (ut vulgo dicitur) nemo auditur propriam allegans turpitudinem: sed mihi tenetur duobus judiciis in quadruplum; quia duo facta sunt, quorum neutrum debet esse impunitum, l. ita vulneratus, §. ult. ff. ad L. Aquil.

Ceteræ actiones in quadruplum novâ expositione non indigent; exceptâ actione quod metus causâ, quæ proprio loco mox fusius exponetur.

#### *Ad §. Sed furti.*

**S**ED furti quidem nec manifesti actio, & servi corrupti, à cæteris, de quibus simul locuti sumus, eo differunt, quòd hæ actiones omnimodo dupli sunt; at illæ, id est, damni injuriæ ex lege Aquilia, & interdum depositi, inficiatione duplicantur, in consitentem autem in simplum dantur. Sed illa, quæ de his competit, quæ relicti venerabilibus locis sunt, non solùm inficiatio ne duplicatur, sed etiam si distulerit relicti solutionem, usque quo jussu Magistratum [ nostrorum ] conveniatur. In consitentem verò, antequam jussu Magistratum conveniatur, solventem, simpli redditur.

SUPEREST, ut actiones in duplum vel in quadruplum secum invicem in suo genere comparemus, omissis actionibus in triplum, quarum una dumtaxat est species.

Actiones in duplum vel tales sunt ab initio; vel ex postfacto tantum. Ab initio & ex natura sui in duplum sunt, actiones furti non manifesti, servi corrupti, & de dejectis vel effusis. Ex postfacto, propter inficiationem rei in duplum sunt actiones Legis Aquiliae & depositi miserabilis. Item ex sola mora, actio ex testamento pro legatis vel fideicommissis, quæ venerabilibus locis relicta sunt, si hæres solvere distulerit, donec Præsidum provinciæ exactio ad eos compellendas

compellendos fuerit necessaria, l. sancimus 40. §. ut autem, cod. de Episc. & Cler. Hæres autem confitens legatum, & antequam iussu prædictorum Magistrorum conveniatur solvens, per eam simili solutionem liberatur.

## Ad §. Item actio.

**I**TEM actio de eo quod metus causâ factum sit, à cæteris de quibus simul locuti sumus, eo differt, quod ejus natura tacite contineatur. Ut qui Judicis iussu ipsam rem actori restituat, absolvatur: quod in cæteris casibus non est ita; sed omnimodo quisque in quadruplum condemnatur. Quod est & in furti manifesti actione.

INTER actiones in quadruplum hoc est discriminem; quod actio quod metus causâ sit arbitraria, non cæteræ. Ideoque reus solvens simpulum in illa actione, juxta arbitrium seu iussum Judicis, à condemnatione quadrupli liberatur; quia hoc est proprium arbitrariarum actionum, §. præterea inf. eod. Cæteræ actiones in quadruplum alio jure censentur: neque enim fur pœnitentiâ delicti aut rei restitutione, quadrupli pœnam devitat, l. 54. cum furti, l. 65. ff. defurt. & l. pen. ff. de vi bon. rapt. Præterea actio quod metus causâ hoc habet proprium, ut licet personalis sit, in rem tamen scripta esse dicatur; quia formula ejus non tam inscribitur ac dirigitur in personam adversarii quam adversus rem ipsam quæ metu gesta est. Quod etiam pertinet ad actionem ad exhibendum.

## Ad §. Actionum.

**A**CTIONUM autem quædam bonæ fidei sunt, quædam stricti juris. Bonæ fidei sunt hæ: ex empto, vendito, locato, conducto, negotiorum gestorum, mandati, depositi, profectio, tutelæ, commodati, pignoratitia, familiæ erciscundæ, communis dividendo, præscriptis verbis, quæ de æstimato proponitur, & ea quæ ex permutatione competit, & hæreditatis petitio. Quamvis enim usque adhuc incertum erat, inter bonæ fidei judicia connumeranda hæreditatis petitio esset, an non; nostra tamen constitutio aperte eam esse bonæ fidei disposuit.

QUINTA actionum divisio † est in actiones bonæ fidei, stricti juris, & arbitrarias.

Actiones bonæ fidei † sunt illæ, in quibus ex natura actionis & potestate formulæ, liberior atque exuberantior potestas dati videtur Judici ex bono & quojudicanci. Dicuntur bona fidei; quia Prætor in illarum formula addebat hæc verba: ex bona fide condemnata est, iudex. Quibus verbis tota causa definitio in arbitrium Judicis conferri videtur, quatenus scilicet hoc ei natura ac-

tionis indulget; ideoque talis Judex arbitrus dicitur, *J. i. sup. eod.* & judicium eius vocatur arbitrium, *toto tit. C. arbitrium tutela.* Unde perspicuum sit locus Senecæ lib. 3. de benef. Melior videtur conditio cause bona, si ad Judicem; quam si ad arbitrium mittatur; quia illam formula includit, & certos quos non excedat terminos ponit; hujus libera & nullis adstricta vinculis religio & detrahere aliquid potest & adjicere.

Actionum bona fidei quindecim tantum sunt species; ex empto & vendito; ex locato & conducto, negotiorum gestorum, mandati, depositi, pro socio, tutelæ, commodati, pignoratio, familiae exercitanda, communī dividendo, actiones duas praescriptis verbis, estimatoria scilicet & ex rerum permutatione; hereditatis petitio, & actio ex stipulatu de dote. Actiones ex empto & vendito pro una tantum computamus; ex locato itidem & conducto; nec non etiam omnes directas & contrarias actiones; quia ex uno & eodem negotio descendunt; & insuper ut pauciora membra hujus divisionis fierent: quæ brevitas memoriam non modice sublevat, cajus etiam memoriaz juvandæ gratiæ, non erit forsitan inutile sequentes versus mandare memoriaz.

*Vende, loca, manda, sis gestor, sisve sodalis,*  
*Sis consors assis, condonatus rei.*  
*Da vendendum aliquid pretii sub lege statuti,*  
*Permuta, aut usum suscipe grainitum;*  
*Suscipe depositum, tutelam, pignora, dotem,*  
*Aut bona defuncti quæ tibi cessit amor.*  
*Sic eris ex illis quibus est ultrisque citroque*  
*Actio quæ fidei dicitur esse bona.*

Ex his quindecim actionibus supersunt nobis tantum quatuor exponendæ; videlicet actio praescriptis verbis, quæ dicitur estimatoria, & ea quæ oritur ex rerum permutatione, hereditatis petitio, & actio ex stipulatu de dote.

Actiones praescriptis verbis sunt omnes stricti juris, duobus casibus exceptis; in quibus propter magnam, quam habent cum emptione & venditione affinitatem, receptum est, ut bona fidei sint. Primus casus est, quando aliquis alteri rem aliquam tradidit, eâ lege ut eam venderet, & certam estimationem solveret; aut si vendere non posset, rem ipsam restitueret. Quæ actio contrapropolas & circitrices frequentissima est; & appellatur estimatoria, vel actio praescriptis verbis de estimato: eo quod detur de re estimata, seu de illa quæ estimata vendenda data est; de qua videndus est titulus *ff. de estimatoria.* Alter casus est, cum sit permutatio, sive (quod idem est) negotium do, ut des, *l. 5. ff. de presc. verb. & in fact. act.* quando scilicet species certa, v. g. equus, eâ lege datur alteri, ut sibi det alteram speciem, v. g. alterum equum, vel gemmam. Unde oritur actio bona fidei, quæ dicitur actio de rerum permutatione, de qua specialis est titulus in Pandectis.

Hereditatis petitio ex quorundam Veterum sententia, erat bona fidei; secundum alios erat stricti juris: sed tandem Justiniani decisione, ut bona fidei esset, effectum est, *l. ult. C. de perit. heredit.* Quamvis enim in rem actiones bona fidei non sint; excipitamen debuit ab hac regula hereditatis petitio; quia propriae personales præstationes quas continet, quodammodo mixta est, *l. 7. C. eod.*

¶ l. 25. s. petitio, ff. eod. tit. Tum etiam quia possessor hæreditatis exigendo vel solvendo debita hæreditaria, videtur esse quidam negotiorum gestor. Non mirum igitur, si haec actio sit bona fidei, sicut actio negotiorum gestorum, quam imitatur. Tertiò denique quia hoc judicium est universale, quod pro variis rerum eventibus augmentum & diminutionem recipit; ideoque non debuit certa formulâ includi: sed necesse fuit in eo permitti Judici, ut ex bona fide judicaret.

## Ad §. Fuerat.

**F**UERAT anteà & rei uxoriæ actio una ex bona fidei judiciis: sed cùm pleniorē esse ex stipulatu actionem invenientes, omne jus, quod res uxoria anteà habebat, cum multis divisionibus in actionem ex stipulatu, quæ de dotibus exigendis propo- nitur, transtulerimus, meritò rei uxoriæ actione sublatâ ex stipulatu (actio) quæ pro eo introducta est, naturam bonæ fidei judicii tantum in exactione dotis meruit, ut bona fidei sit: [sed] & tacitam ei dedimus hypothecam. Præferri autem aliis creditoribus in hypothecis tunc censuimus, cùm ipsa mulier de dote sua experiatur, cuius solius providentiâ hoc induximus.

**A C T I O** ex stipulatu de dote, licet ex natura & origine sua sit stricti juris, si- cut ceteræ quæ ex stipulatione descendunt; hodie tamen ex constitutione Justiniani est bona fidei, sicut vetus rei uxoriæ actio, quæ in eam transfusa est, l. un. C. de rei ux. act.

Quod ut enucleatiū innotescat, monendi sumus multa privilegia dotibus fuisse indulta & legibus, & constitutionibus, & interpretatione Prudentum; quia publicè interest dotes mulieribus conservari, cùm dotatas esse feminas ad so- bolem procreandam replendamque liberis civitatem maximè sit necessarium, l. 1. ff. solut. matrim. Sed & Justinianus ipse Imp. tot & tantas præ ceteris induxit dotium prærogativas, ut eo nomine se excusat, allegans assiduas mulierum aditiones, quibus inquietatus fuit, l. assiduis ult. C. qui pot. in pign. hab. Quin etiam in Nov. 8. cap. 1. fatetur se conjugem suam in legibus sanciendis zo ronr tē beréuslos participem consilii assumisse. Et Zonoras in vita Justiniani testatur, illud Imperium non fuisse unius, sed duorum; eò quod ejus uxor Theodora non minus imperaverit, quam maritus. Nil mirum igitur, quod tot privilegia in gratiam dotium & mulierum induxit Imperator uxorius.

Primum omnium privilegium L. Juliâ inductum est, nè valeat alienatio fundi dotalis in aestimari à marito facta, quamvis ipsius sit dotis causâ ei datus, sicut expositum est ad pr. sup. quib. alien. lic. vel non. Idque jus rei cohæret, non personæ; ideoque ad hæredem uxoris transmittitur, l. 13. s. pen. ff. de fund. dotali.

Secundum est, ex interpretatione Prudentum, ut dotis causa præcipua sit, d. l. 1. ff. sol. matrim. id est ut mulier in petitione dotis præferatur ceteris ma- riti creditoribus chirographariis, l. si sponsa, ff. de jur. dot. & l. quæsum, s.

ult. & diabibus legib. seqq. ff. de reb. auct. jud. possid. sed hoc privilegium ad hæredes mulieris extraneos non transit, *l. un. C. de privil. dotis*; quia hoc jus personæ mulieris cohæret, non cause. Verum liberis mulieris idem jus competere indubitate juris est, *Nov. 91.* quia liberi sunt quædam portio viscerum matris, *l. 1. §. 1. ff. de inspic. vent.*

Tertium privilegium dotis est, ut dotis dationi stipulatio tacita inesse credatur. Unde fit ut abolitâ rei uxoris actione, sola actio ex stipulatu in dotibus hodie locum habeat, *l. un. in pr. C. de rei uxor. auct. in act. ex stipul. transfusâ*; & sit bona fidei, *§. sed et si.* Et quia descendit ex contractu, ideo ad hæredes quoque uxoris transmittitur, *d. l. un. §. maneat, & §. illo;* quia qui contrahit, & sibi & hæredi suo intelligitur contrahere, *l. 9. ff. de probat.* Et cum anteâ res dotales, quæ pondere, numero & mensurâ constabant, annuâ, bimâ, trimâ die deberent restitui, voluit Imp. ut res dotales immobiles illicet, sicut olim; mobiles verò omnes intra annum restituantur, *§. cum autem.*

Quartum privilegium est, ut non solum habeat mulier tacitam hypothecam in rebus quas marito in dotem dedit, *l. in rebus, C. de jure dot.* sed etiam in ceteris bonis mariti, *d. l. un. §. 1.* sicut pupillo competit in bonis tutoris, *d. §. 1. & l. pro officio, C. de admin. tut.* & legatario in bonis hæreditariis, *l. 1. C. commun. de legatis.* Cum autem actio hypothecaria rei cohæret, & sit rei persecutoria, dubium esse non debet, quin hæredibus competat, *§. 1. inf. de perpet. & temp. auct.* Ex diverso quoque bona uxoris marito obligantur, pro dotis præstatione, etiamsi de hujusmodi hypotheca nihil expressè convenerit, *d. l. 1. §. 1.* quia eadem ratio utrobique militat.

Quintum privilegium alia Just. constitutione inductum in eo consistit, ut mulier in petitione dotis, omnibus mariti creditoribus præferatur, non solum chirographariis, sed etiam hypothecam quantumvis expressam, aut quantumvis anteriorem habentibus, *l. assiduis ult. C. qui potiores in pign. hab.* Atque ita favore dotium fallit vulgata juris regula, ( Qui prior est tempore, potior est iure ) *cap. qui prior de reg. jur. in 6.* Fisci tamen hypotheca dotis hypothecæ non cedit, nisi ex sola temporis prærogativa, *l. 2. C. de privil. fisci.* Verum quia fiscus vincitur ab omni creditore anteriorem habente hypothecam, *l. 8. ff. qui pot. in pign. hab. & l. 4. C. cod.* inde fit ut si concurrat fiscus cum illo & cum muliere dotem repetente, mulier non tantum creditore illo, sed etiam fisco potior sit, juxta vulgatam regulam: *Si vinco vincentem te, etiam ego vincere te.*

Id privilegium personæ mulieris cohæret, ideoque ad successores extraneos non transmittitur, *d. Nov. 91.* nec competit ipsi mulieri in donationibus properter nuptias; quia solius dotis providentia inductum est, *d. l. assiduis.* Neque enim voluit imperator pro lucro favere mulieribus, sed curare dumtaxat nè damnum paterentur. Melior enim est causa illa, in qua aliquis certat de damno vietando, quam illa ubi agitur de lucro acquirendo, *l. ult. §. sin verò credidores, C. de jure delib.* Quin etiam suo illo privilegio non utuntur mulieres adversus privignos suos, qui dotem matris sue repetunt, *d. l. assiduis, §. exceptis;* quia inter illos qui æquale privilegium habent, sola temporis prærogativa servatur, *l. 2. Cod. de privileg. fisci.*

*Ad §. In bona fidei.*

**I**N bonæ fidei judiciis libera potestas permitti videtur judicii ex bono & æquo æstimandi, quantum actori restituī debeat. In quo & illud continetur, ut si quid invicem præstare actorem oporteat; eo compensato, in reliquum is, cum quo actum est, debeat condemnari. Sed & in stricti juris judiciis ex rescripto Divi Marci, oppositâ doli mali exceptione, compensatio inducebatur. Sed nostra constitutio easdem compensationes, quæ jure aperto nituntur, latius introduxit, ut actiones ipso jure minuant, sive in rem, sive in personam, sive alias quascumque: exceptâ solâ depositi actione, cui aliquid compensationis nomine opponi, sanè iniquum esse credimus; ne sub pretextu compensationis, depositarum rerum quis ex actione defraudetur.

**F A C T Ā** enumeratione actionum bonæ fidei, sequitur ut effectus earum perscrutemur. Qui ut clarius appareant, explicandi videntur comparatione factā cum actionibus stricti juris, quibus opponuntur.

Actiones stricti juris sunt illæ, in quibus potestas Judicis arctissimis formulæ finibus concluditur. Neque enim Prætor in formula illarum addebat hæc verba, *ex bona fide*. Is qui judicabat *ex ea formula*, dicebatur *Judex*, non arbitr̄, §. 1. sup. h. t. Dictæ sunt stricti juris, id est strictæ potestatis; quia hoc nomen *juris* hoc loco & alibi s̄pē accipitur pro potestate lege concessâ, ut constat *ex rubr. ff. & Inst. de his qui sui vel alieni juris sunt*. Nec placet Accursii etymologia, quasi *Judex* in his judiciis summaū & strictum jus sequatur. Generalis namque regula est, in omnibus judiciis præcipuum esse justitiæ æquitatisque, quam stricti juris rationem, *l. placuit*, *C. de judic.* & *l. in omnibus go. ff. de reg. jur.* Stricti juris sunt omnes actiones, quæ ex stipulatione oriuntur; conditiones quæ ex mutuo, indebitè soluto, furto vel simili causa nascuntur; conditiones ex lege, vel ex bono & æquo promanantes; actio de eo quod certo loco dari oportet, si in loco statuto agatur; & actiones omnes præscriptis verbis, præter æstimatoriam & de rerum permutatione, ut supra diximus. Quæ omnes actiones suos habent locos ac titulos in libris Pandectarum.

Tria sunt advertenda præcipua discrimina inter actiones bonæ fidei & stricti juris. Primo enim in actionibus bona fidei multa quæ omissa sunt in contractibus, naturaliter incise creduntur judicii potestate, quæ tamen alterum alteri ex bono & æquo præstare oportet, §. *conductor sup. de locat.* & *conduct. v. g. usura* quæ debentur *ex mora*, etiam non promissæ, *l. mora*, §. *in bona fidei*, *ff. de usuris*; quia tantumdem in bona fidei judiciis, officium Judicis valet, quantum in stipulatione, nominatim factæ ejus rei interrogatio, *l. 7. §. quia tantumdem*, *ff. de negot. gest.* Aliud obtinet in strictis judiciis, in quibus si quid patata verbis non exprimatur, emissum plerumque intelligendum est, *l. 99. ff. de verb. oblig.*

Secunda disparitas est, quod in actionibus bonae fidei, dolii præstatio inest ipso jure, propter exuberantiam bonae fidei, quæ in illis exigitur; ita ut si dolus admissus fuerit, non sit necessaria aut actio de dolo, aut exceptio: hæc enim continentur in actionibus bonae fidei, judicij potestate, l. 5. in fine ff. de act. empt. & vend. Idemque juris est circa cæteras exceptiones, l. 3. ff. de resc. vend. & l. 21. in fine ff. solut. matrim. Aliud verò de strictis judiciis dicendum est, in quibus si nihil expressè de dolo cautum sit, necessariò opponi debet actio de dolo, vel exceptio de dolo; ad hoc ut dolus adhibitus vindicetur, l. dolo, cod. de inutil. stipul. & l. 36. ff. de verb. oblig. Atque ita intelligendum est quod dicitur in l. 4. cod. oblig. & act. bonam fidem in contractibus confidari æquum est, videlicet eo sensu, ut in contractibus bonae fidei consideretur bona fides solà judicij potestate. In contractibus autem stricti juris id sit oppositâ dolii mali exceptione, qua revocat naturalem aequitatem, quam juris civilis subtilitas offundit.

Tertium denique discriminem fuit antiquitus, quod solis bonae fidei judiciis inherat compensatio ipso jure, seu solà judicij potestate. At verò in strictis opponi non poterat, donec constitutione Divi Marci admissa est, oppositâ exceptione dolii mali. Sed deinde placuit, ut ipso jure indistinctè admitteretur, l. 4. & l. 10. ff. de compens. Imperator denique Justinianus non solum voluit, ut in personalibus actionibus cujuscumque generis essent (exceptâ causâ depositi,) compensatio ipso jure locum haberet, sed etiam in actionibus in rem, dummodo omnes illæ actiones ultrò citròque aperto jure niterentur, l. ult. ff. eod. Dixi 1. ipso jure; quia sicut solutio obligationem dissolvit ipso jure, in pr. sup. quib. mod. tollitur oblig. ita & compensatio, quæ pro solutione habetur, l. 19. ff. de liber. causa. Idque maximè elucet, quatenus compensatio usuras minuit, & fidejussiones liberat, l. 4. ff. eod. & quod impedire cursum præscriptionis. Dixi 2. in actionibus in rem; quod ita intelligendum, dummodo sint hinc & inde termini habiles & ad compensationem idonei. Nam si Titius rem meam possideat pretii centum nummorum, illique ego vice versa debeam centum nummos, credendum non est compensationem admitti; quia alioquin sequeretur rem suam alicui posse justo pretio extorqueri, & aliud pro alio invito creditori solvi posse; quod juris principiis refragatur, l. 11. cod. de contr. empt. & l. 2. §. 1. ff. de reb. cred. Sed hoc ita demum verum esse videtur, cum res vindicationi obnoxia, culpæ possessoris amissa est, aut deterior facta: quo casu aëstimatione ejus rei tota aut pro parte deberi cœpit. Dixi 3. dummodo actiones aperto jure nitantur; quia liquidi cum illiquid compensatio non admittitur, d. l. ult.

#### Ad 5. Preterea.

**P**RÆTEREA quasdam actiones arbitrarias, id est, ex arbitrio Judicis pendentes appellamus; in quibus, nisi arbitrio Judicis, cum quo agitut, actori satisfaciat: veluti rem restituat, vel exhibeat, vel solvat, vel ex noxali causa servum dedat, condemnari beat. Sed istæ actiones, tam in rem, quam in personam inveniuntur. In rem veluti Publiciana, Serviana de rebus coloni, quasi-Serviana, quæ etiam hypothecaria vocatur. In per-

sonam, veluti quibus de eo agitur, quod [ vi ] aut metūs causā, aut dolo malo factū est. Item cū id quod certo loco promissū est, petitur. Ad exhibendum quoque actio ex arbitrio Judicis penderet. In his enim actionibus & cæteris similibus, permititur Judici ex bono & æquo, secundūm cujusque rei, de qua actum est, naturam æstimare, quemadmodum actori satisfieri oporteat.

**A C T I O N E S** arbitriæ tertium hujus divisionis membra continent; quod indicat prīmo hoc loco particula *Præterea*. Probant insuper manifesti textus in l. 5. ff. de in lit. jurando, & l. 3. §. 1. ff. de usur. Unde error illorum convincitur, qui æstiment actiones arbitriarias esse species actionum stricti juris. Arbitriæ actiones † sunt quæ ex arbitrio Judicis pendent; in quibus reus si arbitrio Judicis paruerit, devitat condemnationem. Nam Judex in arbitriis actionibus iisque maximè quæ graviorem continent condemnationem, deposito paulisper suo Judicis officio, communis amici & quasi pacificatoris partes recipere videtur, ut loquitur Favorinus apud A. Gell. lib. 14. cap. 22. cui arbitrio si reus paruerit, devitat graviorem hujusmodi condemnationem. Quod appetet maximè in actione quod metūs causā, §. item actio sup. h. t. & l. 14. §. 1. & 3. seqq. ff. quod met. causā.

Sunt autem actiones arbitriæ, vel in rem, vel in personam. In rem arbitriæ tres enumerantur hoc §. Publicana in rem actio, Serviana, & quasi-Serviana: quibus addi debent directa in rem actio, quæ vindicatio appellatur, Pauliana, Fabiana, Calvisiana; & omnes confessoriæ & negatoriæ quæ competit nomine servitutum. Personales arbitriæ sunt noxales actiones, ad exhibendum de eo quod metūs causā gestum erit, de dolo malo, & de eo quod certo loco dari oportet, commemoratione facta loci ad solutionem destinati.

Differunt ab actionibus stricti juris arbitriæ; quia in arbitriis arbitrium sive iuslus Judicis præcedit sententiam, ut jam dictum est; in strictis non item. Præterea in strictis ea tamūm veniunt, quæ à contrahentibus expressa sunt, & omnium pro omisso habetur: nec est ferè quidquam, quod officio Judicis supplei possit, l. 99. ff. de verb. oblig. In arbitriis vero venit id quod interest, officio Judicis.

Differunt ab actionibus bona fidei actiones arbitriæ: licet eas communī definitione Justinianus exponere videatur, hoc §. n. & superiore. Primum enim in arbitriis, arbitrium Judicis (ut jam dictum est) præcedit sententiam; sed in bona fidei judiciis, ubi primum reus convictus est debere id quod petitur, non potest Judex differre sententiam, aut aliquo iussu seu arbitrio præcedente illam suspendere. Secundo, in arbitriis actionibus, permititur & committitur arbitrium Judicii, expressâ formulâ clausulâ, l. 14. §. 1. ff. quod met. caus. & l. 3. §. ibidem, ff. ad exhib. quod indicat Imperator dum ait sub finem hujus §. Permititur Judici ex bono & aquo, æstimare quemadmodum actori satisfieri oporteat. At vero in bona fidei actionibus, tacite tantum inest potestas arbitrii; quod designat Imperator in §. superiore his verbis: *In bona fidei judiciis, libera potestas permitti videtur Judicii, &c.* Tertiò denique, actiones bona fidei mutuam præstationem continent, non arbitriæ.

## Ad §. Curare.

**C**URARE autem debet Judex, ut omnino, quantum possibile ei sit, certæ pecuniaæ vel rei sententiam ferat: etiam si de incerta quantitate apud eum actum est.

ACTIONIBUS arbitrariis & bonæ fidei id commune ac perpetuum est; ut per illas incertum aliquid petatur: interdum tamen strictis actionibus id convenit, v. g. cum debetur factum aliquod, aut id quod interest. Judicis tamen officium est curare semper, ut certæ summae sententiam ferat. Nec me-  
tendum est eo casu, nè Judex de alia re, quam quæ petitur, sententiam ferat, quod jure prohibetur, *i. ult. C. de fideicommiss. libert.* Nam sicut qui ipsicas excutit novam speciem non facit, sed eam tantum quæ est detegit, *i. 7. §. cùm quis vers. videtur, ff. de acquir. rer. domin.* ita quoque Judex libelli incerti-  
tudinem amovendo, non aliam rem intelligitur statuere, sed eam solummo-  
dò, quæ in judicium deducta est, quam quæ actor cognosci voluit patefa-  
cere.

## Ad §. Si quis agens.

**S**i quis agens [in] intentione sua plus complexus fuerit, quam ad eum pertineat, à causa cadebat, id est, rem amittebat: nec facile in integrum restituebatur à Prætore, nisi minor erat vigin-  
ti-quinque annis. Huic enim, sicut aliis in causis causâ cogni-  
tâ succurrebatur, si lapsus juventute fuerat: ita & in hac causa  
succurri solitum erat. Sanè si tam magna causa justi erroris inter-  
veniebat, ut etiam constantissimus quis labi posset, etiam ma-  
jori viginti-quinque annis succurrebatur. Veluti si quis totum le-  
gatum petierit; post deinde prolati fuerint codicilli, quibus aut  
pars legati adempta sit, aut quibusdam aliis legata data sint, quæ  
efficiebant, ut plus petiisse videretur petitor, quam dôrantem;  
atque ideo Lege Falcidiâ legata minuebantur. Plus autem qua-  
tuor modis petitur; re, tempore, loco, [&] causâ. Re, veluti  
si quis pro decem aureis, qui ei debebantur, viginti petierit;  
aut si is, cuius ex parte res est, totam eam, vel majorem par-  
tem suam esse intenderit. Tempore, veluti si quis ante diem,  
vel [ante] conditionem petierit. Quâ enim ratione qui tardius  
solvit, quam solvere deberet, minus solvere intelligitur: eâdem  
ratione, qui præmaturè petit, plus petere videtur. Loco plus  
petitur: veluti cùm quis id, quod certo loco sibi [dari] stipu-  
latus est, alio loco petit, sine commemoratione illius loci, in quo  
sibi

sibi dari stipulatus est : verbi gratiâ , si is , qui ita stipulatus fuerit , Ephesi dare spondes ? Romæ purè intendat sibi dari oportere . Ideò autem plus petere intelligitur ; quia utilitatem , quam haberet promissor , si Ephesi solveret , adimit ei purâ intentione . Propter quam causam alio loco petenti arbitrary actione proponitur ; in qua scilicet ratio habetur utilitatis , quæ promissori competitura fuisset , si illo loco solveret , ( quo se soluturum spopondit . ) Quæ utilitas plerumque in mercibus maxima invenitur ; veluti vino , oleo , frumento , quæ per singulas regiones diversa habent pretia . Sed & pecuniae numeratae non in omnibus regionibus sub eisdem usuis foenerantur . Si quis tamen Ephesi petat , id est eo loco petat , quod ut sibi detur stipulatus est , purâ actione rectè agit : idque etiam Prætor monstrat ; scilicet quia utilitas solvendi salva est promissori . Huic autem , qui loco plus petere intelligitur , proximus est is , qui causâ plus petit , ut ecce : Si quis ita à te stipuletur , Hominem Stichum , aut decem aureos dare spondes ? Deinde alterum petat , veluti hominem tantum , aut decem aureos tantum . Ideò autem plus petere intelligitur ; quia in eo genere stipulationis promissoris est electio , utrum pecuniam an hominem solvere malit . Qui igitur pecuniam tantum , vel hominem tantum sibi dari oportere intendit , eripit electionem adversario ; & eo modo suam quidem conditionem meliorem facit , adversarii verò [ sui ] deteriorem . Qua de causa talis in ea re prodita est actio , ut quis intendat hominem Stichum , aut aureos decem sibi dari oportere : id est , ut eodem modo peteret , quo stipulatus est . Præterea , si quis generaliter hominem stipulatus sit , & specialiter Stichum petat ; aut generaliter vinum stipulatus sit , & specialiter Campanum petat ; aut generaliter purpuram stipulatus sit , deinde specialiter Tyriam petat , plus petere intelligitur ; quia electionem adversario tollit , cui stipulationis jure liberum fuit , aliud solvere , quam quod peteretur . Quin etiam licet vilissimum sit quod quis petat , nihilominus plus petere intelligitur ; quia saepe accidit , facilius sit illud solvere , quod majoris pretii est . Sed haec quidem anteā in usu fuerant ; postea verò Lex Zenoniana & nostra rem coarctavit . Et si quidem tempore plus fuerit petitum , quid statui oporteat , Zenonis divæ memoriz loquitur constitutio : sin autem quantitate , vel alio modo plus fuerit petitum ( in ) omne , si quod forte damnum ex hac causa acciderit ei ,

contra quem plus petum fuerit, commissâ condemnatione  
(sicuti supra diximus) puniatur.

ALTERUM commune prædictarum actionum est, ut actor, qui aliquâ huiuscmodi actionum experitur, id petat, quod sibi debetur. Contra quod juris præceptum, an peccetur dubitari potest quatuor casibus; nimirum si plus petierit actor, quam sibi debeatur; vel minus, vel aliud pro alio, vel alia ex causa.

Plus non petit, qui agit actione bone fidei, cum petat adversarium ex bona fide condemnari; sed tantam in strictis & arbitriis. In quibus qui plus petebat causâ cadebat ex jure veteri; nec facile olim in integrum restituebatur, nisi esset minor viginti-quinque annis: cuius ætatis hominibus, si laeti fuerint, Prætor succurrit, l. I. in pr. ff. de minor. Quo pertinet elegans illa irrisio duorum Oratorum Hypsæi & Octavii apud M. Tullium lib. I. de Orat. quorum unus petebat a Prætore, ut sibi plus petere licet; alter vero id oratione suâ avertere conabatur. Defuit illis patronis (inquit) non eloquentia, neque dicendi ratio, aut copia; sed juris civilis prudentia, quod actor plus lege agendo petebat, quam quantum Lex duodecim tabularum permiserat; quod cum impetrasset causâ caderet. Alter iniquum putabat plus secum agi, quam quod esset in actione; neque intelligebat, si ita esset actum, litem adversarium perditurum.

Plus autem petitur quatuor modis; re, tempore, loco, & causâ. Re plus petitur; si is, cui debentur viginti nummi, petat unum supra viginti. Quo pertinet illud Plauti in Mostellaria.

*Velim hercè ut uno nummo plus petas.*

Tempore plus petit, qui ante tempus petit; quia plus est statim dare, minus est post tempus dare, §. fidejussores, sup. de fidejuss. Atque ita intelligendus est elegans illi Cassiodori locus ad psalmum 36. (Pollicita suis temporibus expectemus, nè dum promissa festinantiū exigimus, cause videamur amissione mulctari.)

Loco plus petitur; si alio loco petatur, quam quo debetur. Quod ut intelligatur sciendum est, eum qui promisit se daturum centum Romæ, posse conveniri Romæ purâ actione ex stipulatu. Sin autem alio loco conveniatur, debet fieri petitio cum commemoratione loci ad solutionem præstituti: quæ actio est arbitaria, §. praterea sup. eod. Quod si alio loco petatur absque ulla ejus loci commemoratione, plus loco petitur, & imminet actori periculum plus petitionis.

Causâ denique plus petitur, quoties actor suâ intentione purâ, aliquam adversario suo utilitatem adimere conatur; quod pluribus exemplis explicat Imp. ubi advertendum est causæ nomen hoc loco accipi pro rei statu & utilitate; quod & aliis juris locis non paucis contingit.

Hac enumeratione plus petitionum factâ admonet nos Imperator abolitam esse veterem pœnam prædictam plus petitionis. Sed si quis tempore plus petat, duplicantur reo inducæ, ex constitutione Zenonis. Sin autem alia ratione plus petatur, sola tripli pœna locum habebit, de qua actum est supra in §. tripli.

*Ad §. Si minus.*

**S**i minus in intentione sua complexus fuerit actor, quam ad eum pertineat: veluti si cum ei decem (aurei) deberentur, quinque sibi dari oportere intenderit; aut (si) cum totus fundus ejus esset, partem dimidiam suam esse petierit, sine periculo agit. In reliquum enim nihilominus Judex adversarium in eodem iudicio (ei) condemnat ex constitutione divæ memorie Zenonis.

**S**i minus actor petierit, quam sibi debetur, nullum periculum sustinet: Quamvis enim Judex videatur patrocinari potius quam judicare, dum supplet ea quæ desunt advocatis partium, nihilominus tamen Judex in hac causa reum actori in reliquum eodem iudicio rectè condemnabit, *l. 1. C. de plus pet. & l. un. C. ut quæ desunt advoc. partium, Index suppleat.* Dixi eodem iudicio: id est sine nova interpellatione, quæ ex jure veteri fuit necessaria, *l. 23. ff. de judic.* quia iuxta antiqui juris regulas, ultra id quod in judicium deductum est, excedere potestas Judicis non potest, *l. 18. ff. comm. divid.*

*Ad §. Si quis aliud.*

**S**i quis aliud pro alio intenderit, nihil eum periclitari placet; sed in eodem iudicio, cognitâ veritate, errorem suum corrige-re (ei) permittitur: veluti si is, qui hominem Stichum petere deberet, Erotem petierit; aut si quis ex testamento dari sibi oportere intenderit, quod ex stipulatu debetur.

**S**i aliud actor pro alio petierit, vel aliam pro alia petendi causam allegaverit; non impeditur similiter cognitâ veritate errorem suum eodem iudicio corrigeri, *l. 3. cod. de edendo.* Verum æquitas postulat, ut illa emendatio sine danno adversarii fiat. Nam qui temere adversarium in jus vocavit, is ei viatica & sumptus prioris litis reddere tenetur, *l. 79. ff. de judic.* (*Il doit lui payer les dépens frustratoires.*)

*Ad §. Sunt præterea.*

**S**UNT præterea quædam actiones, quibus non [semper] solidum, quod nobis debetur, persequimur; sed modò solidum persequimur, modò minus: ut ecce, si in peculium filii servire agamus. Nam si non minus in peculio sit, quam persequimur; in solidum dominus paterve condemnatur: si vero minus inveniatur, ceterus condemnat Judex, quatenus in peculio sit. Quemadmodum autem peculium intelligi debeat, suo ordine proponemus.

S E X T A actionum divisio † est in solidi persecutorias ; & eas quibus non persequimur solidum , quod nobis debetur : cuius posterioris generis septem exempla proponantur hoc rit.

I. Exemplum est , actio de peculio , quā pater vel dominus ex contractu servi vel filii convenitur ; ad hoc ut pro modo peculii creditoribus peculiaribus satisfacere compellatur , sicut ex sequ. titulo apparet.

*Ad §. Item si de dote.*

**I**T E M si de dote [in] judicio mulier agat : placet catenus maritum condemnari debere , quatenus facere possit , id est , quatenus facultates ejus patiuntur. Itaque si dotis quantitati concurrant facultates ejus , in solidum damnatur : si minus , in tantūm , quantum facere potest. Propter retentionem quoque dotis repetitio minuitur. Nam ob impensas in res dotaes factas , marito ( quasi ) retentione concessa est ; quia ipso jure necessariis sumptibus dos minuitur , sicut ex latoribus Digestorum libris cognoscere licet.

II. EX E M P L U M consistit in veteri rei uxoris actione ; quia lex erubuisse videtur tantum dare ius uxori , ut pro recuperatione suæ dotis maritum arctissimo societatis vinculo ei conjunctum , omnibus facultatibus spoliaret. Condemnabitur itaque maritus uxori solvere dotem , non in solidum , sed in quantum facere potest. Idque etiam locum habet , cùm maritus convenitur ab uxore ex aliis contractibus , l. non tantum , ff. de re judic. quod etiam trans fusum est à Justiniano in actionem ex stipulatu de dote , l. un. §. cùm autem , C. de rei ux. act. Imò vero licet maritus solidum commodè possit solvere , non tamen sequitur actionem rei uxoris esse solidi persecutoriam , quia propter impensas necessarias , quas maritus in res dotaes fecit , ipso jure dos minuitur , l. 5. & l. 15. in pr. ff. de impens. in res dotal. fac. Verum hac de re consulenda est nova constitutio Justiniani d. l. un. §. taceat.

*Ad §. Sed & si quis.*

**S**E D & si quis cum parente suo , patronove agat ; item si scius cum socio , judicio societatis agat , non plus actor consequitur , quād adversarius ejus facere potest. Idem est si quis ex donatione sua conveniatur.

III. EX E M P L U M est in omnibus generaliter actionibus , quæ competunt filio emancipato adversus patrem , vel liberto adversus patronum ; quia persona parentis & patroni honesta semper & sancta videri debet filio & liberto ; l. 9. ff. de obsequiis par. & patr. pref. Dixi filio emancipato ; quia lis nulla potest esse inter patrem & filium , qui in ejus potestate est , nisi de castrensi peculio , l. 4. ff. de judic. eo quod una & eadem persona esse credantur , l. ult.

**C.** de impub. & al. substit. in judiciis autem personæ actoris & rei debent distingui, cap. foras ext. de verb. signif.

**I V.** Exemplum est in persona socii qui socio suo in solidum tenetur, sed quod societas jus quodammodo fraternitatis inducat, l. verum 63. in pr. ff. pro socio.

**V.** Exemplum est actio, quâ donator ex sua liberalitate convenitur. Namque eo casu donator eatenus tantum condemnatur, quatenus potest præstare, l. 28. ff. de reg. iur. quia alioquin hoc nimis durum & avarum esset.

*Ad s. pen.*

**C**OMPENSATIONES quoque oppositæ, plerumque efficiunt, ut minus quisque consequatur, quam ei debeatur. Nam ex bono & æquo habitâ ratione ejus, quod invicem actorem ex eadem causa præstare oportet, in reliquum eum, cum quo actum est (condemnat,) sicut jam dictum est.

**V I. EXEMPLUM** consistit in illis omnibus casibus in quibus reus opponit compensationem; tunc enim ex bono & æquo, deducto eo quod actor debet teo, in reliquum dumtaxat fit condemnatio. Dico reum opponere compensationem; quia licet compensatio fiat ipso jure, hoc tamen non impedit, quin compensatio opponi debeat: sicut etiam & solutio ipsa opponi debet, & probari, l. 1. cod. de probat. licet obligationem tollat ipso jure, in princ. sup. quib. modis tell. oblig.

*Ad s. ult.*

**C**UM eo quoque qui creditoribus suis bonis cessit, si postea aliquid acquisierit, quod idoneum emolumendum habeat; ex integro in id, quod facere potest, creditores experiuntur. Inhumanum enim erat, spoliatum fortunis suis, in solidum damnari.

**SEPTIMUM** denique exemplum est in eo qui propter molem æris alieni bonis cessit, & ad pinguorem postmodum fortunam pervenit: tunc enim ex obligationibus, quas anteā contraxerat, non potest in solidum conveniri. Inhumane siquidem esset, spoliatum fortunis suis in solidum condemnari, l. 4. l. 6. & l. 7. ff. de cessione honorum.



## A P P E N D I X

DE TRIBUS ALIIS ACTIONUM  
divisionibus.

**S**EPTIMA' actionum divisio † est in directas, & utiles. Actiones directæ † sunt illæ, quæ descendunt ex verbis legis, sive quæ competit in casu expresso in verbis legis; & dicuntur etiam *vulgares*, eo quod vulgo & frequenter locum habeant. Talis est vindicatio, quæ datur vero domino; & actio quæ competit vero heredi, adversus debitores hereditarios. Actiones utiles † sunt illæ, quæ ex justa legis interpretatione comparatae sunt, ad similitudinem directarum; seu quæ competit in casu, qui magnam habet similitudinem cum illo casu qui est expressus in verbis legis: ita dictæ, quod utilitate seu æquitate suadente inductæ fuerint. Nec mirum esse debet, quod utilitas sumatur pro æquitate, cum utilitas sit origo æquitatis: unde merito dicitur ab Horatio;

*Utilitas justi propè mater & aqui.*

**T**ALIS est utilis in rem actio, quæ competit emphyteutæ pro repetitione suadi emphyteutici, *toto tit. ff. si ager vell. id est emphyt.* petatur. Tales sunt actiones personales, quæ fideicommissario & in fideicommissarium competit, qui est similis heredi & quasi heres, *s. & Neronis sup. de fideicomm. heredit.* Circa quam divisionem singularis est, & singulariter advertendus *s. ult. sup. de L. Aquil.*

Octava actionum divisio † est in directas, & contrarias. Actiones directæ † sunt illæ, quæ ex contractu vel quasi-contractu competit domino rei de qua agitur, ad obtinendam rei suæ restitutionem. Talis est actio depositi directa quæ competit domino contra depositarium. Contrariae actiones † sunt illæ, quæ contra dominos negotii competit illis qui res alienas suscepserunt ad rependendos sumptus factos in rebus alienis; cuiusmodi est actio depositi contraria: sed hoc exactius ad singulos contractus superiore libro expositum est.

Nona actionum divisio † est in directas, & indirectas. Directæ † dicuntur illæ, quæ in nos nostro nomine competit. Indirectæ vero † sunt, quæ inique in nos alieno nomine competit: de quibus agetur in aliquot sequentibus titulis. Unde apparet, actionis directæ nomen multas habere acceptiones pro diversitate actionum quæ illis opponuntur; eumque qui ejus vocabuli vim ac potestatem perspectum habere molitus, debere ex oppositis lamen mutuari. Ea enim actio, quæ sub uno sensu directa est, non est sepe directa sub alio.

## T I T U L U S V I I .

*Q U O D C U M E O Q U I I N A L I E N A  
potestate est, negotium gestum esse dicetur.*

*Ad princip.*

**Q**UIA [tamen] superius mentionem habuimus de actione quā in peculium filiorum familias servorumque agitur; opus est, ut de hac actione & de cæteris, quæ eorumdem nomine in parentes dominosve dari solent, diligenter admoneamus. Et quia, sive cum servis negotium gestum sit, sive cum his qui in potestate parentum sunt, eadem ferè jura servantur; ne verbosa fiat disputatio, dirigamus sermonem in personam servi dominique, idem intellecturi de liberis quoque & parentibus, quorum in potestate sunt. Nam si quis in his propriè servetur, separatim ostendemus.

**ACTIONES** indirectæ quæ in nos alieno nomine competit, † vel ex alieno contractu descendunt, vel ex alieno delicto. Ex alieno contractu sex oriuntur actiones, quæ explicantur *hoc tit.* cuius inscriptio sumpta est ex verbis Edicti Prætorii; sicut & alias saepe accidit in juris corpore. Tres priores sunt ex jussu expresso vel tacito; tres vero posteriores sunt de peculio.

*Ad §. I.*

**S**I igitur jussu domini cum servo negotium gestum erit, in solidum Prætor adversus dominum actionem pollicetur: scilicet quia is, qui ita contrahit, fidem domini sequi videtur.

Ex jussu expresso unica oritur actio, quæ dicitur *quod jussu*; quæ definiti potest † actio in personam Prætoria, quæ adversus patrem vel dominum competit ex contractu gesto cum servo vel filiofamilias, jubente expressum patre vel domino. Hoc autem sic exaudiendum non est, quasi debeat dominus jubere servo suo, ut contrahat cum extraneo, ad hoc ut actio quod jussu locum habeat. Sufficit enim quod extraneo jubeat, ut cum servo contrahatur. Competit igitur hæc actio in solidum; quia qui jubente domino cum servo contrahit, fidem domini sequi videtur, & cum ipso domino quodammodo contrahere, *i. e. in pr. ff. quod jussu*. Idem dicendum est, si pater vel dominus patrum

habuerit quod gestum est, d. l. i. §. si ratum; quia ratihabitio mandato comparatur, l. ult. C. ad SC. Mased.

*Ad §. Eādem ratione.*

**E**ADEM ratione Prætor duas alias in solidum actiones pollicetur; quarum altera exercitoria, altera institoria appellatur. Exercitoria tunc habet locum, cum quis servum suum magistrum navi præposuerit, & quid cum eo ejus rei gratiâ, cui præpositus erit, contractum fuerit. Ideò autem exercitoria vocatur, quia exercitoris appellatur, ad quem quotidianus navis quæstus pertinet. Institoria tunc locum habet, cum quis tabernæ forte, aut cuilibet negotiationi servum suum præposuerit, & quid cum eo ejus rei causâ, cui præpositus erit, contractum fuerit. Ideò autem institoria appellatur, quia qui negotiationibus præponuntur, institores vocantur. Ista tamen duas actiones Prætor reddit; & si liberum quis hominem, aut alienum servum navi, aut tabernæ, aut cuilibet negotiationi præposuerit: scilicet quia eadem æquitatis ratio etiam eo casu interveniat.

Ex jussu tacito dux orientur actiones, exercitoria, & institoria. Actio exercitoria † est actio in personam Præatoria, quæ datur contra exercitorem ex contractu, navis nomine gesto, cum eo qui navi præpositus est. Exercitor † dicitur ille ad quem obventiones & redditus omnes navis pertinent, sive dominus navis sit, sive conductor, l. i. §. exercitorem, ff. de inst. act. Is vero † cui exercitor curam totius navis demandavit, magister appellatur. Is autem † quem magister in locum suum navi præposuit, dicitur submagister. Et quod est in hac actione maximè singulare, non minus exercitor ex contractu submagistri quam magistri obligatur, d. l. i. §. magistrum; quamvis aliter observeretur circa institoriæ actionem. Ratio diversitatis est, quia nihil impedit, quin de conditione institoris quis prius dispiciat; & cum eo sic postmodum contrahat. Aliud est in navis magistro; quia interdum locus & tempus non patientur plenius deliberandi consilium, d. l. i. in pr. Hæc autem actio exercitoria est in solidum propter eamdem rationem, quæ dicta fuit in actione quod jussu. Sicut enim monet eleganter Theoph. qui aliquem navi præponit, clarâ voce dicere videtur: Hunc ego hominem navi præposui; qui volet, cum eo contrahat.

Actio institoria † est actio in personam, quæ datur ex contractu institoris, ejus rei nomine gesto, cui præpositus est, adversus eum qui præposuit. Institor † dicitur, qui negotiationi terrestri præpositus est: inde dictus, quod negotio gerendo institet, l. institor, ff. de inst. act. Hæc itidem est in solidum, ut superior, propter eamdem rationem.

Ad §. Introduxit.

**I**NTRODUXIT & aliam actionem Prætor, quæ tributoria vocatur. Namque si servus in peculiari merce sciente domino negotietur, & quid cum eo ejus rei causâ contractum erit: ita Prætor jus dicit, ut quidquid in his mercibus erit, quodque inde receptum erit, id inter dominum, si quid ei debebitur, & cæteros creditores, proratâ portione distribuatur. Et [ ideò tributoria vocatur ] quia ipsi domino distributionem Prætor permittit. Nam si quis ex creditoribus queratur quasi minus ei tributum sit, quam oportuerit, hanc ei actionem accommodat, quæ tributoria appellatur.

**D**e peculio actiones † sunt tres; tributoria, de peculio, & de in rem verso. **A**ctio tributoria † est actio, quæ datur creditoribus servi vel filiusfamilias in merce peculiari, sciente patre vel domino negotiantis; ad hoc ut pater vel dominus corrigit injustam distributionem mercium, quam fecit inter se & cæteros creditores. Merx pecularis † dicitur quam servus vel filiusfamilias ex toto suo peculio, vel ex parte peculii sibi comparavit. Dicitur **a**ctio tributoria, eo quod per eam creditores postulant æqualem fieri hujusmodi distributionem. In hac igitur actione dominus, cui aliquid à servo debetur, non est melioris conditionis quam cæteri creditores, qui circa merces peculiares cum servo contraxerint; sed æqualiter cum illis in tributum vocatur, id est ad æqualem distributionem, i. e. in princ. ff. de tribut. att. quamvis aliter observetur in actione de peculio. Ratio disparitatis est, quia domini voluntas & consensus major est atque evidenter circa contractum servi in hac nostra hypothesi, ubi agitur de merce peculiari; quam in cæteris casibus, ubi agitur generaliter tamè de peculio: idèque non mirum, si magis in isto casu adstringatur ac obligetur.

Ad §. Præterea.

**P**RÆTEREA introducta est actio de peculio, deque eo quod in rem domini versum erit: ut quamvis sine voluntate domini negotium gestum erit, tamen sive quid in rem ejus versus fuerit, id totum præstare debeat: sive quid non sit in rem ejus versus, id eatenus præstare debeat, quatenus peculum patitur. In rem autem domini versus intelligitur quidquid necessariò in rem ejus impenderit servus: veluti si mutuatus pecuniam creditoribus ejus solverit, aut ædificia ruentia fulserit, aut familiæ frumentum emerit, vel etiam fundum, aut quamlibet aliam rem necessitatem mercatus erit. Itaque si ex decem putà aureis, quos

servus tuus à Tito mutuo accepit, creditori tuo quinque aureos solverit, reliquos verò quinque quolibet modo consumperit; pro quinque [quidem] in solidum damnari debes: pro cæteris verò quinque eatenus quatenus in peculio sit. Ex quo scilicet apparet, si toti decem aurei in rem tuam versi fuerint, totos decem aureos Titum consequi posse. Licet enim una est actio, quâ de peculio, deque eo, quod in rem domini versum sit, agitur; tamen duas habet condemnationes. Itaque Judex, apud quem de ea actione agitur, antè dispicere solet, an in rem domini versum sit: nec aliter ad peculii æstimationem transit, quam aut nihil in rem domini versum intelligatur, aut non totum. Cum autem queritur quantum in peculio sit, antè deducitur quidquid servus domino, eive qui in potestate ejus sit, debet: & quod superest, id solum peculium intelligitur. Aliquando tamen id, quod ei debet servus, qui in potestate domini sit, non deducitur ex peculio: veluti si is in ipsius peculio sit. Quod eo pertinet, ut si quid vicario suo servus debeat, id ex peculio ejus non deducatur.

**A&CTIO** de peculio † est illa; quæ datur ex contractu filii vel servi adversus patrem vel dominum, quatenus est in peculio; id est ad hoc ut pro viribus peculii condemnetur. Peculium † est pecunia omnis, quam filiusfamilias vel servus administrat, quasi suam, conniventibus oculis patris vel domini; deducto eo quod patri vel domino debetur, l. depositi, §. ult. ff. de pecul. Pecunia autem nomine hoc loco non tantum pecunia numerata, sed etiam res omnes sive mobiles sive immobiles continentur, l. pecuniae, ff. de verb. sign. & l. ult. C. de const. pec. Additum est sub finem deducto eo, quod domino debetur; quia sicut patrimonium liberi hominis (cui comparatur peculium) non intelligitur nisi deducto ære alieno, l. 39. §. 1. ff. de verb. sign. ita quoque peculium minuitur propter illud omne quod servus debet naturaliter domino suo, vel etiam alteri conservo suo; cum illud idem ipsi domino deberi videatur. Neque dubium est quin servus domino suo acquirat omnem obligationem, quamcumque acquirit, sive naturalem, sive civilem. Sed aliud dicendum est, si debeat vicario suo; quia vicarius cum suo omni peculio est in peculio ordinarii: ideoque non potest quidquam ex peculio ordinarii transferri in peculium vicarii; quia eo ipso, illud idem in peculium ordinarii revertatur.

A&ctio de in rem verso † est ea quæ datur adversus patrem vel dominum ex contractu servi vel filiifamilias, de eo quod ex hac causa in utilitatem patris vel domini versum est, ut si servus creditoribus domini satisficerit ex pecunia quam à Sempronio mutuum accepit. Hec est velut appendix actionis de peculio, quæ solet ideo appellari **a&ctio de peculio & de in rem verso**: & quamvis hæc actione duplex esse videatur, plerumque tamen est una; & licet una sit, id tamen non vetat, quin duas habeat condemnationes. Primum enim respicere debet Judex,

quid in rem domini versum sit; & secundum hoc reum in solidum condemnare, quia quod dominus seruo debet, auger ejus peculium: tum deinde quoad reliqua debet dominum pro viribus peculii ad solutionem adigere. Dixi plerumque; quia interdum actio de in rem verso, cessante actione de peculio, sola exercetur, *i. i. §. 1. ff. de in rem verso*: putâ si dominus seruo peculium ademerit, vel si actio de peculio extincta sit, *a. §. 1.*

Non tamen indistinctè datur actio de in rem verso; sed ita dénum, si duret versum: quia non videtur versum, quod non durat versum, *i. si pro patre, §. versum, ff. de in rem verso.* Nam si pater vel dominus filio vel servo solvit quod in rem ejus domini vel patris versum est, non videtur versum; quia exticta est naturalis obligatio domini vel patris. At si servus frumentum ad alendam domini familiam emerit, idque frumentum in horreo repositum corruptum sit, non cessat actio de in rem verso, *i. 3. §. unde recte, ff. ead.* quia durat versum. Neque enim illo casu & eventu fortuito extinguitur naturalis obligatio domini in servum, *arg. i. incendium II. C. si cert. pet.* In rem igitur patris vel domini versum † dicitur illud, ex quo oritur obligatio naturalis domini in servum, vel patris in filium.

*Ad §. Ceterum.*

**C**AETERUM dubium non est, quin is quoque, qui jussu domini contraxerit, cuique institoria vel exercitoria actio competit, de peculio, deque eo quod in rem domini versum est, agere possit. Sed erit stultissimus, si omisâ actione, quâ faciliter solidum ex contractu consequi possit, se ad difficultatem perducat probandi in rem domini versum esse, vel habere servum peculium, & tantum habere, ut solidum sibi solvi possit. Is quoque, cui tributoria actio competit, æque de peculio, & de in rem verso agere potest. Sed sanè huic modo tributoria expedit agere, modo de peculio, & de in rem verso. Tributoria ideo expedit agere, quia in ea domini conditio præcipua non est; id est, quod domino debetur, non deducitur; sed ejusdem juris est dominus, cuius & cæteri creditores. At in actione de peculio antè deducitur quod domino debetur; & in id, quod reliquum est, creditori dominus condemnatur. Rursus de peculio ideo expedit agere, quod in hac actione totius peculii ratio habetur: at in tributoria, ejus tantum quo negotiatur. Et potest quisque tertią fortè parte peculii, aut quartâ, vel etiam minimâ negotiari: majorem autem partem in prædiis vel mancipiis, aut fœnebri pecunia habere. Prout ergo expedit, ita quisque vel hanc actionem vel illam eligere debet. Certè qui potest probare in rem domini versum esse, de in rem verso agere debet.

**E**XPOSUIMUS hactenus sigillatim propriam uniuscujusque indirecte actionis naturam. Nunc videamus tria, quæ habent inter se communia hujusmodi actiones.

Primum commune est, quod ex codem negotio multæ simili competant actiones; eo sensu, ut actor unam eligere possit; eaque electa cæteræ consummantur: quoniam omnes ex uno & codem negotio descendunt, *l. 4. §. ult. ff. b. t. & l. 9. §. 1. ff. de trib. act.* ideoque stultissimus erit, qui minus utilem elegerit, ut monet imperator. Quocirca singularum actionum utilitates exactè disquirendas sunt, & in qualibet facti specie distinguendæ. Nam si Pamphilus servus Titii peculiatus, ejusque institutor, pecuniam acceperit à Mævio ex venditione rerum quibus præpositus est, nec tamen merces venditas ei tradiderit; sed eam pecuniam totam, vel pro parte in rem domini vetterit: dabitur Mævio adversus Titium actio ex empto institutoria, vel actio ex empto de peculio & de in rem verso. Sed prudenter ager si institutori utatur, cæteris prætermisssis; quia est solidi persecutoria, & ab omni ferè onere probationis actorem liberat. In cæteris vero actionibus debet actor probare in rem domini totum versum esse, vel peculium servi sufficere ad solidum persolvendum. Alioquin enim solidum quod sibi debetur consequi non potest; sed tantum quatenus in rem domini versum fuit, vel quatenus in peculio est. Cum autem servus, qui in peculiari merce negotiatur, eam ob causam se alteri obligavit; interdum expedit creditor i agere tributori; quia non est in ea melior conditio domini creditoris, quam cæterorum. Interdum vero expedit agere de peculio, vel de in rem verso, potius quam tributori; videlicet si facile sit probare rem, quæ à servo deberat, in rem domini versam esse, vel si peculium magnum sit & locuples; merces vero peculiares sint exigui pretii, vel etiam perexiguum quod domino debetur. Prudentis est itaque JC. congruum facti circumstantiis suadere remedium.

*Ad §. Quæ diximus.*

**Q**UÆ diximus de servo & domino, eadem intelligimus & de filio & filia, & nepote & nepte, & patre avoce, cuius in potestate sunt.

**S**ECUNDUM commune his actionibus est; ut non tantum ex persona servi adversus dominum, sed etiam ex contractu filii familiæ adversus patrem competant; quia ubi militat eadem ratio, ibi quoque idem jus locum obtinere, *l. 3a. in pr. ff. ad L. Aquil.*

*Ad §. pen.*

**I**LUVI propriæ servatur in eorum persona, quod Senatus consultum Macedonianum prohibuit mutuas pecunias dare eis, qui in potestate parentis sunt; & ei qui crediderit, denegatur actio tam adversus ipsum filium filiamve, nepotem neptemve,

( sive adhuc in potestate sint , sive morte parentis , vel emancipatione suæ potestatis esse cœperint ) quād adversus patrem avum-  
ve , sive eos habeat adhuc in potestate , sive emancipaverit . Quæ  
ideò Senatus prospexit , quia sape onerati ære alieno creditarum  
pecuniarum , quas in luxuriam consumebant , vitæ parentum in-  
fidiabantur .

**E X C I P I E N D U S** est tamen ab hac secunda similitudine unicus casus ex Senatusconsulto Macedoniano . Quod SC. nomen accepit à Macedone fœneratore ( quæ est vulgaris opinio ) vel potius à Macedone filiofamilias ex sententia Theophili nostri . Senatusconsultum illud temporibus Vespasiani editum est ; eoque cautum , ne ulli liceret pecuniam mutuō datam filiofamilias repe-  
tere ; ne quidem postquam sui juris facti essent : ut scirent , qui pessimo exem-  
plo fœnerarent , nullius posse filiofamilias bonura nomen fieri , patris morte ex-  
pectatā , l. 1. in pr. de SC. Maceed. Occasionem dedit huic SC. nequitia quo-  
rumdam filiorumfamilias , qui ære alieno oppressi creditarum sibi pecuniarum ,  
quas in luxuriam consumperant , vitæ parentum nefarias struebant insidias , ut  
constat ex Tacito lib. 11. annal. & ex Suet. in Vespasiano , cap. 10.

Advertendi videntur duo casus in quibus hujus SC. vis infringitur . Primus  
est , si filiofamilias pecuniā solverit , quæ sibi mutua data fuerat . Eo enim  
casu non potest solutum repetere , l. 9. §. pen. & ult. ff. cod. quia obligatio na-  
turalis quā obstringitur , soluti repetitionem impedit , l. 10. ff. cod. Secundus  
casus est si filiofamilias studiorum , vel legationis causā alicubi degat , eaque  
de causā pecuniā mutua ipsi data sit , ad eos sumptus sustinendos quos patris pie-  
tas non recusaret ; ita ut illud mutuum non excedat modum quem pater serva-  
ret in eo casu , l. 7. §. quod dicitur , ff. cod. & l. 5. C. cod. Studiosis enim suc-  
currendum fuit , qui amore scientiæ exiles sunt , & vitam suam multis periculis  
ac necessitatibus exponunt , anib. habitâ cod. ne filius pro parte . In quibus pe-  
riculis , nullus eis auxilium allaturus esset , si creditores de pecuniis , quas eis  
mutuas in hujusmodi necessitatibus dedissent , nullam habituri essent actionem .

*Ad §. ult.*

**I**LUD in summa admonendi sumus , id quod jussu patris dominī-  
ve contractum fuerit , quodque in rem ejus versum erit , direc-  
to quoque posse à patre dominove condici , tanquam si principali-  
ter cum ipso negotium gestum esset . Ei quoque , qui exercitoria vel  
institutoria actione tenetur , directo posse condici placet ; quia hu-  
jus quoque jussu contractum intelligitur .

**T E R T I U M** denique commune omnibus ferè actionibus indirectis est , ut  
cum illis sape concurrat directa actio sive condicio contra patrem vel domi-  
num , cuius in rem versum est , quod debetur à servo vel filiofamilias , vel  
cuius jussu expresso vel tacito contractum intelligitur , l. 1. ff. de in rem verso ,  
& l. 1. ff. quod jussu .

TITULUS VIII.

DE NOXALIBUS ACTIONIBUS.

*Ad princ.*

**E**X maleficiis servorum; veluti si furtum fecerint, aut bona rapuerint, aut damnum dederint, aut injuriam commiscent: noxales actiones proditæ sunt, quibus domino damnato permittitur aut litis æstimationem sufferre, aut ipsum hominem noxæ dedere.

Ex delicto alieno descendentes actiones, noxales vocantur, quæ definiri possunt † actiones, quæ ex noxia servorum vel quadrupedum in dominos competunt; ad hoc ut vel noxiā sarcire, vel corpus quod nocuit, noxæ dedere teneantur.

*Ad §. I.*

**N**OXA autem est, [ ipsum ] corpus quod nocuit, id est, servus: noxia ipsum maleficium, veluti furtum, damnum, rapina, injuria.

Hæ noxales actiones nomen accepisse videntur à noxia vel à noxa. Noxia † dicitur hoc loco maleficium quod admissum est. Interdum etiam hoc nomen accipitur pro iurio seu fribusculo quod intercedit inter conjuges. Quo sensu dixit Aufonius.

*Sepe in conjugio fit noxia, si nimia est dos.*

Noxa verò † est corpus quod deliquit, ut ait Imperator hoc loco: atque ita in l. 20. §. idem, ff. de petit. hered. asserit dominum habere noxæ dedendæ facultatem: sèpius tamen noxæ nomen accipitur pro delicto, ut cùm dicitur *servum noxæ dedere*; id est delicti nomine dedere: certè noxiā pro delicto sumpsit Poëta 1. Æneidēs illo versu.

*Unius ob noxiā, & furias Ajacis Oilei.*

*Ad §. Summā.*

**S**UMMĀ autem ratione permissum est, noxæ deditione fungi. Namque erat iniquum, nequitiam eorum ultra ipsorum corpora dominis damnosam esse.

**S U M M A** autem ratione permisum est deminis noxæ deditio[n]e defungi; quia iniquum fuisset, nequiarum servorum, qui naturâ suâ dominorum suorum hostes sunt, dominis ultra ipsorum corpora, camnoscam esse.

*Ad §. Dominus.*

**D**O MINUS noxali judicio servi sui nomine conventus, ser-vum actori noxæ dedendo liberatur: nec minus in perpetuum ejus servi dominium à domino transfertur. Sin autem damnum ei, cui deditus est, [servus] resarcierit quæsita pecunia, auxilio Prætoris invito domino manumittetur.

**D O M I N U S** itaque noxali judicio servi sui nomine conventus vel condem-natus, noxæ deditio[n]e liberatur, §. 1. inf. de offic. jud. Sed si post sententiam patiatur se conveniri actione rei judicata, noxæ dedendæ facultatem amplius non habet, l. 20. §. idem recte, ff. de petit. hæred. Illius autem deditio[n]is hic est ef-fectus, ut servi dominium transferatur, in eum cui servus noxæ deditur, l. 26. §. ult. ff. b. t. At si servus deditus damnum à se illatum resarcierit, invito utro-que domino, auxilio Prætoris manumittitur. Eoque casu neutri domino sit in-juria; non quidem priori; quia ipse dominum servi jam à se abdicavit: scienti enim & consentienti injurya fieri non videtur, cap. scienii, de reg. jur. in 6. Non etiam posteriori; quia nihil aliud præcisè petere potuit, quam aesti-mationem damni illati; aut servum qui deliquit sibi dedi, eo dumtaxat casu, quo illa litis aestimatio ipsi non præstaretur. His omnibus potest addi alia ratio, quod nihil sit in iure favorabilius libertate, l. 122. ff. de reg. jur.

*Ad §. Sunt autem.*

**S**UNT autem constitutæ noxales actiones aut legibus, aut Edicto Prætoris. Legibus; veluti furti ex lege duodecim tabu-larum, damni injuriæ ex lege Aquilia. Edicto Prætoris; veluti in-juriarum, & vi bonorum raptorum.

**S**i quis quæsierit, an noxales actiones sint Prætoriæ vel civiles; nihil aliud responderi potest, quam eas illius juris esse, cuius sunt actiones quibus adjiciuntur. Non enim hoc nomen noxialium actionum proprium est cuius-quam generis actionum; sed nomen dumtaxat adjективum, quo designatur in actione, cui hoc nomen adjicitur, posse reum noxæ deditio[n]e defungi. Que-madmodum igitur actio furti manifesti directa, Prætoria est; ita & actio fur-ti manifesti noxalis, est etiam Prætoria: & rursus sicut actio furti non manifesti directa, est civilis; ita & actio noxalis furti non manifesti, civi-lis est.

Quo etiam modo non potest certò & generaliter definiri, an actio exerci-toria, & similes indirectæ, de quibus actum est *suprà*, sint bona fidei vel stricti juris. In qua questione dirimenda, similis distinctio servanda est. Nam-

si quidem hæ adjectio[n]es , sive nomina adjectiva , jangantur actionibus bonæ fidei ; indirecte illæ actiones bonæ fiduci esse non desinunt , cuiusmodi est actio exempto exercitoria . Sin autem addantur actionibus stricti juris , stricti quoque iuri permanent ; ideoque actio ex stipulatu institutoria , stricti juris est ; quia Prætor dum has actiones editio suo concessit , nihil mutavit , sed adjectis tantum , l . 5 . § . pen . ff . de exercit . act .

## Ad § . Omnis .

**O**MNIS autem noxalis actio caput sequitur . Nam si servus tuus noxam commiserit , quamdiu in tua potestate sit , tecum est actio . Si autem in alterius potestatem pervenerit , cum illo incipit actio esse . At si manumissus fuerit , directò ipse tenetur , & extinguitur noxae deditio . Ex diverso quoque directa actio noxalis esse incipit . Nam si liber homo noxiā commiserit , & is servus tuus esse cœperit ( quod quibusdam casibus effici primo libro tradidimus ) incipit tecum esse noxalis actio quæ antè directa fuisset .

**C**IRCA delicta servorum ; duæ sunt regulæ observandæ . Prima regula est quod noxa caput sequatur : ita ut ad quemcumque dominum servus , qui nocuit transferatur , in eum quoque noxalis actio transeat . Ideoque si servus qui deliquerit fiat liber , post manumissionem ipse directò tenetur : sicut ex diverso si homo liber , postquam deliquerit , servus fiat ; competit contra novum ejus dominum noxalis actio .

## Ad § . penult .

**S**I servus domino noxiā commiserit , actio nulla nascitur . Namque inter dominum , & eum qui in potestate ejus est , nulla obligatio nasci potest . Ideoque & si in alienam potestatem servus pervenerit , aut manumissus fuerit ; neque cum ipso , neque cum eo cuius nunc in potestate sit , agi potest . Unde si alienus servus noxiā tibi commiserit , & is postea in potestate tua esse cœperit , interdicitur actio , quia in eum casum deducta sit , in quo consistere non potuit . Ideoque licet exierit de tua potestate , agere non potes : quemadmodum si dominus in servum suum aliquid commiserit , nec si manumissus aut alienatus fuerit , servus ullam actionem contra dominum habere potest .

**A**LTERA regula est , quod nulla detur noxalis actio , si servus in dominum suum aliquid commiserit , neque ulla in posterum eo nomine actio competere possit . Sicut ex diverso noxalis etiam actio extinguitur , si servus aliquis

quis post delictum commisum, in dominium ejus pervenerit, cui noxiā com-  
misit. Quo etiam modo extinguitur servitus, si dominus prædiū dominantis ac-  
quisierit dominium prædiū servientis, eō quod in eum casum res deducta sit, &  
quo incipere non potest. Quod genus extinctionis dicitur cœnsilio; quia in una  
& eadem re ac persona confunduntur & commiscuntur iura debitoris & cre-  
ditoris.

*Ad §. ult.*

**S**E Veteres quidem hoc & in filiisfamilias masculis & fœ-  
minis admisere: nova autem hominum conversatio hujusmo-  
di asperitatem rectè respuendam esse existimavit, & ab usu com-  
muni hoc penitus recessit. Quis enim patiatur filium suum, &  
maximè filiam, in noxam alii dare? ut pene per (filii) corpus  
pater magis, quam filius periclitetur: cùm in filiabus etiam pu-  
dicitiae favor hoc bene excludat. Et ideo placuit in servos tan-  
tummodo noxales actiones esse proponendas: cùm apud veteres  
Legum Commentatores invenerimus sæpius dictum, ipsos filios-  
familias pro suis delictis posse conveniri.

QUAMVIS ex contractibus servorum & filiorumfamilias ferè similiter de-  
tur actio adversùs patrem & dominum; in delictis tamen filiisfamilias servo  
similis non est: nec datur adversùs patrem ulla noxalis actio, neque dedi-  
ctioni ullus est locus; quia per filii corpus, pater magis quam filius periclitat-  
ur, & ut dicitur in l. 8. §. ult. ff. quod met. causâ, pro affectu magis parentes  
in liberis quam in se ipsis terrentur. Quo pertinet elegans locus Statii in epice-  
dio ad patrem.

*Talis Olympiacâ juvenem qui spectat arenâ,  
Qui genuit, plus ipse ferit; plus corde sub alto  
Cæditur. Attendunt cunei; spectatur Acestes  
Ipse magis; crebro dum lumina pulveris haustu  
Obruit, & prensâ vovet expirare coronâ.*

Est & altera ratio; quia non est necessarium ad noxales actiones configere ob-  
delicta filiorumfamilias, sicut est necessarium in servis. Servi enim non habent  
legitimam personam standi in judicio. At verò certum est filiosfamilias pro suis  
delictis posse conveniri, l. tam ex contractibus, ff. de judic.





## T I T U L U S I X.

*S I Q U A D R U P E S P A U P E R I E M  
fecisse dicatur.*

*Ad Princ.*

**A**NIMALIUM nomine, quæ ratione carent, si quâ lasci-  
viâ, aut fervore, aut feritate pauperiem fecerint, noxalis  
actio Lege duodecim tabularum prodita est. Quæ animalia si  
noxæ dedantur, proficiunt reo ad liberationem; quia ita Lex duo-  
decim tabularum scripta est, ut putâ: *Si equus calcitrosus calce  
percusserit, aut bos cornu petere solitus [cornu] petierit.* Hæc au-  
tem actio in iis, quæ contra naturam moventur, locum habet.  
Caterum si genitalis sit feritas, cessat actio. Denique si ursus  
fugerit à domino, & sic nocuerit, non potest quondam domi-  
nus conveniri; quia desit dominus esse, ubi fera evaluit. Paupe-  
ries autem est damnum sine injuria facientis datum. Nec enim  
potest animal injuriam fecisse dici, quod sensu caret. Hæc quidem  
ad noxalem pertinent actionem.

Ex noxia quadrupedum damnum datum appellatur pauperies, quæ t̄ defini-  
tur damnum sine injuria facientis datum, *l. 1. s. ait Pretor, ff. b. t.* Neque  
enim potest animal injuriam fecisse, quod sensu caret. Unde sequitur *L. Aqui-*  
*liam ad hoc damnum non pertinere; cum agat dumtaxat de damno injuriæ dato,*  
*l. 1. ff. ad L. Aquil.* Tunc autem habet locum actio de pauperie, quoties dam-  
num datum est ab animali commoto contra naturam seu contra genitalem feri-  
tatem; id est, quæ generi ejus animantis non competit: ut si *equus calcitro-*  
*sus, aut bos cornipeda, seu qui cornu petere solitus est, cornu percusserit:*  
*cujusmodi boūm cornibus solebat fænum apud Veteres alligari, ut eo signo*  
*quisque præmonitus sibi consuleret: unde natum adagium, fænum habet in cor-*  
*nu, adversùs eos à quibus cavendum est.*

Cessat autem noxalis actio de pauperie, si aliâ de causâ damnum datum sit ab  
his animantibus: tunc enim creditur illud damnum aut instigatum aut fatem cul-  
pa hominis datum suile: ideoque vel actione Legis Aquilia, vel in factum  
agitur, *l. 1. s. itaque & tribus seqq. ff. b. t. v. g.* si propter oneris gravitatem  
vel loci iniquitatem quadrupes onus averterit, & damnum dederit. Cessat quo-  
que noxalis actio si genitalis sit feritas, cuiusmodi est ursi & leonis. Nam si  
ursus fugerit à domino, & fugiendo nocuerit, non datur actio noxalis de pa-

perie; quia hæc competit tantum contra dominum; eo quod solus dominus possit noxæ dedere. Fera autem animantia, ubi primum nostram evaserint custodiā, nostra esse desinunt, s. fera suprà de rer. divis.


*Ad s. i.*

**C**AETERUM sciendum est ædilitio edicto prohibeti nos canem, verrem, aprum, ursum, leonem ibi habere, quæ vulgo iter fit: & si adversus ea factum erit, & nocitum libero homini esse dicatur, quod bonum & æquum Judici videtur, tanti dominus condenetur: cæterarum [verò] rerum, quanti damnum datum sit, dupli. Præter has autem ædilitias actiones, & de pauperie locum habebit. Numquam enim actiones, præsertim poenales, de eadem re concorrentes, alia alias consumit.

**P**RÆTER superiorē actionē noxalem de pauperie actio insuper ædilitia competit uno casu; si quis canem, verrem, aprum, ursum, leonem, siue solutum, sive ligatum ibi habuerit, quæ vulgo iter fit; idque animal damnum dederit, vel libero homini nocuerit. Piore casu datur actio in duplum, l. quæ vulgo 42 ff. de adil. edic. Posteriore autem casu, si homo liber occisus sit, condemnatio fiet in ducentos solidos, non in duplum; quia liberum corpus nullam recipit estimationem, quæ duplari possit, l. ult. ff. de his qui effud. vel decē. Si autem liber homo fuerit vulneratus, in quantum bonum & æquum Judici videbitur, fiet condemnatio. Nec tamen ulla deformitatis ratio habebitur; quia hæc in libero corpore estimari non potest, d. l. ult.

Si quis objiciat quod dicitur *in pr. b. t. cessare actionem de pauperie*, cum animal quod habet genitale feritatem damnum dederit: Resp. 1. ex l. pen. ff. b. t. actione quidem noxali de pauperie directā dominum non teneri, sed utili dumtaxat. Resp. 2. posse defendi actionem de pauperie noxalem in hujusmodi animantibus cessare, propter rationem jam dictam: non tamen extingui actionem de pauperie directam; id est in solidum & minimè noxalem: quia dominus, qui eo casu ex suo facto tenet, noxæ de cōtrōle non liberatur, arg. l. 2. in princ. ff. de nox. act. quod videntur insuper innuere hæc verba sub finem principii: *Hec quidem ad noxalem pertinent actionem.* Quibus verbis designatur actionem de pauperie, de qua postmodum dicturum est, noxalem non esse. Alioquin enim hæc verba essent otiosa.





## T I T U L U S X.

### DE HIS PER QUOS AGERE POSSUMUS.

*Ad Princip.*

**N**UNC admonendi sumus agere posse quemlibet hominem, aut suo nomine, aut alieno. Alieno; veluti procuratorio, tutorio, curatorio: cum olim in usu fuisset, alterius nomine agere non posse, nisi pro populo, pro libertate, pro tutela. Præterea Lege Hostiliâ permisum erat furti agere eorum nomine, qui apud hostes essent, aut reipublicæ causâ abessent, quive in eorum cuius tutela essent. Sed quia hoc non minimam incommoditatem habebat, quod alieno nomine, neque agere, neque excipere actionem licebat; cœperunt homines per procuratores litigare. Nam & morbus, & ætas, & necessaria peregrinatio, itemque aliæ multæ causæ sæpe hominibus impedimento sunt, quominus rem suam ipsi exequi possint.

MANCUS esse videretur actionum tractatus, nisi per quas personas possumus agere traderetur. Olim quidem pro alio nemo lege agere potuit, *l. nem. 123. ff. de reg. jur.* quia actus legitimi per alium expediri non possunt, *l. per procuratorem, ff. de acquir. hered.* Sed quatuor casus ab hac regula excipiendū sunt, in quibus jure singulati & propter utilitatem publicam receptum fuerat, ut pro alio agi posset: videlicet pro populo, pro libertate, pro tutela, & furti pro absentibus reipublicæ causâ.

Qui pro populo agit *Syndicus* appellatur; eò quod causam communem tueatur. Is etiam dicitur actor universitatis, *l. item eorum, §. actor, ff. quod cujuscunivers. nom. vel cont. eam agatur;* vel etiam actor simpliciter, *l. 27. ff. de neg. gest.*

Qui pro libertate agebat, assertor dicebatur, eò quod alterius libertatem asserteret; alterius (inquam) non suam: neque enim ferendum videbatur, ut servus in jure consisteret adversus dominum suum; quod vix certis ex causis ad salutem publicam spectantibus permisum est. Nec mirum quod idem licuerit in causa libertatis, quod permisum est in causa populi; cum libertas omnibus rebus favorabilior sit, *l. libertas, ff. de reg. jur.*

Pro tutela agere tutori etiam permittebatur; quia pupillorum causa publicæ itidem æquiparatur: unde fit ut tutela publicum munus esse dicatur *in princ. sup. de excus. tut.* Pessimè omniam Theoph. speciem constituit de duobus tutoribus circa tutelam\* secum invicem litigantibus; quorum uno succumbente

apparet, eum alieno nomine egisse, hoc est de tutela quæ nihil ad ipsum pertinet, sicut docuit litis eventus. Nam si hæc ratio valeret, ut ab exitu litiis, actio dijudicaretur; dicendum esset, omnes qui causâ cadunt, pro suis adversariis litigasse, vel pro aliis qui ex ea sententia lucrum percipiunt; quod esset absurdissimum.

Pro captivis denique & absentibus reip. causâ, & pro illis etiam pupillis, qui in alicujus eorum tutela essent, ex L. Hostiliâ agere licuit unico genere actionis, nimis furti; quia eorum qui reipublicæ causâ absunt, aut captivitatis jugo premuntur, causa specialem legum tuitionem meretur.

Hodie vero propter utilitatem publicam receptum est, ut quis non tantum suo, sed etiam procuratorio nomine, in quacumque causa agere possit; quia omnia judicia sunt hodie extraordinaria, s. ult. inf. de interd. Quod primum receptum est propter necessitatem eorum, quos morbus, vel aetas, vel aliae multæ cause impediabant, nè suas ipsi res execui possent, l. 1. s. pen. ff. de procur. Deinde generaliter receptum est, ut circa necessitatem posset aliquis per procuratorem experiri. Non tamen hodie potest aliquis emancipare vel emancipari per procuratorem; quamvis procurator pro alio jurare possit, mandato ipius.

*Ad s. I.*

**P**ROCURATOR neque certis verbis, neque præsente [ semper ] adversario, immò plerumque eo ignorantie constituitur. Cuicunque enim permiseris rem tuam agere, aut defendere, istius procurator intelligitur.

PROCURATOR non verbis solemnibus & typicis (ut ait Theoph.) sed quibuscumque constitui potest; non solum inter præsentes, sed etiam inter absentes, *toto titulo sup. de oblig. ex consensu.*

*Ad s. ult.*

**T**UTORES & curatores quemadmodum constituuntur, primo libro expositum est.

De tutoribus & curatoribus licet libro I. sufficienter actum sit, unum tamen hoc loco addendum videtur, quod non tantum tutores & curatores minoribus iudicio agentibus auctoritatem præstare; sed etiam soli, & absque ullo minorum interventu pro illis agere; quia pro dominis habentur, l. 27. ff. de admin. tut. & curat.





## T I T U L U S X I.

### DE SATISDATIONIBUS.

*Ad Princ.*

**S**ATISDATIONUM modus alius antiquitati placuit, aliun novitas per usum amplexa est. Olim enim si in rem agebatur, satisdate possessor compellebatur. Ut si victus [ esset, ] nec rem ipsam restitueret, nec litis aestimationem, potestas esset petitori, aut cum eo agendi, aut cum fidejussoribus ejus quæ satisdatio appellatur *judicatum solvi*. Unde autem sic appetetur, facile est intelligere. Namque stipulabatur quis, ut solveretur sibi, quod fuisset *judicatum*. Multò magis is, qui in rem actione conveniebatur, satisdate cogebatur, si alieno nomine *judicium* accipiebat. Ipse autem, qui in rem agebat, si suo nomine petebat, satisdate non cogebatur. Procurator vero si in rem agebat, satisdate jubebatur, rem ratam dominum habitum. Periculum enim erat, nè iterum dominus de eadem re experiretur. Tutores [ verò ] & curatores eodem modo, quo & procuratores satisdate debere, verba edicti faciebant: sed aliquando his agentibus satisdatio remittebatur. Hæc ita erant si in rem agebatur.

**NOMINE** alieno sine satisdatione nemo agere potest, & multò minus actionem suscipere: ideoque superiori titulo rectè subjicitur iste de satisdationibus; quarum usus ad securitatem rei judicatae inductus est: quo magis ea quæ apud Judicem aguntur rata sint, suumque effectum obtineant. Hanc expositionem bipartitam faciemus: primum quidem veterem satisdationum modum: deinde vero hodiernum; id est cum qui obtinuit tempore Justiniani enarravimus.

Modus antiquus satisdationum in actionibus in rem & in personam diversus fuit; & diversus itidem in persona actoris & rei, nec non etiam in persona ejus qui suo, & ejus qui alieno nomine agit vel convenitur.

In actione in rem possessor, seu reus, qui suo nomine conveniebatur, tenebatur satisdate *judicatum solvi*, id est se solviturum, quod sententia condemnationis expressum fuisset. Procurator autem rei, qui speciali nomine defensor diciatur *in tit. ff. de procuratoribus & defensoribus*, multò magis satisdate compellebatur *judicatum solvi*, propter receptam juris regulam, quod nemo liuis alie-

na idoneus defensor sit sine satisfactione, l. 53. ff. eod. Sed prater solitam illam satisfactionem judicatum solvi, procurator insuper tenebatur cavere de rato, sive ratam rem dominam habiturum; ne forte dominus eam rem iterum vindicaret; & actorem, qui victor in eo judicio exitisset, novis postmodum litis expensis exponeret, l. 40. §. sed & is, ff. eod.

Actor verò in actione in rem, si suo nomine experiebatur, neque judicatum solvi, neque alio ullo medo satisfare cogebatur. Cujus rei hæc ratio fuisse videtur; quod supervacua omnino esset satisfactione judicatum solvi, vel de rato; cùm actor solus petat, nullaque adversus eum petitio moveatur. Sanè procurator actoris de rato promittere tenebatur, propter periculum quod reo imminebat, nè dominus iterum de eadem re experiretur. Satisfactione itaque de rato f. est illa, quâ procurator actoris vel rei promittit datis fidejussoribus, ratam rem dominum habiturum, & domino ratum non habente, se omnem eo nomine indemnitatem adversario præstirum. Quam ultimam clausulam in hac satisfactione esse necessariam convincitur ex §. versâ vice, sup. de iut. stipul. Satisfactione judicatum solvi f. est illa, quâ reus idoneè cavit actori de dolo malo, de re defendenda, & de solvendo eo quod fuerit judicatum, quemadmodum infra explicabitur ad §. si verò aliquis.

In tutoribus quoque & curatöribus, minorum suorum nomine agentibus, idem jus observabatur, propter verba edicti generalia, quæ referuntur in l. servum 33. §. ait Prætor, ff. de procur. Cujus nomine quis actionem sibi dari possebatur, is eum boni viri arbitratu defendat; & ei quo nomine agit, id ratum habere eum ad quem ea res pertinet, boni viri arbitratu satisfat. Quibus verbis generalibus, cùm designentur omnes qui alieno nomine agunt; inde fit ut tutores etiam & curatores satisfactionis oneri obnoxii sint; quia ubi Lex non distinguit, neque nos distinguere debemus, l. de pretio, ff. de Publ. in rem aet. Verum si constiterit eos esse tutores vel curatores, cessat illa satisfactionis necessitas, l. 23. ff. de admin. int. quia dominorum loco habentur, l. tutor. ff. eod.

## Ad §. 1.

**S**I verò in personam, ab actoris quidem parte eadem obtinebant, quæ diximus in actione, quâ in rem agitur. Ab ejus verò parte cùm quo agitur, siquidem alieno nomine aliquis interveniret, omnimodo satisfaret; quia nemo defensor in aliena re sine satisfactione idoneus esse creditur. Quod si proprio nomine aliquis judicium accipiebat in personam, judicatum solvi satisfare non cogebatur.

IN actione in personam ex parte actoris eadem obtinebant, quæ de actione in rem modò diximus; quia urgebant utrobique eadem rationum momenta. Ubi autem militat eadem ratio, ibi quoque idem jus servandum est, l. 32. in pr. ff. ad L. Aquil. sed in reo disparitas fuit, si proprio nomine judicium in personam acciperet seu sustineret; quatenus nullam satisfactionem præstare tenebatur, de solvendo eo quod fuisse judicatum. Ratio disparitatis fuisse videtur,

quia in actione in rem favorabilior Veteribus esse videbatur rei suæ repetitio : contrà verò in actionibus in personam favorabiliores sunt rei quam actores , l. 125. ff. de reg. jur. idèque Judices prioniores esse debent ad absolvendum quam ad condemnandum , l. Arrianus 47. ff. de obt. & att. Procurator verò rei te- nebatur quidem satisdatum judicatum solvi , non tamen de rato ; quia cessabat pe- ricolum p̄fatum , ne dominus iterum de eadē re ageret.

*Ad §. Sed hodie.*

**S**ed hodie hæc aliter observantur. Sive enim quis in rena-  
ctione convenitur , sive personali suo nomine ; nullam satis-  
factionem pro litis æstimatione dare compellitur , sed pro sua tan-  
tum persona , quòd in judicio permaneat , usque ad terminum li-  
tis : vel committitur suæ promissioni cum jurejurando ( quam ju-  
ratoria cautionem vocant ) vel nudam promissionem , vel satisfa-  
tionem pro qualitate personæ suæ dare compellitur.

**A**LTIUS tamen est hodie satisfactionum modus , quem novitas per usum am-  
plexa est. Namque hodie inter actiones reales & personales , quantum ad fa-  
tificationem attinet , nullum discrimen constituitur ; sed tantum distinguitur ,  
en quis per se vel per procuratorem actionem moveat vel suscipiat. Circa  
actorem , qui suo nomine agit , jus vetus mansit illibatum. Reus verò , qui  
proprio nomine convenitur , pro qualitate personæ suæ , cavit se in judicio  
permansurum usque ad finem litis. Dixi 1. pro qualitate personæ suæ ; quia re-  
rum immobilium possessores non satisfant , sed nudam dumtaxat repromissio-  
nem p̄stant , l. 15. ff. qui satisd. cog. vel jurat. promitt. vel sue prom. committ.  
prædia siquidem pro prædibus habentur. Personæ illustres non satisfant , sed  
jurant tantum , l. 17. C. de dignit. lib. 12. Quæ cautio sive promissio solet ju-  
ratoria appellari ( une caution juratoire . ) At verò cæteri qui immobilia non  
possident , satisfare compelluntur , propter maximum periculum quod actori  
imminet ; nè inanis ei sit actio sua , si eam inopia debitoris excludat ; l. 6. ff.  
de dolo malo. Possunt siquidem facile ejusmodi debitores bona sua occultare ;  
quod Gallicè dicimus ( mettre leurs biens à couvert . )

Quamvis autem quoties vitiosè cautum vel satisdatum est non videatur cau-  
tum , l. 6. ff. qui satisd. cog. nihilominus tamen qualiscumque fidejussor idoneus est ; cum quis parentem vel patronum , vel similes personas in jus vocave-  
rit , l. 2. §. 1. ff. eod. In cæteris casibus idoneus & locuples fidejussor videtur ,  
non tantum ex facultatibus , sed etiam ex convenienti facilitate , d. l. 2. in pr.  
Dicitur 2. se in judicio permansurum , &c. ad tollenda reorum subterfugia ; &  
ut facilius ac promptius res judicata finem accipiat.

*Ad §. Sin autem.*

**S**IN autem per procuratorem lis vel infertur , vel suscipitur ;  
sin actoris siquidem persona , si non mandatum actis insinua-  
tum

tum est , vel præsens dominus litis in judicio procuratoris sui personam confirmaverit , ratam rem dominum habiturum , satisfactionem procurator dare compellitur . Eodem observando , & si tutor , vel curator , vel aliæ tales personæ , quæ alienarum rerum gubernationem receperunt , litem quibusdam per alium inferunt .

**Q**UOTIES lis per procuratorem infertur , procurator satisfare compellitur , ratam rem dominum habiturum . Quod idèo introductum est , nè dominus iterum de eadem re experiatur , & reum novis litium impensis immergar . Sed hujus satisfactionis necessitas cessat , si mandatum domini apud acta insinuatum fuerit , vel præsentis domini voce procurator ejus confirmatus fuerit ; aut si dominus litteris ad adversarium missis significaverit , eum à se in hujusmodi causa factum fuisse procuratorem , l . 1 . cod . de satisd . & l . 6 . ff . procur .

*Ad §. Si verò aliquis.*

**S**I verò aliquis convenitur , si quidem præsens procuratorem dare paratus est , potest vel ipse in judicium venire , & sui procuratoris personam per *judicatum solvi* satisfactionem solemnis stipulatione firmare , vel extra judicium satisfactionem exponere , per quam ipse sui procuratoris fidejussor existat pro omnibus *judicatum solvi* satisfactionis clausulis , ubi & de hypotheca suatum rerum convenire compellitur : sive in judicio promiserit , sive extra judicium caverit , ut tam ipse , quam heredes ejus obligentur . Aliâ insuper cautelâ , vel satisfactione propter personam ipsius exponendâ , quod tempore sententiæ recitandæ in judicium veniet ; vel si non venerit , omnia dabit fidejussor , quæ in condemnatione continentur , nisi fuerit provocatum .

CÙM autem lis aliqua à procuratore defendenda suscipitur , debet dominus , si præsens fuerit , duplìcem cautionem præstare ; unam , pro persona sui procuratoris ; alteram , pro sua . Pro suo procuratore debet fidejussor existere etiam cum hypotheca bonorum suorum , & cavere *judicatum solvi* , secundùm omnes clausulas ejus stipulationis , quæ sunt tres , videlicet de re defendenda , de dolo malo , & de solvendo eo quod fuerit *judicatum* . Necessarium est ut promittatur rei defensio , nè adhibitis inanibus effugiis sententia differri aut eludi possit . Promittitur insuper dolorem malum abesse abs futurumque esse ; quia periculum est , nè reus in restituenda re de qua agitur fraudem admittat , ut dictum est ad § . 1 . sup . de divis . stipul . Promittitur denique *judicatum solvi* ; quia hæc est præcipua clausula ejus satisfactionis , ex qua etiam nomen assumpit .

Si quis objicerit , cautionem illam esse inutilem , cùm ex ea fidejussor aliquis existat pro se ipso & in propria causa , l . heres , § . servo , ff . de fidejussor . tum etiam quia procurator minime è sententiâ Judicis obligetur , sed dominus

tantum litis, qui eo procuratore usus est, arg. cap. qui per alium; de reg. iur. in 6. & l. quod meo, ff. de acquir. possess. Relip. sententiam concipi nomine solius procuratoris, non vero domini, l. 1. C. de sent. & interlocut. omn. judic. quia facta per eum litis contestatione, procurator dominus litis effectus est, l. 22. & l. 23. C. d. procur. His addi potest, saepe contingere ut procuratores in litis decursu multa, pro ut res exigit, dicant & offerant, de quibus profertur sententia; in quibus periculum imminet, ne dominus litis contendat eos excessisse fines mandati. Quocirca ad tollendam omnem cavillandi occasionem, utile est actori, ut reus pro suo procuratore fidejussor existat.

Pro sua denique persona cavere vel satisfidare tenetur dominus, quod tempore sententiae recitandae ipse in judicium venturus est: ita ut si non venerit fidejussor, omnia praestare debeat, quae sententiæ continentur, nisi forte provocatio intercesserit. Quæ exceptio idcirco adjicitur, quod per eam omnis sententiae authoritas infirmetur, l. 6. §. 1. ff. de his qui not. infam.

\* Arguitur hoc loco Theophilus quod ultimæ hujus cautionis onus imponat procuratori, non domino. Sed is certè est error Curtii parùm fidi Interpretis, non Theophili ipsius, ut appareat ex paraphrasi ipsius Græca, in qua nulla fit sententio procuratoris, sicut nec in texu Justinianæo.

*Ad §. Si vero reus.*

**S**I vero reus praestò ex quacumque causa non fuerit, & aliis velit defensionem ejus subire, nulla differentia inter actiones in rem vel personales introducenda, potest hoc facere: ita tamen, ut satisfactionem *judicatum solvi*, pro litis aestimatione praestet. Nemo enim secundum veterem regulam (ut jam dictum est) alienæ rei sine satisfactione defensor idoneus intelligitur.

**S**IN autem reus praesens non fuerit, & aliquis existat, qui sponte velit ejus defensionem suscipere, audiendus erit indistinctè, sive fuerit in rem actio, sive in personam; dummodò tamen satisfactionem *judicatum solvi*, propter superius alatam rationem.

*Ad §. pen.*

**Q**UÆ omnia apertiùs & perfectiùs à quotidiano judiciorum usu in ipsis rerum documentis apparent.

**H**OS & alios hodiernos styli judicialis ritus ut ediscamus, remittit nos Imperator ad usum fori; quia est optimus rerum magister. Maximè tamen vitanda est nimia festinatio, quæ est pessima studiorum omnium noverca; ne forte cruda aethiopis studia in forum propellamus, ut ait Petronius Arbitr. Unde sit locus multis erroribus, qui vix possunt ingentibus deinde laboribus emendari.

*Ad §. ult.*

**Q**UAM formam non solum in hac regia urbe , sed ( etiam ) in omnibus nostris provinciis / eti propter imperitiam for- tè aliter celebratur ) obtinere censemus : cum necesse sit , omnes provincias caput omnium nostrarum civitatum , id est , hanc regiam urbem , ejusque observantiam sequi .

CÆTERÙM cum membra suo capiti debeant esse conformia , meritò Imp. exigit , ut omnes Imperii Provinciae usum civitatis Regiae sive Constantinopolitanæ sequantur ; quia ( ut aiunt Philosophi ) primum in unoquoque genere est mensura cæterorum .



## T I T U L U S X I I .

**D E P E R P E T U I S E T T E M P O R A L I E U S**  
*actionibus , & que ad hæredes , & in hæredes transeunt.*

*Ad princip.*

**H**Oc loco admonendi sumus , eas quidem actiones , quæ ex Lege , Senatusve consulo , sive ex sacris Constitutionibus profiscuntur , perpetuò solere antiquitus competere , donec sacrae Constitutiones , tam in rem , quam in personam actionibus certos fines dederunt ; eas vero , quæ ex propria Prætoris jurisdictione pendent , plerumque intra annum vivere : nam & ipsius Prætoris intra annum erat imperium . Aliquando tamen & in perpetuum extenduntur ; id est , usque ad finem ex constitutionibus introductum : quales sunt eæ , quas bonorum possessori , cæterisque qui hæredis loco sunt , adcommodat . Furti quoque manifesti actio , quamvis ex ipsius Prætoris jurisdictione profiscatur , tamen perpetuò datur : absurdum enim esse existimavit anno eam terminati .

**E X P O S I T I S** haec tenus variis actionum generibus & effectibus , superest ut videamus quibus modis infirmantur . Duobus autem modis infirmantur , vel ipso jure , vel exceptione oppositâ . Ipso jure extinguuntur actiones tribus mo-

dis ; lapsu videlicet temporis , morte , & solutione ejus quod debetur . Unde fit ut locas sit duabus novis actionum divisionibus .

Decimi igitur actionum divisione † est in perpetuas , & temporales .

Actiones perpetuae † sunt , quæ ex legibus vel similibus iuris constitutionibus introductæ sunt ; ita dictæ , quod olim in perpetuum darentur ; quia nimis ex lege descendunt , cuius perpetua est auctoritas . Hodie tamen paucæ ultra triginta annos vitam extendant , l. sicut 3. C. de præscr. trig. vel quadrag. annor. Sed hoc non vetat quin etiam hodie perpetuae appellantur , vel ratione originis , vel quia illud spatium longissimum esse intelligitur . Tales sunt actiones in rem & in personam , d. l. 3. in princ. & cap. vigilanti ext. de præscript. & Procop. lib. 1. de bell. Vandal. cap. 3. ubi narrat Vandalis certam partem Hispaniæ eâ lege fuisse concessam ab Honorio , ut non possent frui effectu veteris Legis Romanae , quæ post possessionem triginta annorum præscriptionem dat possessori , ita ut ei res possessa jure adimi non possit .

Neque obstat quod ex iure veteri res mobiles anno , immobiles vero bienio usucapiantur : ex iure autem novo , rerum mobilium usucapio triennio , & immobilia acquisitio , decem vel viginti annis perficiatur , l. un. C. de usucap. transform. & in pr. sup. de usucap. Namque , ut eo loco dictum est , multarum conditionum concursus ad perficiendam usucpcionem requiritur ; ex quibus si una deficiat , puta si res de qua agitur vitiosa fuerit , vel si possessio fuerit interrupta , deficit quoque usucapio intra præfatas temporis metas : atque ita actio in rem quæ est dominii comes , perpetua est ex iure veteri , & vivit triginta annis ex constitutionibus .

Actiones temporales † sunt , quæ ex propria Prætoris jurisdictione oriuntur ; ita dictæ , quod tantum intra annum vivant ; eò quod Prætoris ipsius intra annum erat imperium ; & ut ait M. Tull. in Verr. orat. 1. Qui multum tribuunt editio Prætoris , legem annuam dicunt esse . Sed hoc ad poenales dumtaxat actiones Prætorias pertinet , non ad rei persecutorias , l. in honorariis 35. ff. de oblig. & act. Ratio disparitatis pendet ex eo quod favores sunt ampliandi , odia vero restringenda , cap. odia , de reg. jur. in 6. & l. pen. ff. de pœnis . Verum actio Publiciana , quæ usucpcionis rescissoria est , & Pauliana quæ traditionis rescissionem continet , quamvis sint rei persecutoriae , sunt tamen annales ; quia contra ius civile dantur , d. l. in honorariis ; ideoque odiosæ sunt , & parum favorabiles . Sed ex diverso actio furti manifesti licet poenalis , non tamen ideo minus perpetua est ; quia successit in locum actionis civilis ex Lege duodecim tabularum . Quo etiam modo actio servi corrupti poenalis & Præatoria , est etiam perpetua ; quia successit in locum actionis civilis ex Lege Aquilia , l. 13. ff. de serv. corrupt.

Ad §. I.

**N**ON autem omnes actiones , quæ in aliquem aut ipso iure competit , aut à Prætoro dantur , & in haeredem æque competit aut dari solent . Est enim certissima iuris regula , ex maleficiis poenales actiones in haeredem [rei] non competere [veluti] furti , vi bonorum raptorum , injuriarum , damni , injuriæ .

Sed hæredibus hujusmodi actiones competunt, nec denegantur, exceptâ injuriarum actione, & si qua alia similis inveniatur. Ali quando tamen etiam ex contractu actio contra hæredem non competit: veluti cum testator dolosè versatus sit, & ad hæredem ejus nihil ex eo dolo pervenit. Poenales autem actiones, quas supra diximus, si ab ipsis principalibus personis fuerint contestatae, & hæredibus dantur, & contra hæredes transeunt.

**UNDECIMA** actionum divisio † est, quod aliæ ad hæredes transeant, & in hæredes; aliæ ad hæredes quidem, sed non in hæredes; aliæ denique neque ad hæredes, neque adversus hæredes transmittantur.

Ad hæredes & in hæredes transfire † dicuntur, quibus hæres actoris potest experiri, & rei etiam hæres tenetur: cujusmodi sunt omnes rei persecutorix, videlicet omnes actiones in rem, & omnes ferè actiones in personam quæ ex contractu descendunt.

Ad hæredes & non in hæredes transfire † dicuntur, quæ hæredi quidem actoris competunt, sed adversus hæredes rei non dantur. Tales sunt omnes ferè actiones ex delictis descendentes; quia pœnæ suos debent tenere autores: nec debet quisquam alieno odio prægravari, l. 23. C. de pœnis. Melius siquidem est nocentem dimitti, quam innocentem condemnari, l. absentem, ff. eod. Dixi ferè, quia actio subsidiaria, quæ tutelæ nomine competit adversus Magistratus, etiam adversus hæredes eorum, tam ex Prudentum responsis, quam ex constitutionibus extenditur, §. pen. sup. de satisd. tut. si modò damnum ex dolo aut latâ culpâ tutoris oriatur, non verò ex levi aut levissimâ, l. 2. C. de Magistr. conven. & l. 4. ff. eod.

Eius tamen regulæ duæ exceptions advertendæ sunt. Prima est, quod hujusmodi actiones adversus hæredes dentur, quatenus ad eos pervenit, l. in hæredem, §. ult. ff. de dolo malo; quia turpia lucra hæredibus extorquenda sunt, licet crimina, id est accusationes, extinguantur, l. 5. in pr. ff. de calumniis. & ut dicitur in l. 16. §. ult. ff. quod met. caus. gest. erit, licet pœna ad hæredem non transeat, attamen quod turpiter & sceleris quæsitionem est, ad compendium hæredis non debet pertinere. Verum id habet proprium condicō furtiva, ut adversus hæredem furtis competit in solidum, licet ad eum vel non solidum vel nihil omnino pervenerit, l. 9. ff. de condicō furt. Altera exceptio est, quod actiones pœnales semel judicio inclusæ, id est post litis contestationem, adversus hæredem transmittantur; quia per litis contestationem fit novatio, & in judicio videtur contrahi, l. 3. §. idem scribit, ff. de pecul. Quod jus constitutionibus Principum ad hæredes ejus, qui vivus conventus fuit, extensum est, l. constitutionibus, ff. de obl. & aet.

Ex contractibus descendentes actiones, regulariter sunt rei persecutorix, §. rei persecuenda, sup. de action. ideoque & hæredi & in hæredem dantur, ut supra dictum est; quia qui contrahit & sibi & hæredi suo obligationem acquirit & imponit, l. 9. ff. de probat. Verum actio quæ competit in duplum ex depositione miserabili, non transit in hæredes ultra simplicem; quia quoad alterum simplum pœnalis est, d. §. rei persecuenda, & l. 18. ff. depositi. In aliis autem

negotiis successores ex dolo defuncti tenentur, l. 157. §. ult. ff. de reg. jur. & l. 49. ff. de obit. & ad. Subventum tamen fuit hæredibus tatorum, nè aliter tenetur ex dolo defuncti, nisi lucrum dolo captaverit aut sibi, aut alteri, l. 1. C. de her. tut.

Neque ad hæredes, neque in hæredes transire dicuntur actiones + quibus neque potest agere heres actoris, neque hæres rei conveniri. Talis est actio injuriarum, & si qua sit similis, quaë vindictæ persecutionem contineat: v. g. actio de inoficiose testamento, l. 6. in fine & l. 8. ff. de inoff. test. & actio quaë competit donatori ad repetendas res donatas ab ingratu donationis acceptore, l. 1. & l. 7. C. de revoc. donat. Neque enim oportet actionem, quaë competit vindictæ nomine; & in qua agitur, causâ doloris, ut loquitur Valent. Imperator in Novella sua de libertis, ultrà fata ejus, qui injuriam passus est, esse superstitem; cum injuriarum actio morte extinguitur, l. 13. in pr. ff. de injur.

*Ad §. ult.*

**S**UPEREST, ut admoneamus, quòd si ante rem judicata es, cum quo actum est, satisfaciat actori; officio Judicis convenit eum absolvere, licet in ea causa fuisset judicii accipiendi tempore, ut damnari deberet; & hoc est, quod anteà vulgo dicebatur, omnia judicia absolutoria esse.

INFIRMATUR denique ipso jure omnis actio, si reus ante sententiam solverit quod à se petitur: & hoc est quod vulgo dicitur, *omnia judicia esse absolutoria*; id est hanc esse eorum naturam, ut absolv iudebeat reus, si solverit. Nec obstat quod dictum est ad §. pratercā sup. de action. hoc proprium esse arbitrariarum actionum, ut reus solvens ante sententiam devitet condemnationem; quia in illis actionibus reus liberatur invito actore, si solverit arbitrio Judicis. At verò hoc loco agimus de liberatione & absolutione, quaë reo competit, si actori solverit arbitrio ipsius actoris.



## T I T U L U S X I I I.

### DE EXCEPTIONIBUS.

*Ad Princip.*

**S**EQUITUR, ut de exceptionibus dispiciamus. Comparatæ sunt exceptiones defendantorum eorum gratiâ, cum quibus agitur. Sæpe enim accidit, ut licet ipsa persecutio, quâ

actor experitur, justa sit, tamen iniqua sit adversus eum cum quo agitur.

**INFIRMANTUR** denique actiones exceptione oppositā. Est autem exceptio † defensio rei, quæ actioni jure constitutæ opponitur, eamque aequitatis contemplatione excludit: ita dicta quod in formula actionis generali, quam Prætor concedebat actori, aliquam conditionem excipiendam subjungebat. Ex. gr. in actione in rem, ita erat concepta formula judicij: Lucius Titius Judex esto; si appetet fundum Tusculanum, quem Mævius possidet Sempronii esse, restituji jubeas. Subjungebat deinde rogante postfere exceptionem, nisi pactus fuisset se non petiturum: & ita de cæteris. Unde fit, ut in l. 22. in princ. ff. b. t. exceptio definiatur † conditio, quæ modò eximit reum damnatione, modo minuit condemnationem, sicut ex sequentibus apparebit.

Dixi *actioni jure constituta*; quia nullâ opus est exceptione, si nulla competit actio; aut si talis sit actio, ut ipso jure infirmetur: putâ si solutum sit aut compensatum id quod petitur. Distinguitur enim is qui liberatur ipso jure, ab eo qui per exceptionem liberatur, l. 34. §. si is cui, ff. de oblig. & ad. quamvis inspecto juris effectu nihil plerumque intersit, utrum ipso jure aliquis actionem non habeat, an verò illam dumtaxat habeat quæ exceptione infirmetur, l. nihil interest 112. ff. de reg. jur. Hoc tamen non impedit, quin sint quædam exceptiones impropiè dictæ, quæ impediunt nè detur actio, de quibus agitur toto tit. ff. quarum rerum actio non detur; cujusmodi est exceptio SC. Macedoniae & Velleiani.

Dixi præterea *opponitur*; quia exceptis judiciis bona fidei, Judex non potest habere rationem exceptionis, nisi opponatur; ideoque exceptiones dicuntur esse factui: cuius rei exemplum evidens extat in §. si plures sup. de fidejuss. & aliud itidem apud M. Tull. lib. 3. de offic. num. 59. ubi post narrationem fraudis admisæ à Pythio venditore in C. Canium emptorem, & obligationis ejus in nominum obligationem transfusa, subjecit, Stomachari Canius: sed quid faceret? nondum enim Aquilius collega & familiaris meus pertulerat de dolomalo formulas. Non poterat igitur dulus ille vindicari solo officio Judicis, propter factam novationem; neque potuit Canius opponere exceptionem dolii mali, cum nouidum fuisset prodita. Unde innuit M. Tullius, eum omni juris remedio caruisse.

Appellantur etiam præscriptionis nomine exceptiones, ut constat ex rubr. ff. de divers. & temporal. præscript. & alibi passim; eâ ut vicetur ratione, quia per illas actioni præscribuntur quidam termini, cancelli, & carcæses, ultra quos non potest erumpere. Atque ita dicimus præscriptionem fori, & præscriptionem longi temporis. Quæ metaphoræ deduceta videtur à litteratoribus & grammatis, qui dum docent scribere, præscribunt sive ante scribunt, & designant terminos & lineas in charta, intra quas scriptura includi debeat.

#### Ad §. I.

**V**ERBI gratiâ, si metu coactus, aut dolo inductus, an error lapsus, stipulanti Titio promisisti quod non debueras

[ promittere : ] palam est , jure civili te obligatum esse ; & actio , quā intenditur dare te oportere , efficax est : sed iniquum est te condemnari . Ideoque datur tibi exceptio , quod metus causā , aut doli mali , aut in factum composita ad impugnandam actionem .

**E X C E P T I O N U M** septem proponuntur exempla ab Imp. videlicet metūs ; doli mali , erroris , pecuniae non numeratae , paeti , jurisjurandi , & rei judicatae .

Exceptio justi metūs opposita actioni ex stipulatu eam facit inutilem , si modò metus ille cadat in constantissimum virum , l. 9. ff. quod met. causā gest. erit . cuiusmodi est metus mortis vel servitutis , vel in se ipso , vel in persona liberorum , l. 3. & 5. § 99. ff. eod . Vani autem timoris nulla excusatio est , d. l. 6. & l. 184. ff. de reg. jur . Sicut autem actio quod metus causā est in rem scripta , l. 14. §. in hac actione , ff. eod . ita & metūs exceptio , l. 4. §. pen. ff. de dol. mal. & met. except . Nam cùm metus habeat in se ignorantiam , necessarium non est , ut dicat reus vel actor quis sibi metum intulerit ; sed tantum ut doceat metum in causa fuisse , ut aliquid ficeret , d. §. in hac actione .

Exceptio dolii mali toties locum habet , quoties aliquis occasione juris civilis , id est stricti , vult aliquid exigere , l. 1. §. pen. ff. de dolii mali & met. except . Dif- fert à superiori exceptione , quatenus concipitur in personam ejus qui dolum fecit , d. §. pen . Distinguitur verò ab actione de dolo in multis ; sed maximè , quod actio de dolo subsidiaria sit ; nec competit , nisi deficiente omni aliâ , l. 1. §. 1. ff. de dolo malo . Exceptio verò de dolo cum omnibus ferè exceptionibus in factam concurrit , l. 2. §. & generaliter , ff. de dolio mal. except . Præterea actio de dolo temporalis est , nempe annua ; exceptio verò de dolo perpetua est , l. 5. §. ult. ff. eod . quia actor in sua potestate habet quando utatur suo jure ; reus verò non habet potestatem , quando conveniatur , d. §. ult . Unde nata est hæc vulgaris regula ; *Quæ sunt temporalia ad agendum , sunt perpetua ad exceptiendum* . Actio denique de dolo famosa est , §. pen. inf. de pena tem. litig . & l. 1. ff. de his qui not. infam . exceptio autem de dolo famosa dicenda non est , cùm non contineatur in edicto Prætoris , in quo enumerantur infames , d. l. 1.

Exceptio erroris sive imprudentiae appellatur in factum ; quia non per formulam , sed per facti narrationem proponitur . Sicut enim actionum , ita & exceptionum certæ fuerant formulæ antiquitus , ut docet inscriptio l. 20. b. 1. ( Si tibi igitur stipulanti promiserim decem , errore lapsus , cùm crederem ea tibi debere ; exceptioni in factum de errore locus erit , ad infirmandam tuam actionem . )

#### *Ad §. Idem juris.*

**I**DEM juris est , si quis ( quasi ) credendi causā pecuniam à te stipulatus fuerit , neque numeraverit . Nam eam pecuniam à te petere posse eum certum est : dare enim te oportet , cùm ex stipulatione tenearis . Sed quia iniquum est , eo nomine te condemnari , placet exceptione pecuniae non numeratae tē defendi debere .

Cujus

Cujus tempora nos ( secundum quod jam superioribus libris scriptum est ) constitutione nostrâ coactavimus.

**EXCEPTIO** pecuniae non numeratae infirmat conditionem ex mutuo : cum quis spe futurae numerationis chirographum dedit creditori , si ex eo postmodum agatur. Unde licet summo jure recte conveniatur , iniquum tamen est eum condemnari : quâ de re fuius actum est *suprà in tit. de litt. oblig.*

*Ad §. Præterea.*

**P**RÆTEREA debitor si pactus fuerit cum creditore , nè à se pecunia petetur , nihilominus obligatus manet ; quia pacto convento obligationes non omnino dissolvuntur : quâ de causa efficax est adversus eum actio , quam actor intendit , *Si appareat eum dare oportere* : sed quia iniquum est , contra pactionem eum condemnari , defenditur per exceptionem pacti conventi.

**E X C E P T I O** pacti infirmat actionem quamcumque , si creditor debitori promisit se non petiturum id quod sibi debetur ; eaque ratione debitor sit securus , qui ipso jure tutus non est. Sicut enim ex nudis pactis non oritur actio , l. 7. §. sed cum nulla , ff. de part. & l. 3. C. de rer. permul. ita quoque nec tollitur actio nudo pacto : necessarium igitur est , ut debitor se tueatur exceptione pacti conventi.

*Ad §. Aequè.*

**A**RE QUÈ si debitor creditore deferente juraverit , nihil se dare oportere , adhuc obligatus permanet : sed quia iniquum est de perjurio queri , defenditur per exceptionem jurisjurandi. In iis quoque actionibus , quibus in rem agitur , æquè necessariæ sunt exceptiones , veluti si petitore deferente possessor juraverit eam rem suam esse , & nihilominus petitor eamdem rem vindicet. Licet enim verum sit quod intendit , id est rem ejus esse ; iniquum tamen est possessorem condemnari.

**E X C E P T I O** jurisjurandi similis est exceptioni pacti conventi , quatenus utraque est necessaria debitori ad infirmandam actionem ; quia non magis jurejurando quam pacto tollitur obligatio. Sed hoc pertinet ad illud solummodo jusjurandum , quod actore deferente praestitum est ; quia speciem transactionis continet , majoremque habet auctoritatem , quam res judicata , l. 2. ff. de jurejur. Sed si reus nemine deferente juraverit , Prætor hoc jusjurandum non tuetur. Alioquin enim facillimè quisque ad jusjurandum decurrens , nemine sibi deferente jusjurandum , actionibus se liberaret , l. 3. in pr. ff. cod.

Y y

Sin autem Judice deferente juratum sit, non impeditur creditor ex instrumentis postea repertis, quibus nunc solis usurus sit, eamdem causam retractare; l. admonendi, ff. eod.

*Ad §. Item si in judicio.*

**I**T E M si in judicio tecum actum fuerit, sive in rem, sive in personam, nihilominus obligatio durat: & ideo ipso jure de eadem re postea adversus te agi potest: sed debes per exceptionem rei judicatae adjuvari.

**E X C E P T I O** rei judicatae toties locum habet, quoties de eadem te ex eadem causa & inter easdem personas, quæstio semel decisâ renovatur, l. 3. & l. 5. ff. de except. rei judic. ita ut non solum debeat esse eadem res & eadem causa petendi, sed etiam eadem personæ litigantes; quia res inter alios judicata, aliis præjudicium afferre non debet, *toto tit. C. inner alios acta vel judicata atris non nocere.* Si quis igitur conuentus actione in rem vel in personam judicio vicerit, ipso quidem jure non liberatur; quia sententia Judicis non est modus jure inductus ad tollendam obligationem, aut actionem in rem: exceptione tamen rei judicatae tueri se potest; quia res judicata pro veritate accipitur, l. 25. ff. de stat. homin.

*Ad §. Hac exempli.*

**H**Æc exempli causâ retulisse sufficiat. Alioqui quam ex multis variisque causis exceptiones necessariæ sint, ex latioribus Digestorum seu Pandectarum libris intelligi potest.

**S U N T** & aliae exceptiones; quæ in libris Pandectarum referuntur; maximè *in titulo de exceptionibus*, & *in titulo quarum rerum actio non datu*s inter quos duos titulos hoc intercedit discriminis, quod in priore agatur de exceptionibus; quæ impediunt nè actio data efficax sit in judicio; quales sunt omnes ferè jam expositæ; in posteriore vero recensentur illæ exceptiones; quæ impediunt nè detur actio in jure, id est à Magistratu: v. g. exceptio SC. Macedoniani, aut Velleiani, aleæ, jurisjurandi, & ejus quod onerandæ libertatis causâ promissum est.

*Ad §. Quarum.*

**Q**UARUM quædam ex legibus, vel ex iis, quæ legis vicem obtinent, vel ex ipsius Prætoris jurisdictione substantiam capiunt.

QUATUOR sunt exceptionum divisiones advertendæ. Prima est, † quod aliae

sunt Civiles; aliae Prætoriæ. Civiles † sunt, quæ ex legibus vel aliis juris constitutionibus, quæ legum vim obtinent oriuntur: v. g. exceptio SC. Velleianæ, quæ tueri se potest mulier, quæ pro alio intercessit, *toto tit. ff. ad SC. Vellei.* exceptio ex L. Julia de cessione bonorum, §. ult. inf. sequ. tit. & exceptio ex L. Cincia, l. 5. §. si donavi, & l. pen. §. 1. ff. de donat. Exceptiones Prætoriæ † sunt, quæ ex Prætoris iurisdictione substantiam capiunt: v. g. exceptio pacti de non petendo. Quamvis enim Prætor omnes exceptiones daret tam civiles quam Prætorias, nihilominus tamen ea tantum dicuntur Prætoriæ, quas deficientibus civilibus Prætor ex sua iurisdictione constituit, sicut dicitur de actionibus *in l. quia actionum, ff. de præscr. verb. & in fact. act.*

## Ad §. Appellantur.

**A**PPELLANTUR autem exceptiones aliae perpetuae & peremptoriæ, aliae temporales & dilatoriæ.

II. EXCEPTIONUM divisio † est; quod aliae sint perpetuae seu peremptoriæ, aliae vero temporales & dilatoriæ.

## Ad §. Perpetuae.

**P**ERPETUE & peremptoriæ, sunt, quæ semper agentibus obstant; & semper rem, de qua agitur, perimunt: qualis est exceptio doli mali, & quod metu causâ factum est, & pacti conventi; cum ita convenerit, nè omnino pecunia peteretur.

EXCEPTIONES perpetuae † sunt, quæ vires actionum in perpetuum infringunt; atque ideo peremptoriæ etiam appellantur, quod actiones omnino perimant, & (ut aiebat Regulus apud Plinium Juniorem,) jugulum cause petant, ideoque sic definiuntur ab Imp. † quæ semper obstant agentibus, & semper rem de qua agitur perimunt. Talis est exceptio rei judicata, & exceptio pacti de non petendo; cum ita convenit, nè omnino pecunia peteretur. Perpetue etiam aliquando dicuntur exceptiones alio sensu; eo quod perpetua competant, sicut dictum est supra circa exceptionem de dolo.

## Ad §. pen.

**T**EMPORALES atque dilatoriæ sunt, quæ ad tempus nocent, & temporis dilationem tribuunt; qualis est pacti conventi, cum ita convenerit, nè intra certum tempus ageretur, veluti intra quinquennium, finito eo tempore non impeditur actor rem exequi. Ergo ii, quibus intra certum tempus agere volentibus objicitur exceptio aut pacti conventi aut alia similis, differre debent actionem, & post tempus agere. Ideo enim & dilatoriæ istæ

exceptiones appellantur. Alioqui si intra tempus egerint, objec-  
taque sit exceptio, neque eo judicio quidquam consequebantur,  
propter exceptionem, neque post tempus olim agere poterant;  
cum temere rem in judicium deducebant, & consumebant, quâ  
ratione rem amittebant. Hodie autem non ita strictè hoc proce-  
dere volumus; sed eum, qui ante tempus pactionis vel obligatio-  
nis litem inferre ausus sit, Zenoniana constitutioni subiacere cen-  
semus, quam sacratissimus Legislator de iis, qui tempore plus  
petierint, protulit: ut & inducias, quas ipse actor sponte indul-  
serit, ut quas natura actionis continet, si contempserit; in duplum  
habeant ii, qui talem injuriam passi sunt: & post eas finitas non  
aliter litem suscipiant, nisi omnes expensas litis anteà acceperint;  
ut actores tali poenâ perterriti, tempora litium doceantur ob-  
servare.

TEMPORALES exceptiones & dilatoriæ † quæ ad tempus nocent, & tempo-  
ris dilationem tribuunt: v. g. exceptio pacti conventi; cum ita convenit, nè  
intra certum tempus pecunia peteretur. Cæterum exceptio ordinis sive discus-  
sionis peremptoriis debet annumerari; quia actionem perimit, & fideiussorem  
omnino liberat, si reus principalis solvendo esse reperiatur; quod sufficit ad  
hoc ut exceptio peremptoria esse videatur, *i. sufficit, de condic. indeb.* Dixi tri-  
buunt, intuitu habito præsentis temporis. Olim verò in perpetuum nocebant;  
*§. si quis agens inf. de act.* Verùm ex constitutione Zenonis, hæc est unica pœ-  
na plus petitionis illius, ut reo duplicantur inducæ.

*Ad §. ult.*

P R A T E R B à etiam ex persona sunt dilatoriæ exceptiones;  
quales sunt procuratoriæ: veluti si per militem aut per mulie-  
rem agere quis velit. Nam militibus, nec pro patre, vel matre,  
vel uxore, nec ex sacro rescripto procuratorio nomine experiri  
conceditur: suis verò negotiis superesse sine offensa [militaris]  
disciplinæ possunt. Eas verò exceptiones, quæ olim procuratoribus  
propter infamiam vel dantis, vel ipsius procuratoris opponeban-  
tur, cum in judiciis frequentari nullo modo perspeximus, con-  
quiescere sancimus: nè, dum de iis altercatur, ipsius negotii dis-  
ceptatio proteletur.

ERAT etiam olim dilatoria, exceptio procuratoria, quæ ex persona procura-  
toris sumebatur; puta si infamis faillet procurator, vel actor qui cum constitue-  
rat. Sed ejus exceptionis usum Justinianus abrogavit, cæteris dilatoriis quæ ex  
persona desumuntur in suo robore permanentur: v. g. si quis mulierem vel mili-

tem procuratorem suum constituerit. Hodie tamen procuratores debent esse integræ famæ in quolibet foro.

## T I T U L U S X I V.

## D E R E P L I C A T I O N I B U S.

*Ad Princip.*

**I**NTERDUM evenit, ut exceptio, quæ primâ facie justa videtur, [tamen] iniquè noceat; quod cùm accidit, aliâ allegatione opus est, adjuvandi actoris gratiâ, quæ replicatio vocatur; quia per eam replicatur, atque resolvitur jus exceptio-  
nis: veluti cùm pactus est aliquis cum debitore suo, nè ab eo pecuniam petat: deinde posteà in contrarium pacti sunt, id est, ut creditori petere liceat; si creditor agat, & excipiat de-  
bitor, ut ita demum condemnetur, si non convenerit, nè eam pecuniam creditor petat, nocet ei exceptio; convenit enim ita:  
namque nihilominus hoc verum manet, licet posteà in contra-  
rium pacti sunt: sed quia iniquum est creditorem excludi, repli-  
catio ei dabitur ex posteriore pacto convento.

**T**ERTIA exceptionum divisio hæc tradi potest, † quòd alia reo, alia actori competant. Quæ reo competunt, plerumque exceptiones dicuntur. Quæ vero dantur actori ad infirmandam rei exceptionem, dicuntur replicationes, cò quòd per eas replicentur atque resolvantur jura exceptionum, ut ait Imperator hoc loco. Cum enim reus excipiendo actoris partes sustineat, & etenim agere videatur, *l. i. ff. de except.* ideòque non minis reo probationis onus incumbat circa suam exceptionem, quæm actori circa suam actionem, *l. i. C. de probat.* sequitur ac-  
torem cui opponitur illa exceptio, quoad illam exceptionem reo æquiparari; at-  
que ideò contra illam rei exceptionem vicissim excipere seu replicare posse, hæc formula v. g. *nisi posteriorre pacto à priore pacto de non petendo recessum sit.* Re-  
plicatio itaque † est allegatio actoris, quâ vis exceptionis à reo allata elidi-  
tur, & quasi exceptionis exceptio.

*Ad §. Rursus & duos seqq.*

**R**URSUS interdum evenit, ut replicatio, quæ primâ facie justa est, iniquè noceat: quod cùm accidit, aliâ allegatio-  
ne opus est, adjuvandi rei gratiâ: quæ duplicatio vocatur.

**E**T si rursus eā primā facie justa videatur, sed propter alii quām causā actori iniquē noceat; rursus aliā allegatione opus est, quā actor adjuvetur: quae dicitur triplicatio.

**Q**UARUM omnium exceptionum usum interdum ulterius quam diximus, varietas negotiorum introducit: quas omnes apertius ex Digestorum latiore volumine facile est cognoscere.

SICUR autem exceptio rei per replicationem actoris infirmatur, ita rursus replicatio actoris per duplicationem rei, seu novam ejus allegationem eliditur. Et iterum ea rei duplicatio per triplicationem actoris tollitur, & sic de ceteris. Nostro idiomate dicimus (*exceptions, repliques, & dupliques.*)

*Ad §. ult.*

**E**XCEPTIONES autem, quibus debitor defenditur, plerumque accommodari solent etiam fidejussoribus ejus, & recte; quia quod ab iis petitur, id ab ipso debitore peti videtur: quia mandati judicio redditurus est eis, quod (ii) pro eo solvint. Quā ratione, & si de non pecunia petenda pactus quis cum reo fuerit, placuit periinde succurrendum esse per exceptionem pacti conventi illis quoque, qui pro eo obligati sunt, ac si etiam cum ipsis pactus esset, nē ab eis ea pecunia peteretur. Sanè quādam exceptiones non solent his accommodari. Ecce enim debitor, si bonis suis cesserit, & cum eo creditor experiatur; defenditur per exceptionem, si bonis cesserit. Sed hæc exceptio fidejussoribus non datur; ideo scilicet, quia qui alios pro debitore obligat, hoc maximè prospicit, ut cùm facultatibus lapsus fuerit debitor, possit ab iis, quos pro eo obligavit, suum consequi.

QUARTA exceptionum divisio † est, quod aliæ reales sint, & aliæ personales. Exceptiones reales † sunt, quae ex re ipsa oriuntur, & rei coharent; seu quibus efficitur, ut res ipsa seu debitum extinguitur, vel minuatur: v. g. exceptione pacti de non petendo, de dolo malo, & similes. Hæc non solum reo prouident, sed etiam ejus fidejussoribus; quia perempta principali obligatione, etiam accessoriā extingui necesse est. Imo verò si fidejussor ope hujusmodi exceptionum non esset liberatus, sequeretur ipsum etiam reum per eas securum non fieri; quandoquidem ipse fidejussori suo semper maneret obnoxius actione mandati contraria, &c. si quid autem, sup. de fidejussor.

Exceptiones personales † sunt quæ personæ coharent, & personam debitoris non egrediuntur; seu quibus id tantum efficitur, ut res debita peti ab aliis

quo nullatenus possit, vel saltem non in solidum; ut exceptio nisi bonis cesserit, quæ reo principali competit ex L. Julia de cessione bonorum: non ejus fidejusforibus; quia persona debitoris adhæret, & addit hanc elegantem rationem Imp. quia qui fidejusfores pro reo sibi obligat, hoc maximè prospicit, ut cum lapsus fuerit facultatibus debitor, possit ab iis, quos pro eo sibi obligavit, suum consequi.

## A P P E N D I X

## DE USU FORI, CIRCA EXCEPTIONES.

**E**XCEPTIONES omnes usu fori ad tres species revocantur, quæ nostro idiomate dicuntur, (*fins de non-proceder*, *fins de non-valoir*, & *fins de non-recevoir*.) Prima species quæ sumitur ex persona Jūdicis, vocatur etiam declinatoria, & nihil est aliud † quam præscriptio fori sive exceptio, quā quis negat Jūdicem coram quo agitur esse competentem. Secunda species quæ sumitur ex persona litigantium, est exceptio dilatoria, † quā quis negat adversarii personam ad agendum contra se legitimam esse, ut in casu §. ult. sup. tit. Tertia denique † sumitur ex re ipsa quæ † est exceptio peremptoria, quā quis obligationem de qua agitur lapsu temporis, vel sententiā Jūdicis, vel alia ratione infirmatam esse contendit.

Præterea advertendum est peremptorias exceptiones quocumque tempore opponi posse, dummodò ante latam sententiam proponantur, l. 2. C. sent. resc. non posse, & l. 8. C. de except. Dilatoria vero ante litem contestatam propoundinga sunt, l. pen. & ult. C. eod. & l. 18. C. de probat.

## T I T U L U S X V.

## DE INTERDICTIS.

*Ad Princeps.*

**S**EQUITUR, ut dispiciamus de interdictis, seu actionibus, quæ pro his exercentur. Erant autem interdicta formæ atque conceptiones verborum, quibus Prætor aut jubebat aliquid fieri, aut fieri prohibebat: quod tunc maximè fiebat, cum de possessione, aut quasi-possessione inter aliquos contendedebatur.

ACTIONIBUS merito subjiciuntur interdicta: quippe quæ maximam olim cum actionibus similitudinem obtinuerunt. Hodie vero illorum vice actiones extraordinariae competunt: quæ ita appellantur, quia extra ordinem antiquarum solemnitatum proponantur, sicut constat ex rubrica ff. de interdictis & extraordinariis actionibus, quæ pro his competit. Interdicendi verbum commune est Prætoris & actoris. Neque enim Prætor solus interdicere dicitur, cum aliquid fieri jubet vel prohibet; sed etiam actor qui illis interdictis uitetur, l. 3. §. La-beo, ff. uti possid. l. 6. ff. ne quid in loco publ. & l. locum, §. si quis, ff. de tab. exhib. In prima acceptione interdicta † definitur formulæ quibus Prætor jubet aliquid fieri vel prohibet. In secunda vero notione † definiti possunt actiones extraordinariae, quibus de possessione vel quasi-possessione, aut de jure aliquo publico contenditur.

Cæterum magna est controversia an Prætor ipse causam interdictorum dirimeret, an vero Judicem daret, sicut in actionibus facere solebat. Existimant quidam Prætorem solum de interdictis cognovisse, freti auctoritate Theophilii assertoris, Prætorem partes suas in his causis interponere; quia alioquin metuendum esset nè ad cædes & vulnera jurgium perveniret. Sed magis placet contraria sententia. Primò enim Theophilus monet per formulam à Prætore datam controversiam non dirimi, sed Judicem instrui quemadmodum debeat judicare. Præterea in l. pen. ff. b. t. fit mentio expressa officii Judicis in interdictis. Expressum denique agitur in l. pen. ff. quod vi aut clam, de illa specie, in qua Judex ex causa interdicti sumptus fuerat. Ex quibus locis convincitur, Prætorem auctoritatem quidem suam interposuisse antiquius in causa interdictorum; causam tamen non dijudicasse, sed eam dirimendam Judici commisisse.

### Ad §. I.

**S**UMMA autem divisio interdictorum hæc est: quod aut prohibitoria sunt, aut restitutoria, aut exhibitoria. Prohibitoria sunt, quibus Prætor vetat aliquid fieri, veluti vim sine vitio possidenti, vel mortuum inferenti, quo ei jus erat inferendi; vel in sacro loco ædificari, vel in flumine publico, ripâve ejus aliquid fieri, quo pejus navigetur. Restitutoria sunt, quibus restitui aliquid jubet, veluti bonorum possessori possessionem eorum, quæ quis pro herede aut pro possessore possidet [ ex ea hereditate, ] aut cum jubet ei, qui vi de possessione fundi dejectus sit, restitui possessionem. Exhibitoria sunt, per quæ jubet exhiberi, veluti eum, cuius de libertate agitur; aut libertum cui patronus operas indicere velit; aut parenti liberos, qui in potestate ejus sunt. Sunt tamen qui putent, propriè interdicta ea vocati, quæ prohibitoria sunt; quia interdicere sit denunciare, & prohibere: restitutoria autem & exhibitoria, propriè decreta vocari. Sed tamen obtinuit omnia interdicta appellari; quia inter duos dicuntur.

Interdictorum

**I**NTERDICTORUM tres divisiones afferuntur h. t. Prima est, † quod interdicta aut prohibitoria sunt, aut restitutoria, aut exhibitoria. Prohibitoria † sunt, quibus Praetor vetat aliquid fieri: ex. gratiâ interdictum de mortuo inferendo. Restitutoria interdicta † sunt, quibus restituiri aliquid jubetur; ut in interdicto unde vi, quo Praetor jubet restitui possessionem ei qui ex aliquo fundo vi dejectus est, l. i. ff. unde vi. Exhibitoria † sunt, quibus jubet Praetor aliquid exhiberi; ut filium patri, servum domino, & libertum patrono.

Dicta autem sunt interdicta, vel quasi inter duos dicta, vel ab interdicendo, id est prohibendo, quod potissima pars illorum sit prohibitoria. Sed maximè probanda videtur hæc etymologia, quod ita dicantur, quasi interim dicta. Antequam enim de dominio sive de causa principali pronuncierur, prius interim de possessione disquiritur, ut appareat quis pendente lite frui debeat, & cui viciissim onus probationis incumbat. Unde apparet quād justè dicant Interpretes, verè auream esse possessionem.

*Ad §. Sequens.*

**S**EQUENS divisio interdictorum hæc est, quod quædam adipiscendæ possessionis causâ comparata sunt, quædam retinendæ, quædam recuperandæ.

**S**ECUNDA interdictorum divisio † est, quod quædam adipiscendæ possessionis causâ comparata sunt, quædam retinendæ, & quædam recuperandæ.

*Ad §. Adipiscendæ.*

**A**DIPISCENDÆ possessionis causâ interdictum accommodatur bonorum possessori, quod appellatur *quorum bonorum*; ejusque vis & potestas hæc est, ut quod ex his bonis quisque quorum possessio alicui data est, pro hærede, aut pro possidente possideat; id ei, cui bonorum possessio data est, restituere debeat. Pro hærede autem possidente videtur qui putat se hæredem esse. Pro possidente is possidet, qui nullo jure rem hæreditariam vel etiam totam hæreditatem sciens ad se non pertinere, possidet. Ideò autem adipiscendæ possessionis vocatur interdictum; quia ei tantum utile est, qui nunc primum conatur adipisci rei possessionem. Itaque si quis adeptus possessionem amiserit eam, hoc interdictum ei inutile est: interdictum quoque, quod appellatur *Salvianum*, adipiscendæ possessionis causâ comparatum est; eoque utitur dominus fundi de rebus coloni, quas is pro mercedibus fundi pignori futuras pepigisset.

'ADIPISCENDÆ possessionis causâ comparata sunt interdicta, † quibus pos-

sessionem acquirere volumus, quam numquam habuimus; ut est interdictum Salvianum, ab auctore Salvio Juliano editi perpetui conditore nuncupatum: quod datur locatori prædii rustici ad obtainendam possessionem rerum quas colonus in illud intulit, vel invexit, & pro mercedibus fundi expressim obligavit. Quia in causa competit etiam actio Serviana, §. item *Serviana sup. de actionibus.* Differt tamen hoc interdictum ab ea actione; quia in ea opus est actori probare, inventa & illata, in bonis debitoris fuisse eo tempore, quo de pignore convenit, l. 23. ff. de probat. l. 3. & l. 15. §. 1. ff. de pignor. & hypoth. At in hoc nostro interdicto, sufficit docere rem fuisse illatam in fundum, & debitorem eam possedisse, l. 1. in pr. ff. hoc tit.

*Ad §. Retinenda.*

**R**E T I N E N D A possessionis causâ comparata sunt interdicta, *uti possidetis*, & *utrubi*; cùm ab utraque parte de proprietate alicujus rei controversia sit, & antè queratur uter ex litigatoribus possidere, & uter petere debeat. Namque nisi ante exploratum fuerit utrius eorum possessio sit, non potest petitoria actio institui; quia & civilis & naturalis ratio facit, ut alius possideat, & alius à possidente petat. Et quia longè commodius est [ & potius ] possidere quam petere; idè plerumque & ferè semper ingens existit contentio de ipsa possessione. Commodum autem possidendi in eo est, quod etiamsi ejus res non sit, qui possidet, si modò actor non potuerit suam esse probare, remanet (in) suo loco possessio, propter quam causam cùm obscura sunt utriusque jura, contra petitorem judicari solet. Sed interdicto quidem *uti possidetis*, de fundi vel ædium possessione contenditur; *utrubi* verò interdicto, de rerum mobilium possessione. Quorum vis ac potestas plurimam inter se differentiam apud Veteres habebat. Nam *uti possidetis* interdicto is vincebat, qui interdicti tempore possidebat; si modò nec vi, nec clam, nec precatiō nactus fuerat ab adversario possessionem; etiamsi alium vi expulerat, aut clam arripuerat alienam possessionem, aut precatiō rogaverat aliquem, ut sibi possidere licet: *utrubi* verò interdicto is vincebit, qui majore parte ejus anni, nec vi, nec clam, nec precatiō ab adversario possidebat. Hodie tamen aliter observatur. Nam utriusque interdicti potestas (quantum ad possessionem pertinet) exæquata est: ut ille vincat, (&) in re soli, & in re mobili, qui possessionem nec vi, nec clam, nec precatiō ab adversario litis contestatae tempore detinet.

**R**ETINENDÆ possessionis interdicta † esse dicuntur, quibus volumus retinere possessionem bonorum, quam timemus amittere; ut sunt interdicta duo, *uti possidetis & utrubi*. Interdictum *uti possidetis* † datur ei qui nec vi, nec clam, nec precatio ab adversario possidet rem aliquam immobilem, ad hoc ut vis non fiat ei quoniam possideat. Dixi 1. ab adversario; quia possessori non nocet vitiosam hujusmodi possessionem aliunde, quam ab adversario nactum esse, l. 2. ff. *uti possid.* Dixi 2. possidet in praesenti tempore; quia hoc interdicto is vincit, qui tempore interdicti reddit, seu litis contestatae, possidet. Dico denique rem immobilem; quia ad res mobiles hoc interdictum non pertinet.

Interdictum *utrubi* dabatur ei antiquitus, qui majore parte ejus anni nec vi, nec clam, nec precatio ab adversario rem aliquam mobilem possederat. Sed hodie quantum ad tempus possessionis, utriusque interdicti potestas exacta est: ita ut in re mobili ille vincat, qui possessionem nec vi, nec clam, nec precatio ab adversario obtinet tempore litis contestatae. Cum itaque sit in his interdictis necessarium dignoscere quis possideat, ideo de ipsa possessione breviter hoc loco agendum est.

### Ad 5. Possidere.

**P**OSSIDERE autem videtur quisque, non solum si ipse possideat, sed & si ejus nomine aliquis in possessione, licet si ejus juri subjectus non sit, qualis est colonus & inquilinus. Per eos quoque, apud quos deposuerit quis, aut quibus commoda- verit, ipse possidere videtur. Et hoc est, quod dicitur retinere possessionem posse aliquem per quemlibet, qui ejus nomine sit in possessione. Quin etiam animo quoque solo retineri possessionem placet; id est, ut quamvis neque ipse sit in possessione, neque ejus nomine alius; tamen si non relinquenda possessionis animo, sed postea reversurus inde discesserit, retinere possessionem videatur. Adipisci vero possessionem per quos aliquis potest, secundo libro exposuimus. Nec ulla dubitatio est, quin animo solo adipisci possessionem nemo possit.

**P**POSSESSIONEM hoc loco civilem intelligimus, id est rei detentio- nem, quam quis habet animo domini, & suo nomine. Nec interest utrum quis per se possideat, vel per alium, qui ejus nomine sit in possessione, puta per filium, aut servum, aut etiam per extraneum, commodatarium forte, vel depositarium. Illi enim vere non possident, sed tantum sunt in possessione. Aliud siquidem est possidere, & aliud esse in possessione, l. 10. §. 1. ff. de ac- quir. possess. Non tamen eadem possessio requiritur in actione in rem: abolita enim est sententia Pegasi & aliorum existimantium eamdem in rei vindicatione possessionem contineri, quæ locum habet in interdicto uti possidetis, l. officium 9. ff. de rei vind. Dixi animo domini; quia licet possessio non acquiratur, nisi

corpore & animo ; solo tamen animo retinetur. Amittitur verò plerumque & corpore & animo , l. 3. ff. de acquir. poss. nonnumquam tamen solo animo amittitur , d. l. 3. Quod autem diximus de possessione , quæ propriè est rerum corporalium , l. 1. in pr. ff. cod. idem quoque de quasi-possessione intelligendum est , quæ propriè est rerum incorporalium , v. g. servitutum , l. 10. §. 1. ff. eodem titulo.

*Ad s. Recuperandæ.*

**R**ECUPERANDÆ possessionis causâ solet interdici , si quis ex possessione fundi vel ædium vi dejectus fuerit : nam ei proponitur interdictum *unde vi* , per quod is qui dejectus , cogitur ei restituere possessionem ; licet is ab eo qui vi dejectus , vi , vel clam , vel precariò possideat. Sed ex constitutionibus sacris ( ut suprà diximus ) si quis rem per vim occupaverit , si quidem in bonis ejus est , dominio ejus privatur ; si aliena , post ejus restitutionem , etiam estimationem [ rei ] dare vim passo compellitur. Qui autem aliquem de possessione per vim dejecit , tenetur Lege Juliâ de vi privata , aut de vi publica : sed de vi privata , si sine armis vim fecerit ; sin autem cum armis eum de possessione vi expulerit , de vi publica [ tenetur. ] Armorum autem appellatione non solum scuta & gladios & galeas , sed & fustes & lapides significari intelligimus.

RECUPERANDÆ possessionis interdicta † esse dicuntur , quibus conatur possessionem bonorum recuperare quam amisimus : ut interdictum *unde vi* † quod ei datur , qui de possessione fundi vi dejectus est ; etiam si is qui dejectus est ab adversario vel vi , vel clam , vel precariò possideret. Tenetur insuper qui vi dejectus Lege Juliâ de vi publica , aut privata ; sicut apparebit *ex tit. ult.* & insuper eà pœnâ quam constitutiones Imperatorum induxerunt , l. si quis in tantam , C. *unde vi* ; sicut exposuimus suprà ad s. pen. de vi bon. rapt.

*Ad s. penult.*

**T**ERTIA divisio interdictorum hæc est , quòd aut simplicia sunt , aut duplia. Simplicia sunt , veluti in quibus alter actor , alter reus [ est , ] qualia sunt omnia restitutoria aut exhibitoria : nám actor is est , qui desiderat aut exhiberi , aut restituiri : reus autem is est , à quo desideratur , ut restituat , aut exhibeat. Prohibitoriorum autem interdictorum alia simplicia sunt , alia duplia. Simplicia sunt , veluti cum Prætor prohibet in loco sacro , vel in flumine publico , ripâve ejus aliquid fieri. Nam actor est , qui desiderat , ne quid fiat : reus est , qui aliquid

facere conatur. Duplicia sunt, veluti *uti possidetis* interdictum, & *utrubi*. Ideò autem duplicia vocantur, quia pars utriusque litigioris in his conditio est, nec quisquam præcipue reus vel actor intelligitur; sed unusquisque tam rei, quam actoris partes sustinet.

**T R T I A** denique interdictorum divisio † est, quod aut simplicia sunt, aut duplicia. Simplicia † sunt, in quibus alter litigantium est reus, & alter est actor: cuiusmodi sunt omnia restitutoria, & nonnulla etiam prohibitoria.

Duplicia interdicta † sunt, in quibus pars utriusque litigantis conditio est; ita ut uterque & actoris & rei partes sustineat; qualia sunt interdicta utrubi & *uti possidetis*: quæ eadem appellantur mixta, *I. actionis 37. §. 1. ff. de ob l. & act.* Quod autem dicitur in *I. 2. §. fin. ff. hoc tit.* duplicia interdicta esse, tam recuperandæ quam acipiscendæ possessionis, non eo pertinet, ut sit aliquod interdictum duplex; quod eodem tempore, & respectu ejusdem personæ, pertineat simul, & ad recuperandam, & ad acipiscendam possessionem. Adipiscimur namque illam tantum possessionem, quam numquam habuimus. Recuperamus vero illam dumtaxat, quam habuimus & amittimus: & quod nunc primum adipiscor, non recuperero. Et vice versa fieri non potest, ut nunc primum adipiscar, quod recuperero. Sed hæc verba ita videntur intelligenda, ut sit sensus non solum ea interdicta esse duplicia, quæ ad retenendam possessionem pertinent, v. g. *uti possidetis* & *utrubi*; sed etiam quadam esse duplicia ex illis quæ ad recuperandam possessionem expectant, nimis unde vi, si forte duo se invicem vi dejecterint, *I. 3. §. cum igitur, ff. de vi & vi armata:* & quadam itidem esse duplicia ex illis quæ ad adipiscendam possessionem sunt comparata; v. g. interdictum Salvianum, *I. 1. §. 1. ff. de Salviano interd.* Quin etiam potest inveniri aliquod interdictum, quod datur ei qui nunc primum possessionem adipisci studet; & illi etiam qui de recuperanda possessione sollicitus est, videlicet interdictum nè vis fiat ei qui in possessionem missus est. Namque eo interdicto tenetur qui prohibuit aliquem in possessionem venire; & ille etiam, à quo aliquis possessione pulsus est; *I. 1. §. 3. ff. nè vis fiat ei qui in possess. missas est.* Cessat itaque omnis necessitas corrigendi textus in *d. I. 2.*

*Ad §. ult.*

**D**E ordine, & vetere exitu interdictorum supervacuum est hodie dicere. Nam quoties extra ordinem jus dicitur (qualia sunt hodie omnia judicia) non est necesse reddi interdictum: sed perinde judicatur sine interdictis, ac si utilis actio ex causa interdicti redita fuisset.

Cùm autem pro interdictis antiquis hodie competant actiones extraordinariæ, supervacuum existimavit Imp. ordinem ac solemnitatem veterum interdictorum exponere. Supervacuum tamen non fore arbitrare se nata, alias duas actionum divisiones hoc loco subjungere.

Duodecimi actionum divisio † est, quod quædam sint simplices, quædam vero duplices. Simplices † sunt, in quibus unus litigator est tantum reus, alter vero est tantum actor; ut rei vindicatio, interdictum quod legatorum, & similia judicia. Duplices vero actiones † sunt, in quibus uterque litigantium rei simul & actoris partes sustinet; cujusmodi sunt actiones mixtae, & interdicta uti possit etis & utrubi.

Decima-tertia actionum divisio † est, quod quædam sint ordinariae, quædam vero extraordinariae. Quænam sint ordinariae facile cognoscemus, si adverterimus extraordinariam actionem † dici triplici sensu. Primo enim extraordinariae actiones † dicuntur, quæ sine certa ac solemnii formula proponuntur, *l. actio 47. ff. de neg. gest.* Quo sensu dicuntur hoc loco omnia judicia esse hodie extraordinaria; id est omnia judicia fieri hodie citra ordinem ac solemnitatem veterem. Actiones igitur ordinariae his oppositæ † sunt, quæ certis ac solemnibus verbis, & certo ritu ac formulâ proponebantur antiquitus. Quibus actionibus deficientibus utebantur Antiqui actionibus in factum. Sed eam solemnitatem in omnibus generaliter judiciis abrogavit Constant. Imp. *l. i. C. de form. & impetr. aet. subt.*

Præterea extraordinariae actiones † dicuntur, quæ non coram Judice dato à Prætore disceptantur, sed coram ipso Prætore. Qua de re agitur *toto tit. ff. de variis & extraordinariis cognitionibus*; qualis est persecutio fideicomissi. Actiones ordinariae his oppositæ † sunt, quibus agitur apud Judicem à Prætore datum; vindicatio putâ, & conditio.

Tertiò denique extraordinariae actiones † dicuntur, quæ non dantur nisi in extremum subsidium, & omni alio juris remedio deficiente; cujusmodi est actio de dolo, *l. i. s. l. ff. de dolo male.* Ordinariae his oppositæ † sunt, quæ statim ab initio competunt, non expectato defectu ullius alterius actionis; ut actio furti, & actio hypothecaria.



## T I T U L U S X V I .

### DE POENA TEMERE LITIGANTIVM.

*Ad princ.*

**N**UNC admonendi sumus, magnam curam egisse eos, qui jura sustinebant; nè facile homines ad litigandum procederent: quod & nobis studio est. Idque eo maximè fieri potest, quod temeritas tam agentium, quam eorum cum quibus agitur, modò pecuniæ poenâ, modò jurisjurandi religione, modò infamiae metu coercentur.

PARUM est jus nosse, si personæ quarum causâ jus omne constitutum est ignorentur, *s. ult. sup. de jur. natur.* Ideoque non sufficeret jura actionum, ex-

ceptionum & interdictorum exposuisse, nisi etiam tradiceremus quodnam sit officium litigantium & Judicis in illis exercendis & clementibus. Officium litigantium † est, nē temere ad lites movendas vel suscipiendas profiliant. Quid si hoc suum officium contempserint, insanâ litigandi prurigine & stuantes, pœnas jure statutas non devitabunt. Sunt autem tria coercitionum genera, contra illos generaliter constituta: perjurii necessitas, pœna pecuniaria, & infamia.

*Ad §. I.*

**E**cce enim jusjurandum omnibus, qui conveniuntur, ex constitutione nostra defertur. Nam reus non aliter suis allegationibus utitur, nisi prius juraverit, quod putans se bonâ instantiâ uti ad contradicendum pervenit. At adversus inficiantes, ex quibusdam causis dupli [vel tripli] actio constituitur; veluti si damni injuriâ, aut legatorum locis venerabilibus relictorum nomine agatur. Statim autem ab initio pluris, quam simpli est actio: veluti furti manifesti, quadrupli; nec manifesti, dupli. Nam ex his & aliis quibusdam causis (sive quis neget, sive fateatur) pluris quam simpli est actio. Item actoris quoque calumnia coercetur. Nam etiam actor pro calumniâ jurare cogitur ex nostra constitutione. Utriusque etiam partis advocati jusjurandum subeunt; quod aliâ nostrâ constitutione comprehensum est. Hæc autem omnia pro veteri calumniæ actione introducta sunt, quæ in desuetudinem abiit; quia in partem decimam litis actores mulctabantur, quod nusquam factum esse invenimus: sed pro his introductum est [&] præfatum jusjurandum, & ut improbus litigator [&] damnum, & impensis litis inferre adversario suo cogatur.

**P**ERJURII necessitas imponitur temerariis litigantibus, quatenus actori ejusque advoco non licet actionem proponere, nisi prius de calumniâ juraverint, id est, quod non calumniandi animo ad judicium venerint; sed quia existimant sibi vel suo clienti deberi, quod petitur. Reus quoque non alias suis allegationibus uti potest, nisi simile jusjurandum præstiterit; quod putans se bonâ instantiâ uti ad contradicendum venerit. Idemque dicendum est de ejus advocate. Perjurii pœna non est certa legibus prodita; quia jurisjurandi contempta religio satis Deum habet ultorem, *I. 2. cod. de reb. cred.* Imò vero ipsum perjurium omni pœnâ gravius censendum est; cum sit peccatum gravissimum, ac proinde unum ex maximis malis.

Pœna pecuniaria erat olim statuta contra actorem temerarium, ut decimâ parte litis mulctaretur. Sed hac mulctâ jamdudum per desuetudinem sublatâ, in damnum & impensis litis actor condemnatur jure nostraram institutionum postmodum *Just. Imp. in Nov. 12.* pœnam illam decimæ partis litis in usum

revocavit, que usu fori nostri non observatur; sed tantum condemnatio in damnum & expensas litis, & interdum multa pecunaria. Quoniam novissimam Regis nostri Augustissimi constitutione confirmatum est: ita ut nemo causa cadat in judicio, nisi simul condemnetur ad expensas litis arbitrio Judicis estimandas. Pœna pecuniarie obnoxius est reus in his maximè causis, in quibus propter inficiationem, dupli actio constituitur, & interdum tripli; saltem ex jure antiquo in actionibus furti concepti & oblati, ut constat ex Aul. Gellio lib. 11. cap. 18. & Paulo lib. 2. sent. tit. 31. §. furti oblati.

## Ad §. pen.

**E**X quibusdam judiciis damnati ignominiosi sunt: veluti furti, vi bonorum raptorum, injuriarum, de dolo, item tutelæ, mandati, depositi, directis, non contrariis actionibus. Item pro socio, quæ ab utraque parte directa est; & ob id quilibet ex sociis eo judicio damnatus, ignominia notatur. Sed furti quidem aut vi bonorum raptorum, aut injuriarum, aut de dolo, non solum damnati notantur ignominia, sed & pacti, & recte: plurimum enim interest, utrum ex delicto aliquis, an ex contractu debitor sit.

**I**NFAMIA † est famæ lœsio. Fama verò † est existimationis illæsa status. Hanc pœnam subeunt omnes, qui suo nomine condemnantur ex aliquo delicto, veluti furti & injuriarum. Sed si quis ex his causis pactus fuerit, infamis fiet. Etenim intelligitur confiteri crimen, qui paciscitur. Quod tamen ad eum porrigeandum non est qui precibus impetravit ne secum ageretur. Neque id pertinet ad actiones ex contractu descendentes, ex quibus interrogatur infamia condemnatis; quoniam ex his causis non tam turpis est pactio quam ex superioribus. Tales sunt directæ actiones mandati, tutela, depositi, & pro socio. Dico directæ; quia damnati ex contrariis actionibus, ignominiosi non sunt: quippe in quibus non de perfidia agitur, sed de calculo, hoc est de indemnitate procuratoris, tutoris, aut depositarii, secundum calculum rationum accepti & expensi, quas exhibet. Imò verò propter similem causam conditio furtiva non est fama; quia ea natura est conditioñum quamvis ex famosis causis pendeant, ut in illis cesseret ignominia, l. cessat 36. ff. de obl. & act. eo quod meram rei pœsecutionem contineant.


Decima-quarta igitur actionum divisio † est in famosis, & eas quæ famosæ non sunt. Actio famosa † est illa ex qua condemnatus infamis fit. Non famosa verò † dicitur, ex qua reo nulla infamia interrogatur.

## Ad §. ult.

**O**MNIA autem actionum instituendarum principium, ab ea parte edicti profisciscitur, quâ Prætor edicit de in jus vocando.

vocando. Utique enim in primis adversarius in jus vocandus est, id est, ad eum vocandus, qui jus dicturus sit. Quā parte Prætor parentibus, & patronis, item parentibus liberisque patronorum & patronatum hunc præstat honorem, ut non aliter liceat liberis libertisque eos in jus vocare, quām si id ab ipso Prætore postulaverint, & impetraverint; & si quis aliter vocaverit, in eum pœnam quinquaginta solidorum constituit.

SPECIALIS pœna edicto Prætoris constituta est contra libertos vel filios emancipatos in quinquaginta aureos, si patronum vel parentem in jus vocaverint, veniā à Prætore non impetrata; quia filiis & libertis honesta semper & sancta videri debet persona parentis & patroni, *l. 9. ff. de obsequ. parent. & pater. præst.* Quamvis enim Legum contemptor, atque impius pater sit, tamen pater est *Nov. 12. cap. 2.* Imò verò quoties aliqua actione famosa, qualis est actio de dolo, agendum est filium contra patrem, deber uti actione in factum, *l. 5. C. de dol. mal.* quæ non est famosa, sed ejusdem potestatis quoad reliqua: atque ita lenitate verborum rei tristitia mitigatur. Quibus convenit quod ait Lamprid. in *Alexandro Severo*, Imperatorem illum amicos suos summā lenitate redarguere solitum, idque in factum & sine amaritudine pectoris.



## T I T U L U S X V I I .

### DE OFFICIO JUDICIS.

*Ad Princip.*

**S**UPEREST, ut de officio Judicis dispiciamus. Et quidem in primis illud observare debet Judex, nè aliter judicet, quām legibus, aut constitutionibus, aut moribus proditum est.

OFFICIUM Judicis † significat hoc loco id quod Judex efficere debet. Videtur enim dictum officium, quasi *efficium*, ab eo quod efficere unumquemque convenient. Duplices distinguitur officium Judicis, nobile & mercenarium. Nobile dicitur † quod Judex proprio motu exercet, non inserviens formula aut propositæ actioni; sed stricti juris asperitatem natiugans contemplatione æQUITATIS, ut sit in §. quod si frumentum, & in §. si cui fundus sup. de legat. Mercenarium verò † appellatur, quod actioni propositæ coheret, & per omnia ei servit. De utroque Judicis officio agitur b. t. & in eo duplicitis generis præcepta traduntur, generalia & specialia.

Generale præceptum † de Judicis officio unicum est, ut non aliter judicet

Aaaa

Judex, quam legibus, aut constitutionibus, aut moribus proditum est. Alioquin enim ejus sententia contra jus lata, ipso jure nullas vires habet: adeo ut jure civili Romanorum provocatio non sit necessaria, *l. 2. C. quando provoc. non est necesse.* Dixi *1. contra jus*, puta si pronunciaverit impuberem aliquem aut filium familiæ testamentum facere potuisse. Aliud si de facto pronunciaverit; quia facti quæstio est in potestate judicantium, non autem juris auctoritas, *l. ordine 15. in pr. ff. ad Municip.* Dixi *2. jure civili Romanorum*; quia jure Gallico nulla sententia ipso jure rescinduntur, juxta vulgatum fori axioma (*Les voies de nullité n'ont point de lieu en France.*)

## Ad §. I.

**I**DEO QUÆ si noxali judicio aditus est, observare debet, ut si condemnandus videtur dominus, ita debeat condemnare, *Publ. Mævium Lucio Titio in decem aureos condemnno, aut noxam dedere.*

SPECIALIA precepta † de officio Judicis nulla traduntur *hoc tit.* circa actiones merè personales, vel quia longiorem requirunt tractatum, quam Institutionum modus expostulat; vel quia sufficere videntur quæ dicta sunt de illis *ad §. in bone fidei sup. de action.* videlicet quod Judex in actionibus strictis debeat inhærcere formulæ; in iudicij autem bonæ fidei, sequi illud quod natura contractus defiderat. Verum de realibus tantum actionibus & de noxalibus ac mixtis; quæ realibus similes sunt, specialiter tractat.

Et *1.* quidem in noxalibus actionibus, debent Judices reum condemnare, ut litis aestimationem præstet, vel corpus quod nocuit noxae dedit; quæ de re vindendus *titulus sup. de nox. act.*

## Ad §. Et si in rem.

**E**T si in rem actum sit, (coram Judice) sive contra petitorem judicaverit, absolvere debet possessorem, sive contra possessorem jubere ei debet, ut rem ipsam restituat cum fructibus. Sed si possessor neget in præsenti se restituere posse, & sine frustratione videbitur tempus restituendi causâ petere, indulgendum est ei: ut tamen de litis aestimatione caveat cum fidejussore, si intra tempus quod ei datum est, non restituerit. Et si hereditas petita sit eadem circa fructus, interveniunt quæ diximus intervenire de singularium rerum petitione. Illorum autem fructuum, quos culpâ suâ possessor non percepit, (sive illorum) quos percepit: in utraque actione eadem ratio penè habetur si prædo fuerit; si vero bonæ fidei possessor fuerit, non habetur ratio, (neque) consumptorum, neque non perceptorum. Post inchoatam autem petitionem, etiam illorum (fructuum) ratio habetur, qui culpâ possessoris percepti non sunt, vel percepti consumpti sunt.

**I**N rei vindicatione Judex vel absolvere debet possessorem, vel eum condemnare ad rem cum fructibus restituendam, siue sit bona fidei possessor, siue mala fidei, secundum ea quæ diximus ad §. si quis à non domino sup. de rer. divis. ita tamen ut fructus in utroque casu per aliam actionem peti debeant, l. 3. C. de condit. ex lege. Ubi licet tantum agatur de mala fidei possessore, idem tamen de bona fidei possessore procul dubio lentiendum est; cum ejus causa durior esse non debat, quam mala fidei possessoris. Quod autem dicitur in §. nosfro, fructus in rei vindicatione restitui officio Judicis, id de officio Judicis mercenario intelligendum est, non de mero seu nobili. Verum hæc omnia pertinent tantum ad fructus perceptos ante litis contestationem, non ad fructus pendentes; quia hi pars fundi esse censentur, l. fructus 44. ff. de rei vindic.

In petitione hæreditatis eadem circa fructuum restitutionem obtinent, quæ de singularum rerum petitione dicta sunt; eo tamen discrimine intercedente, quod fructus etiam non expresse petiti continentur in petitione hæreditatis, l. item veniunt, §. simili & sequ. ff. de hered. petit. quia hæreditas est nomen universitatis, quod suo ambitu omnes res hæreditarias complectitur, ac consequenter fructus hæreditarios; cum ipsis augeant hæreditatem. Aliud dicendum est de singularum rerum vindicatione. Nil mirum igitur, si in ea diversum jus obtinet; sed hoc non docet Imp. b. t. quia in eo non agitur de officio Judicis.

In hac igitur quæstione nulla adhibenda est differentia circa fructus extantes inter bonæ & malæ fidei possessorem; neque inter vindicationem rerum singularum & petitionem hæreditatis, eo excepto quod supra dictum est. Quod autem attinet ad fructus consumptos, vel non perceptos à prædone, eadem penè ratio habetur in utraque actione: ita ut illos prædo in utroque judicio restituere teneatur, l. certum 22. C. de rei vindic.

Dixi penè; quia in hæreditatis petitione, prædo non tantum præstat fructus aut estimationem eorum; sed etiam fructuum fructus, l. 46. §. prædo, ff. de hered. petit. id est usuras estimationis illorum, l. 51. §. ult. ff. eod. Fructus enim veniunt in hæreditatis petitionem, tamquam partes & augmenta hæreditatis, d. l. 20. §. simili & sequ. ff. eod. In rei autem vindicatione fructus quidem præstat prædo, non autem fructuum fructus; quia fructus in rei vindicatione veniunt tamquam accessiones rei: at vero accessio accessionis esse non potest. Huc referri possunt quæ dicta sunt ad §. si quis à non domino, sup. de rer. divis. Sed advertendum insuper, distinctionem fructuum naturalium & industrialium ibi allatam non observari.

### Ad §. Si ad exhibendum.

**S**i ad exhibendum actum fuerit, non sufficit, si exhibeat rem his cum quo actum est; sed opus est, ut etiam rei causam debeat exhibere, id est, ut eam causam habeat actor quam habiturus esset, si cum primùm ad exhibendum egisset, exhibita res fuisset. Ideoque si inter moras (exhibendi) usucpta sit res à possessore, nihilominus condemnabitur. Præterea fructuum mediæ temporis, id est ejus quod post acceptum ad exhibendum ju-

diciunt, ante rem judicatam intercesserit, rationem habere debet Judex. Quod si neget reus, cum quo ad exhibendum actum est, in praesenti se exhibere posse, & tempus exhibendi causâ peccat, idque sine frustratione postulare videatur; dari ei debet, ut tamen caveat se restituturum, quod si neque statim jussu Judicis rem exhibeat, neque postea exhibendum se caveat, condemnandus sit in id, quod actori intererat, si ab initio res exhibita esset.

**I**N actione ad exhibendum jubete Judex, ut reus rem mobilem exhibeat, cum omni causa, id est cum omni rei utilitate; ita ut fructuum medii temporis ratio habeatur. Quamvis enim verbum exhibere significet dumtaxat praesentiam corporis praebere, & facere in publico potestatem; ita ut experiundi sit copia, *l. plus est 22. ff. de verb. signif. & l. 2. ff. ad exhib.* verbum autem restituere, aliquid amplius significet, id est reddere rem actori & omnem causam, quam is habiturus esset, si statim (id est judicij accepti tempore) res ei redita fuisset, *d. l. 22. l. 35. & l. ult. §. ult. ff. de verb. signif.* nihilominus tamen in hac actione haec duo verba idem sonant, *l. 9. §. quantum, ff. ad exhib.* ideoque in *d. tit. ad exhibendum Jurisconsulti utroque vocabulo promiscue utuntur.*

At si reus huic jussui seu arbitrio Judicis non obtemperaverit, neque cavebit se postea exhibitorum, condemnandus est in id quod actoris intererat, si res ab initio esset exhibita. Ideoque juratur in litem, Judice quantitatem taxante; *l. 3. §. præterea, ff. eod.* id est juratur (ab actore scilicet) de aestimatione litis seu rei litigiosæ. Litis enim nomen propriè significat rem quæ est in controversia, ut testis est *Varro lib. 6. de Ling. Lat.* sed usu postea invaluit, ut pro ipsa etiam controversia sive iurgo diceretur.

Dixi rem mobilem; quia in rebus immobilibus, quæ occultari non possunt, haec actio locum non haber. Reum autem in hac actione appellamus eum qui rem possidet, vel cuius dolus pro possessione est, id est qui dolo desit possidere, *l. 131. & l. 150. ff. de reg. jur.* Si quis rationem quaerierit, cur haec actio sit instituta; haec sola videtur idonea redi posse, quod vindicationes non fuerent olim, nisi in re praesenti, teste *Gellio lib. 20. cap. 9.* atque ideò ad rei alicujus vindicationem necessaria erat ejus exhibitio. Unde apparet, cur actio ad exhibendum preparatoria vindicationis esse dicatur, & quodammodo mixtis adnumeretur.

#### *Ad §. Si familia.*

**S**i familie exercundæ (judicio) actum sit, singulas res singularis hereditibus adjudicare debet; & si in alterius persona prægravare videatur adjudicatio, debet hunc invicem cohæredi certa pecunia (sicut jam dictum est) condemnare. Eo quoque nomine cohæredi quisque suo condemnandus est, quod solus fructus hereditarii fundi perceperit, aut rem hereditariam corrup-

rit, aut consumperit. Quæ quidem similiter inter plures quoque quam duos cohæredes, subsequuntur.

**T R I A** sunt judicia mixta, id est tam in rem quam in personam: videlicet familiæ erciscundæ, communi dividendo, & finium regundorum.

In judicio familiæ erciscundæ debet Judex res singulas, vel singulas eorum partes singulis hæreditibus adjudicare, & nihil indivisum relinquere. At si res commodam divisionem non recipiat, debet Judex eum cuius pars prægravari; id est gravior æquo per adjudicationem fieri videbitur, certa petunia alteri condemnare. Eum quoque, qui fructus percepit ultra id quod sibi debebatur, debet condemnare ad eos cohæredi vel socio restituendos. Sumptus (denique si qui in hæreditate communi facti fuerint ab aliquo, supra partem suam,) debet Judex jubere ei restitui.

*Ad §. Eadem interveniunt.*

**E**ADEM interveniunt, & si communi dividendo de pluribus rebus actum sit. Quod si de una re, veluti de fundo, si quidem iste fundus commode regionibus divisionem recipiat, partes ejus singulis adjudicare debet: & si unius pars prægravare videbitur, is invicem certa pecuniâ alteri condemnandus est. Quod si commode dividi non possit, veluti si homo fortè, aut mulus erit, de quo actum sit, tunc totus uni adjudicandus est, & is invicem alteri certa pecuniâ condemnandus est.

**I D E M** est officium Judicis in actione communi dividendo, quod traditum est sup. §. circa actionem familiæ erciscundæ; quia utraque hæc actio iisdem juris regulis consistit: utraque mixta est, quatenus continet questionem dominii, & personalium præstationum, §. quadam sup. de act. utraque est duplex, quatenus in utraque, uterque litigantium rei & actoris partes sustinet, l. judicium, ff. fin. regund. & l. inter §. qui familiæ, ff. fam. ercisc. utraque bonæ fidei §. actionum sup. de act. in utraque denique locus est actioni de evictione, si evicta res fuerit, quæ uni consorti adjudicata est: diviso siquidem prædiorum, emptionis vicem obtinet, l. 1. C. communia viriusque judicii.

Differit tamen à se invicem utraque actio: primum quod familiæ erciscundæ amplius quam semel agi non potest, nisi causa cognita, l. 20. §. familiæ, ff. fam. ercisc. Judicium autem communi sèpius dividendo iteratur, l. 4. §. hoc judic. ff. comm. divid. Præterea familiæ erciscundæ agitur de pluribus dumtaxat rebus: communi vero dividendo agitur non solum de pluribus rebus, sed etiam de unica. Solis denique cohæredibus actio illa competit: hæc vero omnibus qui rem aliquam communem habent, l. 2. ff. eod.

Differit autem actio communi dividendo ab actione pro socio, quod actio pro socio magis ad personales invicem præstationes pertinet, quam ad communium rerum divisionem, l. 1. ff. eod. At vero actio communi dividendo utrumque continet juris effectum, l. 3. in pr. ff. eod. & l. 22. §. pen. ff. fam. erciscun-

Præterea actio pro socio inter illos dumtaxat locum habet; qui societatem contraxerunt, l. 31. ff. *pro socio*. Actio autem communii dividendo inter omnes locum habet, qui rem aliquam communem habent, sive ex societate, sive sine societate communem, l. 2. ff. *comm. divid.*

*Ad §. pen.*

**S**i finium regundorum actum fuerit, dispicere debet Judex, san necessaria sit adjudicatio, quæ sane uno casu necessaria est, si evidenteribus finibus distingui agros commodius sit, quam olim fuissent distincti. Nam tunc necesse est ex alterius agro partem aliquam alterius agri domino adjudicari: quo casu conveniens est ut is alteri certâ pecuniâ debeat condemnari. Eo quoque nomine condemnandus est quisque hoc judicio, quod forte circa fines aliquid malitiosè commisit: verbi gratiâ, quia lapides finales furatus est, vel arbores finales excidit. Contumaciaz quoque nomine quisque eo judicio condemnatur: veluti si quis jubente Judice metiri agros, passus non fuerit.

In actione finium regundorum duo Judex præstare debet. Primum est, ut si adhibito agrimensore constet de veris agrorum finibus, eos debeat custodire. Sin autem id non appareat, debet novos pangere ex consilio agrimensoris, l. 2. §. 1. l. 3. & l. 8. ff. *finium regund.* ita ut si propter loci inæqualitatem vel aliam rationem distingui agros evidenteribus finibus oporteat, possit ex unius agro partem detrahere, & per adjudicationem alterius agro adjicere; eaque ratione lites imposterum impedit. Quo pertinet illud Ovidii 3. *fastorum de Deo Termino.*

*Omnis erit sine te litigiosus ager.*

Debet insuper Judex eum condemnare, qui aliquid circa fines malitiosè commisit: putâ si lapides finales furatus est, aut si mensorem ad agros mensurandos missum, metiri eos passus non fuerit, l. 4. §. sed & ff. cod. Non tamen illud ita intelligendum est, ut possit Judex multam interrogare contumaci: quia hoc solius est Magistratus; non Pedanei Judicis; sed tantum ut possit eum condemnare in id quod interest adversarii. Verum haec civilis condemnatio non impedit, quin etiam adhuc criminalitet & extra ordinem agi possit de termino moto, l. 1. & *passim*, ff. *de termino moto.*

*Ad §. ult.*

**Q**uod autem istis judiciis, alicui adjudicatum fuerit, id statim ejus fit, cui adjudicatum est.

Ex his colligere est, in tribus judiciis mixtis per adjudicationem acquiri dominium, qui est octavus & ultimus modus acquirendi dominii promissus, sup.

*sub finem tit. de usū & habitatione.* Quamvis autem sola Lex , vel jus civile dominum facere possit ; non Prætor , qui facit tantum bonorum possessorem , §. quos autem sup. de bon. posseff quod multò justius dicendum est de Jūdice à Prætore dato , qui nullam jurisdictionem , sed nudam tantum notionem habet. In his tamen tribus actionibus Jūdex per adjudicationem statim transfert dominium , *Vlp. lib. reg. tit. 19.* Idque ea de causa fieri credendum est , quod ab ipsa L. 12. tab. quā hæc jūdicia instituit , dominus fieri intelligatur. Neque enim dubium est , quin Lex sit humanarum ac divinarum rerum domina ac Rēgina , *l. 2. ff. de legib.* Quod autem hæc triplex actio ex L. 12. tab. oriatur , probari potest , tum ex antiquitate nominis , tum etiam ex *l. 1. in pr. ff. sam. ercisc.* ex *l. 6. C. eod. & ex M. Tullio , lib. 2. de legibus.*



## T I T U L U S X V I I I .

### *D E P U B L I C I S J U D I C I I S.*

*Ad Princ.*

**P**UBLICA judicia neque per actiones ordinantur , neque omnino quidquam simile habent [ cum ] cæteris judiciis , de quibus locuti sumus : magnaque diversitas eorum est & in instituendo , & in exercendo .

**P**UBLICA autem dicta sunt , quod cuivis ex populo executione eorum plerisque datur .

HACTENUS de privatis judiciis actum est : superest , ut hæc juris elementa , publicorum expositione claudamus. Publica judicia † sunt , quæ descendunt ex legibus publicorum judiciorum ; ita dicta , quia quilibet è populo se inscribens in crimen , ea intendere potest ad tuendum vigorem publicæ disciplinæ , & ad pœnam certâ lege constitutam . Dico 1. quilibet è populo ; quia cum per hæc delicta respublica lædi censemur , æquum erat cuilibet è populo permitti , ut vindictam publicam persequeretur . Sed excipiendi sunt pupilli , fœminæ & aliæ personæ quæ referuntur in *l. 8. & 3. seqq. ff. de accus.* Advertendum præterea procuratorem Regium Catholicum , solum esse legitimum in hoc Regno criminum accusatorem . Dico 2. se inscribens ; quia in his delictorum generibus necessaria erat inscriptione , ut accusatorem si non vinceret , vinciret subscriptio , *l. 7. ff. eod.* & ad pœnam talionis obligaret . Per illam autem inscriptionem declarabat accusator se facere aliquem , v. g. Lucium Titium reum Majestatis , *l. 3. in pr. ff. eod.* & promittebat se in crimen , hoc est in accusatione perseveraturum usque ad sententiam , *d. l. 7. §. 1.* Additur denique ad pœnam certâ lege constitutam ; quia pro singulis criminibus leges latæ sunt apud Romanos , quæ certam

pœnam statuunt adversus delinquentes , sicut ex decursu tituli obiter apparebit , sed magis perspicue ex lib. 48. Digestorum; ad quem Imp. nos remittit sub finem hujus tituli.

Ex his facile intelligere est , quæ sit diversitas publicorum & privatorum judiciorum circa ordinationem & institutionem eorum. In exercendis quoque illis erat ingens disparitas , quam hoc loco enarrare superfluum esset , cum omnes illi ritus hodie exoleverint.

*Ad §. Publicorum.*

**P**UBLICORUM judiciorum quædam capitalia sunt , quædam non capitalia. Capitalia dicimus , quæ ultimo supplicio afficiunt [ homines ] vel [ etiam ] aquæ & ignis interdictione , vel deportatione , vel metallo. Cætera , si quam infamiam irrogant , cum damno pecuniario : hæc publica quidem sunt , non tamen capitalia.

JUDICIA publica † dividuntur in capitalia & non capitalia. Capitalia † sunt propter quæ damnatorum caput sive persona è vivis eripitur vel è civitate : uno verbo , quorum pœna est mors naturalis vel civilis , l. 2. ff. b. t. Talia sunt judicia lœsæ Majestatis , adulterii , homicidii , beneficii , parricidii , falsi , de vi publica , raptus , peculatûs , & plagii.

*Ad §. Publica autem.*

**P**UBLICA autem judicia hæc sunt : Lex Julia Majestatis , quæ in eos , qui contra Imperatorem , vel rempublicam aliquid moliti sunt , suum vigorem extendit. Cujus pœna animæ amissionem sustinet , & memoria rei etiam post mortem damnatur.

CRIMEN Majestatis † est quod contra Imperatorem vel rempub. committitur ; vel etiam contra Populum Romanum & securitatem ejus , l. 1. ff. ad L. Jul. Majest. ubi hoc crimen , sacrilegio proximum dicitur. Ejus criminis multa sunt genera , inter quæ sumnum gradum obtinet crimen perduellionis ; id est rebellis ( huac Theop. tyrannum vocat ) qui hostili animo contra Principem vel tempublicam animatus , statim reipublicæ labefactare conatus est. Pœna istius criminis est vitæ amissio , l. 3. ff. eod. Præterea licet regulariter is qui in reatu decedit ante condemnationem , integro statu & famâ decedat , & per mortem ab ea accusatione liberetur : perduellionis tamen rei , morte non liberantur , sed eorum memoria etiam post mortem damnatur ; & nisi à successoribus purgetur hæreditas fisco vindicatur , l. ult. ff. eodem tit. & §. per contrarium sup. de hered. que ab intest. defer.

Quin etiam quamvis cæterorum nocentium liberi , quos reos sceleris societas non facit , nullam pœnam debeant formidare , l. 22. C. de pœnis ; filii tamen perduellium , paterni criminis occasione pœnas non leves sustinent. Testamen- ti enim factionem passivam , & jus succedendi proximis ab intestato amittunt.

Perpetuæ

Perpetuò sunt pauperes & egeni. Infamia eos paterna comitatur. Ad nullos honores, ad nulla sacramenta pervenient. Tales denique esse jubentur, ut iis in perpetua egestate fordanibus, sit mors solarium, & vita supplicium, l. quis quis §. 1. C. ad L. Jul. Majst. quia, ut ibidem additur, paterni in illis hæreditarii criminis exempla metuantur. Potest etiam videri Lex ita scripta, ut charitas liberorum amiciores parentes Reip. faciat, sicut ait M. Tullius in ep. 12. ad Brut. Cum enim instituente naturâ liberos magis parentes diligent, quam se ipsos; inde sit ut magis ob personam liberorum suorum terreantur, quam ob suam, l. 8. §. ult. ff. quod met. caus. & §. ult. sup. de nox. aet. ac proinde facilis à tanto crimine perpetrandō abstineant.

## Ad §. Item Lex Julia de adulteriis.

**I**T E M Lex Julia de adulteriis coercendis, quæ non solum temeratores alienarum nuptiarum gladio punit, sed & eos qui cum masculis nefandam libidinem exercere audent. Sed eadem Lege Juliâ etiam stupri flagitium punitur, cum quis sine vi vel virginem, vel viduam honestè viventem, stupraverit. Poenam autem eadem Lex irrogat stupratoribus, si honesti sunt, publicationem partis dimidiæ bonorum: si humiles, corporis coercitionem cum relegatione.

ADULTERIUM † est violatio thori alieni. Adulteri verò dicuntur alienarum nuptiarum temeratores. Adulterium enim cum iuxta tantum committitur, l. 6. §. 1. ff. ad L. Jul. de adult. Stupri nomen generale est ita ut adulterium etiam continat, d. §. 1. Sumitur insuper specialiter pro corruptione virginis vel viduae, d. §. 1. Flagitium quoque eorum qui contra naturam libidinem nefandam exercent cum masculis, stuprum dicitur, l. 2. ff. de serv. corr.

Quibus ita distinctis, nunc singulas singulorum criminum penas distinguimus. Adulteri capite non puniebantur antiquitüs, l. 14. l. 18. ff. de testibus. Verum constitutione Imp. Constantis adulteri gladio puniuntur, l. quamvis cod. ad L. Jul. de adult. Quana poenam tribuit Imp. L. Julius; quia posteriores leges sape trahuntur ad priores, l. 28. ff. de legibus. Stupratores, si honesta vita fuerint, partis dimidiæ bonorum publicationem patientur. Sin autem humiles fuerint, id est turpis vita, verberantur, & verberati relegantur, ut ait Imp. hoc loco. Pædicatores ex constitutione Constantii & Constantis gladio puniuntur, l. cum vir 31. C. ad L. Jul. de adult. In Gallia vivi concremantur, juxta l. omnes C. Theod. cod. tit.

## Ad §. Item Lex Cornelia.

**I**T E M Lex Cornelia de sicariis, quæ homicidas ultore ferro persequitur, vel eos, qui hominis occidendi causâ cum telo ambulant. Telum autem (ut Caius noster ex interpretatione legum duo-

decim tabularum scriptum reliquit) vulgo quidem id appellatur, quod ab arcu mittitur. Sed & omne significat, quod manu cuiusque jacitur. Sequitur ergo, ut lignum, & lapis, & ferrum hoc nomine contineantur: dictum ab eo, quod in longinquum mittitur, [ à ] Grecā voce τόνος figuratum. Et (sic) hanc significacionem invenire possumus & in Græco nomine: nam quod nos telum appellamus, illi βέλος appellant. Admonent nos epigrammata in Xerolopho urbis faustissimæ scripta, καὶ τὰ βέλη ἵπας ἐρέπετο λόγκαι τοξεύ ματα ὀπερδόνει πλεῖστοι ται κατίθει; id est, Et hujusmodi tela simul ab eis ferebantur, lanceæ, spicula, fundæ, plurimi autem & lapides. Sicarii autem appellantur à sica, quod significat ferreum cultrum. Eâdem lege & benefici capite damnantur, qui artibus odiosis, tam venenis, quam fusorris magicis homines occiderint, vel malâ medicamenta publicè vendiderint.

HOMICIDIUM punitur ex L. Cornelia de sicariis & beneficiis. Sicarii † dicuntur omnes percuttores (les meurtriers) ita nuncupati à sica, quæ est genus quoddam parvi gladii incurvi, teste Suidâ, ad modum ejus quem Gallicè dicimus (un sabre) sed tamen est longè minor. Puniebantur autem eâ lege non solum qui hominem occidissent, sed etiam qui hominis occidendi causa cum telo fuissent, l. 1. in pr. ff. ad L. Cornel. de sicar. Quamvis autem ex L. Aquilia is etiam teneatur, qui culpâ levissimâ aliquem occidit, l. 44. ff. ad L. Aquil. ex Lege tamen Cornelia non tenetur, niî qui dolo occidit, l. 7. ff. ad L. Corn. de sicar.

Teli nomine significatur omne genus armorum quod manu cuiusque mittitur. Quod illustrat Imp. argumento deducto à Grecâ voce τέλος, quæ eamdem vim ac potestatem habet, ut ostendunt epigrammata sive inscriptiones in Xerolopho, id est in septimo colle urbis Constantinopolitana. Quem locum corrigit \* Theoph. legens, admonet nos Xenophon, sed citra ullam necessitatem. Licet enim eadem verba inveniantur apud Xenophon 5. αὐθάδος; nihil tamen vetat, quin ex eodem loco deprompta, in edificiorum fronte inscriberentur. Dixit autem fuit Xerolophus quasi ξυρὸς λόπος, σiccus tumulus, in quo se epigrammata quædam legisse, sèculo proximè elapsò tellatus est P. Gyllius in descriptione ejus civitatis, lib. 4. cap. 8.

#### Ad §. Alia deinde.

**A**LIA deinde lex asperrium crimen novâ poenâ persequitur, quæ Pompeia de parricidiis vocatur: quâ cavetur, ut si quis parentis, aut filii, aut omnino affinitatis ejus, quæ nuncupatione parentum continetur, sata præparaverit (sive clam, sive palam id ausus fuerit) (nec-non is, cuius dolo malo id factum est, vel conscientius criminis existit, licet extraneus sit,) poenâ parricidii pu-

niatur: & neque gladio, neque ignibus, neque ulli alii solemni pœnæ subjiciatur; sed insitus culo cum cane, & gallo gallinaceo, & vipera, & simia, & inter eas ferales angustias comprehensus, secundum quod regionis qualitas tulerit, vel in vicinum mare, vel in amnum projiciatur; ut omnium elementorum usu vivus carere incipiat, & ei cœlum superstiti, (&) terra mortuo auferatur. Si quis autem alias cognatione vel affinitate personas conjunctas necaverit, pœnam Legis Cornelie de sicariis sustinebit.

**PARRICIDIUM** secundum vim vocabuli,  $\dagger$  est propriè crimen illius, qui facta patris properavit: usus tamen invaluit ut tunc etiam parricidium admitti dicatur, cum quis illas personas occidit, quæ parentum, liberorum, vel fratum locum obtinent, quæ personæ enumerantur in l. 1. ff. ad L. Pomp. de parric. Pœnam parricidii nullam Solon statuerat apud Athenienses; eò quodd putaret tantum scelus in hominem cadere non posse. Sed apud Romanos more majorum hæc pœna fuit constituta, ut parricida caput folle lupino involveretur, ne infarto halitu aërem inficeret, vel lucem amplius videret. Soleæ insuper lignæ pedibus inducebantur; ne calceamenta è corio quibus homines uti solerent pollueret; neve terram tangeret pedibus nudis, communem omnium parentem, ut est testis auctor ad Herennium. Præterea virgis sanguineis cæsus, culo insuebat cum cane, gallo gallinaceo, vipera, & simia, & in mare, vel amnum vicinum, prout regionis qualitas ferebat, projiciebatur; ut inter eas ferales angustias comprehensus, omnium elementorum usu vivus carere inciperet, & ei cœlum superstiti, & terra mortuo denegaretur. Deinde Cornelius Sylla parricidas deportatione & bonorum ademptione coercuit, sicut cæteros homicidas. Hoc idem Lege Pompeia iterum sanctum est. Sed constitutione Constantini pœna more majorum instituta renovata est; quæ tamen pœna a Justiniano Legi Pompeiæ tribuitur; quia leges posteriores sapissime trahuntur ad priores, ut supra diximus. Novam autem vocat eam pœnam, id est iniugem & notabilem, ut expolitum fuit supra ad §. eademque qui & ex qua, causis man. non poss. non verò quodd hæc pœna fuerit de novo instituta, quæ antiquissimis temporibus in persona P. Malleoli primi apud Romanos parricida interrogata est.

Distinguendum autem est parricidium à paricio, cum unico R., quo nomine Veteres quocumque homicidium designabant, teste Festo in voce pari... Qæstores.

*Ad §. Item Lex Cornelia.*

**I**T B M Lex Cornelia de falsis, quæ etiam testamentaria vocatur, pœnam irrogat ei, qui testamentum, vel aliud instrumentum falsum scriperit, signaverit, recitaverit, subjecerit, vel signum adulterinum fecerit, sculperit, expresserit sciens dolo malo. Ejusque legis pœna in servos, ultimum supplicium est (quod etiam in lege de sicariis & beneficis servatur) in liberos verò deportatio.

B b b ij

**F A L S I** crimen admittitur, † cùm quis testamentum vel aliud instrumentum falsum scriperit, signaverit, vel recitaverit, l. 1. ff. ad L. Cornel. de falsis. Eodem quoque crimine tenetur ex SC. Liboniano testamentarius, id est scriptor testamenti, qui tibi legatum adscripsit, l. 6. ff. eod. & illi itidem qui numeros adulterant, radunt, vel circumcidunt. Hæc Lex Cornelia quæ falsi crimen coercet, vocatur etiam Lex Cornelia testamentaria, vel nummaria. Ejus poena in servis est ultimum supplicium; in liberis verò hominibus est deportatio & ademptio bonorum, l. 1. §. ult. ff. eod. nisi forte magnitudo commissi, vita amissionem mereatur.

*Ad §. Item Lex Julia.*

**I**T E M Lex Julia de vi publica seu privata, adversus eos exortitur, qui vim vel armatam, vel sine armis commiserint. Sed si quidem armata vis arguatur, deportatio ei ex Lege Julia de vi publica irrogatur; si verò sine armis, in tertiam partem bonorum [suum] publicatio imponitur. Si autem per vim raptus virginis, vel viduæ, vel sanctimonialis, vel alterius fuerit perpetratus; tunc & raptores, & ii, qui opem [huic] flagitio dederunt, capite puniuntur, secundum nostræ constitutionis definitionem, ex qua hoc apertius possibile est scire.

**V I S** publica est † quæ sit cum armis; privata verò, quæ sit sine armis; §. recuperanda sup. de interd. quæ appellatio inde fluxisse videtur, quod armis uti, solius est reipublicæ, aut eorum qui personam reipublicæ sustinent, in publicis muneribus obeundis. Quocirca nemini privato cum telo esse licet ex L. 12. tab. Vis publicæ poena est interdictio, aqua & ignis sive deportatio, l. 10. §. ult. ff. ad L. Jul. de vi publ. Vis privatæ poena est tertiae partis bonorum amissio, l. 1. & l. ult. ff. ad L. Jul. de vi privata. Raptores verò virginis, viduæ, vel sanctimonialis mulieris, & qui opem huic flagitio dederunt, etiam si mulier ipsa raptui consenserit, capite puniuntur, l. un. §. pœnas autem C. de raptu virginum.

*Ad §. Item Lex Julia peculatūs.*

**I**T E M Lex Julia peculatūs eos punit, qui publicam pecuniam, vel rem sacram, vel religiosam furati fuerint. Sed si quidem ipsi Judices tempore administrationis, publicas pecunias substraxerint, capitali animadversione puniuntur: & non solum hi, sed etiam qui ministerium eis ad hoc exhibuerint, vel qui subtractas ab his scientes susceperint. Alii verò qui in hanc legem inciderint, pœna deportationis subjiciuntur.

**P E C U L A T U S** † est furtum pecuniae publicae, vel rei sacrae, aut religiose, l. 1. & l. 4. ff. ad L. Jul. peculatus. Sed hoc ultimum furtum rei sacrae aut religiosae speciali nomine sacrilegium appellatur, eo quod legere apud veteres esset furari. Peculatus poena fuit interdum quadrupli, l. pen. ff. eod. interdum deportatio, l. 3. ff. eod. ultimè denique ex constitutione Inipp. Arcadii & Honorii, vita amissio in persona Judicum, l. un. in fine C. eod. Ex qua constitutione depromptum est id jus quod tribuit Imp. Legis Juliae, secundum ea quæ supra dicta sunt ex l. 28. ff. de legibus. Ceteri vero peculatus rei, soli deportationis poenæ subjiciuntur.

*Ad s. Est & inter.*

**E**S & inter publica judicia Lex Flavia de plagiariis, quæ interdum capitis poenam ex sacris constitutionibus irrogat, interdum leviorem.

**P L A G I U M** † est suppressio liberi hominis vel servi, l. 1. & passim ff. de L. Flavia de plagiariis. Dicitur à furto, l. 6. in pr. ff. eod. quatenus non sit furtum liberi hominis, imò neque servi, nisi id fiat lucri faciendi gratia. Plagium vero dicitur, quoties illa suppressio vel detentio ex quacumque alia causa fit. Plagi poena olim erat pecuniaria ex L. Flavia; deinde indueta est damnatio in metallum, l. ult. ff. eod. Postremo ex constitutionibus, plagiarii bestiis subjiciuntur, si sint servi vel liberti; aut gladio feriuntur, si fuerint ingenui, l. ult. C. eod. tit.

*Ad s. pen.*

**S**UNT præterea publica judicia, Lex Julia de ambitu, Lex Julia repetundarum, & Lex Julia de annonae, & Lex Julia de residuis, quæ de certis capitulis loquuntur; & animæ quidem amissionem non irrogant: aliis autem poenis eos subjiciunt, qui præcepta earum neglexerint.

**J U D I C I A** publica non capitalia † sunt, quæ capitulis poenam non irrogant, sed infamiam tantum, cum damno pecuniario; qualia sunt Legis Juliae de ambitu, Legis Juliae de annonae, & Legis Juliae de residuis.

Ambitus rei sunt qui suffragia civium pecuniæ redinunt ad honores consequendos. Hi multam centum aureorum subibant cum infamia, l. 1. §. 1. ff. de L. Jul. ambitu.

Repetundarum rei † erant Magistratus qui provinciales suo subjectos imperio, pecuniis & facultatibus spoliaverant. Gallicè hoc crimen appellatur (*peculat.*) Cavendum tamen ne illud cum peculatus crimine confundamus & à quo distinguitur, sicut constat ex superioribus & ex diversis titulis Pandectarum & Codicis, in quibus de utroque separatim agitur. Ejus criminis poena fuit quadruplum ablatæ pecuniae, ex d. L. Julia; sed interdum est relegatio, vel mors, vel exilium, pro modo & qualitate sceleris, l. 7. §. ult. ff. de lege Jul. repetund. & l. ult. C. eod.

**L**ege Juliā de annonā tenetur , quisquis effecit suis menopoliis aut fraudibus , ut carior eset annonā ; quod dicitur apud Latinos *annonam flagellare*. Annōnā nomen † res omnes quae ad victum pertinent complectitur : nostro idiomate denrēs. Reus hujus criminis tenetur pœnā viginti aureorum , l. 1. & l. 2. ff. de L. Jul. de annonā.

Lege denique Juliā de residuis tenetur ille , qui pecuniam publicam , cuius ei administratio commissa est , non totam impedit in opus publicum sibi commisum , & reliquam in publicum non retulit , sed retinuit. Ejus criminis poena fuit , ut reus tertīā parte amplius quam debebat , multaretur cum infamia , l. 2. & l. 4. §. quā lege ff. ad L. Jul. pecul.

*Ad §. ult.*

**S**E de publicis judiciis hæc exposuimus , ut vobis possibile sit summo digito , & quasi per indicem ea tetigisse : alioqui diligentior eorum scientia vobis ex latioribus Digestorum seu Pandectarum libris , Deo propitio , adventura est.

**H**EC de publicis judiciis quasi per indicem dixisse sufficiat : reliqua verò ex latioribus Digestorum & Codicis libris maturo & indefesso studio supplenda esse innuit Imp. Nihilominus tamen ut accusationem , sicut actionum civilium tractatus integer sit , brevissimā appendice præscriptiones criminum explanabimus.

## A P P E N D I X

### D E P RÆSCRIPTIONIBUS CRIMINUM.

**I**NTERPRETATIONE legum pœnas esse potius molliendas , quamasperandas indubitati juris est , l. pen. ff. de pœnis ; quia sicut favores ampliandi sunt , l. pen. ff. de confit. Princ. ita quoque ex diverso odio restinki debent , cap. odia de reg. jur. in 6. Ex quo juris principio sequitur satius esse impunitum relinqu facinus nocentis , quam innocentem damnari , l. absentem in pr. ff. de pœnis. Hinc etiam infertur in obscuris mitiorem sententiam esse amplectandam , l. si Preses ff. eod. Atque ita sapienter fabulantur Poëtae Orestem de cæde mitris Athenis in Areopago accusatum , cùm par eset hinc & inde suffragiorum numeras , absolutum fuisse , Nat. Com. lib. 9. mytol. cap. 2. Hinc denique factum est , ut quemadmodum præscriptione triginta annorum civiles actiones intereant , l. 3. C. de presc. trig. ann. ita quoque in criminibus seu accusationibus sua præscriptio non desit.

Hac præscriptioni complendæ spatiū viginti annorum fuit jure civili præstitutum , l. 2. & 3. ff. de re quir. reis vel abs. damn. Neque enim minus spatiū sufficere videbatur ; ne forte ex impunitate peccandi cresceret scelerato-

torum audacia, arg. l. 20. C. de furt. Neque etiam majus vicennio expectandum esse creditum est; ne illi, qui per viginti annos sceleris sui ultrices furiar, & timorem supplicii ipso supplicio graviores passi sunt, aliam insuper pœnam exhorrescere cogerebantur. Sicut enim ait M. Tullius in orat. pro Roscio Amer. n. 67. sua quemque fraus, & saus terror maximè vexat; suum quemque scelus agitat, amentiaque afficit; sae malæ cogitationes, conscientiaeque animi terrent. Hæ sunt impiorum assidua domesticæque furia, quæ dies noctesque a sceleratis poenas repetunt.

Summà igitur ratione Diocl. & Maxim. Imp. rescripsérunt, querelam falsi temporalibus præscriptionibus non excludi; sed solā viginti annorum præscriptione, sicut cetera quoque ferè crimina, l. querela 12. C. ad L. Corn. de fals. ubi sicut & passim in aliis juris locis, crimen sumitur pro accusatione. Quo sensu asseritur in l. 7. §. 1. ff. de accus. cavere accusatores, perseveraturos se in crimine usque ad sententiam; & in pr. sup. de suspect. tut. & l. 1. ff. eod. suspecti crimen ex l. 12. tab. descendere. Omnes igitur ferè accusations ex d. L. 12. viginti annorum præscriptione tolluntur, σταύρωσις ενοι, έναντος εθεούλαι, Eustath. de tempor. intervall. cap. de 20. annis.

Eodemque sensu accipendum est quod dicitur in l. 13. ff. de divers. & tempor. præscr. In omnibus fisci questionibus, exceptis causis quibus minora tempora servari specialiter constitutum est, viginti annorum præscriptionem custodiri. Quam L. licet summus Antecessor ad causas fiscales civiles retulerit, ad L. quamvis ff. de usucap. probabilius tamen videtur eam ad causas dumtaxat fiscales criminales esse referendam, ex l. 2. 3. & 4. ff. de requir. reis vel absent. damnand. ut quemadmodum persecutio criminum regulariter viginti annorum præscriptione excluditur; ita quoque & persecutio, quæ fisco competit in bonis ejus qui damnatus aut adnotatus est.

Idque confirmatur ex l. omnes 4. de præscr. 30. vel 40. ann. ubi statuitur actiones omnes, in quibus agitur de jure privato vel publico, quadraginta annorum præscriptione terminari. Unde patet aliquas esse actiones, ad jus publicum, id est fiscale, pertinentes, quæ vicennio non præscribuntur. Hæ criminales non sunt, d. l. querela & d. l. 2. 3. & 4. Superest, ut eas civiles esse dicamus. Non igitur verum est, in omnibus fiscalibus causis civilibus viginti annorum præscriptionem custodiri. Actiones certè exempto & vendito & similes ex contractu descendentes, quæ privatis competunt, triginta annis vivere certissimum est, l. sicut C. de præscr. trig. vel quadrag. ann. Hypothecaria quoque inter privatos ad quadragesimum sine dubio annum interdum extendit, nec non etiam alia actiones civiles, l. 1. §. 1. C. de annal. except. Quidni etiam dicamus easdem actiones, si fisco competant, eadem temporis præscriptione gaudere? cum non debeat Principi prohiberi quod privatis permittitur, l. un. C. rem alien. gerent. non interd. rer. suar. alien.

Excipienda tamen sunt ab hac regula quedam crimina, in quibus minora tempora servari specialiter constitutum est, d. l. 13. ff. de div. & temp. præscr. videlicet adulterii, apostasie, apertarum tabularum contra SC. Silanianum, & injuriatum; & ideo particula fere recte additur in d. l. querela.

Accusatio adulterii permittitur marito intra sexaginta dies à die commissi criminis, iure mariti; id est exclusis quibuscumque extraneis. Quo spatio clapsò, dantur illi quatuor alii menses utiles. Verum post quinquennium neque marito,

neque patri, neque ulli extraneo licet mulierem adulterii team facere, *l. miles 11. §. adulterii, & §. sexaginta ff. ad L. Jul. de adult. & l. 5. C. eod.* ne scilicet honor transacti matrimonii, concordia conjugalis, & status liberorum in perpetuo aut saltē nimis diuturno discrimine versentur.

Peculatus crimen ante quinquennium admisum objici non oportere, ait Venuſ. *l. 7. ff. ad L. Jul. pecul.* quod privilegium est maximè singulare, ideoque ad crimen repetundarum nullibi producitur: quod à peculatu longè diversum esse supra ostendimus. Quin etiam Papo in *2. not. lib. 7. cap. du crime de peculat,* ait usū invaluisse in Gallia, ut præscriptio peculatus sit *20. annorum*, sicut & cæterorum criminum: & addit sperate se hunc usum invaliditatum in gratiam ætrarii Principis & publicæ utilitatis, ut hæc accusatio intra tricennium audiatur: ne scilicet facinus illad maneat impunitum. Unde meritò adversus usum fœculi sui conqueritur M. Cato apud *A. Gell. lib. 11. cap. ult.* fures privatorum furorum in nervo atque compedibus ætatem agere: fures verò publicos in auro atque in purpura.

Apostasia sive crimen ejus, qui veram religionem abdicavit, ut heterodoxam amplecteretur, post quinquennium ab interitu Apostatæ objici non potest; neque ob eam caulam ejus testamentum convelli, *l. 2. C. de Apostat.* Cujus juris prima origo à Tito Vespasiano deducitur, qui olim veruit quæri de cuiusquam defuncti statu ultra certos annos, *Suet. in Tito cap. 8.* Postmodum verò cautum est edicto D. Nervæ, ne de statu defunctorum post quinquennium quereretur, *l. ult. ff. ne de stat. defunct. post quinquenn. quer.* Quod ipsum constitutione D. Hadiani, *l. 1. §. 2. ff. eod.* oratione D. Marci d. *l. 1. §. 3.* & Capitol. in ejus vita: Senatusconsulto denique ad eam orationem factò confirmatum est, *l. 4. l. pen. & l. ult. C. eod.* Unde mirum esse non debet, quod post lapsum quinquennii à morte testatoris querela inofficiosi testamenti objici non possit, *l. 8. in fine & l. sequ. ff. de inoff. test.* quia, ut ait Valer. Max. *lib. 7. cap. 8.* hæc querela defuncti manes quietos esse non patitur. Quibus exemplis inducti videntur Christiani Impp. Gratian. Valentin. & Theod. ut sancirent post iuge quinquennium à morte defuncti, de ejus religione quæri non posse; sicut in testamenti inofficiosi actione servatur, *d. l. 2. C. de Apostat.* ne scilicet locus detur justissimæ illi querelæ Polydori *3. Aeneid.*

*Quid miserum Ærea laceras: jam parce sepulto.*

Ex SC. Silaniano accusati potest hæres extraneus intra quinquennium dumtaxat, si tabulas testamenti aperuerit ante quæstionem de familia habitam, cùm dominus à familia sua occisus esse diceretur, *l. in cognitione 13. ff. de SC. Silan.* Dixi extraneus; quia aliud dicendum est de hæredibus illis qui sunt personæ conjunctæ testatori; atque idè patricidii pœnâ teneri possunt. Illi enim post lapsum quinquennium ab ea accusatione tuti non sunt, *d. l. 13. in fine.*

Injuriarum denique actio, per quam aliquis inititur dolorem imminutæ libertatis judicio pœnâque mitigare, *ut ait M. Tull. pro Cæsin.* temporali id est annua præscriptione excluditur, *l. 5. cod. de injur.* Quod proculdubio ad Prætoriam injuriarum actionem restringendum est; quia Prætoris intra annum tantum erat imperium, *in pr. sup. de perpet. & temp. aet.* Non idem juris est in actione injuriarum civili, quæ competit ex Lege Cornelia, tribus calibus, *§. sed & Lex sup. de injur.*

His

His accusationibus exceptis, cæteræ viginti annorum spatio terminantur, d. l. querela. Neque alementi m̄ est glossæ ad d. l. alias quasdem accusationes excipienti, cō quod perpetua dicantur: unde collegit eas nullā unquam temporis præscriptione excludi. Triplex autem accusatio est quæ in jure perpetua dicitur: videlicet parricidii, l. ult. ff. ad L. Pomp. de parricid. suppositi partus, l. qui falsam i. g. §. 1. ad L. Cornel. de fals. & crimen concussionis, l. 1. ff. de concuss. Ad quas juris auctoritates, unica sufficit responsio generalis: quod perpetuae accusationes dicantur illæ, quæ solā viginti annorum præscriptione infirmantur, ad differentiam earum quæ temporalibus, id est minoribus præscriptionibus excluduntur. Ideoque H. Grotius ad d. l. ult. hæc verba: *Eorum qui parricidii paenā teneri possunt, semper accusatio permittitur, sic explicat, id est ad viginti annos. Quod confirmatur ex princ. de perp. & temp. act. sup. ubi actiones civiles dicuntur perpetuò competere quæ competitunt usque ad tempus constitutionibus definitum, id est usque ad triginta annos.* Hæc si quidem vox perpetuò, multas habet in jure notiones. Interdum enim hæc vox significat intra annum, ut in l. 7. in pr. ff. de jurisd. Interdum sine interruptione, ut apud Ovid. initio Metamorphos. & in L. Cornelia de edictis Prætorum, apud Ascon. in Orat. M. Tull. pro C. Cornelio. Interdum sumitur pro toto vite decursu, l. in pr. ff. pro soc. interdum pro viginti annis, interdum denique pro triginta annis.

Id confirmat manifestè rerum perpetuò similiter judicatarum auctoritas, quæ in ambiguitatibus quæ ex legibus proficiuntur, vim legis obtinet, l. 38. ff. de legibus. Nam ille qui sacerdotum occiderat, ac proinde erat parricidii reus, l. 1. ad L. Pomp. de parric. Amplissimi Senatus Parisiensis decreto propter lapsu vicennii absolutus est, Brodæo teste ad Lovetum litt. C, n. 47. Idem asserit Le Maistre, in actione sua forensi 28. de fraticida, quem etiam constat parricidii reum esse, d. l. 1.

Eius insuper vicennialis præscriptionis vis ac potestas in eo maximè elucebit, quod actionem civilem accusationis comitem perimat. Quo etiam modo, in l. ult. g. ult. ff. ne de statu defunct. post quinquenn. querat. D. Claudius rescripsit: si per questionem nummariam, præjudicium statui videbitur fieri; questionem cessare. Quibus convenienter Decreto ejusdem Senatus Amplissimi, ut resert Lovetus in littera C, num. 47. post viginti annos à die commissi criminis absoluti sunt hæredes latronum ab actione civili mōta contra ipsos, pro repetitione rerum creptarum. Cujus placiti elegantes hæ rationes subjiciuntur; quod præscriptio sit favorabilis, tutum ac legitimam præsidium, & patrona humani generis; & quod legis auctoritas nocentes hujusmodi post viginti annos in bona fide constituat. Idem confirmat Brodæus eodem loco, multis aliis auctoritatibus.

Non tamen inde inferendum est; incidentem in actione civili questionem falsi cā præscriptione submoveri: primum quia exceptionum natura perpetua est, quamvis actio ei similis sit temporalis, l. 5. g. ult. ff. de dol. mal. & met. except. tum etiam quia iniquum esset malæ fidei possessorem hæreditatis alicujus vel rei singularis, qui solā triginta annorum præscriptione tueri se potest, saltem in Gallia, ideo citius securum fieri, quia falsum testamentum aliudve instrumentum confecit; unde peccatum timere debuerat: tertio denique quia exceptione falsi solum instrumentum impugnat, non vero personam ejus qui eo utitur.

Cæterum à superiori regula & præscriptione vicennali, excipitur accusatio singularis certaminis, ex declaracione Augustissimi Principis LUDOVICI XIII. felicis memorie, facta 14. die mensis Martii anno salutis 1613.

Hoc opus Tu nobis incipere dedisti & perficere, DEUS OPT. MAX. Totum muneris hoc tui est. Hoc tibi, & omnia nostra, nosque ipsos devo- ti offerimus, ut cedant omnia ad nominis tui majorem gloriam, ad salutem nostram, & ad eorum qui legerint utilitatem.

*Finis Libri quarti.*



## DISSERTATIO PRIMA.

AN RECTE ADJICANTUR HÆC VERBA,  
in definitione legati :

*AB HÆREDE PRÆSTANDA.*

**L**E G A T U M definitur à Justiniano, donatio quædam à defuncto re- lista, ab hærede præstanda. Verum non pauci sunt magni nominis viri, qui verba ultima explodunt, tamquam falsa ac spuria, & ab imperito quo- dam Leguleio definitioni inserta. Idque probare conantur multis auctoritatibus & rationibus.

Auctoritas inter Latinos Juris Interpretes prima est Cujacii, nemine dis- crepante. Is autem ea verba non habet in sua Institutionum editione; Con- tius quoque, Russardus, & Hotomanus illa expungunt. Inter Græcos verò neque Theophilus in sua paraphrasi, neque Harmenopulus in suo promptua- rio ea verba admiserunt aut interpretati sunt. Ulpianus legatum definit, quod legis modo, id est imperativè relinquitur, *tit. 24. in pr.* nullâ habitâ men- tione præstationis ullius ab hærede facienda. Ipse denique Modestinus *in l.* legatum *36. ff. de leg. 2.* Legatum ( inquit ) est donatio testamento relicita; ne- que addit quidquam ulterius.

Illud idem confirmant rationibus depromptis ex perpensa singulorum lega- torum natura. Nam legatum per vindicationem eam habet vim ac potestatem, ut mortuo testatore dominium rei legata rectâ viâ transeat in legatarium, num- quam factum hæredis, *l. legatum 80. ff. de leg. 2. & l. Titio 64. ff. de furt.* Non potuit igitur hoc genus legati legatio ab hærede præstari, qui dominus rei legatae numquam fuit; maximè cum illud quod nostrum est, amplius nostrum fieri non possit, *§. sic itaque inst. de act.*

Idem dicendum est de legato quod finendi modo relinquebatur, ex quo legatarius consequi tantum poterat per actionem in personam, quæ dicitur ex testamento; ut hæres pateretur se rem legatam accipere, sibique habere,

Theoph. ad §. sed olim Inst. de leg. & Caius cod. tit. §. pen. Non præstabat itaque hæres legatum itidem illud finendi modo.

In legato denique per præceptionem legatarius idemque hæres poterat propriâ auctoritate legatum capere; maximè propter hæc verba testatoris, *præcipito, præcipuum illam rem accipio*: aut saltem judicio sive arbitrio familie erescundæ utendatur; quod mixtum est, & interventu arbitrii à Prætore cati, res sibi legatas obtinebat; neque illas accipiebat à cohærede ullo, sed sola arbitri adjudicatione, §. ult. Inst. de off. Jud.

Ex quibus sequitur, soli legato per damnationem, quod ab hærede præstari nemo negat, ultimam illam partem definitionis aptari ex jure antiquo; ac proinde in generali legatorum definitione vitiosam videri: quia definitio recte concinnata debet omni definito convenire, l. 1. §. dolum, ff. de dol. mal. & quia a majori parte estimationis rei heri debet, l. quod major, ff. ad municip.

Ex nova autem Justiniani constitutione triplex hodie competit actio legatariis pro perfecutione rei legatae, in rem, in personam, & hypothecaria, quomodocumque legatum sit, l. 1. C. commun. de leg. & §. sed olim de legat. ap. Just. Cum itaque actio in rem competat adversus quemcumque pessiferem, l. 1. C. de alienat. jud. mut. cau. fac. manifestum esse videtur sine ullo facto aut præstatione hæredis, legata ad legatarios ex jure novo pervenire. Legata denique possunt hodie à legatario relinquiri sicut fideicomissa singulatia; quibus ex alia nova Justiniani constitutione per omnia & in omnibus exequata sunt, l. 2. cod. comm. de leg. & §. sed non usque Inst. de leg. Necessarium igitur hodie non est, ut legata ab hærede præstentur.

His argumentis generalibus alias rationes adjiciunt speciales, desumptas ex propria quorumdam legatorum natura. Nam si legata fuerit liberatio, valere legatum jam certum est, l. 1. l. 3. & tot. tit. ff. de lib. leg. nihil tamen est eo casu ab hærede præstandum. Præterea extant aliqui casus, in quibus testator ipse præstat legatario rem legatam, videlicet in specie, l. filia 11. cod. de legat. & l. Lucius Titius 22. ff. de leg. 2.

Hæc sunt præcipua auctoritatum & rationum pondera, quibus ultima clausula præstatæ definitionis impugnatur: Verum hæc omnia ab illius defensione neminem deterrebunt, qui exactè perpenderit ejus necessitatem, quam multæ & magna rationes convincunt.

Et primò quidem hoc verbum *præstare* apud idoneos Latinitatis auctores & apud Jurisconsultos maximè, significat non tantum dare aut tradere; sed etiam damnum rei omne ac periculum sustinere, & aliud ab omni danno ac periculo liberare. Quo sensu dicitur venditorem teneri ad præstandum virium rei venditæ, & casus fortuitos a nemine præstati, l. 23. ff. de reg. jur. Ita M. Tull. lib. 3. offic. ait, magni esse judicii statuere, quid quemque cuique præstare oporteat: & rursus in Topicis, quid eum qui mandasset, cumve qui mandatum esset, alterum alteri præstare oporteret. Eoque sensu dare, facere, & præstare distinguuntur à Paulo in l. 3. ff. de oblig. & art. Obligationum (inquit) substantia non in eo consistit, ut aliquid corpus nostrum, aut servitutem nostram faciat, sed ut alium nobis obstringat ad dandum aliquid, vel ficiendum, vel præstandum. At vero hæres tenet præstate evictionem legatario, l. hæres 72. ff. ad SC. Trebell. ita ut si testator siverit rem legatam esse alienam, tencatur legatario estimationem præstare: Sin autem id ignoraverit, de evic-

tione non teneatur ; *l. cùm pater*, *§. evictis*, *ff. de leg. 2.* quia in illo casu legatum non debetur, *§. non solum Inst. de legat.* Cùm verò rem obligatam legavit, tenetur hæres eam rem luere, & ab omni hypotheca liberam præstate, *§. sed & si rem Inst. eod. tit.* hæc enim esse videtur voluntas testatoris, qui sciens rem obligatam legavit. Idemque juris est, cùm voluit legatarium eam rem luere; si id non expreserit, *§. sed si rem Inst. de leg.* Atque ita distinguitur legatum a vera donatione, in qua neque donator, neque hæres ipsius tenetur de evictione, *l. Aristo*, *§. ult. ff. de donat.* & *Paul. lib. 5. sent. iii. §. 5.* quia nemo debet pœnam suæ liberalitatis sustinere, *l. 62. ff. de Edil. edit.*

Confirmatur 2. hæc adjectio ex eo quod hæres quasi contrahat cum omnibus legatariis, *l. 5. §. hæres quoque*, *ff. de oblig.* & *att.* & *§. hæres quoque Inst. de oblig.* que ex conir. nasc. Ubi cùm genera legatorum non distinguuntur, sequitur manifestè, hæredes omnibus indistinctè legatariis actionein personam obligari, *arg. l. de pretio*, *ff. de public. in rem att.*

Tertia ratio desumitur ex vulgata illa juris locutione, quâ testator dicitur legata ab hæredibus reliquere, vel ab uno hærede nihil fuisse legatum, sed ab altero dumtaxat, *§. 1. sup. de L. Falcid.* quibus verbis designatur hæredi alicui præstationem legatorum incumbere.

Quarta ratio pender ex eo quod his verbis distinguuntur legata à fideicommissis & donationibus causâ mortis: quæ non minus à defuncto relinquuntur, quam legata, nec minus morte confirmantur. Quo vitio minimè laborat definitio Modestini, *l. 36. ff. de leg. 2.* ubi legatum definitur donatio testamento relictæ; quia legatum non nisi in testamento relinquitur, *§. præterea Inst. de fideicomm. hæred.* vel in codicillis testamento confirmatis, qui intelliguntur esse partes testamenti, *l. pen. ff. testam. quemadmodum aper.* donatio verò causâ mortis plerumque fit extra testamentum. Fideicommissa denique non solum testamento, sed etiam codicillis ab intestato factis, & epistolâ fideicommissariâ solo nutu relinquuntur possunt.

Quintò in *l. 15. C. de legat.* asseritur ex eo quod superest deducto ære alieno, & deductis libertatibus legata & fideicommissa præstanta esse: omnibus igitur legatis indistinctè præstatio rectè convenit.

Sextò denique vis omnis privata legibus reprobatur. Vis autem fieri dicitur; non solum cùm homines vulnerantur, sed etiam cùm quis rem sibi debitam sine Judice possidet, *l. 13. ff. quod met. can.* Ideoque Prætor per interdictum quod legatorum compellit legatarium, qui propriâ auctoritate occupavit res legatas, ut eas hæredi restituat, *l. 1. §. & continet, ff. quod legat.* ubi additur hæc unica ratio; quod æquissimum Prætori visum sit, unumquemque non sibi jus dicere occupatis legatis, sed ab hærede petere.

Superest, ut argumenta, quibus adversarii contra hanc partem arietant, pro viribus dilucamus.

Ad auctoritatem Cujacii in cuius editione defunt hæc verba, *Resp. 1.* magnam ejus nomini venerationem deberi; non tamen tantam, ut ab ejus responsis recedere non licet: quia id non est constitutum. Præterea admittenda non est comparatio manuscriptorum exempliarium, quorum origo & auctoritas ignorantur; cum immumeris aliis editionibus usâ receptissimis, in quibus hæc verba reperiuntur. Quin etiam Cujacius ipse in suo paratitl. *ff. de leg. 1.*

hanc verborum adjectionem, de quibus agitur, non solum approbat, sed etiam laudat, ut diximus ad §. 1. *Inst. de legat.*

Manuscriptorum denique librorum, quibus Contius, Russardus & Hotomanus utuntur, longè magis incerta ac dubia est fides; vel eo maximè; quod verisimile sit ea fuisse ab illis exarata, qui contrariae erant sententiae. Quin etiam Russardus ea verba retinet in ipso contextu, atque ita denotat eam esse vulgatam & usu receptam lectionem quam violare nefas duxit: sed ad oram libri dumtaxat adnotavit eas voces esse delendas, propter auctoritatem Theophili & omnia (ut ipse ait) manuscriptorum; quasi omnes in manus eius pervenerint. Theophili vero auctoritas tanta non est, ut pro regula tuta haberi debeat; cum in plures errores inciderit, quos in expositione Institutionum recensuimus.

Ulpianus in fragmentis non definitivit legatum specialiter sumptum, de quo agitur hoc loco; sed latè sumptum, prout continet etiam hæredis institutionem & dationem tutoris & libertatis, sicut fit in l. 12. tab. & prout opponitur fideicommisso: quod docet manifestè ipsa definitio, quā utitur. Legatum (inquit) est quod legis modo, id est imperativè relinquitur.

Modestinus denique ex quo Harmenopulus suam definitionem desumptus lib. 5. tit. 10. videtur magis eorum verborum vim ac potestatem retinere, quam excludere voluisse. Nam dum ait legatum esse donationem testamento relictam, scilicet innuit hæredem teneri ad illius præstationem actione ex testamento: totum liquidem negotium, quod agitur testamenti ordinandi gratiâ, creditur inter testatorem & hæredem agi, §. sed neque hæres *Inst. de testam. ordin.* nec dubium est hæredem adeundo hereditatem, cum legatariis quasi contrahere, l. 5. §. hæres quoque, ff. de obl. & act.

Transeo ad probationes illas quæ depromuntur ex natura singulorum legatorum, tam ex jure novo, quam ex veteri. Et primò suppono id quod superius probatum est, præstandi verbum non tantum tradendi vim habere, sed etiam periculum omne ac damnum sustinendi; & quodammodo fidejubendi pro securitate rei debitæ. Dato igitur & minimè concesso, quod aliqua sint legata, in quibus nihil ab hærede fit vel traditur, i.e. tamen non impedit, quin hæres de evictione teneatur, l. hæres 72. ff. ad SC. Trebell.

Quin etiam in singulis legatis eam tradendi necessitatem hæredi incumbere, certissimis argumentis probari potest. In legato per damnationem id probare frustra esset, quod nullus inficiatur aut iniciari potest; cum ex eo competat haud dubiè actio in personam. In legato quoque per vindicationem idem juris esse ob eamdem causam dicendum est. Licet enim Theophilus tantum afferat ex legato per vindicationem oriri actionem in rem, (quod & nomen ipsum indicat satis) hoc tamen non impedit, quin competit etiam illi legatario actio in personam adversus hæredem, etiam ex jure veteri, l. cum filius 76. §. variis, ff. de leg. 2. l. si pluribus 33. l. 84. §. ult. & l. 85. ff. de leg. 1. unde sequitur, hæredem in legato per vindicationem obligari ad rei legatae præstationem, cum actio in personam ex obligatione nascatur, §. 1. *Inst. de act.*

Nec moveret quod in eo legato dominium rei legatae mortuo testatore recta via transeat in legatarium, cum necesse sit ut hæres rem tradat, sive possessionem ejus transferat in legatarium: adeò ut legatarius, qui propriâ aug-

toritate *cam* occupavit, teneatur *cam* hæredi restituere; ut possit perinde hæredem postea convenire, l. 1. §. 2. ff. quod legat. Cujus rei unica ratio ibidem additur; quia æquissimum Prætori visam est, unumquemque non sibi ipsi jus dicere occupatis legatis, sed ab hærede petere, ut supra diximus. Nec placet recursus ad divinatorem illam rationem, quod ex L. Falcidia retentio quartæ, non vindicatio ejus aut repetitio permitta sit: hoc enim refutatum est ad §. sed quia stipulations Inst. de fideicommissis hæredi.

Quamvis autem in legato finendi modo, hæres pati tantum teneatur, ut legatarius rem legatam occupet, non tamen celsat hæredis præstatio; quia *cam* patientiam præstare debet; tum etiam quia patientia pro traditione habetur, §. interdum Inst. de rer. divis. & l. ult. ff. de servitur.

Ex legato denique per præceptionem comperit actio familie circumsundæ, quæ mixta est, id est in rem & in personam, §. quadam de action. apud Just. Nec dubium est, quin legatario competat actio evictiōis nomine; cum divisio bonorum vicem emptionis obtineat, l. 1. C. commun. utr. jud. atque ita cohæres à hærede hoc legatum intelligitur accepisse: nam hæredi à se ipso legari non posse certi juris est, l. 116. §. 1. ff. de leg. 1.

Argumentum quod deducitur ex nova Justiniani constitutione, l. 1. C. comm. de legat. & fideicommissis. parum urgere videtur: cum sit ex eorum numero, quæ Græci ἀντερπεριστα, Latini reciproca dixerunt, eo quod possint in auctorem retorqueri, A. Gell. lib. 5. cap. 10. Dices, ex legatis singulis oritur non solum actio in personam, sed etiam in rem & hypothecaria. Esto: quid tum? Anne ideo minus hæres obligatur legatario, quod ab eo, non solum personali, sed etiam reali judicio potest conveniri? Quā in re maximè expendendum est, quod actionis electio pendeat ex arbitrio legatarii, non hæredis, d. l. cum filius, §. variis, ff. de leg. 2. Nec fortius urget altera nova ejusdem Justiniani constitutio, l. 2. C. cod. Cum enim à legatario legatum relinquatur, initium præstandi sumitur ab hærede. Præterea id legatum non jure legati validum est; sed solo jure fideicommissi ex d. l. 2. ubi fideicommissa legatis, & vice versa legata fideicommissis exæquata sunt; non tamen cum illis confusa, sicut dictum est ad §. sed non usque Inst. de legat. Ideoque Justinianum post eam adæquationem non piguit asserere, à legatario legari non posse, in pr. de sing. reb. per fideic. relit.

Quod autem attinet ad legatum liberationis, dici non potest, nihil in eo ab hærede præstari; cum possit compelli à debitore ut liberet eum, §. si quis debitori Inst. de legat. neque enim per solum liberationis legatum, debitor ipso jure liberatur, ut ad eumdem §. fusè diximus.

Sed cum testator ipse legatum testamento relictum præstat legatario post conditum testamentum, hæres ad præstationem quidem non adigitur; quia id factum à testatore præsumitur animo extinguendi legati, & in repræsentationem ipsius. Secundò, quia in dubio hæredi parcendum est, l. Sempronius, ff. de leg. 2. neque enim præsumuntur faciles defunctorum in onerancis hæredibus voluntates, l. unum, §. si rem tuam, ff. eodem. Tertiò denique, quia bona fides non patitur ut idem bis exigatur, l. bona fides, ff. de reg. jur. Non tamen ideo minus ea est generalis legatorum natura, ut hæredi necessitatē imponant præstandi id quod relictum est: idem enim juris effectus in cæteris etiam negotiis & judiciis locum habet, ut sint absolutoria; si ante sententiam

Judicis solutum fuerit id quod debetur , §. ult. *Inst. de perpet. & temp. ab. nec*  
ullus est qui velit inferre contractū obligationem non parere , ex eo quod  
solutione ejus quod debetur , tollatur omnis obligatio , in pr. quib. mod. toll.  
*oblig. apud Just.*

Concludamus igitur in legati definitione rectè adjici hæc verba : *Ab herede*  
*prestanta.*



## DISSERTATIO SECUNDA.

### AD L. PRECIBUS 8. C. DE IMPUBERUM & aliis substitutionibus.

*Impp. Diocl. & Maxim. AA. & CC. Patrone.*

**P**RECIBUS tuis manifestius exprimere debueras , maritus quondam tuus miles defunctus , quem testamento facto , hæredem communem filium vestrum instituisse proponis , & secundum hæredem scripsisse : utrumne in primum casum , an in secundum , filio suo , quem habuit in potestate mortis tempore , si intra decimum-quartum suæ ætatis annum , aut postea deceperit , substituerit . Nam non est incerti juris ; quod siquidem in patris militis positus potestate , primò tantum casu habuit substitutum , & patri hæres extitit ; eo defuncto , ad te omnimodo ejus pertineat successio . Si vero substitutio in secundum casum , vel expressè , vel compendio ; non usque ad certam ætatem facta reperiatur : siquidem intra pubertatem deceperit , eos habeat hæredes , quos pater ei constituit , & adierint hæreditatem . Si vero post pubertatem , tunc ejus te successiōnem obtinente veluti , ex causa fideicommissi , bona quæ cùm moreretur patris ejus fuerint , à te peti possunt : S. V. Id. April. AA. Coss.

**H**UJUS Legis , quæ una est ex illustrioribus ad substitutiones pertinentibus , species ita debet constituī.

Mulier quædam Patrona nomine , precibus oblatis Imperatores Diocletianum & Maximianum adierat , quibus precibus exponebat Titum militem maritum suum , testamento suo filium communem Maxium impuberem hæredem instituisse ; eique filio suo Sempronium directis verbis substituisse : & rescribi

tibi postulabat; an mortuo filio suo ipsa succederet, vel substitutus. Aditi Imperatores existimacunt illum juris nodum siue distinctione solvi non posse; eò quod precios illis narratio facti non esset exactè, ut oportebat, inferta; neque esset expressum quodnam genus substitutionis a testatore factum esset, nec quā aetate filius decessisset. Cum autem jus ex facto oriatur & pendeat, *l. si ex plagi, §. in clivo, ff. ad L. Aquil.* ideo praefati Imperatores rescripserunt adhibita distinctione in hunc modum. Si fuerit facta substitutio in primum casum, id est vulgaris, & pupillus per immixtionem haeres extiterit; substituto excluso, sola mater ad filii hereditatem vocatur ex hoc rescripto, quandocumque filius decesserit. Sin autem facta sit ab illo milite substitutio pupillaris expresa; vel quæ compendio verborum pupillarem contineat his verbis: *quandocumque filius decesserit, Sempronius haeres esto;* & filius impubes mortuus sit: tunc solus Sempronius substitutus ad omnia bona pupilli undecumque acquisita vocabitur, matre exclusa. Sin vero filius post pubertatem decesserit, mater in omnibus filii sui bonis succedet: ita tamen ut ea quæ a patre ad filium pervenerint, Sempronio compendiosè substituto jure fideicommissi restituere compellatur. Si quid autem aliud pupillus ex hereditatibus, legatisve, aut donationibus propinquorum, aut industria sua, vel fortune beneficio acquisierit; id omne ad matrem pertinebit, in ejus arbitrio ac ditione mansurum.

Tres itaque sunt partes hujus rescripti. In prima, pupillaris substitutio tacita matrem à filii successione non excludit. In secunda, matri praesertim pupillariter expresse substitutus. In tertia denique, compendio facta à milite substitutio, medio quodam jure & matrem & substitutum ad successionem simul vocat.

## P A R S P R I M A.

### *De tacita pupillari substitutione.*

**A**DVERSUS primam partem, dubitandi ratio moveri videbatur *ex l. jam hoc jure q. in princ. ff. b. t.* unde constat patrem, qui in alterum casum filio suo impuberi substituit, in utramque casum substituisse presumi **ex constitutione Divi Marci & Veri.** Cum igitur certissimum sit omnes haereses legitimos excludi à successione pupilli, eti pupillariter substitutum est, ut constat *ex hac ipsa L. nostra*; videbatur dicendum matrem in hac hypothesi filio suo ab intestato non succedere, sed potius Sempronium vulgariter substitutam. Idque confirmatur **ex eo** quod quandiu est aliquis haeres **ex testamento**, haeres legitimus excluditur, *l. quandiu, ff. de acquir. hered.* nec dubium est, quin pupillaris substitutio sit testamentum ipsius pupilli, *l. 2. in pr. ff. hoc tit. & l. 8. §. sed nec impuberis, ff. de inofficio testam.*

Ratio decidendi pendet **ex eo** quod post aditam hereditatem vulgaris substitutio expirat, *l. 5. C. b. t.* ac proinde cum filius haeres scriptus a patre ei haeres extiterit in nostra specie, manifestum est Sempronium vulgariter substitutum ab ei substitutione removeri: quippe defectum conditione illa, si filius

*filius heres non erit*, sub qua fuerat institutus. Quod jus maximè extoit sit aquitatis contemplatio ; quia aquissimum fuit, ut cum deficit hæres testamentarius turbato ordine mortalitatis, luctuosa filii successio matri concedatur, *l. 15. ff. de inoff. testam.* ne & filii amissi simul & substantia etiam ejus jacturam & dolorem sustineat, *l. 6. ff. de jure dot.* & *l. 7. §. ult. ff. si tabule testam. nullæ extabunt;* & ne matri, quæ amisit filium, invideantur tam exigua ingentis luctus solatia.

Neque obstat quod in rationem dubii allatum est. Licet enim ille, qui pupillariter exp̄ressè substitutus est, matrem à successionē excludat, ut ex proximè sequentibus apparebit; inde tamen non sequitur, eamdem competere prærogativam ei qui tacita dumtaxat pupillari substitutione manuitur. Non est tiquidem eadem vis taciti & exp̄ressi, juxta vulgatam regulam, Expressa nocent; non exp̄ressa autem non nocent, *l. expressa 195. ff. de reg. jur.* Nec præsumendum est, testatorem matri cuius auxilio maxime indiget pupillus in tenera aetate, voluisse hanc injuriam irrogare, quæ possit ejus in filium affectum minuere, cum ex diverso patres soleant filiorum tutores legati honore prosequi; ut eos ad suscipiendum onus tutelæ magis impellant, *l. amicissimos in pr. ff. de excus.*

Obstare videtur *l. ult. sup. de instit. & substit.* cujus est hæc species : Titius Mæviam uxorem ex parte hæredem scriperat, & ventrem ex altera parte, & adjecerat : *Si posthumus natus non fuerit, ex ea patre Sc̄ens hæres esto.* Mortuo testatore posthumus natus est, & impubescessit. Quæritur an substitutus matrem excludat, vel mater substitutum ? Decidit Just. solam matrem succedere excluso substituto, hæc additâ ratione : *si enim sua substantia partem uxori dereliquit, multò magis & luctuosam hereditatem ad matrem venire curavit.* Unde inferendum videbatur in specie *L. nostræ* & in cæteris casibus, in quibus mater non est filii cohæres; matrem à substituto excludi, cessante hujusmodi præsumptione; quia (ut vulgo dicitur) exceptio firmat regulam, *l. ex eo, ff. de testib.*

Verèm resp. in hac unica ratione Justiniani, duas contineri; si vis ac potestas ejus & verborum quibus uritur exactè perpendatur, quæ est hujusmodi. Si testator sive substantia partem uxori dereliquit, quæ uxori non debebatur; multò magis credendum est, eum luctuosam filii hæreditatem, quæ matri debetur ex SC. Terrylliano, ei adimere noluisse : unde sequitur, matrem præferti certa & generali ratione vulgariter exp̄ressè substituto, *l. 4. in pr. ff. b. t.* Rationem vero illam Justinianus maluit tamquam præcipuum achibere *in d. l. ult.* quia magis propria facti & casus propositi erat, & nova, & a se inventa. Generalem tamen non contempsit; sed eam dumtaxat innuere voluit, tamquam omnibus perspectam & exploratam. Quo etiam modo *in l. cum accusissimi 30. C. de fideicommissum* liberis à testatore impositum vires nullas habere, nisi hæres institutus sine liberis decesserit, probat cæratione; quod non videatur testator alienas successiones suis anteponere voluisse. Unde nemo inferre debet hoc jus cessare, si substitutus non fuerit extraneus, sed unus ex liberis. Constat enim Papinianum, ex quo id depromptum est, idem jus amea statuisse; cum substitutus est filius & institutus nepos testatoris, *l. cum avus 102. ff. de cond. & demonstr.* ubi affertur ratio generalis, quod con-

jectura pietatis præsumptionem inducat, minùs scriptum fuisse quād dictum esset à defuncto.

Objicitur iasuper quod dicitur in *l. Lucius Titius* 45. §. aliter, ff. b. t. Si ejusdem ætatis liberi à patre fuerint hæredes instituti & invicem substituti, altero defuncto intra pubertatem; ejus successionem non ad matrem, sed ad substitutum devolvi: unde constat e videtur substitutum ex vi tacitæ pupillaris, matri præferti. Veum non diffiteor, filios testatoris sibi invicem substitutos, matre esse præferendos, solá vi ac potestate pupillaris tacitæ substitutionis; sed contendo idem jus non competere extraneo substituto. Quemadmodum enim æquum est matrem naturæ cedere; ita quoque iniquum esset matrem ab extraneo excludi. Præterea textus oppositus est maximè dubiae fidei; cùm non reperiatur in Pandectis Florentinis aut Noricis, neque in editione Gothofredi aut Russarii, neque in Basilicis, sed in sola editione Accursii. Tertiò non agitur in *d. §. aliter de tacita pupillari*, sed de reciproca, quæ à tacita cingitur. In tacita enim necesse est, ut verbis defuncti suppleatur: in reciproca verò sufficit sola verborum interpretatio, ac proinde expedita pupillaris esse videtur; cùm non minùs ex verbis oriri intelligatur, quod ex justa interpretatione descendit, quād illud quod verbis expressum est, *l. 6. §. 1. ff. de verb. signif. & toto tit. Inst. de leg. parr. tut.* Quartò denique validum ex §. *opposito* in adversarios retorquetur argumentum. Namque hoc jus proponitur tamquam proprium liberorum ut excludant matrem, si verba ipsius attente expendantur: ergo non pertinet ad alios tacitè pupillariter substitutos.

Non assentior itaque existimantibus in substitutione vulgari expressa facta à milite, non contineri tacitam pupillarem; et quod miles non amplius sensisse videatur, quād dixerit, *l. Lucius in fin. ff. de testam. mil.* quia milites sunt juris imperiti, *l. ult. cod. de jur. delib.* ideoque de his, quæ ad jus pertinent, non videntur cogitasse. Hec, inquam, ratio non placet; quia substitutione à milite facta, verbis civilibus & cirectis per fidicommisum facta intelligitur, *l. centurio 15. ff. b. t.* licet hæc favorabilis interpretatio paganis concessa non sit. Ergo à fortiori substitutione facta à milite in primum calum, censebitur etiam ab eo facta in secundum: & vice versa, sicut accidit in substitutionibus paganorum, *l. 4. ff. b. t.* ac proinde non tantum miles creditur voluisse quod expressit, sed etiam illud quod lex præsumit testatorem quemlibet voluisse. Alioquin enim sequeretur, longè minora esse militum jura in condendis testamentis, quād paganorum; aut privilegia esse aliqua militibus indulta, quæ in eorum injuriam retorquentur; quod juris principiis refragatur, *l. 6. cod. de legibus.* Et sane in *d. leg. Lucius Titius* non obstante militis ignorantia, libertas ancillæ competit, quam sine libertate hæredem scriperat.

Concludamus igitur necesse est pupillarem tacitam substitutionem sub vulgari expressa à milite facta tacitè contineri in nostra hypothesi; non tamen eam tanti esse momenti, ut matrem, ad quam summus mœror ex morte filii pervenit, à luctuosa ejus hæreditate submoveat; quod etiam pluribus decretis amplissimi ordinis judicatum fuisse refert Oliva Menilius, *lib. 3. cap. 30.* Verum si mater ante filium moreretur, ideoque non posset pupillarem hæreditatem acquirere, succederet pupillo substitutus, *l. ult. cod. de instit. & substit.* idemque juris est, si mater propter omissam tutoris petitionem ab-

hæreditate pupilli excludatur, l. sciant, cod. de leg. hered. & l. 2. §. si mater, ff. ad SC. Terryll. aut si nolit eam hæreditatem agnoscere; quia privilegium matris, quod effectu caret, impedimentum substituto præstare non debet, cap. non præstat, de reg. jur. in 6.

## P A R S   S E C U N D A.

*De expressa pupillari substitutione.*

**I**N hac parte statuunt Imperatores, si à patre pupillariter filio substitutum sit, vel exprestè vel compendio verborum sine certæ ætatis præfinitione, & filius intra pubertatem deceperit, hæredes fore substitutos, si modò adierint hæreditatem. Unde sequitur, matrem eo casu à filii successione excludi: idque adeò verum est, ut ad petitionem portionis legitimæ non admittatur.

Rationem dubitandi movere videbatur, quod fictioni plus juris tribuendum non sit, quam veritati, §. minorem, & §. fæmina Inst. de adopt. Atqui filius, qui sibi testamentum facit, non potest matrem defraudare successione suâ, aut saltem portione legitimâ, quæ ei debetur miserationis intuitu, l. 7. §. ult. ff. si tab. test. null. extab. & l. 15. ff. de inoff. test. Videbatur igitur dicendum substitutionem pupillarem, quæ habetur pro filii testamento, ita fieri à patre non posse, ut mater utroque illo jure privetur; sed eo dumtaxat modo, quo filius uti deberet, si posset ipse testari: quo casu teneretur præferre extraneis parentes suos, nec minus matrem, quam patrem. Quamvis enim inæqualis sit patris ac matris potestas in liberos, aqua tamen pietas omnibus debetur, l. 4. ff. de curat. furioso; & una omnibus servanda est reverentia, l. 6. ff. de in jus voc.

Ratio decidendi pendet ex summo jure patriæ in liberos potestatis, quæ tanta fuit antiquitus, ut jus vita ac necis contineret, l. 11. ff. de lib. & post. & l. ult. C. de patr. pot. ex qua etiam fluxit jus exhæredandi, d. l. 11. jus tutores liberis dandi, §. permisum Inst. de tut. jus ter filium vendendi ex l. 12. tab. sicut testatur Dion. Halycarn. lib. 2. & jus pupillariter substituendi filio impuberi; quod moribus dicitur inductum, l. 2. ff. b. t. sicut patria potestas, l. 8. ff. de his qui sui vel al. jur. sunt. Ideoque nec parer potest substituere liberis emancipatis, d. l. 2. quia per emancipationem patria potestas dissolvitur, §. præterea Inst. quib. mod. jus pat. pot. solv. neque mater ullis liberis; quia nullus habet in potestate, §. fæmina de adopt. ap. Just. His de causis mirum esse non debet, quod pater potuerit quemcumque vellet filio suo pupillariter substituere, & ipsam etiam pupilli matrem excludere; cùm non debeat, cui plus licet, quod minus est non licere, l. non debet 21. ff. de reg. jur. Præterea cùm nullus sit affectus, qui vincat paternum, l. ult. in pr. C. de curat. furioso. præsumendum est patrem de bonis pupillarijus testari certo iudicio ac providentiâ. Miligna enim aliquando de matre suspicio est: idque pupillo tunc expedit aliud habere successorem, si impubes deceperit, & paternum iudicium servari.

Neque obstant quæ in rationem dubii adduximus; quia multa singularia in pupillari substitutione recepta sunt, & præter rationem juris communis. Primum enim licet aduersetur *l. 12. tab.* ex qua patribus familias de rebus tantum suis testamento disponere permisum est, *l. 120. ff. de verb. sign.* favor tamen pupilli & auctoritas patriæ potestatis evicerunt, invitâ quoammodo jurisprudentiâ, ut substitutio illa contineat bona pupilli aliunde quam a patre acquisita, & quæ numquam patris fuerunt, *§. non solum Inst. de pup. subst.* Præterea quamvis in eo duplicitate sit testator unicus, & una testamenti solemnitas, & unica in eo servetur Falcidia, *l. 11. §. quod vulgo, ff. ad L. Falcid.* agitur tamen in eo de duplicitate, videlicet patris & filii, *§. igitur Inst. b. t. & l. 2. §. prius, & l. 20. ff. cod.* Tertiò denique mater eo testamento præterita agere non potest in officiis querelâ; quia non filius, sed pater filio testamentum hoc fecit, *l. 8. §. sed nec impuberis, ff. de inoff. test.* licet alias actio in officiis ei competeteret, si filius ipse testamentum concidisset, *l. 15. ff. cod.* Ratio diversitatis est, quod filio mater nihil possit imputare, qui testamentum non fecit; neque illum insinuare colorem obtendere, qui necessarius est in illa actione, *l. 2. ff. cod.* Nec rursùm de marito potest conqueri; quia leges nullam marito imponunt necessitatem hæreditatis uxori relinquenda: quin potius vetant ne quid relinquant conjuges sibi invicem ultra decimam partem bonorum, *Vlp. tit. de decimis.* Frater quoque ejusdem impuberis eo pupillari testamento præteritus querelam hujusmodi movere non potest; quia filii testamentum est, videlicet quoad hæreditatem, *d. §. sed nec impuberis;* licet alias liberis haud dubiè testamentum à parentibus conditum, in quo sunt præteriti vel exhaeredati, licet impugnare, *l. 1. & l. 3. ff. cod.*

Cùm igitur in his quæ contra rationem juris constituta sunt, non possumus sequi regulas juris, *l. 15. ff. de legib. mirum esse non debet,* quod assertant *in hac leg.* Imperatores, per substitutionem pupillarem expressam matrem à filii successione excludi.

## P A R S   T E R T I A.

### *De compendiosa substitutione.*

**N**on est incerti juris substitutionem compendio factam à milite his verbis, quandocumque filius deceperit, *Mævius heres esto;* vim habere vulgaris substitutionis, si filius vivo testatore deceperit; quia hæc substitutio eo casu pro vulgari habetur. Non est etiam dubitandum, quin pro pupillari expressa habeatur, si is cui substitutus impubes deceperit, ut expresse assertur *in l. nostra.* Sed illud est difficilius si testator miles filio suo impuberi compendio ita substituerit, vel cum præfinitione certæ ætatis ultra pubertatem, v. g. si filius deceperit ante annum 25. *Mævius heres esto:* an post puberitatem substitutio vires habeat. Rescribunt Imperatores, successionem pupilli ad matrem ejus eo casu pertinere; ita tamen ut mater bona quæ pupillus à

patre accepit, veluti ex causa fideicommissi substituto reddere compellatur; quod etiam confirmatur *ex l. Centurio 15. ff. b. t.* unde constat hoc jus etiam in quolibet alio herede legitimo praeter matrem locum habere. Quia de re a sententia interpres omnes convenient: unde sequitur ea bona, quae pupillus aliande adeptus est, penes matrem integra remanere; quia nemo potest onerari fideicommisso ultra id quod a defuncto accepit, *l. ab eo C. de fideicom. & §. 1. Inst. de sing. reb. per fideic. relicit.*

Verum illud est controversum in familia Doctorum; an substitutio de qua hic agitur sit directa, quae ideo speciali nomine militaris appellatur; an vero sit verum fideicommissum: ita ut verba directa trahantur ad precaria favore militiae.

Priorem sententiam tuentur varia argumenta. Primum deducitur *ex l. 6. C. de testam. milit.* ubi dicitur licere militibus proprio privilegio etiam hereditibus extraneis, postea quam heredes extiterint mortuis, substituere. Atqui si miles posset tantum illis substituere per fideicommissum post acquisitam hereditatem, nullum esset militiae privilegium; cum paganis quibuslibet id permisum sit, *§. ult. Inst. de pupil. substit.* Superest igitur ut dicamus posse militem extraneis post acquitatem hereditatem substituere directo, & liberis in ipsis suis post pubertatem, quorum eadem est ratio, *d. §. ult.* ac consequenter valere hujusmodi substitutionem jure directo, non jure fideicommissi.

Secundum argumentum sumitur *ex l. centurio 15. ff. b. t.* ubi supponitur, curationem aliquem filiis suis, si intra quintum & vigetimum aetatis annos sine liberis deceperint, directo substituisse: & additur, (Intra quatuordecim annos etiam propria bona filiorum substitutus iure communi capiet: post eam auctem aetatem ex privilegio militum patris dumtaxat, cum fructibus inventis in hereditate.) Ex quibus verbis colligendum videtur, substitutum acquirere bona patris directo, cum nulla eo loco de fideicommisso fiat mentio. Auger dubitacionem verbum capiet in *d. l. 5.* hoc enim directum est, ut apparat ex formula legendi per vindicationem & per præceptionem.

III. Objectio deducitur, ex eo quod inutile esset verba directa & civilia infierere, & ad fideicommissum trahere; cum in testamento militis cesseret auctoritas *L. Falcidiae, l. 12. C. de testam. milit.*

IV. Denique in Lege nostra asseritur, bona quae patris fuerint cum morerentur, veluti ex causa fideicommissi peti posse: ergo non est hoc loco verum fideicommissum, sed sola fideicommissi similitudo; quae in eo tantum consistit, ut sicut paganus testator heredem non potest onerare ultra illud quod ei testamento concesserit; ita nec miles per hanc substitutionem directam compendio verborum factam, aliud quidquam transferat praeter bona, quae habuit cum moretur.

Non obstantibus his argumentis, contrariam sententiam libens amplector; eamque primum confirmo *ex §. pen. Inst. de donat. & l. ult. C. de don. ante nupt.* Unde constat, non esse permittendum ut parum convenientia rebus nomina tribuantur. At vero maxime inconveniens nomen esset, si appellaretur directa substitutione quae solius fideicommissariæ habet effectus, nullum directa. Hoc autem maximè est perspicuum in hac causa. Nam si per fideicommissum miles substituit let filio puberi, certè substitutus sola patris bona obtinuerit, cum fructibus inventis in hereditate, qui hereditatis partem faciunt, *l. 44. §. 1. ff. ad SC.*

Trebell. non autem bona pupilli aliunde quæsita; quæ fideicommissio obnoxia non sunt, ut antea diximus. Cum autem valet substitutio directa filio facta, omnia indistinctè boni ad substitutum pervenient. Quidni igitur huic substitutioni metum fideicommissi nomen tribamus?

Præterea in rebus novis constituendis evidens esse utilitas debet, ut recedatur ab eo jure, quod diu æquum visum est, *l. 2. ff. de const. Princ.* At vero in toto juris corpore receptæ sunt tantum tres species directarum substitutionum legibus, vel moribus, vel constitutionibus expressim constitutæ; vulgaris scilicet, pupillaris & exemplaris: (nam reciproca & compendiosa novum casum aut effectum directæ substitutionis non continent) nullibi vero fit mentio directæ illius militaris substitutionis, que nullam ferè habet aliam utilitatem, quam substitutionis fideicommissaria; neque ullà nititur æquitate, aut necessitate. Non debemus itaque ita esse solliciti de inani illo titulo propugnando, ut novas directas substitutiones, sola auctoritate interpretationis, inutiliter inducamus.

Tertiù denique illa quæ directo ex testamento debentur, ipso jure competunt sine ullo heredis facto, *§. pen. Inst. de sing. reb. per fideicomm. relicit.* Non igitur hæc substitutio directa est, quæ ipso jure non competit substituto: quandoquidem (sicut fieret in causa fideicommissi expressi) substitutus agit adversus matrem, ut sibi bona à patre quæsita restituat.

Ad primum argumentum respondeo, privilegium quod militi competit, ut filio postquam pubes factus fuerit, directo substituat, non in eo politum esse, ut hæc substitutio valeat jure directo; sed in eo dumtaxat, ut verba directa pro precariis habeantur, & ut jure fideicommissi & secundum illius naturam effectum aliquem habeat voluntas testatoris. Sicut enim Justin. Imperator cum legata voluit adæquare fideicommissis, *l. 2. C. comm. de legat.* non constituit ut ab intestato valerent tamquam legata, & directo jure, sed tantum ut valerent jure fideicommissi, *d. l. 2. & §. preterea Inst. de fideicomm. hered.* ita quoque idem hoc loco de illo militis privilegio dicendum est: in quo juris autores receptionis juris principiis vim inferre noluerunt; quod etiam in aliis juris locis deprehendere est. Hoc autem privilegium militare modicum non est, cùm in ultimis elogiis paganorum substitutio directa puberi filio vel cuiuscumque extraneo facta, ad fideicommissum non trahatur, *§. pen. & ult. Inst. de pupillari substitutione.*

Ad secundum argumentum respondeo, substitutionem quidem factam esse verbis directis à milite in specie *d. l. 15.* non tamen valere jure directo, sed solo jure fideicommissi. Licet enim fideicommissi nomen in ea non reperiatur, sufficit tamen ad id designandum, quod solius fideicommissariorum substitutionis effectus ei tribuantur, non vero effectus directæ. Et rursus licet verbum *capito* sit directum in formula legatorum, non tamen sequitur verbum *capiet* significare substitutionem directam in *d. l. centario*, cùm ex se significet solam acquisitionem dominii, *l. cepisse, ff. de verb. sign.* Nec dubium est, quia fideicommissum sit modus acquirendi dominii, *§. ult. Inst. per quas person. cuique acquir.*

Ad tertium respondeo 1. rationem illam oppositam retorqueri facile posse in adversarios, ut supra ostendimus. Respondeo 2. substitutionis directæ hunc esse effectum, ut substitutus possit statim agere petitione hereditatis adversus

eos qui pro hærede vel pro possessore possident, l. 9. ff. de pet. hæred. & rei vindicatione contra quoscumque alias possessores, l. in rem in pr. ff. de rei vind. & l. un. C. de alien. jud. mut. caus. fac. At verò ex substitutione fideicommissaria, competit primum fideicommissi persecutio, sive actio contra hæredem scriptum aut legitimam à quo fideicommissum relatum est: post restitucionem verò fideicommissi competit fideicommissario fideicommissaria hæreditatis petitio contra eos, qui pro hærede vel pro possessore possident, & utilis in rem actio contra ceteros possessores, §. & Neronis Inst. de fideicomm. hæred. Cum igitur Imperatores substituto actionem dumtaxat concedant adversus matrem hæredem legitimam in nostra specie, nec ulla fiat mentio de ceteris possessoribus; manifestum est ad solam fideicommissi persecutionem, non ad petitionem hæreditatis, eam petitionem pertinere.

Ad quartum denique respondeo, particulam *veluti*, non tantum rei similitudinem, sed etiam rei veritatem exprimere. Unde quoties alicui gradus Doctoris indulgetur *tamquam optimè merito*, non designatur eum similem esse factum optimè merito, sed eum revera esse optimè meritum. Eaque duplex acceptio vocis *veluti*, *tamquam*, *vel similis*, maximè elucet ex narratis ab Eminentissimo Cardinale Bentivoglio lib. 1. de induciis Belgicis. Nam cum Batavi nollent ullas iniuste vel audire pacis conditiones cum Hispaniarum Rege & Austriae Archiduce, nisi prius declarasset se cum Batavis *tamquam* cum Provinciis & Ordinibus liberis velle foedus contrahere, & in quos nihil omnino juris haberent; Principes illi eam declarationem non recusarunt; particulam illam *veluti* comparative interpretantes, non quasi Batavi veram & legitimam libertatem obtinebant. Atque ita hujus vocis homonymia primum fuit pacis illius fundamentum.

Ex his apparet, substitutionem compendiosam factam à milite, si filius post pubertatem deceperit, trahi ad fideicommissariam, & ad substitutum ea dumtaxat bona pertinere jure fideicommissi, quæ a patre accepit; cetera verò penè matrem remanere jure successionis legitimæ ex SC. Tertulliano. In paganis autem directa verba non habentur pro precariis jure civili, ut expositum est ad §. pen. Inst. de pup. subst.

Neque obstat L. Scavola 76. ff. ad SC. Trebell. ubi cum pater filium suum impuberem testamento hæredem scripsisset, eique codicillis in secundum casum plures substitueret; quamvis directa substitutio codicillis facta non valeat; benigna tamen interpretatione mater, quæ ab intestato succedit filio, substitutis fideicommisso obligatur. Namque eo casu valde admodum singulari pupillus intra pupillares annos deceperit, intra quos pater ei substituendi jus habuerat; cum filius sibi ipsi testamentum facere non posset. Ideoque merito in favorem pupilli verba directa inflectuntur; quod fieri solet quoties testator habuit animum conficiendi codicillos, arg. l. 1. ff. de jure codic. sicut accidit in specie d. l. Scavola. Quod mirum esse non debet; cum codicilli sint instrumentum jure destinatum fideicommissis faciendis. Aliud est, cum paganus testator filio puberi post pubertatem testamento substituit; quia tunc pubes sibi ipsi testamentum facere potest, nec testator habuit animum conficiendi codicillos.



## DISSERTATIO TERTIA.

AD L. EJUS XLI. ff. DE REBUS CREDITIS,  
quam mihi ab Amplissimo Senatu, & Venerandâ Aca-  
demia præscriptam, in argumentum triduanæ disputa-  
tionis, pro Cathedra Juris utriusque vacante, pro-  
pugnavi, in publico Juris Lycæo Tolosano, die 23.  
24. & 25. mensis Januarii, anno salutis 1667.

*Africanus lib. 8. Questionum.*

**E**JUS, qui in Provincia Stichum servum Kalendario præ-  
posuerat, Romæ testamentum recitatum est; quo idem Sti-  
chus liber, & ex parte hæres erat scriptus: qui statûs sui igna-  
rus, pecunias defuncti aut exegit aut credidit, ut interdum sti-  
pularetur, & pignora acciperet. Consulebatur, quid de his juris  
esset? Placebat debitores quidem, qui ei solvissent, liberatos  
esse: si modò ipsi quoque dominum deceßisse ignorassent. Ea-  
tum autem summarum nomine, quæ ad Stichum pervenissent fa-  
miliae quidem actionem non competere cohæredibus; sed nego-  
tiorum gestorum dari debere. Quas verò pecunias ipse credidis-  
set; eas non ex majore parte, quā ex qua ipse hæres esset,  
alienatas esse. Nam & si tibi in hoc dederim nummos, ut eos  
Sticho credas, deinde mortuo me ignorans dederis, accipientis  
non facies. Neque enim sicut illud receptum est, ut debitores sol-  
ventes ei liberentur; ita hoc quoque receptum, ut credendo num-  
mos alienet. Quare si nulla stipulatio intervenisset, neque creditam  
pecuniam pro parte cohæredis peti posse, neque pignora teneri.  
Quod si stipulatus quoque esset, referre, quemadmodum stipula-  
tus esset. Nam si nominatim fortè Titio domino suo mortuo jam,  
dari stipulatus sit, procul dubio inutiliter esset stipulatus. Quod  
si sibi dari stipulatus esset, dicendum hæreditati eum acquisuisse.  
Sicut enim nobis meti ipsi, ex re nostra per eos qui liberi vel  
alieni servi bonâ fide serviantur acquiritur; ita hæreditati quoque

ex re hæreditaria acquiri. Post aditam verò à cohæredibus hæreditatem, non æquè idem dici potest; utique si scierint cum sibi cohæredem datum: quoniam tunc non possent videri bonæ fidei possessores esse, qui nec possidendi animum haberent. Quod si proponatur cohæredes ejus id ignorasse (quod fortè ipsi quoque ex necessariis fuerint) potest adhuc idem responderi. Quo quidem casu illud eventurum, ut si suæ conditionis cohæredes iste servus habeat, invicem bonâ fide servire videantur.

**Hæc** Lex in multas & magnas quæstiones arduas latè diffunditur; ideoque merito eam Accursius tradit difficultem esse, & unam ex sex Legib[us] propriæ difficultatem damnatis in corpore Pandectarum. Unde & suaviter cicerunt nonnulli, *Lex lecta, sapientia lecta, & numquam intellecta.* *Lex ejus, dicit pejus.* Nec mirum; cùm sit deprompta ex libris quæstionum, quos à cæteris sola ferè difficultas distinguit; cùm Africanum auctorem habeat, qui nihil facile nobis reliquit, & multas diversi generis materias per universum juris corpus effusa suo ambitu complectatur.

Sed priusquam ad speciem Legis & ad singulas ejus quæstiones accedam, necessarium videtur in modum præviae cujusdam inspectionis disquirere breviter, quodnam fuerit apud Veteres officium dispensatoris de quo agitur in hac Lege; quia ex eo cardine, quæstionum ferè omnium, quæ in ipsa ciscutiuntur, pendet nouitia.

Dispensatorem definxit Theoph. *ad §. item si de mandat.* servum qui solet pecunias domini fœnori dare. Ideò autem eo nomine utebatur Varrone teste, *lib. 4. de Ling. Lat. & Feste in voce dispensatores;* quia Antiqui numquam dabant aut accipiebant pecunias, nisi ad trutinam. Eaque consuetudine, ait Plinius *lib. 33. cap. 3.* receptum esse, ut in emptionibus quæ mancipii sunt, etiam suo tempore libra adhiberetur. Atque ideo *pensionis* nomine apud Latinos solatio significatur; & omnis erogatio pecunie, sub nomine ponderis exprimitur: ita ut dicatur aliquis expendisse vel impendisse pecunias, quascumque in aliquos usus erogavit; quamvis *expendere* secundum vim vocabuli nihil aliud sit, quam ponderare.

Dispensatores itaque pecunias domini, secundum illam consuetudinem antiquitus dispensabant, seu (prout indicat præpositio loquularis) exactè pensabant cum illis, quibus illas tribuebant. Unde facilè crederem, eminasse vulgariter illam loquendi modum, quo utimur, quoties volumas designare supremum aliquem rerum arbitrum ac dispensatorem: v. g. Summum Pontificem, qui claves habet omnium spiritualium, aliquam alicui gratiam concedere. Dicimus enim quod Summus Pontifex cum eo dispensaverit, per ellipsis ut videtur nominis *gratiam vel causam* (quæ est apud nos figurarum frequenterissima) quasi dicatur Summus Pontifex cum eo cui aliquid indulget, & gratiam & cause merita ac momenta cognoscere, expendere ac dispensare.

Ulpianus servum hujusmodi appellat, exigendis domini pecuniis præpositum, *l. 18. ff. de solut.* Africanus verò in *l. n.* servum Kalendario præpositum; quia scilicet domini pecunias suas per illos servos administrabant; *l. ult. §. si in-*

*ter, ff. de verb. obl.* Erat autem Kalendarium liber in quo scriebantur pecuniae fœnori collocatae; ita dictus quod singulis Kalendis, id est primâ die cuiusque mensis, pecuniae fœnori collocarentur; & creditoris solutionem fortis aut usurarum in illius tempus Kalendarum stipularentur & conferrent, *l. Ieela b. n. t.* Unde & debitor quidam apud Aristophanem optat, ut Luna in vinculis & carcere retineatur; superaddens: Nam si Luna, id est novus mensis non redierit, nullas usuras debiturus sum creditoribus.

Is etiam dicebatur servus auctor, *l. 24. ff. depos.* Unde quem Ulpianus appellat dispensatorem, *l. 15. §. itaque, ff. de injur.* eumdem Justinianus nominat actorem in eadem facti specie, *§. pena Inst. ead. tit.* Ideoque Græcè *περιμετωπὸς* dicitur, *l. Thais §. sorore, ff. de fideicomm. libert.*

Dicebatur denique is servus *columella*, teste Donato in Phormionem ex veteri Poëta Lucilio; quasi columen familiae, in qua omnis domus inclinata recumbit. Eamque ob causam *in can. 82. Apost.* prohibetur, ne servi hanc Clerici citra domini voluntatem; quia hinc sequitur domorum eversio. Fortisan enim (ut exponit Zonaras) servus ille auctor est dominus, cuius fidei creditæ sunt pecuniae. Quin etiam licet minor *25.* annis adversus libertatem datam non restituatur, *l. 1. & passim, C. si advers. libert.* ei tamen subvenitur beneficio Principis, si servum actorem manumiserit, quasi ex magna causa, *l. 10. ff. de minor.* quia ejus servi jaætura ad totius dominus eversionem pertinet, *l. ult. ff. de offic. Pref.*

Quamvis autem dispensatoris sive actoris servi munus esset omnium optimum propter potestatem quam exercebat in domini rebus ac familia; adeo ut liberi interdum homines actus gerendi gratiâ se venundari patententur, & fierent servi, *l. 6. §. irriuum, ff. de injust. rapt. & irr. fact. testam.* erat tamen illorum conditio servorum propria, *l. 1. C. ne quis liber invitum alicui gerere cogatur, lib. 11.* ita ut dubitatum fuerit, an liber homo, propter actus gesti rationem servus factus esset, *l. liberos, C. de lib. can.* Verum numquam dubium fuit, quia servile illud dispensatoris munus finem acciperet per servi manumissionem, *l. dispensatori 51. ff. de solut. & §. item si de mandat. ap. Just.* vel propter tacitam domini revocationem; vel quia servus per manumissionem fit novus homo & alius homo, *l. servus, ff. de adim. leg. & l. qui res §. aream, ff. de solut.* sicut enim mandato finem imponit mors procuratoris, *§. item si Inst. de mand.* ita quoque servi manumissio, quæ morti æquiparatur, *l. 33. ff. de verb. oblig.*

His ita necessariâ præmissis, & ut quæstiones hujus legis debito ac perspicuo ordine dirimi possint, species ipsius hæc debet constitui. ( Titius Stichum servum suum Kalendario in provincia administrando præposuerat; cumque postea testamento suo liberum & hæredem suum ex triente esse jussicerat, & alios insuper ex reliquis partibus ei cohæreces addiderat, liberos forte homines, vel alios ipsius conservos. Is testator Romæ postmodum mortuus est; ejusque testamentum ibidem recitatum est. Cum autem domini mortem, & consequenter servi manumissionem in Provincia nemo sciret; quidam debitores Kalendarii debitas pecunias, ei servo manumisso, bonâ fide solverunt. Ipsi quoque libettinus bonâ fide alias ejusdem Kalendarii pecunias novis debitoribus fœnori collocavit; & ut eas obligationes firmaret, stipulationes interdum adhibuit, & pignora interdum accepit.) Hinc orræ sunt multæ juris quæstiones, quæ omnes ad duas partes præcipuas revocantur. Prior respicit pecunias quas

exegit à debitoribus: Posterior verò respicit eas quas de novo post mortem domini creditit.

## P A R S      P R I M A.

### *De pecuniis quas post mortem domini dispensator manumissus exegit à debitoribus hæreditariis.*

**I**llud primū ambigitur, an debitores hæreditatii, qui bonā fide solverunt hujusmodi dispensatori, omnino liberentur. Dico *omnino*; quia dubitari non potest, quin pro illo triente, ex quo actor factus est hæres, ac proinde creditor liberatio contingat; cum nomina ipso jure divisa sint inter cohæredes ex L. 12. tab. l. 4. & l. 25. §. 1. ff. fam. ercise. Sed tota quæstio veritutē circa reliquum bessem, qui pertinet ad cæteros cohæredes. Respondet Africanus, debitores qui ei solvissent, liberatos esse; si modò ipsi quoque dominum deceſſile ignorarent.

Dubium movebat primò quod is qui solvit alteri quam creditori, non liberatur, *l. 12. C. de solut.* Secundò, quod facultas quam debitor habet solvendi dispensatori, per manumissionem ejus finiatur, ut antea dictum est; sicut facultas solvendi adjecto, solutionis gratiâ, per ejus capitî diminutionem perimitur, *l. 38 in pr. ff. de solut.* Tertiò denique, quod ille qui solvit falso procuratori sui creditoris, condicitionem quidem habeat indebiti, non tamen obligationis liberationem, *l. 8. C. de condic. indeb.* Ex quibus inferendum videbatur debitores, qui dispensatori creditoris ignorantes solvissent, non liberari in nostra hypothesi.

Verum publicæ utilitatis contemplatio, quæ est mater æquitatis, extorxit, ut in propensa specie debitores liberentur, quibus non debet iusta & probabilis ignorantia damnum afferre, *l. inter causas in pr. & l. si precedente, ff. mandat. §. item si Inst. eod. tit. & l. 51. ff. de solut.* Alioquin enim debitores Kalendarii, dispensatori solvere quotidie recusarent; si nullam de eo quod ei ignorantes solvissent, habituri essent securitatem, & justissimâ semper illâ excusatione uterentur, ad solutionem detrectandam; quod nescirent, an servus actor esset manumissus, nec-ne: atque ita necesse esset perimi magnâ ex parte commercium; nullus esset finis litium; & sepe bis idem debitum exigebatur, quod bona fides non patitur, *l. bona fides, ff. de reg. jur.* His addi potest ratio alteri *ex l. 34. §. si Titulum, ff. de solut.* unde constat eum qui dispensatorem constituit, intelligi mundare, & facultatem dare debitoribus suis, ut ei solvant, atque ideo ei solventes debent esse securi; cum fidem domini sequi videantur, *arg. §. 1. Inst. quod cum eo qui in alien. pot. est neg. gest. eff. dic.*

Ad opposita breviter respondeo, secundum strictam quidem juris rationem debitores non liberari. Sed aliad æquitas sadet; quia in mandato, quod tacite hic intervenire diximus, de bona fide agitur, cui non congruit de juris apicibus disputare, *l. 29. §. quædam, ff. mandati.* Fateor, cum qui falso procuratori solvit vanâ credulitate deceptus, non liberari actionibus creditorum,

& sela uti posse condicione indebiti ex d. l. 8. quia sibi debet imputare qui nimis credulus fuit, l. 1. §. *dolum*, ff. d<sup>r</sup> eo per quem fact. erit &c. & l. 3. §. sed si, ff. de *in rem verso*. Verum non est vana, sed iusta & quæ cadit in constantem virum ignorantia & credulitas, de qua agitur in *l. nostra*: error quippe facti etiam prudentissimos fallit, l. 2. ff. de *jur.* & *fact. ignor.*

Nec pauca sunt alia juris exempla, in quibus bona fides pro vero titulo habetur. Nam si quis procuratorem aliquem suis omnibus bonis præfecerit, & deinde eum administrare prohibuerit; debitores, qui revocationem ignorantes ei solverant, liberantur d. §. si *Titum*. Similiter quoque si peculiaris debitor filiifamilias, nesciens peculium esse ademptum, ei solverit; liberatur, l. 29. §. qui *filiifamilias*, ff. de *condict. indeb.* Quod jus etiam in servo locum habet, l. 35. ff. de *solut.* quia amborum peculia iisdem ferè juris regulis consistunt, §. que diximus *Inst.* quod cum eo qui in al. pot. est.

Inde etiam oritur, ut SC. Macedoniano locus non sit; si quis filiofamilias mutuam pecuniam dederit, quem patremfamilias esse credebat, non vanâ simplicitate deceptus; sed quia publicè paterfamilias plerisque videbatur, sic agebat, sic contrahebat, sic muneribus fungebatur, l. 3. d. SC. *Maced.*

Ex his patet, liberari omnino debitores hæreditarios, qui nescientes dispensatori manumisso æs alienum exsolverunt. Sed ex diverso si manumissionem cognoverint non liberantur, ut dicitur in *l. n.* Obstat l. 17. §. si *impubes* & sequ. ff. de *Inst. act.* ubi si quis sciens dominum decepsisse contraxerit ante aditam hæreditatem cum institutoribus ab eo præpositis; institutoriā actione adversus hæres defuncti uti potest, quamvis impuberis vel furiosos. Nam si is qui sciens contraxit, acquirit actionem & obligationem; multò magis & ille qui sciens solvit, debet acquirere liberationem, quæ favorabilior est, l. *Arrianus* ff. de *obl.* & *act.*

Respondeo, utilitatem promiscui usū singulari jure id exigere, ut mortuo exercitatore, cum ejus institutoribus secure contrahatur, donec expresse fuerint revocati. Neque enim revocatio institutoris fit ipso jure, quamvis impubes hæres fuerit, l. 11. ff. de *Inst. act.* Præterea cum mortuo conductore, hæres ejus in conductione succedat, l. 10. C. de *loc.* & *cond.* quid-ni etiam dicamus institutorem, qui suas operas locavit mercatori, eo mortuo institutorem permanere?

#### *Ad Vers. Earum.*

Proponitur & altera questio hoc loco; quæ scilicet actio cohaeredibus competat, ad repetendas pecunias, quas dispensator manumisssus exegit post mortem domini a debitoribus Kalendarii. Respondet Africanus familie erisundæ actionem non competere, sed negotiorum gestorum. Quarum actionum ea est diversitas, ut in actione negotiorum gestorum præstetur diligentia exactissima; in actione verò familie erisundæ præstetur tantum diligentia exacta; nt diximus *ad tit. Inst. de obl.* que quasi ex *contr. nasc.*

Cujus decisionis ratio pendet ex eo quid actio negotiorum gestorum toties competit, quoties aliquis negotium aliquod alienum sine mandato & sponte fecit; ideoque si quis sponte negotium commune totum gesserit, quod pro sua tantum parte gerere potuit, negotiorum gestorum actio ei & in eum ultrò citroque competit; quia negotium commune, pro parte alienum est. Unde fit ut cohæres, qui exegit pecunias hæreditarias in nostra hypothesi, eâ aetione

renatur; quia nomina & actiones ipso iure divisa sunt inter cohæredes ex Lege duodecim tabularum, l. 4. ff. fam. ercise. Similiter quoque si quis pro acci- bus communibus damni infecti caverit in solidum, quod pro sua tantum parte facere potuit, quia sponte accessit ad alienum negotium, eidem actioni obnoxius est, l. 40. si communes, ff. de neg. gest. & l. 6. §. damni, ff. comm. divid.

At verò cum negotium commune individuum est, ita ut partem suam socius gerere non potuerint, nisi partem socii gereret; fortè si pignus liberaverit, quod divisionem non recipit, l. 18. §. ult. & l. 25. §. idem, ff. fam. ercise. aut damni estimationem solverit pro evitanda servi communis deditio, quæ divisionem non admittit, l. 8. ff. de nox. aet. vel simile aliud negotium individuum gesserit, l. 78. §. pen. ff. de contr. empt. his casibus non competit actio negotiorum gestorum, sed familiae erciscundæ dumtaxat, vel communi dividendo; quia credendum non est, eum de alieno negotio cogitasse, sed de suo dumtaxat, quod à socii negotio separari non potuit.

Neque obstat quod dicitur in l. 52. §. 1. famil. ercise. servum qui liber & heres esse iussus est, id quod debet & retinet penes se ex rationibus quas patrifamilias gessit, præstare cohæredibus teneri iudicio familiae erciscundæ. Id enim pertinet ad rationes gestas vivo testatore, quæ procul dubio, sicut ceteræ res hæreditariae, cadunt in iudicium familiae erciscundæ. At verò in specie nostra agitur de pecuniis quas exegit post mortem domini Stichus, quæ hæreditariae non fuerunt.

## P A R S     S E C U N D A.

*De pecuniis quas post mortem domini, dispensator manumis-  
sus mutuas dedit.*

*Ad Vers. Earum.*

**S**equitur; ut expendamus quid juris sit circa pecunias, quas dispensator manumis-sus, & ex triente heres scriptus, post mortem domini apud varios debitores, foenori collocavit: an mutuum illud in solidum iure consistat, & data in crediti securitatem pignora pro integro debito obligentur. Respondet Africanus, eas pecunias non majore ex parte alienatas esse, quam ex qua heres esset: quasi diceret, dispensatorem in proposita specie, si trecentos nummos mutuos dederit, terriam eorum partem, videlicet centum nummos, verè alienasse, & mutuum in illis contraxisse; eosque dumtaxat centum nummos condici posse, ut dicitur in l. 13. §. ult. b. n. t. sed reliquos ducentos nummos non fuisse factos alienos: ac proinde ceteris cohæredibus licere eos vindicare, aut ad exhibendum de illis agere; non autem posse condicere, juxta illud vulgatum: Vindicamus res nostras; condicimus alienas, arg. §. sic itaque Inst. de aet. Unde etiam sequitur, pignora data pro parte dumtaxat hære-aria dispensatoris obligari: id est pro triente non pro reliquo besse; quia cum cef- fæ obligatio principalis, accessoriæ quoque pignoris obligationem cessare

necessitatem est, l. nihil dolo; §. 1. ff. de reg. jur. l. facinator, ff. de naut. fæn. l. 6. & l. 13. ff. quib. midis pign. vel hypoib. solv.

Adversus primum assertionem dubium movebat, quod nemo errans dominium rei suæ transferre in alium possit, l. dedi tibi, §. subtilius, ff. de cond. caudat. caus. non sec. l. si procurator, ff. de acquir. rer. dom. & l. & si consensum, §. ult. de contr. empt. quia scilicet errantis nulla est voluntas, nullusque ejus intelligitur esse consensus, l. 8. & 9. C. de jur. & fac. ign. Unde inferendum videtur, mutuum a dispensatore contractum, qui eas pecunias domini esse credebat, non suas, minimè consistere; ne quidem pro triente hæreditario.

Adversus secundam, obstat videtur quod dicitur in l. n. in pr. & in l. 51. ff. de solut. eos qui dispensatori manumisso ignorantes solverunt, omnino liberari propter bonam fidem, & propter justam ac probabilem ignorantiam. Unde argumento à contrario sumpto (quod in jure fortissimum Papin. appellat, l. 1. ff. de offic. ejus cui mand. est juris d.) videtur inferendum, propter eamdem justam ignorantiam, nummorum alienationem & mutui obligationem consistere, etiam pro parte cohæredum; cum simili ratio simile jus postulet, cap. 2. ext. de translat. Episc.

Adversus tertiam denique partem opponitur, quod si quis nummos alienos, quasi suos, mutuos dederit, & deinde nummi consumpti sint, fidejussores obligentur, l. 56. §. si nummos, ff. de fidejussor. Unde sequitur, pignorum quoque obligationem consistere, si dispensator pecunias cohæredum credidit; cum ex quo jure accessoria sit obligatio pignorum & fidejussorum.

Verum magna est vis rationum, quibus firmari potest Africani sententia: Mutuum enim inde dictum, quod de meo fiat tuum, l. 2. ff. h. t. Quod autem docet Varro lib. 4. de Ling. Lat. mutuum esse dictum à verbo Siculo μυτων id non est contrarium; quia vox illa facta esse videtur ex vocibus μυη & των προτερων, quasi dicatur mihi tuum, quod idem sonat, Grot. ad tit. quib. mod. re contr. obit. Ex quibus appetit mutuum esse alienationem; cum alienatio sit omnis actus per quem dominiam transfertur, l. 1. C. de fundo dot. ideoque Justinianus ait, pupillam non posse mutuos nummos dare; quia nullius rei alienatio ei sine tutoris auctoritate permitta est, §. ult. Inst. quibus alien. licet, vel non. Quibus convenienter definit Africanus, unum ex cohærediis nummos hæreditarios bonâ fide credentem, pro sua tantum parte mutuum contraxisse, non pro partibus cohæredum, quas alienare non potuit, juxta certum illud juris principium: Nemo potest plus juris in alterum transferre, quam ipse habeat, l. nemo 54. ff. de reg. jur.

Id confirmat Africenus similitudine de promptâ à mandato. Sicut enim morte mandantis finitur mandatum, §. item si d: mand. ap. Just. eo quod originem ex amicitia trahat, l. 1. §. ult. ff. cod. quam constat personis cohædere, & consequenter cum ipsis extingui, l. non solum, §. tale, ff. de lib. leg. & l. 3. §. ult. ff. quib. mod. usus fr. vel usus am. ita quoque & officium dispensatoris per manumissionem ipsius extinguitur; quia servorum proprium est, l. 1. C. ne quis liber invit. act. ger. cog. lib. 11. Præterea sicut post mortem domini procuratori securitas datur, si quid bonâ fide gesserit, d. §. item si; ita & qui dispensatori post manumissionem solverunt, securi sunt. Tertiè denique in obligatione acquirendâ, eadem similitudo perseverat. Nam si tibi in hoc dederit nummos Ticius, ut eos Sticho vel Mexio credas; deinde mortuo Titio ignorans

*E*ius mortem mutuos dederis, accipientis eos non facies; quia mandatum morte extinctum est, l. inter causas in pr. ff. mand. ergo etiam in nostra specie, cum dispensator, finito per manummissionem officio, nummos hereditarios mutuos dedit, eos accipientis omnino non facit; sed pro sua dumtaxat parte hereditaria.

Neque obstat error dispensatoris in hoc mutuo interveniens; quia non magnus est error, cum persona defuncti ab heredis persona vix distinguitur; tum etiam quia non quilibet error indistincte actum infirmat, l. si id quod aurum, ff. de verb. oblig. & l. Barbarius, ff. de offic. Praef. sed ille tantum qui substantiam actus evertit, ut sit in d. l. dedi, §. subtilius; ubi servus testamento iussus decem dare & liber esse, codicillis posterioribus pure libertatem accepit; quod ignorans, nummos suos & credens heredis esse, ipsi heredi dedit; eo casu nummos accipientis non facit, dum putat se statu liberum esse. At vero si quis dederit aliquid alteri, quod se ab eo qui acceperit remunerari existimat, vel sibi esse eum amiciorem futurum; repeteat tamen non potest falsa opinione deceptus, d. l. dedi, §. sed si servus.

Non obstat etiam similitudo liberationis ex principio legis deprompta; quia hoc benignè receptum est. Jus autem singulare quod contra tenorem rationis ac juris communis constitutum est, propter aliquam utilitatem, non est producendum ad consequentias, l. jus singulare ff. de legib. & l. 141. ff. de reg. jur. Quæ ratio in hac causa magni est ponderis; cum faciliores esse cebeamus ad liberationem, quam ad obligationem constituendam, l. 47. ff. de oblig. & alt.

Non obstat denique d. §. si nummos; quia in ea facti specie consumptione numerorum bona fide facta conciliatum fuerat mutuum; ideoque fidejussor tenetur, quamvis ab initio obligatus non esset, ut expositum est ad §. ult. Inst. quib. alien. licet, vel non; quia fidejussor in omnem causam receptus videtur, quæ ex ea numeratione nasci potest, d. §. si nummos.

#### Ad Vers. Quod si stipulans.

Diximus de pecuniis, quas post mortem domini dispensator mutuas dedit; nulla stipulatione interposita, & cum obligatio intra nudos mutui fines stetit. Nunc videndum quid juris sit, si stipulatio adhibita fuerit; cuius interventu multæ conventiones, quæ per se vires non habent, robur accipiunt, l. petens C. de patr. & l. 3. C. de rer. permitt. ideoque qui pecuniam alienam mutuam dedit, licet conditionem ex mutuo non acquirat, vi mutui, ut supra dictum est; stipulando tamen jus sibi obligationis acquirit, l. 2. C. si cert. petat. Verum quia in stipulationibus verba contrahentium strictè accipiuntur, l. 99. ff. de verb. oblig. & quia diverso jure censentur hereditas jacens & hereditas adita; plurimum refert distinguere, quibus verbis stipulatio concipiatur; & utrum ante aditam hereditatem fiat, vel post eius aditionem.

Stipulatio quæ extraneorum heredum aditionem præcedit, vel concepta est a dispensatore nominatim hoc modo, *Titio domino meo trecentos nummos dare spondes?* vel his verbis, *Trecentos nummos mihi dare spondes?*

Priore casu stipulationem esse inutilem definit Africanus hoc loco, sicut & Papin. in l. 18. §. servus, ff. de stipul. servor. Et quamvis vivente domino nihil intersit, utrum servus stipulatus sit sibi, vel domino dari, vel etiam impersonaliter, l. 1. in pr. ff. eod. aliud tamen dicendum est de stipulatione facta post mortem domini. Nam si servus domino suo jam mortuo dari aliquid stipu-

letur, non valet hæc stipulatio in gratiam dominii; quia homo mortuus nullam potest obligationem acquirere; tum etiam quia impossibilis est repremissio: non prodest etiam stipulatio hæreditati jacenti; quia licet hæreditas vicem defuncti sustineat, *l. hæreditas C. depositi*, id tamen verum est in his quæ sunt iuris, non autem in his quæ sunt facti, *l. 1. §. Scævola*, *ff. si is qui testam. lib. esse jussus est*, & *l. 26. ff. de stip. serv.* cuiusmodi est pecuniae acceptio. Non prodest denique hæredi futuro; quia stipulari extraneo nullus potest.

*Ad Vers. Quod si sibi.*

Sin antem dispensator testamento manumissus & ex triente hæres institutus; sibi dari stipulatus fuerit post mortem domini & ante aditam hæreditatem; dubium non est, quin pro parte ipsius valeat stipulatio: quia ut ait Stephanus *ad hanc l.* quemadmodum quando nummi sunt crediti à dispensatore sine stipulatione, valet obligatio pro parte ipsius hæreditaria; & licet ipse non haberit animum sibi acquirendi conditionem actionem, lex tamen ei acquirit pro portione hæreditaria; ita & actionem ex stipulatu sive conditionem Lex ei concedit, si intercesserit stipulatio. Quod etiam confirmari potest ex eo quod plerumque id accidat; ut extra id quod agitur, tacita obligatio nascatur; veluti cum per errorem indebitum solvendi causâ datur, *l. 13. in fine*, *ff. emmод.*

Major exurgit difficultas circa reliquias partes hæreditarias nondum aditas à cohereditibus extraneis, an quantum ad ipsas valeat stipulatio dispensatoris: neque enim videtur futuris dominis obligatio acquiri, qui sunt ei penitus extranei, & quibus nullo vinculo potestatis conjungitur. Non videtur etiam hæreditati jacenti eam acquirere; quia hæreditas non est ipsius domina, cum homo liber dominum non habeat. Non videtur denique acquirere hæreditati jacenti, quasi ab ea possessus bonâ fide; quia hæreditas jacens nihil possidet, *l. 1. §. 1. & §. Scævola*, *ff. si is qui testam. lib. esse jussus est*; nec potest habere animum possidendi.

Nihilominus tamen responderet Africanus, dispensatorem eam obligationem hæreditati acquisuisse; additâ eleganti ratione, quæ nullo alio juris loco reperitur. Sicut enim (inquit) nobismetipſis ex re nostra per eos, qui liberi vel alieni servi bonâ fide serviant, acquiritur; ita & hæreditati quoque per liberum hominem bonâ fide servientem acquiritur.

Ad argumentum oppositum responderet Ant. Faber; singulari jure receptum esse in hac specie, ut hæreditas pro posessore habeatur: sicut etiam constat receptum esse, ut tempus non aditæ hæreditatis profit ad usucacionem; *l. justo*, *§. nondum*, & *l. numquam*, *§. pen. ff. de usucap.* Sed quia non debemus confugere ad singularia, nisi in extremum subsidium, melior longè ac fortior mihi videtur Stephani responsio, (quam etiam Africanus innuit sub finem legis) ad hoc ut liberi homines nobis acquirant ex re nostra non esse necessarium ut a nobis possideant, *l. 1. §. per eum*, *ff. de acquir. possess.* ubi Ulpianus id duplici exemplo illustrat. Quamvis enim fructarius non possideat servum cuius habet usumfructum, & quamvis pater filium suum non possideat; per eas tamen personas & patri & fructuario acquiritur, *d. §. per eum*.

Sufficit itaque in hac specie, quod dispensator manumissus bonâ fide serviat hæreditati, ad hoc ut ei acquirat ex re hæreditaria. Neque inspicendum est, an hæres possideat, vel animum possidendi vel acquirendi habeat;

maxime

maxime cum ignorantibus faciliter acquiratur obligatio ex re sua, l. certi, §. si numeros, ff. hoc sit.

*Ad Vers. Post aditam.*

Illud superest disquirendum, quem effectum habeat stipulatio, si dispensator post aditam hereditatem fuerit stipulatus. Quia in causa primum de extraneis hereditibus, tum deinde de necessariis obiter tractandum est.

Extraneus heres, id est qui in potestate testatoris non fuit, ex parte heres institutus, adire olim hereditatem non potuit ante apertas tabulas & recitationem testamenti, ex L. Julia & Papia, Ulp. in tit. de caduc. & Paulus lib. 1. §. ult. ff. de jur. & fact. ignor. Idcoque necessarium fuit, ut extraneus, qui adit hereditatem, cognosceret vires testamenti. Merito itaque Stephanus ait, ἐπειδὴν καὶ πονέμεις ἀχωρίστη τὰ δύο, τὸ κληρονόμον τίνει, καὶ τὸ γενόντεν τὸν διαθέκην; in extraneo herede hac duo esse inseparabilia, heredem esse, & cognoscere quae sunt in testamento.

Ex his sequitur, heredes extraneos in nostra facti specie, qui adierunt delatas sibi testamento portiones hereditarias, cognovisse Stichum dispensatorem testamento fuisse liberum factam, & heredem ex triente institutum. Si itaque Stichus liber factus, post aditam a coheredibus hereditatem, stipuletur sibi dari trecentos aureos; sibi quidem haud dubie centum nummorum obligationem acquirit, juxta portionem suam hereditariam. Sed illud queritur, an ceteris coheredibus, pro ducentis reliquis nummis, obligatio acquiratur? Respondet Africanus nihil ipsis deberi.

Et ne quis objiciat ex vers. superiori, stipulationem factam ante additionem hereditatis prodesse hereditati, ac per hoc futuris etiam postea hereditibus; eis quod hereditati nondum aditae bona fide serviat, & quod per eos qui nobis bona fide serviunt ex re nostra nobis obligatio acquiratur; praeoccupat Africanus, & respondet, ceteros coheredes non posse videri bona fidei possessores esse, qui nec possidendi animum habeant. Nam in proposito casu, vel habent voluntatem, ut coheredem suum, quem sciunt esse liberum hominem, possident, & per eum acquirant; vel non habent. Si haec sit eorum voluntas, bonam fidem non habent; quia in illis, quae contra legis prohibitionem sunt, non est bona fides, l. qui a quolibet, ff. de contr. empt. At vero liberi hominis possessio lege prohibetur, l. qui universas, §. 1. ff. de acqu. rer. dominio; ubi haec possessio comparatur cum loci sacri aut religiosi possessione, quam habere non possumus, etiam si contemnamus religionem, d. §. 1.

Sin autem coheredes eam voluntatem possidendi sui coheredis non habeant, (quod presumit Afric. hoc loco; quia in dubio quilibet presumitur vir bonus, cap. un. ext. de scrut. in ord. fac.) quantumvis habeant bonam fidem coheredes, possessionem ipsam certe non habent; quae, ut constat, acquiri non potest, nisi ab eo qui habet animum possidendi, l. 1. §. furiosas, ff. de acqu. rer. dom. & §. possidere de interd. apud Just. Unde Ulp. concludit, neque furiosum, neque pupillum qui intellectum non habet, posse incipere possidere; sicuti si quis dormienti aliquid in manu ponat.

Si quis dixerit Stichum in nostra specie, quamvis a coheredibus extraneis non possideatur, ipsis tamen bona fide servire, sicut dictum est supra de jacente hereditate, & idem ius innui, sub finem legis. Ergo idem admitti debet juris ef-

festus. Respondeo id jus cessare, cùm mala fides eorum intervenit; quibus ministerium præstatur; quia durius agitur cum eo qui habet malam fidem, *l. certum est, C. de rei vindic.* neque eadem jura singularia ad illum extendi debent, quæ competit bonam fidem habenti. Sin autem cohæredes extranei eo animo sint, ut nolint sibi servire Stichum cohæredem (quod præsumi debet ut diximus) perspicuum est eis nullam fieri injuriam, *arg. cap. scienti de reg. jur. in 6.*

In hæredibus necessariis hoc jus est maximè singulare, ut hæredes non sint per aditionem; sed existant ipso jure statim à morte defuncti, *l. ult. §. 1. C. de jur. delib.* non tantum cùm sunt hæredes instituti ex asse, verùm etiam cùm sunt ex parte scripti, *l. 3. C. eod.* Nec solum hoc jus procedit in liberis qui sunt sui & necessarii hæredes, sed etiam in servis, qui sunt tantum hæredes necessarii, *l. ex parte, ff. de acquir. hered.* & dicuntur ideo necessarii, quia sive velint, sive nolint, omnimodo hæredes sunt, *§. 1. Inst. de her. qual. & diff.* Id que adeò verum est, ut quamvis suus hæres se abstinuerit hæreditate, non tamen defunctus sine hærede dicatur decepsisse, qui illum dumtaxat hæredem habet, *l. cum quasi, §. sed & si suus, ff. de fideic. libert.*

Ex his sequitur, sèpissime fieri posse, ut hæredes necessarii nesciant ea quæ in testamento scripta sunt, cùm ipso jure hæredes sint ante apertas tabulas, ac proinde nesciant se liberos & hæredes esse factos ex domini testamento.

In proposita igitur specie mirabile aliquid, non tamen absurdum eventurum est, quoties non sui aut extranei, sed necessarii tantum hæredes scripti sunt: videlicet, quod omnes hujusmodi colliberti & cohæredes sibi invicem bonâ fide servire videantur. Et quod diximus de hæreditate nondum acita, idem quoque in isto casu dicendum est: Stichum qui post acquisitam ipso jure à necessariis cohæredibus hæreditatem aliquid stipulatus est, etiam si à collibertis non possideatur; illis tamen pro parte ipsorum hæreditaria obligationem acquirere: quia per illos qui nobis bonâ fide servient, acquiritur nobis obligatio, si ex re nostra fuerit acquisita, *l. acquiruntur, §. pen. & l. liber homo, ff. de acquir. rer. domin.*

De pignorum obligatione nihil additur; quia manifesta est ipsam, cùm sit accessoria, jus sequi obligationis principalis; de qua sola exprestè hic agitur.

Sed ut paucis referantur quæcumque hætenuis circa hanc legem disputata sunt, subjicio theses, quas decem ab hinc annis circa eam publicè propugnavi.

### *Affirmationes ex L. Ejus 41. ff. de rebus creditis.*

I.

**D**ebitores, qui post mortem creditoris, dispensatori testamento manumisso, & ex parte hæredi scripto ignorantes solverunt, omnino libertantur.

II.

**E**rumque summarum nomine quæ ad ipsum pervenerint, cohæredibus non competit actio familie ericunda, sed negotiorum gestorum.

III.

**S**in autem aliquas ipse pecunias post mortem domini crediderit; dicendum, eas non majore ex parte alienatas esse, quam ex qua haeres quisivisse. effet.

IV.

**N**am & si tibi in hoc dederim nummos, ut eos Sticho credas, deinde mortuo me ignorans dederis; accipiens non facies.

V.

**Q**uamvis enim receptum sit, ut liberentur debitores, qui ei solverunt post mortem domini, cum mortem ipsius ignorarentur.

VI.

**N**on tamen receptum est, ut idem dispensator post mortem domini credendo, nummos haereditarios alienet.

VII.

**Q**uare si nulla stipulatio interveniret, neque pecunia credita, pro parte coheredum peti potest, neque pignora tenentur.

VIII.

**Q**uid si stipulatus quoque fuerit, multum refert distinguere, quem admodum stipulatus sit, & quo tempore; utrum ante aditam haereditatem, vel post.

IX.

**N**am si nominatum, forte Titio domino suo mortuo jam, dari stipulatus sit ante aditam haereditatem; procul dubio inutilis est stipulatio.

X.

**S**ed si dispensator ille liber factus, & status sui ignarus, sibi dari stipulatus fuerit; dicendum est haereditati cum acquisivisse.

XI.

**S**icut enim nobis in ipsis ex re nostra, per eos, qui liberi vel alieni servi bona fide nobis serviant, acquiruntur.

XII.

**I**ta quoque ex re haereditaria per eadem personas haereditati acquiritur; quae defuncti vicem sustinet.

XIII.

**P**ost aditam verò à coheredibus haereditatem, non æquè idem dici potest; utique si scierint eum sibi coheredem datum.

XIV.

**Q**uoniam tunc non possent vivi bonæ fidei possessores esse, qui nec possidendi animum habarent.

XV.

**A**t si proponatur coheredes eius id ignorasse, quod fortè ipsis quoque ex necessariis fuerint; potest adhuc idem responderi.

XVI.

**Q**uo casu illud eventurum est, ut si sua conditionis coheredes iste servus habeat, sibi in vicem bona fide servire videantur.



# PRINCIPIA JURIS,

## S V I S A U C T O R I T A T I B U S F U L T A ,

### quæ in hoc opere adhibentur.

## A

- A**BESSE res videtur, cui pretium abest, *l. 14. in princ. ff. de verb.* signif. *lib. 2. p. 232*
- Absurdum erat hominem in fructu esse, cùm rerum natura onnes fructus hominis gratiâ comparaverit, *l. in pecudum, ff. de usuris,* *lib. 2. p. 121*
- Accessiones rerum principalium naturam sequuntur, *cap. accessorium de regul. jur. in 6.* *lib. 2. p. 110*
- Actio de dolo subsidiaria est; nec competit, nisi deficiente omni alia, *l. 1. §. 1. ff. de dolo malo,* *lib. 4. p. 550*
- Actio in rem datur adversus quocumque possessores, *l. 9. ff. de rei vind.* & *l. 1. C. de alien. jud. mut. can. fac.* *lib. 4. p. 477 & 571*
- Actio in rem soli domino competit, *l. in rem ff. de rei vind.* *lib. 2. p. 230*
- Actio Publiciana in his casibus locum habet, in quibus locum haber usucatio, *l. 7. §. ult. ff. de publ. in rem aet.* *lib. 4. p. 479*
- Actio quæ vindictam persecutur, ad hæredem non transit, *l. 1. & l. 7. C. de rev. donat.* *lib. 4. p. 534*
- Actiones possunt ab hæribus & contra hæredes incipere, toto tit. C. ut action. ab hæribus & contra hæredes incipiunt, *lib. 2. p. 258;*
- Actiones Pœtorioræ dantur, civilibus actionibus deficientibus, *l. quia actionum ff. de prescr. verb. & in fact. act.* *lib. 4. p. 479*
- Actiones quæ jure civili justæ sunt, per exceptionem fieri possunt inutiles, *Inst. in princ. de except.* *lib. 3. p. 302*
- Actionum diversicas in judiciis maximi momenti est, *§. caterium inf. quod cum eo qui in al. potestate est, &c.* *lib. 1. p. 12*
- Actor sequitur forum rei, *l. ult. C. ubi in rem aet. exer. deb.* *lib. 1. p. 10*
- Actor non probante, reus absolvitur, *l. 4. C. de edendo,* *lib. 3. p. 364*
- Acta legitimí per alium peragi non possunt, *l. 9. ff. de acquir. hered.* *lib. 2. p. 248*
- Actas legitimí vitiantur per expressam dicti vel conditionis adjectionem, *l. 77. ff. de reg.* *jur.* *lib. 1. p. 60. & lib. 4. p. 574*
- Actus stipulantis & promittentis debet esse continuus, *l. continuus in princ. ff. de verb. oblig.* *lib. 3. p. 360*
- Ad hoc ut liberi homines nobis acquirant ex re nostra, necessarium non est ut à nobis possideantur, *l. 1. §. per eum ff. de acquir. possess.* *lib. 4. p. 592*
- Ad pupillares substitutos pertinent bona pupillorum, que undecimque eis obvenirent post mortem patris, *l. sed si plures §. ad substitutos ff. de vulg. & pup. substitut.* *lib. 2. p. 211*
- Ad testamenta fœminarum non pertinet bonorum possessio contra tabulas, *l. 4. §. ad testamenta ff. de bona possess. contra tabul.* *lib. 2. p. 186.*
- Ad extraordinarium auxilium configere non debet, qui ordinatio jure munitus est, *l. 16. in pr. ff. de min. 25. ann.* *lib. 2. p. 215*
- Ad tempus obligario constitui non potest, *§. at se ita Inst. de verb. oblig.* *lib. 3. p. 362*
- Ad gregem constituendum nec Maria sunt saltem decem capita, *l. ult. ff. de abig.* *lib. 2. p. 243*
- Aditio hæreditatis quocumque tempore facta, ad tempus mortis retrotrahitur, *l. 138. & 193. ff. de regul. jur.* & *l. 54. ff. de acquir. hered.* *lib. 2. p. 224*
- Adoptio naturam imitatur, *§. minorem Inst. de adopt.* *lib. 1. p. 29. & 32.* *lib. 2. p. 187*
- Adoptivi liberi totum ius adoptione acquisitum, emancipacione depeindunt, *l. 13. ff. de adopt.* *lib. 3. p. 300*
- Adrogator hæredi æquiparatur, *l. 22. §. penult.* & *l. ult. ff. de inoff. test.* *lib. 3. p. 342*
- Adrogatus cum capite suo, omnia bona sua transfert in adrogatorum, toto tit. inf. de acquir. per adrog.
- Advocatis & Jurisperitis turpe est jus, in quo versantur, ignorare, *l. 2. §. Servius ff. de orig. jur.* *lib. 1. p. 43*
- Æqualis pietas omnibus parentibus debetur, *l. 4. ff. de curat. furios.* *lib. 4. p. 579*
- Æquissimum Prætori vilum est, unum-

quemque non sibi ipsi jus dicere occupatis  
legaris, sed ab herede petere, l. 2. §. &  
continet, ff. quod legat. lib. 2. p. 229

Equum non est, ad hoc aliquem compelli  
adire hereditatem, ut emolumenitum qui-  
dem hereditatis refundat; ipse vero oneri-  
bus hereditatis obstrictus relinquatur, l. 14.  
§. non omnis ff. ad SC. Trebell. l. 2. p. 263

Affirmanti incumbit probatio, non negan-  
ti, l. 2. ff. de probat. lib. 2. p. 232. 380. & 393

Agnatio est à patre, §. ult. Inst. de suc-  
cess. cogn. lib. 3. p. 316

Agnatio minimā capitatis diminutione tolli-  
tur, §. ult. Inst. de leg. agn. tut. lib. 3. p. 311

Aliena negotia exacto officio gerenda sunt;  
nec quidquam in eorum administratione ne-  
glectum ac declinatum, culpā vacuum est,  
l. in re mandata, C. mandati, lib. 3. p. 414

Aliud est emere, aliud ex lucrativis cau-  
sis acquirere, l. apud §. si quis ff. de dolo  
malo & met. except. lib. 2. p. 120

Aliud est possidere, & aliud esse in pos-  
sessionem, l. 10. §. 1. ff. de acquir. possess.  
lib. 4. p. 547

Aliud est totum adfiscium, aliud res sin-  
gula ex quibus componitur, l. eum qui ades  
ff. de usucap. lib. 2. p. 117

Aliud pro alio invito creditori solvi non  
potest, l. 2. §. 1. ff. de rebus cred. lib. 4. p. 502

Ambulatoria est voluntas testatoris usque  
ad extreum vitæ spiritum, l. 4. ff. de  
adim. leg. lib. 2. p. 151. & 208

Amicitia contraria est merces, l. 1. §.  
ult. ff. mandat. lib. 3. p. 420

Amplissima testandi potestas lege 12. tab.  
concessa, legibus, constitutionibus, & in-  
terpretatione Prudentum coangustata est,  
l. 120. ff. de verb. sign. lib. 2. p. 182

Ante restitutionem in integrum impetrata-  
tam, valent interim quæ à minoribus gesta  
sunt, cap. suscitata ext. de in integr. resti-  
tut. lib. 3. p. 347

Argumentum à contrario ductum, in iure  
fortissimum est, l. 1. ff. de offic. ejus cui  
mandata est jurisd. lib. 2. p. 263

Audiendus non est qui in libello suo con-  
trarius est sibi ipsi, l. cum precum, C. de  
lib. caus. lib. 3. p. 345

## B

BONA fides non patitur, ut idem bis  
exigatur, l. bona fides ff. de regul. jur.  
lib. 4. p. 574

Bona non intelliguntur, nisi deducto ære  
alieno, l. 39. §. 1. ff. de verb. signif. lib. 2.  
p. 264. & lib. 4. p. 514.

Bona vacantia ad Principem pertinent,  
l. 1. C. de bonis vac. lib. 10. lib. 2. p. 146

Bonæ fidei non congruit de iuriis apicibus  
disputare, l. 29. §. quadam ff. mandati,  
lib. 4. p. 588.

Bonam fidem in contractibus considerari  
exequum est, l. 4. C. de oblig. & ait. lib. 4.  
p. 502

## C

CAPERE is tantum dicitur, qui ac-  
quisivit: accipere vero etiam ille qui  
alteri restituturus est quod accepit, l. 71.  
§. 140. ff. de verb. sign. lib. 2. p. 139

Capitales inimicitæ, quæ post testame-  
num conditum exoriuntur inter legatarium  
& testatorem, legatum infirmant, l. 3. §.  
ult. ff. de adim. leg. lib. 2. p. 260

Causus fortuitus à nullo præstatutus in rebus  
alienis, l. contractus, ff. de reg. jur. lib.  
3. p. 358. & 398

Causus fortuitus pertinet ad periculum do-  
mini, l. 9. C. de pign. ait. lib. 3. p. 355.  
& 358

Cavendum est, ne dum foventur legata-  
rii, heredis commoda defraudentur, l. 3.  
C. comm. de leg. lib. 2. p. 248

Cavendum est, ne ex impunitate delici-  
torum, detur occasio delinquendi, l. 20.  
C. de furt. lib. 4. p. 567

Certa sunt quæcumque, relatione ad ali-  
quid facta, certitudinem accipiunt, l. 75.  
§. sed qui vinum, ff. de verb. oblig. lib. 3.  
p. 361

Cessante causâ propter quam jus aliquod  
constitutum est, cessat quoque jus ipsum  
causæ illius occasione constitutum, cap. cum  
cessante ext. de appell. lib. 1. p. 22

Cessante obligatione principali, accessio-  
riam quoque pignoris obligationem cessare  
necessitatem est, l. nihil delo §. 1. ff. de reg. jur.  
l. fœnerator ff. de naut. fœn. l. 6. & l. 13. ff.  
quib. mod. pign. vel hyp. solv. lib. 4. p. 589.  
& 592

Civilis ratio civilia jura perimere potest;  
naturalia vero non utique, l. 8 ff. de cap.  
min. lib. 1. p. 65

Codicilli post testamentum facti, ius  
partes esse censentur, l. pen. ff. testam. quem-  
admod. aper. lib. 2. p. 281

Codicilli, si testamentum factum sit, ex eo  
vires capiunt; etiam si in eo consummati non  
sint, l. 3. §. ult. ff. de jure codicil. lib. 2. ibid.

Codicillos is demum facere potest, qui  
potest facere testamentum, l. 6. §. pen. ff.  
cod. lib. 2. p. 282

Cognatio naturalis per adoptionem num-  
quam contrahitur, l. 12. §. ult. ff. de rite  
nupt. lib. 1. p. 32

Compendatio non inducit mandatum, l.

- ult. C. quod cum eo qui in aliena potestate est, lib. 3. p. 413  
 Communio multas plerumque parit discordias, l. cum pater, §. dulcissimis, ff. de leg. 2. lib. 4. p. 493  
 Compensatio ipso jure locum habet, l. ult. C. de compensat. lib. 4. p. 502  
 Compensatio pro solutione habetur, l. 19. ff. de lib. caus. & l. 15. ff. ratam rem hab. lib. 3. p. 430  
 Conditiones damnum famae non irrogant, l. 36. ff. de oblig. & act. lib. 4. p. 452  
 Condicio impossibilis pro non scripta habetur in testamento, l. 3. ff. de condit. & demonstr. lib. 2. p. 196  
 Condicio impossibilis vitiat omne genus contractuum, l. non solum ff. de obl. & act. lib. 2. p. 196  
 Conditiones in venditione aut legato servorum adhibitæ, ne umquam perveniant ad libertatem, ipsis cohærent mancipiis, l. 5. C. si mancip. ita fuer. alien. ut manum. vel cont. lib. 2. p. 290  
 Conditionum ea est natura, ut retroeantur, l. 8. §. quod si pendente ff. de peric. & comm. rei vend. lib. 2. p. 126  
 Conjugum separatio dura est, l. 12. §. uxores ff. de instr. vel instr. leg. lib. 2. p. 136  
 Connubio interveniente, liberi patrem sequuntur, l. 22. 36. & 44. C. de Decur. lib. 10. & Ulp. tit. 5. §. connubio, lib. 1. p. 16  
 Connubio non interveniente, liberi matrem sequuntur, secundum legem naturæ, l. 19. & 24. ff. de Statu hom. lib. 1. ibid.  
 Constitutionibus Principum non conservantur iadistinctè omnia testamenta militum; sed ea tantum, quæ à militibus facta sunt, l. 25. ff. de testam. milit. lib. 2. p. 176  
 Configratio pro solutione habetur, l. 9. C. de solut. lib. 3. p. 430  
 Consuetudo naturam imitatur, §. ex non scripto Inst. de jure nat. lib. 2. p. 280  
 Consuetudo non est usque adeò sui validura momento, ut aut rationem vincat aut legem, l. 2. C. quæ sit longa consuet. lib. 2. p. 107  
 Contra formam juris est, ut plus in accessione sit, quam in re principali, l. 49. §. ult. ff. de fidejuss. lib. 3. p. 390  
 Contra naturam est aliquem ex jactura aliena locupletari, l. nam & hoc natura ff. de cond. indeb. lib. 4. p. 440  
 Contra non valentem agere non currit præscriptio, l. 1. §. ult. C. de ann. except. & l. 7. §. illud C. de præscr. trig. vel quadr. annor. lib. 4. p. 480. & 481  
 Criminale judicium tendit ad ultionem publicam, & ad tuendum vigorem publicæ disciplinæ, l. 9. §. quod illicitè ff. de public,
- & l. 6. ff. de sepult. viol. lib. 4. p. 479  
 Criminis accusatio mortuo reo regulariter statuit, l. 1. 2. & 3. C. si reus vel accus. mortuus fuerit, lib. 1. p. 97  
 Cujus est commodum, æquum est ejus esse onus & periculum, toto tit. Inst. de leg. pat. tut. lib. 3. p. 359  
 Culpa est immiscere se rei ad se non pertinenti, l. culpa ff. de reg. jur. lib. 3. p. 422  
 Culpa lata dolo æquiparatur, l. quod Nervæ ff. depos. lib. 3. p. 358  
 Cum deficiunt vulgaria atque usitata actionum nomina, præscriptis verbis agendum est, l. 4. ff. de præscript. verbor. & in fact. act. lib. 3. p. 403  
 Cum deportatis & peregrinis non est testamenti factio, l. 1. C. de hered. inst. l. 16. ff. de interditt. & releg. & Ulp. tit. 22. §. 1. lib. 2. p. 181  
 Cum principalis causa non consistit, neque ea quæ sequuntur locum obtinent, l. 178. ff. de reg. jur. lib. 3. p. 388  
 Cum servis non est matrimonium, sed contubernium dumtaxat, Paulus lib. 2. sent. tit. de nupt. & l. 3. C. de incep. nupt. lib. 1. p. 16. & 39  
 Cum servis nulla est actio, l. 107. ff. de reg. jur. lib. 4. p. 447

## D

- D**E privatis délicitis, non tantum civili-  
 ter, sed etiam criminaliter agi potest,  
 l. ult. ff. de priv. delict. lib. 4. p. 439. & 451  
 De suo jure, non de alieno, quemque age-  
 re oportet, l. 5. in princ. ff. si ususfr. pet.  
 lib. 4. p. 478  
 Debet quilibet fidem & mores eorum ex-  
 plorare, quorum opera utitur, l. ult. §.  
 servorum autem ff. naut. caup. stab. ut rec.  
 reficit. lib. 1. p. 96  
 Debitor, qui solvit alteri quam suo cre-  
 ditori, non liberatur, l. 12. C. de solut.  
 lib. 4. p. 587  
 Debtores certi corporis ejus interitu li-  
 berantur, l. in ratione §. incerta ff. ad leg.  
 Falcid. lib. 4. p. 595  
 Debtores, eorum quæ debent, domini  
 sunt, l. 1. ff. de lib. leg. lib. 2. p. 238  
 Decreta Principis, quavis de una pri-  
 vatorum causâ fiant, similium tamen om-  
 nium causarum fata componunt, l. 1. C. de  
 legib. lib. 1. p. 9  
 Deportati ad peregrinitatem rediguntur,  
 l. 10. §. sed si ff. de in jus voc. lib. 2. p. 181  
 Deportati & peregrini habent ea quæ sunt  
 juris gentium; non autem ea quæ sunt ju-  
 ris civilis, l. 15. in print. ff. de interd. &  
 releg. lib. 2. p. 181

- Deportati pro mortuis habentur, l. verum  
§. intereunt, ff. pro soc. lib. 1. p. 50
- Depositarius culpam levissimam praestat,  
si deposito se obrulerit, l. 1. §. sape, ff. de-  
pos. lib. 3. p. 422
- Dies incertus pro conditione habetur, l.  
75. ff. de cond. & demonst. lib. 2. p. 254
- Diformitas in libero corpore aetimari non  
potest, l. ult. ff. de his qui effud. vel dejet.  
lib. 4. p. 523
- Distractio cessat quoties existit idoneus  
defuncti successor, l. 2. ff. quibus ex caus. in  
possess. eat. lib. 4. p. 576
- Divisio prædiorum emptionis vicem obti-  
net, l. 1. C. comm. utr. judic. lib. 4. p. 557
- Dolus & lata culpa in omnibus contracti-  
bus præstantur, quamvis convenerit ne præ-  
tentur, l. contratt. ff. de reg. jur. lib. 3. p. 398
- Dolus malus pro possessione est, l. 110. &  
l. 174. ff. de reg. jur. lib. 2. p. 158
- Domicilium mariti est verum domicilium  
ipius matrimonii, l. 5. ff. de ritu nuptiar.  
lib. 2. p. 136
- Domini in servo communis, intellectu ma-  
gis quam corpore partes habent, l. 5. ff. de  
stipul. servor. lib. 3. p. 369
- Dominia rerum à naturali possessione oita  
sunt, l. 1. §. 1. ff. de acqu. poss. lib. 2. p. 100
- Dominium rei legatæ, mortuo testatore,  
rectâ viâ transit in legatarium, numquam  
factum hæreditis, l. 86. ff. de leg. 2. & l. 64.  
ff. de furt. lib. 2. p. 229
- Domius per servum suum hæreditatem  
non acquirit, nisi postquam is servus iussu  
domini sui adierit hæreditatem, l. 25. §. jus-  
sum ff. de acquir. hæred. lib. 2. p. 256
- Donare est perdere, l. 7. ff. de donation.  
lib. 2. p. 124
- Donari absenti non potest, l. absenti ff.  
cod. lib. 2. p. 151
- Donari videtur quod nullo jure cogente  
conceditur, l. 54. & l. 83. ff. de reg. jur.  
lib. 3. p. 314
- Donatio antidotalis non est propriè dona-  
tio, sed merces præstigi beneficii appellan-  
da, l. pater §. 1. ff. de donat. lib. 2. p. 150
- Donatio inter vivos semel perfecta, revo-  
cari non potest, l. 5. C. de revoc. donation.  
lib. 2. p. 152
- Donatio nudâ conventione perficitur, l.  
35. C. de donat. lib. 2. p. 152
- Dos datur marito pro oneribus matrimo-  
ni sustinendis, l. pro oneribus ff. de jure dot.  
lib. 2. p. 156
- Dos est propriuni patrimonium mulieris,  
l. 3. §. ergo ff. de minor. vig. quinque ann.  
lib. 2. p. 240
- Dos sine matrimonio esse non potest, l.
3. de jure dot. lib. 1. p. 40
- Dosis causa perpetua est: eo enim animo  
dos datur marito, ut perpetuò apud mari-  
tum sit, l. 1. ff. de jure dot. lib. 2. p. 156
- Doris causa præcipua est, l. 1. ff. soluto  
marrim. lib. 4. p. 499
- Duo ejusdem rei simul domini in solidum  
esse non possunt, l. 5. §. ulti. ff. commod. lib.  
3. p. 369
- Duo uni in solidum hæredes esse non pos-  
sunt, l. 141. ff. de reg. jur. lib. 2. p. 183

## E

- E**ADEM quantitas ex duabus causis lu-  
cratibus ab eodem acquiri potest, l. Tertia  
Seia in print. ff. de leg. 2. & l. 34. §. sed si  
non corpus ff. de leg. 1. lib. 2. p. 234
- Ea quæ ab initio constiterunt infirmantur,  
si in eum casum pervenerint à quo incipere  
non possunt, l. 83. §. sacram ff. de verbor.  
oblig. lib. 2. p. 240 & lib. 3. p. 374
- Ea quæ ab initio non valent, non possunt  
tractu temporis convalescere, l. cetera §.  
tractari ff. de leg. 1. & l. pen. ff. de reg. jur.  
lib. 2. p. 255 & lib. 3. p. 374
- Ea quæ contra legis prohibitionem sunt,  
pro infectis habentur, l. 5. C. de legib. lib.  
4. p. 482
- Ea quæ facta lædunt pietatem, existima-  
tionem & verecundiam nostram, & genera-  
liter quæ contra bonos mores sunt, nemini-  
nam facere posse credendum est, l. 15. ff. de  
condit. Inflat. lib. 2. p. 196
- Ea quæ in præcedentibus semel expressa  
sunt, intelliguntur in sequentibus repetita,  
l. 134. §. 1. ff. de verb. oblig. lib. 4. p. 482
- Ea quæ moris sunt & consuetudinis, etiam  
si omissa fuerint, in bonæ fidei judiciis de-  
bent venire, l. quod si nolis §. affida ff. de  
adil. edict. lib. 1. p. 90
- Ea quæ proximè facienda sunt, pro jam  
factis habentur, l. administrantes §. eorum  
ff. de excus. lib. 2. p. 107
- Ea qua servis relinquuntur, ita valent, si  
liberis relicta possint valere, l. 5. ff. de  
servit. leg. lib. 3. p. 368
- Emphyteuta pro domino habetur, l. 11.  
ff. flag. velt. id est emphyt. pet. lib. 3. p. 407
- Emption non potest intelligi sine re quæ va-  
neat, l. 8. ff. de contr. empt. lib. 3. p. 396
- Errantis nulla est voluntas, l. 8. & l. 9. ff.  
de jur. & fact. ignor. lib. 2. p. 188
- Error juris nocet; facti autem error non  
nocet, l. 2. ff. eod. lib. 3. p. 354
- Erubescit Lex parentes supponit sole-  
nitatis juris communis, Nov. 107. iunctâ  
glossâ, lib. 2. p. 212

Everentia non est tota observatio testatorum multis vigiliis excoxitata atque iuventa, l. si quando C. de inoff. testam. lib. 2. p. 283

Ex consilio non fraudulentio nemo obligatur, l. consilii 47. ff. de reg. jur. lib. 3. p. 417

Ex Lege Cornelii nemo tenetur, nisi dum admiserit, l. 7. ff. ad Leg. Corn. de sc. lib. 4. p. 460. & 562

Ex nudis pactis non oritur actio, l. 7. §. sed cum nulla, & l. 3. C. de rer. permis. lib. 4. p. 537

Ex obligatione naturali nulla oritur actio, sed soluti dumtaxat inhibetur repetitio, l. 95. §. naturalis ff. de solut. & l. 84. §. 1. ff. de reg. jur. lib. 3. p. 350

Ex penalibus causis non solet in patrem de peculio actio dari, l. 58. ff. de reg. jur. lib. 4. p. 473. & 486

Ex stipulatione non nascitur obligatio, nisi quatenus linguam contrahentium auncupatum est, l. 99. ff. de verb. oblig. lib. 3. p. 377

Ex tali genere cognoscitur animus occidendi, l. 5. §. Divus ff. ad Leg. Corn. de sc. lib. 4. p. 447

Ex utilitate jus civile metimur, l. 7. & l. pen. ff. de just. & jure, lib. 2. p. 280

Exceptiones dilatoriae ante item contestatae proponenda sunt, l. pen. & ult. C. de except. & l. 18. C. de probat. lib. 4. p. 543

Exceptiones omnes insunt actionibus bonae fidei, judicij potestate, l. 6. in fine ff. de act. empli & vend. l. 3. ff. de res. vendit. & l. 21. in fine ff. solut. matrim. lib. 4. p. 502

Exceptiones peremptoriae quocumque tempore opponi possunt, dummodo ante latam sententiam proponantur, l. 2. C. sent. res. non poss. & l. 8. C. de except. lib. 4. p. 543

Exhæredatio inepta res est in persona extranei, l. quidam in princ. vers. in eo ff. de verb. oblig. lib. 2. p. 182. & 186

Exhæredatio iura suætatis abscedit, l. 9. §. si filium ff. de lib. & posth. lib. 2. p. 182

## F

**FACILE** credendum non est, duabus necessariis rebus unum sufficere, l. ult. in princ. & §. ult. C. de Assess. lib. 3. p. 420

Facilius est acquisita retinere, quam de novo aliquid acquirere, l. ut pomum §. 1. & l. pen. §. ult. ff. de verb. obl. lib. 2. p. 240

Facta in naturali hominum actu consistunt, & persone cohærent, l. 44. ff. de condit. & demonstr. lib. 3. p. 368

Factum alienum inutiliter promittitur, l. sicut & l. 38. in princ. ff. de verbos. obligat. lib. 3. p. 187

Falsa demonstratio legatum non vitiat, l. 17. in princ. §. 1. & l. 33. ff. de cond. & dem. lib. 2. p. 241

Favorabilior est causa venditoris quam emptoris, l. II. §. 2. ff. de act. empli & vend. lib. 3. p. 396

Favores sunt ampliandi; odia verò restringenda, cap. odia de reg. jur. in 6. l. 4. p. 532

Ferendus non est nisi intellecitus, ut liberi propter verborum angustias, omni penè fructu paterno defraudentur, l. 6. C. de inß. & sublit. lib. 2. p. 196

Fictioni plus juris tribuendum non est, quam veritati, §. minorem & §. fœmina Instit. de adopt. lib. 4. p. 579

Fideicommissa valent ex sola voluntate defuncti, l. pen. ff. de leg. I. & l. 21. ff. de leg. 3. lib. 2. p. 231

Fideicomissa tacita incapacibus relata, nullas hodie vires habent, Ulp. tit. 25. l. 1. & l. 3. ff. de jure fisc. & l. 1. C. de delator. lib. 10. lib. 2. p. 266

Fideicommissis antiqui Legum conditores pleniores quam legis naturam indulserunt, §. sed non usque Inst. de leg. lib. 2. p. 257

Fideicommissum à debitore potest relinquiri, l. 77. §. Marviroff. de leg. 2. lib. 2. p. 287

Fidejussor idoneus & locuples videtur, non tantum ex facultatibus, sed etiam ex convenienti facilitate, l. 6. in princ. ff. qui satisfid. cog. lib. 4. p. 528

Fidejussor in duriorem causam obligari non potest, quam reus principalis, l. 8 §. illud de fidejuss. lib. 3. p. 390

Fidejussor in omnem causam receptus videtur, l. 56. §. si numeros ff. eod. l. 4. p. 387

Fidejussores singuli tenentur in solidum, l. 3. C. eod. lib. 3. p. 389

Fides inquisitionis pro vinculo cedit cautionis, l. 13. in fine ff. detut. & curat. lib. 1. p. 83

Filiis reorum perduellionis ius succedendi adimitur; ut ipsis in perpetua egestate sordeantibus, sit mors solatium, & vita supplicium, l. 5. C. ad L. Jul. Majest. lib. 3. p. 297

Filio & liberto honesta semper & sancta videri debet persona parentis & patroni, l. 9. ff. de obsequ. par. & patr. præf. lib. 4. p. 469. & 553

Filiisfamilias ex contractibus & ex deliciis suis extraneo obligantur, l. tam ex contract. ff. de jud. lib. 4. p. 473. & 521

Filiisfamilias non potest fieri bonum nomen, patris morte expectata, l. 1. ff. ad SC. Maced. lib. 2. p. 393

Filiisfamilias in castrensi peculio pro patrem, habetur, l. 1. ff. ad SC. Mac. l. 2. p. 393

Filiisfamilias

Filius familiæ ita acquirit patri quod acquirit, ut neque dominum neque possessio patrum ipsum momento aliquo confistere intelligatur, l. placet 79. ff. de acquir. heredit. lib. 2. p. 160

Fœminarum plerumque adversus propria commoda invenitur laborare consilium, l. 4. C. de sponsal. lib. 2. p. 291

Fœminæ ab omni bus officiis civilibus & publicis removentur, l. 2. ff. de reg. juris, lib. 1. p. 67

Fœminæ in potestate liberos non habent, S. fœmina Inst. de adopt. lib. 1. p. 48

Fœminæ ob hoc solum puniri non debent, quod fœminæ natæ sint, l. pen. C. de legit. hered. lib. 3. p. 309

Fœminæ suos heredes non habent, l. 4. S. ad testamento ff. de bona poss. sec. tab. lib. 3. p. 304. & 327

Forma quoties mutatur, ipsa rerum substantia videtur interire, l. 9. §. sed si quis ff. ad exhib. lib. 2. p. 114

Fructuarii, depositarii & coloni, licet sint in possessione, reverâ tamen non possident, l. 10. §. pen. ff. de acquir. poss. lib. 2. p. 139

Fructuarius pro domino habetur, l. 4. ff. de usufruct. & l. 88. ff. de verb. obligat. lib. 2. p. 121. & 236

Fructus inventi in hereditate, hereditatis partem faciunt, l. 44. §. l. ff. ad SC. Trebell. lib. 4. p. 581

Fructus pendentes partem fundi faciunt, l. fructus ff. de rei vindic. lib. 1. p. 15. & lib. 2. p. 110

Fructus, quamvis non petiti, veniunt in petitione hereditatis, l. item veniunt §. famili & seq. ff. de hered. petit. lib. 4. p. 555

Fructus servorum in operis eorum confidunt, l. 4. ff. de oper. seru. lib. 2. p. 122

Frustra precibus imperatur quod omnibus iure communi conceditur, l. un. C. de thesaur. lib. 10. lib. 2. p. 174

Fundi nomen plenam rei proprietatem continet, l. 1. Tito 10. & l. 19. ff. de usu & usufr. leg. lib. 2. p. 236

Fundorum & domorum nomina, nostra destinatione, non naturâ constituuntur, l. 60. ff. de verb. signif. & l. 24. §. pen. ff. de leg. 1. lib. 2. p. 247

Funeris impense sunt ex alienum defuncti, l. 1. ff. de relig. & sumptu fun. lib. 2. p. 264

Fur pœnitentiæ delicti pœnam non deviat, l. 54. §. cum furii, l. 65. ff. de furt. & l. pen. ff. de vi bon. rapt. lib. 4. p. 497

Furiosi tempore dilucidi intervalli restringantur & contrahunt, l. 9. C. qui testam. fac. poss. & l. 2. C. de contr. empt. lib. 2. p. 179

Furiosus, per omnia & in omnibus, absens

& quiescentis loco habetur, l. 2. §. furiosus ff. de jure codicilli. lib. 3. p. 377

Furti actio competit ei, cuius interest, l. 10. ff. de furtis, lib. 4. p. 447

Furtum fieri non potest sine interversione possessionis, l. 2. §. Sevela ff. si quis est tam. lib. eff. iuss. eff. lib. 4. p. 439

Furtum rei nostræ reverâ sacre non possumus, Paulus lib. 2. sent. tit. ult. §. si rem, lib. 4. p. 445

Furtum sine affectu furandi non committitur, l. 37. ff. de usucap. lib. 2. p. 144

## G

**G**ENERA & quantitates per rerum naturam perire non possunt, l. 30. §. incerta, ff. ad Leg. Falc. lib. 2. p. 242

Gradu proxinior agnatus remotiorem excludit, §. ult. Inst. de cap. dim. lib. 1. p. 66

Gradus dignitatis vitæque honestas auget vel minuit in injuryæ estimationem, §. pena Inst. de injur. lib. 4. p. 467

Gradus cognitionis totidem sunt inter cognatos, quo sunt generationes, l. ult. §. gradus ff. de gradus cogn. lib. 1. p. 39

Gratia concedi non solent à Principe in tertii detrimentum, l. 4. C. de emancipat. liber. lib. 1. p. 43

## H

**H**ABITATIO morte extinguitur, l. 10. in princ. de usu & habit. lib. 2. p. 138

Habitatio neque in usu, neque capitii diminutione extinguitur, l. 10. ff. ed. & l. 10. ff. de cap. minut. lib. 2. p. 138

Hærede uno legitimo repudiante partem suam hereditarium, cæteris ejusdem gradus cohæredibus, ejus portio statim accrescit, l. un. §. his ita definitis, C. de cad. toll. lib. 3. p. 338

Hæredem facere est dominum facere, §. ult. Inst. de her. qual. & differ. lib. 2. p. 226

Hæreditas non est donationes illas inquietare, quas donator in diem vitæ sua non retractavit, l. 1. C. de revoc. donat. lib. 2. p. 152

Hæredi à se ipso legari non potest, l. 116. §. 1. ff. de leg. 1. lib. 2. p. 274

Hæredi in dubio parcendum est, l. 47. ff. de leg. 2. lib. 2. p. 142

Heredis institutio est caput & fundamentum totius testamenti, §. ante hæredis Inst. de leg. lib. 2. p. 164. 183. & 266

Hæreditas & legata à tempore mortis defieruntur, l. unicâ §. 1. C. de cad. tollend. lib. 2. p. 263

Hæreditas jacens non possider, l. 1. §. Sec-

Gggg

vota ff. si is qui testam. lib. eff. iuss. est, lib. 4. p. 592

Hæreditas jacens vicem defuncti sustinet, l. 34. ff. de acqui. rerum dom. lib. 2. p. 148

Hæreditas serva relata, cum dominio ambulator, l. 2. §. ult. ff. de bona poss. sec. tab. lib. 2. p. 191

Hæreditas sine ullo corpore juris intellectum haber, l. hæreditas ff. de hæred. petit. lib. 2. p. 128

Hæreditates duæ unius hominis esse non possunt, l. 33. ff. de excus. lib. 2. p. 192

Hæreditatis & defuncti eadem persona esse creditur, l. hæres ff. de acquir. hæreditate, lib. 2. p. 148

Hæres aedundo hæreditatem, censetur se obligare legatariis ad omnia eis legata præstanda, l. 5. §. ult. ff. ex quibus caus. in poss. eatur, lib. 3. p. 425

Hæres coloni colonus est, l. 10. C. de loc. & cond. lib. 2. p. 121

Hæres cum defancto eamdem personam constituere intelligitur, Novella 48. in pr. lib. 3. p. 430

Hæres debet præstare legatario evictio-rem, l. hæres 72. ff. ad SC. Trebell. lib. 4. P. 573

Hæres in quartam ea tantum imputare te-  
netur, quæ capit jure hæreditario; non quæ  
capit jure legati aut fideicommissi, leg. in  
quartam ff. ad L. Falcid. lib. 2. p. 274

Hæres institutus ex re certa, nullo coha-rede addito, habetur pro hærede instituto ex ase, arg. l. 10. ff. de hær. instit. & l. pen. C. eodem, lib. 2. p. 209

Hæres qui lucrum amplectitur, onus quo-que ei annexum agnoscere intelligitur, arg. l. un. §. pro secundo C. de cad. tollend. lib. 3. p. 425

Hæres qui periculo alieno adiit hæreditatem, nullum commodum ex ea percipere potest, l. 14. ff. ad SC. Trebel. lib. 2. p. 263

Homo liber potest legari sibi ipsi, l. Sena-  
tur 43. §. ult. ff. de leg. 1. lib. 2. p. 289

Hoc perquam durum est: verum Lex ita  
scripta est, l. 12. ff. qui & à quibus manum.  
lib. non sicut, lib. 1. p. 2

## I

**I**D quod exprimitur, est regula omissi,  
§ illud Inst. de societ. e, & §. 2. Insti-  
de vulg. subtilit. lib. 3. p. 410

Idem ex pluribus causis nostrum esse non  
potest, l. 14. §. pen. ff. de except. rei judic.  
& l. 159. ff. de reg. jur. lib. 4. p. 488

Ignoranti facile obligatio acquiritur ex re  
sua, l. certi §. si nummos ff. de rebus cred.  
lib. 4. p. 593

Ignorantia justa & probabilis nemini de-  
bet damnam afferre, l. 51. ff. de solut. &  
l. inter eas ff. mandati, lib. 4. p. 589

Ille cui sub modo legatum est, potest sta-  
tim legatum acquirere, cautione præstitâ  
de modo sibi præscripto adimplendo, l. se  
legatum ff. de leg. 3. & l. 44. ff. de manum.  
testam. lib. 2. p. 254

Illi quibus aliquid dari debet conditionis  
adimplendæ causâ, legatarii non sunt, l. 8.  
ff. si quis em. cau. testam. lib. 2. p. 287

Illi qui non habet quod perdat, peri-  
culo nihil est, l. 12. in princ. ff. de furtis,  
lib. 4. p. 448

Impossibilium nulla obligatio est, l. im-  
possibilium ff. de reg. juris, lib. 3. p. 364

Imperitia est verum delictum in eo qui  
peritiam ignorare sibi artis sponte proficitur,  
l. 9. §. pen. & l. 13. §. si gemma ff. locati,  
lib. 4. p. 472

Impuberis non creduntur posse sapientium  
hominum jura tractare, l. ult. C. de testam.  
milit. lib. 2. p. 179

In alternativis alterum adimpleri suffi-  
cit, cap. in alternativis de reg. juris in 6.  
lib. 2. p. 196

In ambiguitatibus quæ ex legibus profici-  
cuntur, rerum perpetuò similiiter judicata-  
rum auctoritas vim legis obtinet, l. 38. ff.  
de legibus, lib. 4. p. 569

In conditionibus, quamvis ex famosis can-  
sis pendeant, cessat ignorinia, l. 36. ff. de  
obl. & act. lib. 4. p. 552

In conditionalibus legatis dies numquam  
cedit, nisi post eventum conditionis, l. 5. §.  
1. & 2. ff. quando dies leg. ced. lib. 2. p. 244

In contractibus non valet conventio, nè do-  
lus præstetur, l. 23. ff. de reg. juris, lib. 3.  
p. 358

In defensione sui ipsius, debet observari  
moderatio inculpatæ tutelæ, l. 1. C. unde  
vi, lib. 4. p. 455

In dubio quilibet præsumitur vir bonus,  
cap. un. ext. de scrit. in ord. fac. lib. 4. p. 595

In eximiis à communibus juris regulis re-  
cedendum est, l. 6. §. valde tamen ff. de  
excusat. lib. 2. p. 120

In favorem libertatis, multa veteres legum  
latores contra juris communis regulas con-  
tituerunt, §. ult. Institut. de donat. lib. 2.  
p. 154

In his quæ contra rationem juris consti-  
tuta sunt, non possumus sequi regulas juris,  
l. 15. ff. de legibus, lib. 4. p. 580

In his quæ naturalia sunt, jure naturali  
omnes homines æquales sunt, l. quod atti-  
net ff. de reg. juris, lib. 3. p. 368

In illis quæ contra Legis prohibitionem

- hunc, non est bona fides; l. qui à quolibet ratur, l. 91. §. sequitur ff. de verb. obligat. ff. de contrah. empr. lib. 4. p. 569 lib. 3. p. 400
- In incertum eventum confitri non debet In quantum velit substituere potest testator, l. 36. ff. de vulg. & pupill. substitut. quod in nostra potestate est, l. 21. & sequ. lib. 2. p. 197
- In instrumentis præsumuntur omnia solemniter acta, §. si scriptum insit, de inuit. si p. lib. 3. p. 382
- In judiciis bonæ fidei, tantumdem valet officium Judicis, quantum in stipulatione, nominatum facta aliquibus rei interrogatio, l. 7. §. quia tantumdem ff. de negot. gestis, lib. 3. p. 406
- In judiciis, personæ actoris & rei debent distingui, cap. foras ext. de verb. signific. lib. 4. p. 509
- In legibus novis, quæ juris veteris emendationem inducunt, quidquid expressum non est, sub veteribus juris regulis relictum intelligitur, l. precipimus §. ult. Cod. de appellat. lib. 2. p. 176
- In liberis ex justo matrimonio suscepitis, tempus conceptionis inspicitur; extra matrimonium vero, tempus partus, l. Imperator, ff. de statu hom. lib. 1. p. 16
- In majori summa minor continetur, l. 1. §. si quis simpliciter ff. de verbor. obligat. lib. 3. p. 376. & 390
- In multis juris articulis, melior est conditio masculorum quam foeminarum, l. in multis ff. de statu hom. lib. 2. p. 291
- In muneribus publicis, filius familias pro parentefamilias habetur, l. filius familias ff. de his qui sui vel al. juris sunt, lib. 1. p. 58
- In nullo peccare magis est divinitatis, quam humanitatis, l. 2. §. si quid Cod. de vet. jure enucl. lib. 3. p. 379
- In nuptiis pudor inspici debet, l. 14. §. serviles ff. de ritu nupi. lib. 1. p. 32. & 38
- In obscuris mitior sententia amplectenda est, l. Praes ff. de poenis, lib. 4. p. 566
- In omnibus faciendi obligationibus, per moram promissoris novatio inducitur, & reus in pecuniam numeratam condemnatur, l. 13. §. 1. ff. de re judic. lib. 3. p. 361
- In omnibus judicis, præcipua est justitia æquitatisque, quam stricti juris ratio, l. placuit C. de judiciis, & l. in omnibus ff. de reg. juris, lib. 2. p. 112 & lib. 4. p. 501
- In pari causa melior est conditio possidentis, l. in pari ff. de reg. juris, lib. 4. p. 478
- In pari causa melior est conditio prohibentis, l. Sabinus ff. comm. divid. lib. 2. p. 104
- In personam servilem nulla cadit obligatio, l. 22. ff. de reg. juris, lib. 3. p. 368. & 377
- In questionibus de bono & æquo, plerumque sub obtentu juris scientie perniciosè er-
- ratur, l. 91. §. sequitur ff. de verb. obligat. lib. 3. p. 400
- In quantum velit substituere potest testator, l. 36. ff. de vulg. & pupill. substitut. lib. 2. p. 197
- In quibus casibus dominium sine traditio ne veri domini acquiritur traditio possessoris ad usucacionem non est necessaria, ut sit in legato, l. 8. ff. pro leg. & l. 80. ff. de leg. 2. lib. 2. p. 149
- In rebus corporalibus numquam ultrò datur actio possessori; quia sufficit ei, quod possidat, l. 1. §. interdictum ff. uti possid. lib. 4. p. 478
- In rebus novis constitutis, evidens esse utilitas debet, ut recedator ab eo jure, quod diu æquum visum est, l. 2. ff. de const. Prince. lib. 2. p. 280
- In rebus prohibitis dolus præsumitur, doc nec bona fides probetur, l. 5. C. de injur. lib. 4. p. 444
- In singulis hereditibus ratio Legis Falcidiz ponenda est, §. 1. Insit. de Lege Falcidia, lib. 2. p. 262
- In societate creditur traditio intervenire, l. 1. in fine, & l. 2. ff. pro socio, lib. 3. p. 407
- In stipulationibus conditionalibus tempus contractus inspicimus, non existentis conditionis, l. 11. ff. qui pot. in pign. hab. lib. 3. p. 427
- Inanis est actio quam inopia debitoris excludit, l. 6. ff. de dolo malo, lib. 2. p. 272
- In civile est, nisi totâ lege perspectâ, de ipsa judicare, l. 24. de legibus, lib. 1. p. 67
- Iniquum est, ut doborum pœnam sua liberalitatis sustineat, l. 62. ff. de Edil. edic. & l. Aristo §. ult. ff. de donat. lib. 2. p. 233
- Injuriam occidit, qui dolo vel culpâ, quantvis levissimâ, occidit, l. 44. ff. ad L. Aquil. lib. 4. p. 455
- Injuria non sit scienti & consentienti, cap. scienti de reg. jur. in 6. lib. 3. p. 389
- Inter alios acta vel judicata, alii præjudicium afferre non debent, rero tit. C. inter al. act. vel jud. alt. non nocent, lib. 4. p. 538
- Inter illos qui æquale privilegium habent, sola temporis prærogativa scrivatur, l. 2. C. de privil. fisci, lib. 4. p. 500
- Inter ingenuos jus succedendi nullos habet fines, l. 1. §. 1. ff. de suis & legittim. hered. lib. 3. p. 330
- Inter pignus & hypothecam, quantum ad actionem hypothecariam, tantum nominis sonus differt, l. 5. §. 1. ff. de pignorib. & hypoth. lib. 4. p. 484
- Inter stipulatorem & promittentem negotium contrahi debet, l. 83. in princ. ff. de verb. oblig. lib. 3. p. 384

Interpretatione legum, pœnæ sunt potius  
molliendo quam asperando, l. penult. ff. de  
pœnis, lib. 4. p. 462

Inventæ sunt stipulationes, ut quis per  
eas acquirat quod suā interest. Ceterū ut  
alii detur, nihil interest stipulatoris, l. 38.

§. alteri ff. de verb. obl. lib. 3. p. 375. & 383

Invito beneficium non datur, l. 69. ff. de  
reg. juris, lib. 3. p. 391. & 419

Invitus beneficium non præstat, l. 13. §.  
sicut ff. commod. lib. 3. p. 420

Invitus creditor solutionem pro parte ac-  
cipere non cogitur, l. tutor §. Lucius ff. de  
nsuris, & l. 9. C. de solut. lib. 3. p. 431

Is dum taxat fur dicendus est, qui cognoscit  
eis se invito domino res ejus contrahere, l.  
inter omnes §. rest. ff. de furtis, lib. 4. p. 444

Is qui habet actionem ad rem recuperan-  
dam, ipsam rem habere videtur, l. rem in  
bonis ff. de acquir. rerum dom. lib. 2. p. 238

Is qui rem debitam sine Judice occupat,  
vim facere intelligitur, l. 13. ff. quod me-  
tus caus. lib. 4. p. 572

Is solus acquirere servitutem realem po-  
test, qui prædium habet, l. 1. ff. comm.  
pred. lib. 3. p. 370

Judex non potest de alia re quam quæ pe-  
titur, sententiam ferre, l. ult. C. de fidei-  
comm. libert. lib. 4. p. 504

Judices prionores esse debent ad absolven-  
dum quam ad condemnandum, l. Arrianus  
47. ff. de oblig. & act. lib. 4. p. 528

Judicia omnia sunt hodie extraordinaria,  
§. ult. inf. de interd. lib. 4. p. 529

Jura sunt de his, quæ ut plurimum acci-  
dunt, l. 2. & 3. sequ. ff. de legibus, lib. 3.  
p. 317

Jura sanguinis nullo jure civili dirimi pos-  
sunt, l. 8. ff. de reg. juris, lib. 3. p. 320

Juramentum non debet esse vinculum ini-  
quitatis, cap. non est de regul. juris in 6.  
lib. 3. p. 385

Juramentum quod est contra bonos mores,  
obligationem non parit, cap. non est de reg.  
juris in 6. lib. 3. p. 385

Jure accrescendi portio portioni accrescit,  
scut alluvio, l. si Tilio ff. de usufr. lib. 2.  
p. 199

Jure affinitatis numquam succeditur, l. 7.  
C. comm. de success. lib. 3. p. 341

Juri publico privatorum pactis derogari  
non potest, l. jus publicum ff. de pactis,  
lib. 1. p. 4

Jurisjuriandi contempta religio satis Deum  
habet ultorem, l. 2. C. de rebus creditis,  
lib. 4. p. 551

Jus coquare non potest, nisi sint Jurisper-  
iti, per quos possit in inclusu produci, l. 2.

§. post originem ff. de origine juris, lib. 1.  
p. iv

Jus ex facto oritur, l. si ex plagiis §. in  
clivo ff. ad L. Aquilam, lib. 4. p. 576

Jus faciendi testamenti proprium est Ci-  
vium Romanorum, l. 1. in princ. ff. ad Leg.  
Falcidiam, lib. 2. p. 182

Jus singulare, quod contra tenorem ratio-  
nis ac juris communis constitutum est, non  
est producendum ad consequencias, l. jus  
singulare ff. de legibus, & l. 141. ff. dereg.  
juris, lib. 4. p. 591

Jusjurandum speciem transactionis conti-  
net, maioremque habet auctoritatem, quam  
res judicata, l. 2. ff. de jurejur. lib. 4. p. 537

Juste possidet, qui Prætore auctore possi-  
det, l. iusti ff. de acquir. poss. lib. 2. p. 120

Jus honorarium est viva vox juris civilis,  
l. 8. ff. de justitia & jure, lib. 3. p. 320

## L

L A T A culpa pro dolo habetur, l. quod  
Nerva ff. depositi, lib. 3. p. 358

Legata ab institutis relista, a substitutis  
quoque intelliguntur repetita, l. licet 74.  
ff. de leg. 1. lib. 2. p. 199

Legata eorum, quæ accessionum locum  
obtinent, extinguntur, quoties legata re-  
rum principalium extincta sunt, l. 2. ff. de  
pecul. legato, lib. 2. p. 242

Legata juris successores non sunt, §. lega-  
tarioris Ius. de testam. ordin. lib. 2. p. 246

Legatariorum nullis creditorum actionibus ob-  
noxii sunt, l. 1. C. si cert. pet. lib. 2. p. 228

Lex est humanarum ac divinarum rerum  
domina ac regina, l. 2. ff. de legibus, lib.  
4. p. 559

Liber homo difficile dignosci potest à ser-  
vo, l. 9. C. de contrah. empt. lib. 1. p. 15

Liberi hominis possessio Lege prohibetur,  
l. qui universas §. 1. ff. de acquir. rer. dom.  
lib. 4. p. 593

Liberi nocentium, quos reos sceleris so-  
cietas non facit, nullam pœnam debent for-  
midare, l. 22. C. de pœnis, lib. 4. p. 560

Liberi patronorum patroni sunt, Ulp. tit.  
29. & l. 5. ff. de jure patron. lib. 1. p. 66

Liberi sunt partes corporis parentum, l.  
cum scimus C. de agric. & cens. lib. xij. lib.  
2. p. 136

Liberi sunt quadam portio viscerum ma-  
tris, l. 1. §. 1. ff. de inspic. vent. lib. 4. p. 500

Libertas est res inæstimabilis, l. 105. ff. de  
reg. juris, lib. 3. p. 327. & 347

Libertas omnibus rebus favorabilior est,  
l. 112. ff. eod. lib. 4. p. 519

Licet parentibus non debeatur filiorum

hæreditas propter votum parentum & naturalem erga liberos charitatem ; turbato tamen ordine mortalitatis , non minùs parentibus quām liberis piè relinqui debet , l. 15. ff. de inoffic. testam. lib. 2. p. 215

Licet pena ad hæredem non transeat , at-tamen quod turpiter & scelere quæsum est , ad compendium hæreditis non debet per-tinere , l. 16. §. ult. ff. quod metus causâ gesum est , lib. 3. p. 325

Liquidi cum illiquido compensatio non admittitur , l. ult. C. de compens. lib. 4. p. 502

Lis nulla potest esse inter patrem & filium , nisi de castrensi peculio , l. 4. ff. de judiciis , lib. 4. p. 447. & 508

Locatio & conductio iisdem juris regulis consistit , ac emptio & venditio , l. 2. in princ. ff. locat. lib. 3. p. 396

Locupletior factus non est , qui libertam acquisivit , l. 126. §. 1. ff. de regul. juris , lib. 3. p. 346

Ludus noxious in culpa est , l. 11. ff. ad L. Aquil. lib. 4. p. 456

## M

MAGISTRATUS potest ea man-dare alteri , quæ sunt jurisdictionis ; non autem ea quæ specialiter lege concessa sunt , l. 1. in princ. ff. de officio ejus cui man-est jurisd. lib. 1. p. 95

Major est securitas rei incumbere , quām solam habere actionem in personam , l. 25. ff. de reg. juris , lib. 3. p. 357

Malorum mores infirmitas animi non ex-euscat , l. 1. C. si. adv. delit. lib. 4. p. 451

Manumissio servi morti æquiparatur , l. 33. ff. de verb. oblig. & l. 92. ff. de solut. lib. 2. p. 241. & 264

Maritus fundi dotalis dominus est , l. 9. C. de rei vindic. lib. 2. p. 155

Melior est causa illius qui certat de damno virando , quām illius qui certat de lucro ac-quirendo , l. ult. C. de jure deliber. lib. 4. p. 481

Melius est nocentem dimitti , quām inno-centem condemnari , l. absentem in princ. ff. de pænis , lib. 2. p. 259

Militibus jura ignorare permisum est , l. 9. ff. de jur. & fact. ignor. lib. 2. p. 173

Militibus licet testamentum facere , quo-modò possunt & quomodo volunt , l. ult. ff. de testam. milit. lib. 2. p. 172

Modus pro conditione observatur , l. 1. C. de his qua sub modo relinqu. lib. 2. p. 254

Mora cuique sua , non adversario nocere debeat , cap. mora de reg. juris in 6. lib. 3. p. 399

Mora nulla committitur ubi nulla petitio

est , l. 88. ff. de reg. juris , & l. 117. ff. de verb. oblig. lib. 2. p. 239

Mora perpetua obligationem , l. 19. §. sequitur ff. de verb. oblig. lib. 3. p. 359

Multa per se ad jurisdictionem Judicium non pertinent , de quibus tamen possunt cog-noscere per consequiam alterius negotii , l. 1. C. de ordin. judic. lib. 3. p. 372

Mutuum dare est alienare , l. 2. ff. de reb. cred. lib. 2. p. 158

## N

NATURALIS ratio suadet , ut al-terius ignorantis & inviti conditionem meliorem facere possimus , l. 13. ff. de solut. & l. 39. ff. de neg. gest. lib. 3. p. 430

Necare videtur qui denegat alimenta , & aliorum misericordiae exponit , quam ipse non habet , l. necare ff. de lib. agnosc. lib. 1. p. 33

Necessitas probandi incumbit illi qui agit , l. verius ff. de probat. lib. 2. p. 232

Nemini imputari potest , quod non divi-naverit , l. 31. ff. ad L. Aquil. lib. 4. p. 457

Nemini injuriam facit qui suo jure utitur , l. in fadum §. 1. ff. de reg. jur. lib. 4. p. 464

Nemo alieno nomine lege ægere potest , l. 123. ff. de reg. juris , lib. 4. p. 524

Nemo auditur , qui propriam allegat tur-pitudinem , l. 3. & 4. ff. de condit. ob tur-p. caus. lib. 3. p. 417

Nemo cogitur plus restituere jure fidei-commisi , quām ipse ex testamento accep-it , l. ab eo C. de fideicomm. lib. 2. p. 205

Nemo cogitur invitus in communione per-manere , l. ult. C. com. divid. lib. 4. p. 493

Nemo debet affectare illud in quo intelli-git vel intelligere debet , infirmitatem suam aliis periculosam futuram , l. 8. §. 1. ff. ad L. Aquil. lib. 4. p. 458

Nemo errans dominium rei suæ transfe-re in alium potest , l. dedi §. subtilius , ff. de cond. cau. dat. cau. non sec. lib. 4. p. 590

Nemo est dominus suorum membrorum , l. 13. ff. ad L. Aquil. lib. 4. p. 445

Nemo ex improbitate sua actionem conse-quitur , l. 12. §. 1. & l. 14. §. his autem ff. de furtis , lib. 4. p. 450

Nemo in necessitatibus liberalis existit , l. rem alienam ff. de adim. leg. lib. 2. p. 238

Nemo obligatur ex contractu alieno , l. pen. C. ne uxor pro marito , lib. 3. p. 344

Nemo potest in suo testamento caverre , ne leges in eo locum habeant , l. 55. ff. de leg. 1. lib. 2. p. 262

Nemo potest plus juris in alterum trans-ferre , quām ipse habeat , l. 54. ff. de reg. juris , lib. 2. p. 123

**N**emo potest potestitèm à Lege acceptam in aliū transferre, l. 1. ff. de officio ejus enī mandata est juris. lib. 1. p. 72

Nihil est magis conveniens naturali æquitati, quān voluntatem domini rem suam in aliū transferre volentis, ratam haberi, §. per traditionem Inst. de rerum divis. & l. 9. §. ha quaque ff. de acquir. rerum dom. lib. 2. p. 123

Nihil est quod magis hominibus debetur, quān ut suprēma hominum voluntatis, post quam jam aliud velle non possunt, liber sit stylus; & licitum, quod iterum non redit arbitrium, l. 1. C. de sacros. Eccl. lib. 2. p. 161

Nihil interest an quis ipso jure actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur, l. 112. ff. de reg. juris, lib. 2. p. 260

Nihil nocet ex una domo plures testes alieno negotio adhiberi, l. 17. ff. de testibus, lib. 2. p. 169

Nihil valet ex his quæ in testamento scripta sunt, si nemo hereditatem adierit, l. 9. ff. de testam. tut. lib. 3. p. 345

Nihil possidere potest, qui ab alio possidetur, l. 54. §. ult. ff. de acquir. rer. dom. lib. 2. p. 173. & lib. 4. p. 480

Nimis invidiosum est calumniæ facultatem ex principali maiestate capere, l. pen. ff. de hered. inst. lib. 2. p. 212

Nomen generis accipitur sāpe pro illa specie, quæ intra illud genus perfectior est, §. sed jus Inst. de jure nat. lib. 2. p. 288

Non debet admitti foeda nominum & rerum confusio, ut aliquis aliorum tutelam vel curam habeat, qui sub aliorum cura est constitutus, l. ult. C. de leg. tut. lib. 4. p. 540

Non debet cui plus licet, quod minus est nba licere, l. non debet 21. ff. de reg. juris, lib. 4. p. 539

Non debet Principi prohiberi, quod privatis permittitur, l. unic. C. rem al. ger. non interdi. rer. suar. alienar. lib. 1. p. 52

Non debet res sua alicui justo pretio extorqueri, l. 11. & l. 14. C. de contr. empt. lib. 4. p. 502

Non debet statim venire debitor cum sacco, l. 105. ff. de solut. lib. 3. p. 362. & 387

Non debent ulterius progredi poenæ, quān progrediantur delicta, l. saecimus 25. C. de poenis, lib. 3. p. 411

Non est consentiendum parentibus, qui injuriā adversū liberos suos testamento inducunt, quod plerumque faciunt, maligne circa sanguinem suum inferentes judicium noveralibus delinimenti, instigationibus que corrupti, l. 4. ff. de inoffic. testam. lib. 2. p. 214

Non est eadem vis taciti & expressi, l.

77. & l. 195. ff. de reg. juris, lib. 4. p. 530 Non est ferendus ille, qui lucrum quidem amplectitur; onus autem ei annexum contemnit, l. un. §. pro secundo C. de cad. toll. lib. 2. p. 235

Non est magnum damnum in mōra modici temporis, l. 21. in pr. ff. de jud. lib. 1. p. 57

Non est novum, priores Leges trahi ad posteriores, l. non est novum ff. de legibus, lib. 1. p. 56.

Non est novum, ut ea quæ semel utiliter constituta sunt, durent; licet is casus extiterit à quo incipere non potuerunt, l. 85. §. 1. ff. de reg. juris, lib. 3. p. 242

Non est similis causa legati & fideicommissi pecuniarii, l. Paulus ff. de fid. lib. lib. 3. p. 346

Non ex opinione singulorum, sed ex communī usu nomina exaudiri debent, l. 7. §. ult. ff. de suppell. lib. 2. p. 287

Non invento authentico infirmatur exemplar, l. 1. sed si unum ff. de bona possess. tabul. lib. 2. p. 171

Non loco, sed materiā & genere prædia rustica ab urbanis distinguuntur, l. 198. ff. de verb. sign. lib. 2. p. 130

Non minus ex verbis Legis orī intelligi-  
tur quod ex justa interpretatione descendit,  
quām quod verbi expressum est, l. 6. §. 1.  
ff. de verb. sign. lib. 4. p. 578

Non numerus pupillorum, sed difficultas rationum conficiendarum & reddendarum, consideranda est, l. 31. §. ult. ff. de excus. lib. 1. p. 88

Non omne quod licet, honestum est, l. non omne ff. de reg. juris, lib. 1. p. 4

Non omnium quæ jure constituta sunt, ratio reddi potest, l. non omnium ff. de leg. lib. 2. p. 219

Non oportet jus civile calumniari, & verba captare, l. 3. §. si mecum & l. pen. ff. ad exhib. lib. 2. p. 250

Non possidet ille, qui alieno nomine possidet; sed is tantum cuius nomine possidetur, l. quod meo ff. de acquir. possess. lib. 1. p. xiv

Non possunt omnes casus legibus comprehendendi, l. 12. ff. de legibus, lib. 1. p. iv

Non præstat impedimentum, quod jure nullum fortuit effectum, cap. non præstat de reg. juris in 6. lib. 4. p. 579

Non præsumuntur faciles defunctorum voluntates in hæreditibus onerandis, l. uniu. §. si rem ff. de leg. 2. lib. 4. p. 574

Non revocantur libertates, quæ semel competierunt, l. ergo §. quid ergo ff. de fid. libert. lib. 3. p. 347

Non valent conventiones, quæ præbene occasionem delinquendi, l. 5. ff. de pacis

- dotalibus ; lib. 3. p. 385  
 Non videtur quisquam aliquid dixisse qui  
 non suo nomine usus sit, l. 7. §. ult. ff. de  
 supell. leg. lib. 2. p. 287  
 Non videtur versum, quod non durat ver-  
 sum, l. 10. §. versum ff. de in rem verso,  
 lib. 4. p. 515  
 Noxx deditio divisionem non recipit, l.  
 8. ff. de nox. act. lib. 4. p. 589  
 Nuda conventio non sufficit ad dominium  
 transferendum, l. traditionibus C. de pac-  
 tis, lib. 2. p. 323  
 Nodium consilium obligationem non indu-  
 cit, si fraudulentum non sit, l. consilii ff.  
 de reg. juris, lib. 4. p. 446  
 Nullus est affectus, qui vincat paternum,  
 l. ult. in pr. C. de curat. furios. lib. 4. p. 579  
 Numquam dies legati cedit vivo testatore,  
 l. 5. ff. quando dies leg. ced. lib. 2. p. 248  
 Nuptias non concubitus, sed consensus  
 facit, l. nuptias ff. de reg. juris, lib. 1. p. 29

## O

**OBLIGATIO** nulla est quoties con-  
 ditio contractus conferatur in merum  
 arbitrium coatrahentium, l. 13. C. de con-  
 trah. emptione, lib. 3. p. 350

Obligationes & nomina ipso jure dividun-  
 tur inter coheredes, l. 4. & l. 25. 1. ff. fam.  
 erice. lib. 4. p. 587. & 589

Obligationi facti succedit obligatio ad id  
 quod interest, l. 72. ff. de verb. obligat. &  
 l. 13. ff. de re judic. lib. 4. p. 590

Obligationis naturalis vis ac potestas est,  
 non quidem ut peti possint quæ debentur;  
 sed ut repeti nequeant quæ soluta sunt, l.  
 26. §. libertus ff. de cond. indeb. l. 10. ff. de  
 SC. Maced. & l. 3. §. ult. ff. quod quisque  
 jur. in alt. stat. lib. 4. p. 570

Obligationum substantia non in eo confi-  
 cit, ut aliquod corpus nostrum faciat; sed ut  
 alium nobis obstringat ad dandum aliquid,  
 vel faciendum, vel praestandum, l. 3. in pr.  
 ff. de obl. & aet. lib. 2. p. 238. & lib. 4. p. 571

Obsequium quod praefatur legibus, non  
 minuit, sed perficit libertatem, l. 4. C. de  
 legibus, lib. 2. p. 105

Occidisse videtur, qui mortis causam pre-  
 fitit, l. 51. in princ. ff. ad Leg. Aquiliam,  
 lib. 4. p. 457

Officium suum nemini debet esse damno-  
 sum, l. videlicet ff. ex quibus causis major  
 25. annor. in integ. restit. lib. 4. p. 480

Omne jus fructuarii cum anima ipsius ex-  
 pirat, l. pen. C. de usufr. lib. 2. p. 137

Omne quod accedit vel decedit rei lega-  
 te ante diem legati cedentem, legatarii

lucro vel damno est, §. si petulium insit.  
 de leg. lib. 2. p. 244

Omnes contractus ex conventione contra-  
 hentium legem accipiunt, l. 1. §. si conve-  
 nit ff. depo. lib. 3. p. 395

Omnes debitores, qui speciem aliquam ex  
 causa lucrativa debent, liberantur; cum ca-  
 species ex alia causa lucrativa ad creditorem  
 pervenerit, l. omnes ff. de obligat. & aet.  
 lib. 4. p. 490

Omnibus in re propria dicendi testimonii  
 facultatem jura submoverunt, l. 10. C. de  
 testib. & l. 10. ff. eed. lib. 2. p. 169

Operæ hominis in fructu sunt, l. 3. & 4.  
 ff. de operibus servorum. lib. 2. p. 163

**PAGANUS** non potest pro parte tes-  
 tatus, & pro parte intestatus decedere,  
 l. 7. ff. de reg. juris, lib. 2. p. 392  
 Parentum successio magis debetur liberis,  
 quam liberorum hereditas parentibus de-  
 beatur, l. 7. §. ult. ff. si tab. test. null. ext.  
 & l. 15. ff. de inoffic. test. lib. 3. p. 339

Paria sunt in jure, fieri aliquid tempore  
 illicito, & conferri in tempus illicitum, l.  
 4. C. de donat. ante nupt. lib. 2. p. 153

Partus est quedam portio viscera matris,  
 l. 1. §. 1. ff. de inspic. ventre, lib. 2. p. 110

Partus sequitur ventrem, l. 7. C. de rei  
 vind. & l. ult. ff. de lib. cans. lib. 2. p. 110

Pater intelligitur qui justus est, & quem  
 justæ nuptiae demonstrant, l. 5. ff. de in jus  
 vot. & l. 44. ff. de ritu nupt. lib. 1. p. 16. & 29

Pater & filius pro una & eadem persona  
 habentur, l. ult. C. de impub. & aliis subst.  
 lib. 3. p. 201

Pater per filii corpus magis periclitatur  
 quam filius, l. 8. §. ult. ff. quod metus can.  
 & §. ult. Inst. de nox. act. lib. 4. p. 561

Patientia interdum pro traditione habe-  
 tur, l. ult. ff. de servit. & §. interdum Inst.  
 de rerum divis. lib. 2. p. 123. & 125

Patris interest, liberorum animum non  
 corrumpi, l. 14. §. 1. ff. de serv. corrupt.  
 lib. 4. p. 495

Pecunia nomine omnia continentur, l. pe-  
 cul. C. de const. pecun. lib. 4. p. 485 & 514

Per aditionem hereditatis inducitur utrius-  
 que patrimonii confusio, l. Stichum §. adi-  
 tio ff. de solut. lib. 2. p. 222

Per litis contestationem fit novatio, &  
 in judicio videtur contrahi, l. 3. §. idem  
 scribit ff. de peculio, lib. 4. p. 533

Per procuratorem possessio nobis acquiri-  
 tur, l. 1. C. de acquir. posseß. lib. 2. p. 163

Per provocationem omnis sententia auco-  
 ritas infirmatur, l. 6. §. 1. ff. de his qui  
 pot. infam. lib. 4. p. 530

Per radices arbor cum terra unitatem facit, l. hoc amplius §. Aphenus ff. de dam. infest. lib. 2. p. 118

Per rerum naturam factum negantis nulla est probatio, l. actor C. de probationib. lib. 2. p. 232

Pignus divisionem non recipit, l. 18. §. ult. & l. 25. §. idem ff. fam. ercise. lib. 4. p. 589

Pignus in bonis debitoris permanet, l. 9. C. de pign. act. lib. 2. p. 156

Plenius interpretandæ sunt morientium voluntates, l. 12. ff. de reg. juris, lib. 2. p. 137. & 233

Plerumque id accidit, ut extra id quod agitur, tacita obligatio nascatur, l. 12. in fine ff. commod. lib. 4. p. 445

Plures excusationum species imperfecte, licet simul conjuncte sint, ad excusationem tamen non sufficiunt, l. un. C. qui numer. tuer. lib. 1. p. 93

Plura sunt negotia quam vocabula, l. 3. 4. & 5. ff. de præser. & in fact. act. lib. 1. p. 7

Plus est itatum aliquid dare, & minus post tempus dare, §. fidejussores Instit. de fidejuss. lib. 3. p. 390

Pœna severitate, cum reo transactum de estimatione videtur, l. 13. §. pœn. ff. de his qui nrit. infam. & l. 4. C. eod. lib. 4. p. 452

Pœna suos debent tenere auctores, nec deber quisquam alieno odio prægravari, l. 23. C. de pœnis, lib. 4. p. 533

Portio legitima onus non patitur, l. 30. & l. 32. C. de inoffic. testam. & l. 28. ff. de leg. 2. lib. 2. p. 205

Possessio acquiri non potest ab eo qui non habet animum possidendi, l. 1. §. furiosus, ff. de acquir. rerum dom. lib. 4. p. 593

Possessio sine possessione non procedit, l. 19. ff. ex quibus causis major 25. ann. in int. restit. lib. 2. p. 140

Post aditam hæreditatem, vulgaris substitutio expirat, l. 5. C. de impub. & alius subbit. lib. 2. p. 198

Post emancipationem filii adoptivi, nullum ferè è pristino remanet vestigium, l. 13. ff. de adopt. lib. 1. p. 44

Posteriores Leges prævalent prioribus, l. ult. ff. de constit. Princ. lib. 1. p. 12

Potiori pares esse non possumus, l. 3. in princ. ff. de alien. judic. mut. cau. fact. lib. 3. p. 389

Præses Provincie abdicando se non amittit imperium, l. Legatus ff. de offic. Pres. lib. 2. p. 208

Præsumptiones onus probationis transfrunt in adversarium, l. ult. ff. quod metus caus. lib. 3. p. 382

Prætor absentibus reipublicæ causâ succurrit, ne capiantur; & adversus illos etiam succurrit, ne capiant, l. 21. in princ. ff. ex quib. cau. maj. in integr. restit. lib. 4. p. 480

Prætor, dum instituit actiones indirectas, nihil mutavit, sed adjecit tantum, l. 5. §. pen. ff. de exerc. act. lib. 4. p. 520

Prætor exigit ut testator jus testamenti faciendi habuerit duplice tempore, & cum testatur, & cum moritur, l. 1. §. exigit ff. de bona possess. sec. tabulas, lib. 2. p. 210

Prætor filium qui abstinuit, non haberet hæredis loco, l. 12. ff. de interr. act. lib. 2. p. 198

Prætor hæredem facere non potest, sed Lex sola vel similis constitutio, §. quos autem inf. de bona possess. lib. 3. p. 319

Prætoris officium est, non tantum emendare suis editis jus civile, sed etiam confirmare, l. 7. ff. de just. & jure, lib. 3. p. 301

Pretia rerum, non ex aff. &c. singulorum, sed communiter funguntur, l. 33. ff. ad L. Aquil. lib. 4. p. 459

Princeps legibus solitus est, l. Princeps ff. de legibus, lib. 2. p. 259

Principi denegandum non est quod privatis permittitur, l. un. C. rem alien. ger. non interd. rer. saar. alien. lib. 2. p. 213

Privatorum commodis derogandum est, ut publica utilitati consulatur, auth. res qua C. comm. de legat. lib. 2. p. 189

Privilegia in gratiam alicuius inducta, non debent in ipsius injuriam retroqueri, l. 6. C. de legibus, lib. 4. p. 578

Privilegia non transgrediuntur personas, quorum gratia data sunt, §. sed & quod Instit. de jure nat. lib. 3. p. 313

Procurator per litis contestationem habet dominus litis, l. 22. & 23. C. de procurator. lib. 4. p. 530

Prodigus furioso in multis æquiparatur, l. 1. ff. de curat. furios. & l. 12. §. ult. ff. de tutor. & curat. lib. 1. p. 80. & lib. 2. p. 168

Proprium est juris civilis, ut aliquid addat vel detrahatur juri gentium, l. 6. ff. de justitia & jure, lib. 3. p. 351

Publicè expedite, supra hominum judicia effectum habere, l. 4. ff. testam. quemad. aper. lib. 2. p. 168

Publicè interest, posse quemlibet securè per itinera publica commicare, l. 1. §. 1. ff. de his qui effud. vel dejec. lib. 4. p. 473

Publicè interest, dotes suas mulieribus conservari, l. 1. ff. soluto matrim. lib. 4. p. 499

Pupilli & furiosi per se obligantur quoties obligatio ex re venit, l. 46. ff. de oblig. & act. lib. 3. p. 296

Pupillæ

Pupilos tueri ad publicam curam pertinet, l. 2. quæ autem ff. qui per. sus. vel curat. lib. 1. p. 86

Q

**Q**UÆ abundant non solent vitiare scripturas, l. non solent ff. de regul. jur. lib. 2. p. 232

Quæ continent post negotium sunt, in ipso negotio peracta intelliguntur, l. 1. §. ult. cum l. seq. ff. de solut. lib. 1. p. 75

Quæ de tota re dicuntur, eadem etiam & de parte intelligenda sunt, l. quæ de tota ff. de rei vindic. lib. 2. p. 118

Quæ jurisdictionis sunt, mandari possunt; non ea quæ specialiter Lege concessa sunt, l. 1. in princ. ff. de offic. ejus cui mandata est juris. lib. 1. p. 95

Quæ per partes mutantur, mutari non videntur, l. proponebatur ff. de judic. & l. 10. §. penult. ff. quibus modis ususfructus amitt. lib. 2. p. 101

Quæ per rerum naturam certa sunt, non morantur obligationem, licet apud nos incerta sint, §. pen. Inst. de verbor. oblig. lib. 3. p. 364. & 396

Quæ personis cohærent, morte extinguntur, l. 8. §. tale ff. de lib. leg. & l. 3. §. ult. ff. quibus mod. ususfruct. amitt. lib. 2. p. 239

Quæ sunt temporalia ad agendum, sunt perpetua ad excipendum, l. 5. §. ult. ff. de dol. mal. except. lib. 4. p. 536

Quæ talis naturæ sunt, ut sepius in sua possint redigi initia, ea materiæ potentia victa, numquam vires ejus effugient, l. que situm §. illud. ff. de leg. 3. lib. 4. p. 459

Quædam in testamentis sepe scribuntur, quæ ad auctoritatem dumtaxat scribentis referuntur, nec obligationem parvunt, l. Qu. Mutius ff. de ann. leg. lib. 2. p. 289

Quælibet sententia pars, est sententia, l. quædam ff. famil. erit. lib. 3. p. 305

Qualisunque existimatio excusat a dolo, l. 1. §. ult. ff. de abig. lib. 2. p. 144

Quamdiu potest ex testamento adiri hæreditas, ab intestato non defertur, l. quamdiu ff. de acquir. hered. lib. 4. p. 576

Quem de evictione tenet actio, eundem agentem repellit exceptio, l. vindicantem ff. de evict. lib. 3. p. 407

Qui bonis cessit, mortuo æquiparatur, l. 4. §. 1. ff. pro socio, lib. 3. p. 412

Qui capti sunt à latronibus, quamvis non multum à specie servientium differant, servi tamen non sunt, l. 13. ff. qui test. fac. poss. & l. 19. §. a pyratis ff. de capt. & post. l. revers. lib. 1. p. 13

Qui contrahit, non tantum sibi, sed etiam hæredi suo intelligitur contraxisse, l. si patrum 9. ff. de probat. lib. 3. p. 363. 378. & 407

Qui cum alio contrahit, non debet esse ignarus conditionis ejus cum quo contrahit, l. 19. ff. de reg. jur. lib. 3. p. 433

Qui dat aliquid, etiam illa dare velle intelligitur, sine quibus illud quod datum est consistere non potest, l. 2. ff. de jurisdict. lib. 1. p. 22

Qui delegat, solvit, l. 8. §. interdum ff. ad SC. velle. lib. 3. p. 413

Qui dat se adrogandum, cum capite fortunas quoque suas in alium transfert, l. penult. §. ult. ff. de boner. possess. sec. tabul. lib. 3. p. 335

Qui dicit aliud quam vult, neque id dicit quod vox significat, quia non vult; neque id quod vult, quia id non loquitur, l. 3. ff. de rebus dub. lib. 2. p. 287

Qui dissimulat injuriam, videtur illam remittere, l. 11. §. 1. ff. de injur. lib. 4. p. 471

Qui dolo desit possidere, pro possessore habetur, l. 150. ff. de reg. jur. lib. 4. p. 556

Qui donat, mortis causâ se cogitat; & amore vita recepisse potius quam donasse videtur, l. 35. §. fid. mortis ff. de mor. cau. don. lib. 2. p. 151

Qui est in utero, est tantum spes animalis, l. 2. ff. de mort. infer. lib. 2. p. 185

Qui ex filia nascuntur, patris non matris familiam sequuntur, §. 1. inf. de leg. agn. tut. lib. 1. p. 46

Qui in aliena potestate est, alium in sua potestate habere non potest, l. 21. ff. ad Leg. Jul. de adult. lib. 1. p. 48

Qui intestatus decepit, videtur legitimos hæredes instituere voluisse, quatinus eis hæreditatem non admitt, cùm posset, l. 3. in princ. & l. 8. §. 1. ff. de jure codic. lib. 2. p. 277

Qui iusjurandum desert adversario suo, eum in propria causa judicem & testimoniū constituit, l. ult. C. de fideicomm. lib. 4. p. 486

Qui mortui nascuntur, procreati non videntur, l. 129. ff. de verb. signif. lib. 2. p. 185

Qui prior est tempore, potior est jure, cap. qui prior de reg. jur. in 6. lib. 4. p. 500

Qui rediit ab hostibus, jure postlimini numquam apud hostes fuisse intelligitur, l. 19. in princ. ff. de capt. & postlim. revers. lib. 2. p. 181

Qui rem alienam mobilem sciens vendidet, vel ex alia causa tradiderit, futatum ejus committit, §. quod autem Inst. lib. 1. p. 13

Hhh

*de usucap.*

lib. 2. p. 143

*Qui semel est hæres, numquam desinit esse hæres, l. 83. ff. de bar. instit. & l. 7. §. sed quod ff. de minor. viginti quinq. ann. lib. 2. p. 195. & 225*

*Qui semel se immiscerit administrationi ruricæ, non auditur postea, si aliquam ve- li allegare excusationem, l. 17. §. is qui ff. de excus.* lib. 1. p. 93

*Qui sexum differentias constituant, qua- si nature accusatores existunt, eur non to- totos masculos generavit, ut unde generen- tur non siant, l. ult. §. I. C. de lib. prater. lib. 2. p. 188*

*Qui tacet consentire videtur, aut saltem non negare, l. qui tacet, ff. de reg. juris, lib. 3. p. 392*

*Quidquid alteri rei additur, ut pars ejus fiat, id toto cedit, l. sed simus ff. de acqui- rer. dom.* lib. 2. p. 115. & 243

*Quidquid adjicitur rei sufficienter de- monstrata frustra est, l. I. §. si quis uxori ff. de dot. praleg.* lib. 2. p. 252

*Quilibet potest renunciare privilegio in sui favorem constituto, l. pen. C. de partis, lib. 3. p. 389*

*Quod dominus debet servo suo, peculium ejus auget, l. 8. §. pen. ff. de peculio leg. lib. 2. p. 245*

*Quod facit numeratio in illis casibus in quibus transfertur dominium, idem facit bonâ fide consumptio, l. 14. ff. de reb. cred. lib. 2. p. 158.*

*Quod fit ex re mea meum est, l. 12. §. si quis ff. ad exhib.* lib. 2. p. 114

*Quod jure permittente fit, etiam si no- ceat alteri, neque culpa, neque delictum est, l. Gracchus C. ad Leg. Jul. de adult. lib. 3. p. 358*

*Quod nullius est, naturali ratione occu- panti conceditur, l. 3. in princ. ff. de acqui- rerum dom.* lib. 2. p. 105. & 106

*Quod quis per alium facit, per scipsum facere intelligitur, cap. qui facit de reg. jur. in 6.* lib. 2. p. 124

*Quod semel nostrum est, amplius nos- trum fieri non potest, §. sic itaque Instit. de action.* lib. 3. p. 488

*Quod semel placuit, amplius displicere non potest, cap. quod semel de reg. jur. in 6.* lib. 2. p. 104. & 152

*Quod superest ex re mea meum est, & à me vindicari potest, l. 49. §. I. ff. de rei vindic.* lib. 2. p. 243

*Quoties agitur de potestate lege concessa, verba legis restrictè accipienda sunt, l. 20. in pr. ff. de tut. & curat. lib. I. p. 71. & 80*

*Quoties corpus legatum sine facto hære-*

*dis periit, evanescit legatum, §. si res alien.* lib. 2. p. 233

*Instit. de leg.* lib. 2. p. 233

*Quoties dantis turpitudine versatur, cessat repetitio, l. 5. C. de cond. ob turp. caus. l. 2. in fine & l. 4. §. pen. ff. eod. lib. 4. p. 496*

*Quoties in verbis nulla est ambiguitas, non admittitur voluntatis quæstio, neque ullus est contrariae interpretationi locus, l. 25. §. I. ff. de leg. 3.* lib. 2. p. 287

*Quoties partes non ficiunt expressæ, æquales fieri debent, l. 43. ff. de usufr. & l. 164. §. I. ff. de verb. sign.* lib. 2. p. 200

*Quoties præsumpicio militat pro aliquo litigante, toties ejus adversario onus proba- tionis incabit, l. 24. & 25. §. sin verd, ff. de probat. & l. ult. ff. quod metus caus.* lib. 2. p. 238

*Quoties vitiosè cantum, vel satisfidatum est, non videtur cautum, l. 6. ff. qui satisfi- cog.* lib. 4. p. 528

## R

**RATIPLICATIO** mandato comparatur, l. ult. C. ad SC. Maced. lib. 3. p. 413

*Ratio legandi legato non cohæret, l. cum tale §. falsam ff. de condit. & demonstrat.* lib. 2. p. 253

*Ratio naturalis tamquam Lex quædam ta- cita liberis paternam addicit hæreditatem, l. ult. ff. de bon. damn.* lib. 2. p. 183

*Regula Catoniana ad legata conditiona- lia non pertinet, l. catera §. iratari ff. de reg. Caton.* lib. 2. p. 255

*Rei alienæ consistit venditio, l. rem alie- nam ff. de contr. empt.* lib. 3. p. 396. & 400

*Rei alteri commodatæ dominium & potes- tioneum retinemus, l. 8. ff. commod.* lib. 3. p. 355

*Rei debitor, rei interitu liberatur, l. 45. ff. de oblig. & aet.* lib. 2. p. 241

*Rei nomine generali non tantum corpora vel quantitates, sed etiam facta continen- tur, l. I. in fine ff. de reb. cred.* lib. 3. p. 350

*Rei turpis mandatum nullum est, l. 6. §. rei ff. mand.* lib. 3. p. 417

*Reipub. expedit nocentium crimina nota esse, ut quilibet sibi ab eorum fraudibus ca- vere possit, l. 18. in pr. ff. de injur.* lib. 4. p. 464

*Remittentibus actiones suas non est re- gressus dandus, l. quaritur §. pen. ff. de adil. edia.* lib. 2. p. 216

*Remunerations dare est velut quoddam genos permutationis, l. sed et si §. consultit & §. planè ff. de hared. petit.* lib. 2. p. 150

*Rerum quæ non habent certam definitam- que naturam, legatum generaliter reli- tum, iunctile ac derisorium est, l. 69. §.*

gener ff. de jure dot. & l. si domus ff. de leg. i. lib. 2. p. 247

Res aut summa certa, sui natura xris alieni diminutionem non patitur, l. 16. ff. ad SC. Trebell. lib. 2. p. 274

Res extictæ vindicari non possunt, condici tamen possunt, §. si tamen Inßit. de rer. divis. lib. 2. p. 114

Res fisci usucapi non potest, l. 24. ff. de usucap. lib. 2. p. 146

Res incorporales non possidentur, l. 3. in princ. ff. de acquir. poss. & l. 4. §. si viam ff. de usucap. lib. 4. p. 477

Res judicata pro veritate accipitur, l. 23. ff. de statu hom. lib. 4. p. 486. & 538

Res legata sit communis inter hæredem & legatarium per Legem Falcidiam, l. 49. ff. ad Leg. Falcid. lib. 2. p. 272

Res quæ in quantitate consistunt, in simili genere functionem recipiunt, l. 2. §. 1. ff. de rebus cred. lib. 3. p. 353

Res semel obligata, transit semper in accipientem cum sua causa, cap. 5. ext. de pignor. lib. 4. p. 483

Res sua nemini servit, l. 5. ff. si ususfr. pet. lib. 2. p. 128

Restituere nemo videtur, nisi omnem causam & conditionem rei restituar, l. ult. §. 1. ff. de verb. signif. lib. 4. p. 459

Reus excipiendo, actoris partes sustiner, l. 1. ff. de except. lib. 4. p. 541

## S

**SAPIENTIA** nullo pretio nummatio xstimanda est, l. 1. §. proinde ff. de var. & extr. cogn. lib. 2. p. 288

Satius est damnum non pati, quam habere tabulas cautionis, l. 5. ff. de suspect. tut. lib. 1. p. 98

Satius est de suo testatorem funerari, quam legatarios legata consequi, l. 14. §. 1. ff. de relig. & sumpt. fun. lib. 2. p. 264

Scienti & consentienti injuria fieri non videtur, cap. scienti de reg. jur. in 6. lib. 4. p. 519

Scire leges non est verba earum tenere, sed earum vim & potestatem, l. 17. ff. de legib. lib. 2. p. 107

Secundum naturam est, ut commoda cuiusque rei cum sequantur, quem sequuntur incommoda, l. 10. ff. de regul. juris, lib. 3. p. 311

Separatio non conceditur creditoribus hæredis, l. 1. §. ex contrario, & §. quis situm, ff. de separ. lib. 2. p. 222

Servi ex contractibus suis naturaliter obligantur aliis, & alios sibi obligant, l. 14. ff. de oblig. & ait. lib. 2. p. 433

Servi ex delictis suis obligantur; quia non oportet delicta hominum manere impunita, l. 51. ff. ad L. Aquil. lib. 3. p. 377

Servi jure civili pro nullis habentur, l. quod attinet 32. ff. de reg. jur. lib. 4. p. 447

Servi non habent legitimam personam standi in judicio, l. servas & sequ. C. de judic. lib. 1. p. 24

Servi nullam habent Juris Civilis vel Pictoriis communionem, l. 20. §. servus ff. qui testam. facere poss. lib. 2. p. 168

Servi nullum caput haben, §. servus Inßit. de cap. dimin. lib. 4. p. 463

Servi quadrupedibus equiparantur, l. 2. §. ut igitur ff. ad Leg. Aquil. lib. 4. p. 454

Servus fortivus sui fortium facere domino intelligitur, l. ancilla 60. ff. de fortis. lib. 2. p. 142

Servus nec hæreditatem nec hæredem habet, l. servus C. communis de success. lib. 2. p. 181

Servus per manumissionem fit novus homo & alius homo, l. servis ff. de adm. leg. & l. qui res §. aream ff. de solut. lib. 4. p. 386

Servitus servitutis esse non potest, l. 1. ff. de servit. & l. 1. ff. de usu. & usuf. leg. lib. 2. p. 134

Servitutes quæ solent dici reales, hanc personales, si in gratiam personarum constituantur, l. Mela §. ult. ff. de alim. leg. lib. 2. p. 131

Servitutes reales meram prædiorum respiciunt utilitatem, l. 5. ff. de servit. lib. 2. p. 131

Servitutes reales morte & capitis diminutione non pereunt, l. 3. ff. quemadmodum serv. amitt. lib. 2. p. 131

Servitutes reales sine prædiis consistere non possunt, l. 1. ff. com. præd. lib. 2. p. 131

Servitutis inutilis constitutio non valer, l. 8. & l. 15. ff. de servit. lib. 2. p. 128

Servitutum ferè omnium ea natura est, ut qui illas debet nihil teneatur facere, sed tantum paraliquid, vel non facere, l. quosites 15. ff. de servit. lib. 2. p. 130

Si vinco vincentem te, etiam ego vincere, cap. autoritate concess. præbend. in 6. lib. 3. p. 314

Si deliquerit qui vocavit, non deliquerit igitur qui vi excludit, l. 1. §. ult. ff. ne quis eum qui in jus vocab. vi exim. lib. 4. p. 487

Si nemo adeat hæreditatem, nihil valet ex his quæ in testamento scripta sunt, l. 9. ff. de test. tut. lib. 1. p. 71 & lib. 2. p. 209 & 263

Si per vim aut litis contestationem interrumpat possessio, usucapio non procedit, t. scit, l. cum notissimi C. de præst. 30. vel 40. annor. & l. 3. ff. de usucap. lib. 2. p. 148

- Si quid invenisti, & non reddidisti, rapisti, can. si quid 14. qu. 5. lib. 2. p. 109
- Sibi debet imputare qui nimis credulus fuit, l. 1. §. dolum ff. de eo per quem fact. erit quominus quis in jud. fest. & l. 7. §. sed si ff. de in rem vers. lib. 4. p. 588
- Sicut ædium unum corpus est connexum, ex cohærentibus sibi invicem partibus; ita etiam gregis unum corpus est disjunctum ex distantibus partibus uni nomini subjectis, l. rerum ff. de usucap. lib. 2. p. 243
- Sicut deportationis ipsi per se nomen rerum omnium spoliatio est; ita & indulgentiae restitutio, omnium uno nomine amissorum est recuperatio, l. ult. §. ult. C. de sent. pass. & restit. lib. 2. p. 216
- Sicut Medico imputari eventus mortalitatis non debet; ita quoque quod per imprædictam commisit, imputari ei debet. Et prætextu humanæ fragilitatis delictum decipientis in periculo homines, innoxium esse non debet, l. illicitas §. sicuri ff. de offic. Praesidis, lib. 4. p. 458
- Sine bona fide usucapio non procedit, l. un. C. de usucap. transform. & cap. 2. de reg. juris in 6. lib. 2. p. 142
- Sine justo titulo usucapio non procedit, l. nullo C. de rei vindic. lib. 2. p. 147
- Sine possessione usucapio contingere non potest, l. sine possessione ff. de usucap. lib. 4. p. 480
- Socii mei socius, meus socius non est, l. 35. ff. de societ. lib. 3. p. 411
- Societas jus quodammodo fraternitatis inducit, l. verum 63. in pr. ff. eod. lib. 4. p. 509
- Solâ voluntate contrariâ testamentum non infirmatur, l. 36. §. pen. ff. de testam. mil. & §. pen. Inst. quibus modis testam. infirm. lib. 2. p. 212
- Solvendo esse nemo intelligitur, nisi possit solvere totum quod debet, l. 114. ff. de verbis. signif. lib. 4. p. 448
- Solutione ejus quod debetur, tollitur omnis obligatio, in princ. Inst. quibus modis. toll. oblig. lib. 3. p. 429
- Species lucri est ex alieno largiri, & acquirere beneficii debitorem, l. 54. §. 1. ff. de furtis, lib. 4. p. 443
- Spurii patrem non habere intelliguntur, §. si aduersus Inst. de nupt. lib. 1. p. 39 & 40
- Stipulatio sine ulla causa facta non valet, l. 2. §. circa ff. de dol. mal. & met. except. lib. 3. p. 385
- Stipulationis interventu multæ stipulaciones robur accipiunt, quæ per se vires non habent, l. petens C. de pactis, lib. 4. p. 592
- Studioſis succurrendum est, qui amore scientiæ exules, semetipſos exinaniant, &
- vitam suam multis periculis ac necessitatibus exponunt, authent. habita C. ne filius pro patre, lib. 4. p. 517
- Sui hæredes ipso jure patri suo hæredes existunt, l. 14. ff. de suis & legit. hæred. lib. 3. p. 296
- Sui hæredes, vivo parente, rerum paternarum domini esse creduntur; eoque mortuo, non tam dominium acquirere intelliguntur, quam continuare acquisitum, l. in suis ff. de lib. & posth. lib. 2. p. 182
- Summa est ratio, quæ religionem tuerit, l. 43. ff. de rel. & sumpt. fun. lib. 2. p. 104
- Sumptus funeralis pro facultatibus & dignitate defuncti fieri debent, l. 12. §. pen. ff. eod. lib. 2. p. 288
- Superficies solo cedit, l. 2. C. de servit. lib. 2. p. 317

## T

**T**E M P U S incertum pro conditione habetur, l. 75. ff. de cond. & demonst. lib. 3. p. 364

Tempus non est modus tollendæ obligacionis, toto tit. Inst. quibus mod. toll. oblig. & §. at si ita Inst. de verb. obligat. lib. 3. p. 362

Tempus quod est in ultimæ vitæ necisque confinio, vita adnumeratur, l. 18. §. 1. ff. de manuiss. testam. lib. 3. p. 381

Testamenta parentum nulla solemnitatis adminicula desiderant, solis nixa radicibus voluntatis, l. 1. C. Theod. familia erit. lib. 2. p. 212

Testamenti factio non privati, sed publici juris est, l. 3. ff. qui testam. facere possunt, lib. 2. p. 178

Testamentum non potest ex alieno pendere arbitrio, l. 32. ff. de hæred. institut. lib. 2. p. 164

Testator eam legem sibi dicere testamento non potest, à qua sibi recedere non licet, l. si quis in princ. ff. de leg. 3. lib. 2. p. 208

Tot sunt genera stipulationum, quot sunt rerum contrahendarum, §. penult. Inst. de divis. stipul. lib. 3. p. 415

Tot sunt stipulationes, quot sunt res in stipulationem deductæ, l. quia dictimus 32. ff. de evit. lib. 3. p. 382

Traditionibus & usucaptionibus dominia rerum transferuntur, non nudis pactis, l. traditionibus C. de pact. lib. 3. p. 399 & 407

Tres universitatem faciunt, l. Neratius 83. ff. de verbis. signif. lib. 2. p. 103

Turpia lucra hæredibus extorquenda sunt, licet crimina extinguantur, l. 5. in princ. ff. de calumn. lib. 4. p. 533

Tutela est publicum munus, in princ. de excusat. apud Instit. lib. 4. p. 524

Tutela legitima cessat quamdiu tutor testamentarius speratur, l. si quis sub condicione ff. de testam. tut. lib. 1. p. 70

Tutela virile munus est, & ultra sexum foemineæ infirmitatis tale officium est, l. 1. C. quando mul. tut. offic. fungi possit, lib. 1. p. 67

Tutor datur personis, curator vero rebus, §. item tria Instit. de excus. lib. 1. p. 60

Tutor pro domino habetur, l. interdum §. qui tutelam ff. de furii, l. 7. §. si tutor ff. pro empt. & l. 27. ff. de administr. tut. lib. 2. p. 157. & lib. 4. p. 525

Tutor pupillo datus, ad universum patrimonium datus esse creditur, l. 21. §. licet ff. de excusat. lib. 1. p. 60

Tutor testamentarius legatum amittit, si à tutela vel parte ipsius se excusaverit, l. 28. §. 1. & l. amicissimos §. 1. ff. de excus. l. 28. ff. de testam. tut. & l. etiam ff. de leg. 1. lib. 2. p. 288

Tutorem habenti tutor dari non potest, l. idem §. 1. ff. de testam. tutor. lib. 1. p. 59 60 & 76

Tutores in omnibus necessitas officii sui satis excusat, l. 5. §. advocatione ff. de bis que ut indign. aufer. lib. 2. p. 216

Tutoris datio neque est imperii, neque jurisdictionis, l. 6. §. tutoris datio ff. de inst. lib. 1. p. 70

## V

V A N I timoris nulla excusatio est, l. 184. ff. de reg. juris, lib. 4. p. 536

Ubi Lex non distinguit, neque nos distinguere debemus, l. de prelio ff. de public. in rem att. lib. 1. p. 78

Ubi est majus periculum, majus quoque debet adhiberi remedium, C. ubi periculum de elect. in 6. lib. 4. p. 491

Ubi militat eadem ratio, ibi quoque idem jus observandum est, l. illud 32. ff. ad Leg. Aquil. lib. 4. p. 516. & lib. 2. p. 187

Ubi successionis est emolumentum, ibi & tutelæ onus esse debet, toto sit. Instit. de legit. patron. tut. lib. 1. p. 66

Verbum commando fideicommissum non induct, l. 11. §. 2. ff. de leg. 3. & l. 12. C. de fideicom. libert. lib. 2. p. 279

Verbum debuit omnem omnino actionem

completitur, l. pecunia 178. §. ult. ff. de verb. signif. lib. 4. p. 476

Verbum ex Legibus sic accipierendum est, tam ex legum sententia, quam ex verbis, l. 6. §. 1. ff. de verb. signif. lib. 1. p. 66

Verbum hoc si quis i: m nasculos quām foeminas comprehendit, l. 1. ff. de verb. signif. lib. 3. p. 332

Vim illatam vi repellere, omnes Leges omniaque jura permittunt, l. 4. & l. 45. §. pen. ff. ad Leg. Aquil. lib. 4. p. 455

Vindicamus res nostras, condicimus alienas, §. sic itaque & sequent. Institut. de att. lib. 4. p. 589

Una omnibus parentibus servanda est reverentia, l. 6. ff. de in jus voc. lib. 4. p. 579

Uniusecumque contractus initium spectandum est, l. 8. ff. de procurat. lib. 3. p. 420

Unusquisque tenetur ex suo contractu, non ex alieno, l. pen. C. ne uxor pro mar. conven. lib. 4. p. 408

Unumquodque eodem genere vinculorum dissolvi debet, quo colligatum est, l. 35. ff. de regul. juris, lib. 1. p. 85. & lib. 2. p. 282

Voluntas Principis vires habet, ex quo præstunt sunt Principis codicilli, §. filius filias infra quibus modis jus patr. potest solv. Proem. p. xxij

Voluntas testatoris in testamento totum facit, l. ex facto §. rerum ff. de hered. instit. & l. 3. §. 1. ff. de administr. iux. lib. 2. p. 253. & lib. 1. p. 79

Ususfructus non potest consistere sine persona qua fruatur, l. 61. §. 1. ff. de acquir. rerum dom. & l. 1. §. dies ff. quando dies ususfr. leg. ced. lib. 3. p. 367

Ususfructus pars dominii est, l. 4. ff. de ususfruct. lib. 4. p. 477

Ut benefaciens gratiam referat qui beneficium accepit, natura obligatur, l. sed et si §. consuluit & §. planè ff. de hered. petit. lib. 3. p. 343

Utile per inutile non vitiatur, cap. utile de reg. juris in 6. lib. 3. p. 383

Utrum directa vel utili actione agatur, nihil interest, quia utraque actio ejusdem testatis est, cumdemque habet effectum, l. 47. ff. de negot. gest. lib. 2. p. 247

Uxor est quodammodo domina rerum ad maritum pertinentium, l. 1. ff. de aff. rer. amot. lib. 3. p. 408

# Index rerum notabilium.

- A** Senatus motus, non dicitur capite  
minui, & quare? lib. 1. pag. 65
- Ab hæredc hæredis an legari pos-  
sit? lib. 2. p. 257
- Ab initio Urbis omnia manu à Regibus  
gubernabantur, Prologom. p. ij
- Abesse reipublicæ causâ quis dicatur? lib.  
1. p. 86
- Abiectio pro derelicto veræ traditioni  
reparatur, lib. 2. p. 126
- Pro Absente reo an possit aliquis defen-  
sionem litis suscipere? lib. 4. p. 578
- Absentes qui? lib. 3. p. 380
- Abstentio quid? lib. 2. p. 227
- In Abusa quæ res consistere dicantur?  
lib. 2. p. 133
- Abuti quid? lib. 2. p. 133
- Acceptilatio an diem vel conditionem  
possit admittere? lib. 3. p. 431
- Acceptilatio quid? lib. 3. p. 431
- Acceptilatio quomodo à stipulatione dif-  
ferat? lib. 3. p. 431
- Accessio specialiter dicta, quid & quo-  
plex? lib. 2. p. 115
- Accusatio a luterii quare quinquennio  
terminetur? lib. 4. p. 567. & 568
- Accusatio criminalis an mortuo reo finia-  
tur? lib. 1. p. 97
- Accusatio singularis certaminis an viginti  
annorum præscriptione tollatur? lib. 4. p. 570
- Accusationes criminum an minori quam  
viginti annorum spatio finiantur? lib. 4.  
p. 569
- Accusationes quædam quare dicantur per  
petræ? lib. 4. p. 569
- Acquisitio per adrogationem quid, & un-  
de descendat? lib. 3. p. 343
- Acquisitio per jus accrescendi à Justiniano  
sublata, in manumissionē servi communis,  
lib. 2. p. 154
- Acta quid? lib. 1. p. 49
- Actio à formula an distinguatur? lib. 4.  
p. 475
- Actio ad exhibendum in quibus rebus lo-  
cum habeat, & quare instituta? lib. 4. p. 556
- Actio æstimatoria quæ? lib. 4. p. 498
- Actio civilis cohærens criminali, an possit  
moveri post viginti annos? lib. 4. p. 569
- Actio communi dividendo an locum ha-  
beat in quicunque societate? lib. 4. p. 493
- Actio coniuncti dividendo & familiz erit-
- cundæ quomodo differant? lib. 4. p. 557
- Actio communi dividendo quid? lib. 4.  
p. 493
- Actio communi dividendo quomodo diffe-  
rat ab actione pro socio? lib. 4. p. 557
- Actio confessoria quæ? lib. 4. p. 478
- Actio de albo corrupto quid, & cui com-  
petat? lib. 4. p. 487
- Actio de constituta pecunia & Actio re-  
cepititia, quomodo convenient & differant?  
lib. 4. p. 484
- Actio de in rem verso an aliquando sola  
competat? lib. 4. p. 514
- Actio de in rem verso quæ? lib. 4. p. 515
- Actio de pauperie an competit in ani-  
mali quod genitale habet feritatem? lib.  
4. p. 522
- Actio de pauperie duplex, directa & no-  
xalis, lib. 4. p. 523
- Actio de pauperie quando locum habeat?  
lib. 4. p. 522
- Actio de peculio an sit solidi persecuto-  
ria? lib. 4. p. 508
- Actio de peculio quæ? lib. 4. p. 514
- Actio de peculio quotuplex? lib. 4. p. 513
- Actio de rerum permutatione quæ? lib.  
4. p. 498
- Actio de tigno juncto est in simplum dum-  
taxat, cùm tignum furtivum non est, lib.  
2. p. 117
- Actio exercitoria, institutoria & similes, an  
sit bona fidei vel stricti juris? lib. 4. p. 520
- Actio exercitoria & institutoria quomodo à  
se invicem differant? lib. 4. p. 512
- Actio extraordinaria tripli seruū acipi-  
tur, lib. 4. p. 550
- Actio familiz erit secundæ quid sit & unde  
dicta? lib. 4. p. 493
- Actio famosa quæ? lib. 4. p. 552
- Actio filii in partem, vel liberti adversus  
patronum, an sit solidi persecutoria? lib.  
4. p. 508
- Actio finium regundorum quid? lib. 4.  
p. 493
- Actio furti ope, consilio facti, quid? lib.  
4. p. 446
- Actio hypothecaria an hæredibus compe-  
tit? lib. 4. p. 500
- Actio in factum ex jurejurando, lib. 4.  
p. 486
- Actio in factum quæ? lib. 4. p. 486

- A&cio in rem adversus quem detur? lib. 4. p. 477  
 A&cio in triplum qu&nam sit? lib. 4. p. 495  
 A&cio indirecta qu&plex? lib. 4. p. 510  
 A&cio injuriarum qu&nam quinquennio finiatur? lib. 4. p. 568  
 A&cio institutio qu&? lib. 4. p. 512  
 A&cio negatoria qu&? lib. 4. p. 478  
 A&cio non famosa qu&? lib. 4. p. 552  
 A&cio ordinaria triplici modo dicitur, lib. 4. p. 550  
 A&cio Pauliana & Publiciana rescissoria quo tempore pr&escribantur? lib. 4. p. 480. & 481  
 A&cio Pauliana quid & unde dicta? lib. 4. p. 481  
 A&cio personalis an detur domino pro rei sua e. petitione? lib. 4. p. 497  
 A&cio personalis in rem scripta quid sit? lib. 4. p. 491  
 A&cio personalis Pr&atoria qu&plex? lib. 4. p. 485  
 A&cio p&enal semel judicio inclusa, an per mortem rei extinguatur? lib. 1. p. 97  
 A&cio pr&escriptis verbis quid & unde dicta? lib. 3. p. 403  
 A&cio quasi-Serviana sive hypothecaria, qu&? lib. 4. p. 483  
 A&cio quid? lib. 4. p. 475  
 A&cio quod iussu quid? lib. 4. p. 511  
 A&cio Serviana ad quem scopum tendat? lib. 4. p. 482  
 A&cio Serviana in quibus pr&ediis locum habeat? ibid.  
 A&cio Serviana quid & unde dicta? ibid.  
 A&cio servi corrupti an detur propter corruptos mores filiorum familias? lib. 4. p. 494  
 A&cio servi corrupti quid? ibid.  
 A&cio socii adversus socium an sit in solidum? lib. 4. p. 509  
 A&cio subsidiaria adversus quos Magistratus competat? lib. 1. p. 84  
 A&cio subsidiaria quid & unde dicta? ibid.  
 A&cio tributoria, & de peculio quomodo differant? lib. 4. p. 513  
 A&cio tributoria qu& & unde dicta? ibid.  
 A&cio tutel& ex dolo tutoris, adversus h&redes ipsius an competit? lib. 4. p. 533  
 A&cio tutel& subsidiaria quatenus datur adversus h&redes Magistratum? ibid.  
 A&cio vi bonorum raptorum an gravior sit actione furti? lib. 4. p. 452  
 A&cio ultra quadruplum an detur? lib. 4. p. 494  
 In A&ctione communi dividendo nihil interest an res sit communis ex societate vel sine societate, lib. 3. p. 424  
 In A&ctione de peculio quodnam est offi-
- cium Judicis? lib. 4. p. 514. & 515  
 In A&ctione familiae ericundia quid pra&teritur? lib. 4. p. 493  
 In A&ctione in personam satisfactionis modus quis olim fuerit? lib. 4. p. 527  
 In A&ctione Pauliana an fraus aequentis sit semper necessaria? lib. 4. p. 482  
 A&ctione un&a cl&da an cetera consumantur? lib. 4. p. 516  
 Actionem hypothecariam an habeat manus in bonis uxoris? lib. 4. p. 500  
 Qu& A&ctiones ad h&redes & in h&redes transire dicantur? lib. 4. p. 533  
 Qu& A&ctiones ad h&redes & non in h&redes transirent? ibid.  
 A&ctiones adversus furem qu& competant? lib. 4. p. 451  
 A&ctiones, an apud Magistratum hodie proponantur? lib. 4. p. 475  
 A&ctiones bona fidei qu& & unde dicta? lib. 4. p. 497. & 498  
 A&ctiones civiles qu&? lib. 4. p. 479  
 A&ctiones contrariae an sint famosae? lib. 4. p. 552  
 A&ctiones contrariae qu&? lib. 4. p. 510  
 A&ctiones de peculio adversus patrem vel dominum, quare competant? lib. 4. p. 485  
 A&ctiones directe triplici modo accipiuntur, lib. 4. p. 510  
 A&ctiones duplices qu&? lib. 4. p. 549  
 A&ctiones ex contractu descendentes, quatenus h&redi & in h&redem competit, lib. 4. p. 533  
 A&ctiones ex delicto descendentes, quibus casibus adversus h&redes dentur? ibid.  
 A&ctiones extraordinariae cur ita dicantur? lib. 4. p. 544  
 A&ctiones furti concepti, oblati, prohibiti, & non exhibiti, quid sint? lib. 4. p. 442  
 A&ctiones furti manifesti, & non manifesti, ibid.  
 A&ctiones in duplum qu&? lib. 4. p. 494  
 A&ctiones in duplum quomodo inter se in vicem distinguantur? ibid.  
 A&ctiones in personam qu&? lib. 4. p. 475  
 A&ctiones in rem & in personam quo tempore extinguantur? lib. 4. p. 532  
 A&ctiones in rem & rei persecutoriae quomodo differant? lib. 4. p. 491  
 A&ctiones in rem quid sint? lib. 4. p. 476  
 A&ctiones in simplum qu&? lib. 4. p. 494  
 A&ctiones indirecte an concurrent cum directis? lib. 4. p. 517  
 A&ctiones indirecte qu&? lib. 4. p. 510  
 A&ctiones mixte quot modis dicantur? lib. 4. p. 492  
 Qu& A&ctiones, neque ad h&redes, neque in h&redes transire dicantur, lib. 4. p. 533

- Actiones omnes quomodo ipso jure infirmeantur? lib. 4. p. 534
- Actiones ordinariæ dicuntur triplici sensu, lib. 4. p. 550
- Actiones perpetuae quæ & unde dictæ? lib. 4. p. 532
- Actiones personales ex maleficiis descendentes, an sint mere pœnales vel mixtae? lib. 4. p. 491
- Actiones pœnales quæ? lib. 4. p. 490
- Actiones præscriptis verbis an sint bona fidei vel stricti juris? lib. 4. p. 498
- Actiones Prætoriæ aliae in rem, aliae in personam, lib. 4. p. 532
- Actiones Prætoriæ pœnales an sint perpetuae? ibid.
- Actiones Prætoriæ pœnales, furti manfesti & servi corrupti, cur sint perpetuae? ibid.
- Actiones Prætoriæ quæ? lib. 4. p. 479
- Actiones Prætoriæ rei persecutoriæ an sint temporales? lib. 4. p. 532
- Actiones quæ descendant ex contractu, an omnes rei persecutoriæ? lib. 4. p. 491
- Actiones quot modis infirmantur? lib. 4. p. 479
- Actiones reales à personalibus quomodo differant nomine? lib. 4. p. 477
- Actiones reales & personales quomodo differant re ipsâ? ibid.
- Actiones reales & personales utrûm differant hodie quantum ad satisfactionem? lib. 4. p. 528
- Actiones rei persecutoriæ quæ? lib. 4. p. 490
- Actiones simplices quid? lib. 4. p. 550
- Actiones stricti juris & bona fidei quatenus differant, lib. 4. p. 501
- Actiones stricti juris quæ & unde dictæ? lib. 4. p. 501
- Actiones temporales quæ & unde dictæ? lib. 4. p. 532
- Actiones utiles quæ? lib. 4. p. 510
- Actionibus bonæ fidei nemo plus petit quam sibi debeatur, lib. 4. p. 504
- Ex Actionibus indirectis quænam eligi debeat? lib. 4. p. 516
- Actionibus indirectis quænam sint communia? ibid.
- In Actionibus proponendis quodnam sit officium litigantium? lib. 4. p. 550
- In Actiōnibus quæ hodie moventur, quam cautionem reus prestare teneatur? lib. 4. p. 528
- Actionis communi dividendo effectus qui? lib. 3. p. 424
- Actionis definitio Justinianæ an sit generalis? lib. 4. p. 475
- Actionum bona fidei quindecim species versibus comprehensæ, lib. 4. p. 498
- Actionum divisiones omnes cognoscere quare sit necessarium? lib. 4. p. 476
- Actionum exercendarum ordo, lib. 4. p. 475
- Actionum in quadruplum exempla, lib. 4. p. 496
- Actionum stricti juris diversæ species, lib. 4. p. 501
- Actor an satisfare olim cogeretur in actione in rem? lib. 4. p. 527
- Actor quis, & unde dicitur? lib. 4. p. 541
- Actoris procurator quomodo olim satisfare cogebar in actione in rem? lib. 4. p. 527
- Aetus quid? lib. 4. p. 475
- Addictio bonorum an locum habeat in manumissionibus quæ sunt ab intestato, vel inter vivos? lib. 3. p. 346
- Addictio bonorum quando cessat? lib. 3. p. 347
- Addictio bonorum quid, & à quo ille modulus acquirendi inventus, & cur? lib. 3. p. 348
- Addictio bonorum quibus personis utilis est? lib. 3. p. 346
- Ademptio legati potest fieri in eodem testamento, & in codicillis posterioribus, lib. 2. p. 260
- Ademptio legatorum quibus verbis hodie fiat? ibid.
- Ademptio legatorum quid? ibid.
- Adjectas solutionis gratiâ, lib. 3. p. 375
- Aditio quid? lib. 2. p. 226
- Adjunctione an dominium acquiratur? lib. 4. p. 558
- Administratio plurium multa secum trahit incommoda, lib. 1. p. 65
- Adoptari an possint servus & libertus? lib. 1. p. 48
- Adoptio & adrogatio in quibus differant, & in quibus convenient? lib. 1. p. 42 & seq.
- Adoptio & natura in quibus differant? lib. 3. p. 307
- Adoptio non jus sanguinis, sed jus agnationis assert, lib. 1. p. 36
- Adoptio non semper imitatur naturam, lib. 1. p. 46
- Adoptio quid & quotuplex? lib. 1. p. 42
- Adoptio servi an effectum habeat? lib. 1. p. 48
- In Adoptionibus quæ fuerit olim nominum mutatio? Proem. p. xv
- Adoptionis & adrogationis effectus, lib. 1. p. 48
- Adoptivi filii an profint, cum agitur de privilegiis & immunitatibus? lib. 3. p. 295
- Adoptivi filii emancipati an patri adoptivo aliquo jure succedant? lib. 3. p. 300
- Adrianus Imperator est antiquissimus omnium

- niam Principum, quorum habemus Leges  
in Codice, lib. 2. p. 178
- Adrogatio impuberum cur apud Veteres  
non siebat? lib. 1. p. 43. & 44
- In Adrogatione pupillorum quæ condic-  
tiones requirantur? ibid.
- Adrogationem impuberum primus D. Pius  
permisit, ibid.
- Adrogationis formula antiqua, lib. 1. p. 42
- Adulterismus quid? lib. 4. p. 561
- Advocatorum corpus est seminarium dig-  
nitatem, Proœm. xxij
- Ædificans ex sua materia in alieno solo,  
dominium materiae an amittat? lib. 2. p. 117
- Ædificatio quid? ibid.
- Ædificiorum nomine non intelliguntur ca-  
se temporis causæ posita, ibid.
- Ædilicio editio quid caveatur circa ferrum  
animal ibi relictum, quæ vulgo iter fit? lib.  
4. p. 523
- Ælius Verus primus Cæsar, Proœm. xv
- Æquitas quid, & quæ sit sequenda? lib. 1. p. 2
- Æstimatio inest rei, lib. 2. p. 214
- Atlas legitima & naturalis servi manumissi,  
lib. 1. p. 20
- Ætates variae Legum atque Imperii Ro-  
mani, Proleg. ij. iii. & seq.
- Affectant homines sapientissime nominis sui  
immortalitatem, lib. 2. p. 288
- Affectata tutela quæ? lib. 1. p. 87
- Affinitas quibus casibus impedit nuptias,  
lib. 1. p. 37
- Affinitas quid, & illius gradus? lib. 1. p. 36
- Agenti tutori vel curatori an fatis dare sit  
necessarium? lib. 4. p. 527
- Agere, petere, & persequi quomodo dif-  
ferant? lib. 4. p. 475
- Agere pro alio quibus casibus olim per-  
missum fuerit? lib. 4. p. 524
- Agere pro omnibus an hodie licet? lib.  
4. p. 525
- Agnati an per adoptionem fiunt? lib. 3.  
p. 306
- Agnati & cognati quomodo differant? ibid.
- Agnati penitus excluduntur à successione,  
si existant defuncti vel defunctæ nepotes ex  
filio vel ex filia, lib. 3. p. 306
- Agnati qui? lib. 1. p. 96
- Agnatio quid? lib. 1. p. 32
- Agnatio tollitur per quamecumque capi-  
tis diminutionem, non cognatio; & quæ sit  
ratio diversitatis? lib. 1. p. 65
- Agnationis & cognitionis differentiæ no-  
vissimo jure sublatæ, lib. 3. p. 340
- Agnationis iura interdum minima capitum  
diminutione non tolluntur, lib. 1. p. 65
- In Agnatorum successione quo tempore  
inspicitur proximitas gradus? lib. 3. p. 309
- Inter Agnatos representationi locus nul-  
lus fuit juie veteri, lib. 3. p. 308
- Agnitio nuda quæ? lib. 2. p. 227
- Albi corrupti pena quæ? lib. 4. p. 487
- Album Prætoris quid? ibid.
- Alemanicus à Germanico in quo diffe-  
rat? Proœm. 16
- Alexandri Severi Imperat. mansuetudo in  
amicis redarguendis, lib. 4. p. 523
- Alienandi potestatem interdum habet qui  
rei dominus non est; interdum autem verus  
dominus non habet, lib. 2. p. 155
- Alienatio quid? ibid.
- De Alienis rebus an quis possit disponi-  
re? lib. 4. p. 580
- Aliud pro alio petens an errorem suum  
possit corriger in eodem judicio? lib. 4. p. 507
- Alluvio quid, & quare inducta? lib. 2. p. 110
- Alvei mutatio an inducat mutationem in  
agrorum dominio? lib. 2. p. 112
- Alveus apium quid? lib. 2. p. 108
- Alveus fluminis quid & unde dictus? lib.  
2. p. 112
- Alumnus quis? lib. 1. p. 24
- Anagnosetes quis? lib. 2. p. 289
- Ancillæ unde dictæ? lib. 1. p. 14
- Annona quid? lib. 4. p. 566
- Annonam flagellantum, quæ sit pena? ibid.
- Annonam flagellare quid? ibid.
- Apes an sint feræ naturæ? lib. 2. p. 108
- Appellare quid sit? lib. 4. p. 478
- Apochæ quid? lib. 1. p. 87
- Apostasia quid? lib. 4. p. 566
- Apud bonos hæredes non minus honi stas  
quam apud alios nec satis valet, lib. 2. p. 281
- Aquarum impetus dominium non mutat,  
si terram transtulerit, lib. 2. p. 112
- Arbitrariæ actiones an & quomodo dif-  
tinguantur ab actionibus bona fidei & stric-  
ti juris? lib. 4. p. 504
- Arbor cognitionis duplex, ejusque ex-  
positio, lib. 3. p. 323
- Argumenta reciproca, seu quæ possunt  
retorqueri, infirma sunt, lib. 4. p. 574
- Armis decorata, & legibus armata Prin-  
cipis Majestas, cur dicatur? Proœm. xvij
- Arrhæ quid, & an sint necessarie in emp-  
tione? lib. 3. p. 393
- Arresta unde dicantur? lib. 1. p. 9
- As quid? lib. 3. p. 435
- As quare dictus solidus? ibid.
- Ascendentes, descendentes & collatera-  
les qui? lib. 1. p. 32 & 33
- Aspirationis notam Antiqui addebat vo-  
cibus, ut sonum earum vegetiorem effi-  
cerent, lib. 3. p. 436
- Assim tot unciz efficiunt, quot tellas

- tor voluerit ; *lib. 2. p. 193*  
 Affectari quid ? *lib. 4. p. 465*  
 Affectus quis ? *lib. 4. p. 524*  
 Assis partes, & aliæ denominationes, &  
 unciarum divisio, *lib. 2. p. 193*  
 Assidus quis, & cur sic dictus ? *ibid.*  
 Assignatio libertorum quid, quibus liber-  
 tis fieri possit, quomodo fiat, & qui fiat  
 illius effectus ? *lib. 3. p. 332*  
 Assignmente uni ex liberis facta, ceteri  
 non denunt esse patroni, *ibid.*  
*Si l'Assignat est limitatif ou démonstra-  
 tif?* *lib. 2. p. 252*  
 Auctoritas Jurisconsultorum quæ, & an  
 una alteri præpollere debeat ? *lib. 1. p. 11*  
 Auctoritas tutoris quid, & unde dicta ?  
*lib. 1. p. 75*  
 Aurea est possessio, *lib. 4. p. 545*  
 Aureus quare solidus dictus ? *lib. 3. p. 437*  
 Ex Auri libra una quot Aurei formentur ?  
*ibid.*  
 Authenticæ quæ ? *Proleg. viiij*

## B

- B** Arbarius Philippus quis ? *lib. 2. p. 168*  
 Beneficium aliquando fit majus ex eo  
 quod in invitos conferatur, *lib. 3. p. 430*  
 Beneficium cedendarum actionum quid ?  
*lib. 3. p. 389*  
 Beneficium divisionis ex epistola Divi Ha-  
 driani quid, & quando profit fidejussori-  
 bus ? *ibid.*  
 Beneficium ordinis sive discussionis quid, &  
 quo jure inductum, & quando detur aut de-  
 negetur fidejussoribus ? *lib. 3. p. 391*  
 Bes quid & unde dictus ? *lib. 2. p. 193*  
 Bona adrogati transiunt in adrogatorem  
 eum sua causa, *lib. 3. p. 344*  
 Bona fides in multis casibus pro vero ri-  
 tulo habetur, *lib. 4. p. 588*  
 Bona fides in usucaptionibus quo tempore  
 exigatur jure canonico & civili ? *lib. 2. p. 142*  
 Bona fides quid ? *ibid.*  
 Bona fides venditoris an profit in usuca-  
 tionibus emptori, qui bonam fidem non  
 habet ? *lib. 2. p. 146*  
 Bona Principis duplicitis generis, fiscalia  
 & patrimonialia, *lib. 1. p. 86*  
 Bona vacantia cur fisco acquirantur ? *lib.*  
*2. p. 146*  
 Bona vacantia fiscalia esse non videntur  
 priusquam in patrimonium fisci versa sint,  
 & incorporata, *ibid.*  
 Bona vacantia quid ? *ibid.*  
 Bona fidei possessor interdum dicitur qui  
 sciens rem alienam possidet, *lib. 2. p. 120*  
 Bona fidei possessor, post litum contesta-

tam, est similis malæ fidei possessori, *ibid.*  
 Bonæ fidei possessor quos fructus suos fa-  
 ciat ? *ibid.*

Circa Bonam fidem in usucaptione requi-  
 sitam, regulæ duæ, *lib. 2. p. 142*  
 Bonis conditionibus vendere quid ? *lib. 1. p. 28*  
 Ex Bonis nostris quænam sint ? *lib. 4. p. 454*  
 In Bonis esse quid dicatur ? *ibid.*  
 Bonorum possessio duplex, cum re, & fine  
 re, *lib. 2. p. 210*  
 Bonorum possessio extraordinaria, quæ ?  
*lib. 3. p. 337*

Bonorum possessio quid, & in quo differat  
 à possessione bonorum ? *lib. 3. p. 335*

De Bonorum possessione contra tabulas ea-  
 dem dicenda sunt quæ dicuntur de bonorum  
 possessione unde liberi, *lib. 3. p. 300*

Bonorum possessionem contra tabulas ha-  
 bet filius emancipatus, quæsito colore sui-  
 tatis, *lib. 2. p. 186*

Bonorum possessionem contra tabulas  
 utrum habeat filius emancipatus, quise de-  
 dit alteri adrogandum ? *ibid.*

Bonorum possessiones quænam sublatæ sunt  
 à Justiniano, & quare ? *lib. 3. p. 337*

Bonorum possessiones quot & quæ sint,  
 tam ex testamento, quam ab intestato ? *ibid.*

Bonorum possessionis & hereditatis diffe-  
 rentia, & similitudo multiplex, *ibid.*

## C

- C** Acophaton quid ? *Procœm. xvij*  
**C** Caium cur nostrum appellat Imper-  
 rator ? *Procœm. xxij*  
 Caius-Caius empator deceptus à Pythio,  
 cur deolo queri non potuit ? *lib. 4. p. 535*  
 Cæci testamentum plures ceteris solem-  
 nitates desiderat, *lib. 2. p. 180*  
 Cæco an curator dandus sit ? *lib. 1. p. 81*  
 Cæsar quis dicitur ? *Procœm. xv*  
 Cæsellius-Vindex contra Aulum-Gellium  
 defenditur, *lib. 2. p. 184*  
 Calendarium quid ? *lib. 4. p. 586*  
 Capere & accipere an differant ? *1. 2. p. 139*  
 Capiendi verbum an sit directum ? *lib. 4.*  
*p. 581*  
 Capitis diminutio aliquando salvo statu  
 contingit, *lib. 1. p. 63*  
 Capitis diminutio quid & quotplex ? *ibid.*  
 Capti in bello civili servi non sunt, *1. 1. p. 14*  
 Castrati qui ? *lib. 1. p. 47*  
 Casus fortuitus à quo præstetur ? *1. 3. p. 355*  
 Casus fortuitus quid ? *lib. 3. p. 357*  
 Causa legandi duplex, *lib. 2. p. 262*  
 Causa in legis quid ? *lib. 2. p. 253*  
 Causa lacrativa quæ ? *lib. 2. p. 233*  
 Causa obligandi est quasi quadam anima

- Stipulationis , lib. 3. p. 386  
 Causa onerosa quæ , lib. 2. p. 233  
 Causa triplici sensu dicitur , lib. 2. p. 253  
 Cause due lucrativæ an possint concurre circa idem corpus , & circa eamdem quantitatem ? lib. 2. p. 233  
 Cause falsitas an vitiet legatum ? ibid.  
 Cautio damni infecti , lib. 3. p. 371  
 Cautio de dolo , lib. 3. p. 370  
 Cautio de persequendo servo , ibid.  
 Cautio & satisfactio quomodo differant ? lib. 1. p. 83  
 Cautio juratoria quid ? lib. 4. p. 528  
 Cautio legatorum quæ ? lib. 3. p. 371  
 Cautio Matiana an in stipulationibus locum habeat ? lib. 3. p. 363  
 Cautio Matiana quid ? lib. 2. p. 254  
 Cautio quid ? lib. 3. p. 371  
 Centenarii liberti qui dicantur ex Lege Papia , & ex constitutione Justiniani ? lib. 3. p. 329  
 Certum quid sit ? lib. 3. p. 426  
 Cessio honorum quid , & illius effectus ? lib. 3. p. 319  
 Chasma quid ? lib. 2. p. 241  
 Chartæ sunt ex numero earum rerum , quæ utendo pereunt , lib. 2. p. 119  
 Chiasmos quid ? Proleg. xvij  
 Chirographum quid ? lib. 1. p. 87  
 Cinctus Gabinius quid ? lib. 2. p. 165  
 Citationes in jure quomodo fieri debent ? Proleg. x  
 Cives vice hostium non sunt , lib. 1. p. 14  
 Civilia judicia & criminalia quomodo differant ? lib. 4. p. 470  
 Clavum vel instrumenti traditio , est species traditionis , lib. 2. p. 125  
 Clausula codicillaris quæ ? lib. 2. p. 281  
 La Clause solidaire , lib. 3. p. 367  
 Clausulae derogatoriae formula & effectus , lib. 2. p. 208  
 Clausulae in contractibus cur extendi debent ? lib. 3. p. 432  
 Clodii adoptionem risit M. Tullius , l. 1. p. 45  
 Coalitio quid ? lib. 2. p. 118  
 Codex Julianianus prius praelectionis , Proleg. vij  
 Codex quid ? ibid.  
 Codex Julianianus repetitæ prælectionis . Proleg. vij  
 In Codice Gregoriano , Hermogeniano & Theodosiano quid continatur ? Proleg. xj  
 Codicem Juliananum , ad quem nos remittit Julianianus in suis Institutionibus , non habemus , Proleg. vij  
 Codicilli ante testamentum facti , olim non valebant , lib. 2. p. 281  
 Codicilli post testamentum facti , valent ,
- quamvis in eo confirmati non sint , lib. 2. p. 281  
 Codicilli quid , & unde dicitur ? lib. 2. p. 280  
 In Codicillis hereditas dari directio non potest , nec fieri ex hereditate , lib. 2. p. 282  
 In Codicillis quare quinque testes requiruntur ? lib. 2. p. 282  
 Codicillorum divisio quæ ? lib. 2. p. 281  
 Codicillorum & testamentorum discrimina , ib. d.  
 Codicillorum origo , lib. 2. p. 280  
 Codicillorum usus necessarius est Civibus , lib. 2. p. 280  
 Cognatio servilis quid ? lib. 3. p. 325  
 Cognatio quid & quotuplex ? lib. 1. p. 31  
 Cognatio specialiter sumpta , quid , lib. 1. p. 32. & lib. 3. p. 319  
 Cognitionis gradus quomodo numerentur ex jure civili & canonico ? lib. 1. p. 32  
 Inter Cohæredes , quorum aliquis communia gessit negotia , quæ actio competit ? lib. 4. p. 588  
 Colaterales qui ? lib. 1. p. 33  
 Colonus & inquilinus , ab herede locatoris , vel singulari successore , an expelli possint ? lib. 3. p. 407  
 Colonus & inquilinus quomodo differant ? lib. 4. p. 483  
 Colonus quis ? lib. 2. p. 121  
 Comitia è campo ad Patres transiuit Tiburtius , & quare ? Proleg. xj  
 Commixtio propriæ locum habet in solidis , lib. 2. p. 116  
 Commixtio quid ? ibid.  
 Commixtionis & confusionis nomina sepiissime confunduntur , ibid.  
 Ex Commodato quænam oritur actio ? lib. 3. p. 404  
 Commodatum debet esse gratuitum , lib. 3. p. 403  
 Commodatum in quo differat à precario & mutuo ? lib. 3. p. 355  
 Commodatum quid ? lib. 3. p. 354  
 Commodus Imper. Domitiano anterior , lib. 2. p. 213  
 Compensatio an opponi debeat ? l. 4. p. 509  
 Compensatio quartenus in actionibus admittatur ? lib. 4. p. 508  
 Compensatio quid ? lib. 3. p. 430  
 Comperendinatio quid ? lib. 4. p. 499  
 Comprivigni qui ? lib. 1. p. 33  
 Communio rei an sit contractus ? l. 3. p. 424  
 Communio rei diversitas quæ sit in rebus commonibus , publicis & universitatibus ? lib. 2. p. 103  
 Concubina quid , & quomodo ab uxore differat ? lib. 1. p. 22  
 Condicere quid sit ? lib. 4. p. 489  
 Condicere rem suam an aliquis possit ? ibid.

- Condictio de bene depensis quid? lib. 2. tūs, lib. 3. p. 329  
 p. 158 Constitutio personalis quid? lib. 1. p. 9  
 Condictio ex lege quid? lib. 4. p. 495 Constitutiones Imperatorie cur sacratissimæ dicantur? Proæm. viij  
 Condictio indebiti quandonam competit? lib. 3. p. 354 Constitutionum species, lib. 1. p. 9  
 Conditionis nomen quid significet? lib. 4. p. 489 Consuetudo ex interpretatione Prudentum habet originem, lib. 2. p. 280  
 Conditionis nomine strictè sumpto, quænam actio significetur? lib. 4. p. 490 Consuetudo utrùm prævaleat? lib. 2. p. 107  
 Conditio casuallis quæ? lib. 2. p. 254 Consuetudo quamvis sit scripta, est tamen  
 Conditio impossibilis quæ? lib. 2. p. 196 jus non scriptum, lib. 1. p. 11  
 Conditio impossibilis cur vitiet contractus, non testamenta? lib. 3. p. 379 Consuetudo quid? ibid.  
 Conditio mixta, lib. 2. p. 254 Consules suffici ab ordinariis quomodo  
 Conditio potestativa, ibid. differant? lib. 2. p. 268  
 Conditio quæ propriè dicitur? ibid. Consumptione bonâ fide factâ, concilia-  
 Conditio quid & quotuplex? ibid. tur mutuum, lib. 2. p. 158  
 Conditio quot modis potest concipi, & alijci contractibus? lib. 3. p. 363 Contra non valentem agere an currat  
 Sub Conditione relictâ vel promilla an ad hæcdem transmittantur, si is cui debentur, ante conditionis eventum deceperit? ibid. præscriptio? lib. 4. p. 481  
 Inter Conditiones adjectas conjunctum vel disjunctum, quid intercedat discriminis? lib. 2. p. 196 In Contractibus bona fidei deber effici ex-  
 Confinium quid? lib. 2. p. 118 berantior bona fides, lib. 3. p. 406  
 Confirmatio Institutionum & Digestorum quando emissa? Proæm. xxij In Contractibus omessa quando suppleri possint? lib. 3. p. 358  
 Confusio in rebus liquidis aut liquefactis plerumque locum habet, lib. 2. p. 115 Contractus alii nominati, alii innomina-  
 Confusio quid? ibid. ti, lib. 3. p. 403  
 Conjuges nihil sibi invicem relinquere posse- Contractus consensu perfici, qui dicantur? lib. 3. p. 394  
 erant antiquitus matrimonii nomine, ultra decimam partem bonorum, lib. 4. p. 580 Contractus & nudæ pactiones quomodo differant? lib. 3. p. 352  
 Conjuncta persona quæ dicatur, & quæ extranea? lib. 1. p. 42 Contractus innominati qui, & quot eorum species? ibid.  
 Conjuncti re & verbis simul, habent jus accrescendi, sed cum onere, lib. 2. p. 235 Contractus innominati sunt innumerabiles, lib. 3. p. 403  
 Conjuncti re tantum, habent potius jus non accrescendi, quænam jus accrescendi, ibid. Contractum divisiones, lib. 3. p. 352  
 Conjunctus re tantum, collegario defi- Contractum qui solo consensu sunt singularia duo, lib. 3. p. 394  
 ciente, totum legatum retinet, jure suo, & sine onere, ibid. Contractus Juris civilis quatuor præcipua lib. 1. p. 7  
 Consanguinei qui? lib. 3. p. 326 Contractus nominati qui? lib. 3. p. 403  
 Consensus patris, quo filii matrimonij jam contractum comprobatur, an retrorahatur ad tempus contracti matrimonii? lib. 1. p. 31 Contractus quid? lib. 3. p. 351  
 Ex Consilio alteri dato, an aliquis obligatur? lib. 4. p. 446 Contrario consensu quomodo solvatur obli- gatio? lib. 3. p. 350  
 Consilium dare quid? ibid. Contrectare quid? lib. 4. p. 439  
 Consilium quid sit in Lege Alia-Sentia? lib. 1. p. 23 Conventionis nomen generale est, & commune contractui & nudo pacto, lib. 3. p. 352  
 Consolidatio quid? lib. 2. p. 135 Correi promittendi an tenentur singuli in solidum? lib. 3. p. 366  
 Constituire & Constitutum quid sint? lib. 4. p. 485 Correi promittendi quomodo differant à fidejussionibus? ibid.  
 Constitutio generalis quid, & quotuplex? lib. 1. p. 9 Creditores chyrographarii, lib. 4. p. 484  
 Constitutione Justiniani de jure Patrona-
- Constitutio quænam imputetur & noceat? lib. 4. p. 588 Creditores hypothecarii, ibid.  
 Creditoribus antiquitus permisum fuerat corpus debitoris in partes secare, lib. 3. p. 355 Creditorum nomine quinam continen- tur? lib. 4. p. 486  
 Credulitas quænam imputetur? lib. 4. p. 588 Creui continua quid? lib. 2. p. 226  
 Cretio perfecta & imperfecta quomodo differant? lib. 2. p. 227

- Cretio quid & quotuplex? *ibid.*  
 Cretio vulgaris quid? *lib. 2. p. 226*  
 Crimen Majestatis & crimen perduellionis quomodo differant? *lib. 4. p. 560*  
 Crimen perduellionis quid habeat de pena speciale? *ibid.*  
 Crimen quid? *ibid.*  
 Crimine de residuis quis teneatur, & quæ fit reorum hujusmodi pena? *lib. 4. p. 566*  
 In Crimine perduellionis post mortem rei potest accusatio institui, & memoriam damnari, *lib. 3. p. 257*  
 De Crimine vel statu alicujus, an possit post ipsum mortem moveri questio? *lib. 4. p. 568*  
 In Criminibus quare locum habeat præscriptio? *lib. 4. p. 566*  
 Criminum præscriptio quo tempore fiat? *ibid.*  
 Cujacii & similium auctoritas non est ranta, ut Judici ab eorum responsis recedere non licet, *lib. 1. p. 11*  
 Cujacii variatio & palinodia, *lib. 2. p. 253*  
 Cujus affirmatio est impossibilis, ejus negatio est necessaria, *lib. 3. p. 379*  
 Culpa nomine simpliciter dicto, quæ culpa intelligatur? *lib. 3. p. 358*  
 Culpa lata, levis & levissima, *ibid.*  
 Culpa quid? *lib. 1. p. 96*  
 Ex Curæ gestione quæ actio nascatur? *lib. 3. p. 425*  
 Curatio quid? *lib. 1. p. 79*  
 Curationis propriæ excusationes dux, tutela gestio, & matrimonium, *lib. 1. p. 92*  
 Curator honorum, *lib. 3. p. 349*  
 Curator invito adolescenti non datur, *lib. 1. p. 80*  
 Curatores & tutores in quibus differant? *lib. 1. p. 79*  
 Curatores funeris qui? *lib. 2. p. 288*  
 Curatores funeris, si illud non curaverint, an paenam sustineant? *ibid.*  
 Curatores omnes hodie sunt honorarii, *lib. 1. p. 80*  
 Curatores testamentarii an habeant actionem legatorum nomine, quorum cura eis mandata est? *lib. 1. p. 291*  
 Curæ in municipiis quid? *lib. 1. p. 40*  
 Curæ quid Romæ? *Proleg. ij*  
 Cuspidii Testamentum conditum est an requam fidicomissa juris auctoritate niterentur, *lib. 2. p. 287*  
 Cuspidii Testamentum factum est jure Pixtorio, *lib. 2. p. 292*
- D
- D Amnum injuriâ datum quid? *lib. 4. p. 454*  
 Damnum quid in societate? *lib. 3. p. 408*
- Dare est dominium transferre, *lib. 3. p. 352*  
 Datio omnis in antecessum promuruum est, *lib. 3. p. 426*  
 Debet nobis an recte dicatur quod nostrum est, *lib. 4. p. 475*  
 Debet liberos jungere æqualis gratia, quos junxit æqualis natura, *lib. 3. p. 339*  
 Debitor an fiat securus ex nudo pacto, *lib. 4. p. 537*  
 Debitor qui falso procuratori solvit, utrum habeat conditionem indebiti, vel obligationis liberationem? *lib. 4. p. 587*  
 Debitor qui institutori solvit post mortem exercitoris, utrum ipso jure liberetur? *lib. 4. p. 588*  
 Debiteores qui dispensatori solvunt, quare liberentur? *ibid.*  
 Debiteores qui dispensatori manumisso, & hæredi ex parte scripto bona fide solverunt, an omnino liberentur? *ibid.*  
 Debiteores qui procuratori semel constituto, post ejus revocationem solverunt, an liberentur? *lib. 3. p. 419*  
 Decem interdum in jure dicitur pro decem milibus, *lib. 3. p. 437*  
 Decemviri qui primi fuerint? *Proleg. ij*  
 Decisi quid? *lib. 1. p. 9*  
 Decretum quid? *ibid.*  
 Dedititii qui, unde dicti, & cui pessima sit eorum conditio? *lib. 1. p. 20*  
 Defensio sui ipsius quatenus permitta? *lib. 4. p. 455*  
 Dehinc eorum quæ facti sunt, est maximè difficultis, *lib. 2. p. 169*  
 Ex Dejectis vel effusis, adversus quem detur actio? *lib. 4. p. 473*  
 Dejici vel effundi quæ dicantur? *ibid.*  
 Delegans debitorem non præstat eum esse solvendo, *lib. 3. p. 415*  
 Delibare hæreditatem legatis quid? *lib. 2. p. 262*  
 Delicta privata quid sint, & quæ eorum species? *lib. 4. p. 439*  
 Delicta publica quæ? *ibid.*  
 Delictum quid & quotuplex? *ibid.*  
 Deportatio quid, & in quo differat à relegatione? *lib. 1. p. 50. & 51*  
 Deportatio quo sensu tollit libertatem? *lib. 1. p. 64*  
 Deportatus an retineat contractus iuris gentium? *lib. 3. p. 412*  
 Ex Deposito quænam actio oritur? *lib. 3. p. 356*  
 Depositum quid & quotuplex? *ibid.*  
 Desolcepta, *lib. 1. p. 87*  
 Deus in signum universalis domini libi decimas reservavit, *lib. 3. p. 405*  
 Deunx, *lib. 2. p. 193*

- Dextans, lib. 2. p. 193  
 Dicere est mutuam dare pecuniam, lib. 2. p. 290  
 3. p. 430  
 Diem cedere legati, & diem legati venire, quomodo differant? lib. 2. p. 244  
 Circa Diem legati cedentem quatuor jura distinguenda sunt, vetustissimum, vetus, novum, & novissimum, ibid.  
 Dies continuo & utiles quomodo differant? lib. 1. p. 92  
 Dies fasti & nefasti, lib. 3. p. 346  
 Dies legati servo proprio relieti cum libertate, cedit tantum cum cessit dies datae libertatis, lib. 2. p. 244  
 Dies ususfructus legati quando cedit aut venit? ibid.  
 Dies legatorum in diem vel conditionarium quando cedat? ibid.  
 Dies ultimus pupillaris aetatis an pro completo habeatur? lib. 2. p. 179  
 Differentia inter os & membrum ruptum, lib. 4. p. 467  
 Differentiae inter liberos posthumos, & jam natos, lib. 2. p. 184  
 Differunt ea quae habent certam definitamque naturam; ab illis quae finem accipiunt ex hominum voluntate, lib. 2. p. 247  
 Digesta & Pandecte cur sic dicantur, & eut hoc (ff) siglo denotentur? Proleg. viii  
 Dispensare cum aliquo quid, & unde dictum? lib. 4. p. 585  
 Dispensator quis, & unde dictus? ibid.  
 Dispensator testamento manumisitus, & ex triente haeres scriptus, an mutuos dando numeros haereditarios, dominium eorum in solidum transferat in accipientem? lib. 4. p. 589  
 Dispensatores quibus aliis nominibus appellentur? lib. 4. p. 586  
 Dispensatoris & procuratoris differentia & similitudo, lib. 4. p. 591  
 Dispensatoris munus quomodo finiatur? lib. 4. p. 586  
 Dispensatoris officium an morte extinguitur? lib. 4. p. 590  
 Divisi eorum qui sunt sui juris, lib. 1. p. 56  
 Divortium quid, & quomodo differat a iugio? lib. 1. p. 38  
 Doctores Legum excusantur a tutela iure Codicis, lib. 1. p. 91  
 Dodrans quid? lib. 2. p. 193  
 Dolus adhibitus in contractibus, quomodo vindicetur? lib. 4. p. 502  
 Dolus malus quid? lib. 1. p. 56  
 Dominica potestas quid? lib. 1. p. 26  
 Dominium duplex, Quiritarium sive legitimum, & naturale, lib. 1. p. 20  
 Dominum quid? lib. 2. p. 105  
 Dominus an possit testamento caverre, ut servus aliquis moretur in vinculis, vel exportetur? lib. 2. p. 290  
 Domitiani rapacitas circa alienissimas hereditates, lib. 2. p. 213  
 Donatio a sposo in sponsam collata, an valeat? lib. 2. p. 153  
 Donatio an revocetur propter ingratitudinem ejus cui donatum est? lib. 2. p. 152  
 Donatio ante nuptias, sponsalitia largitas, & donatio propter nuptias, synonimia sunt, lib. 2. p. 153  
 Donatio antidotalis, ibid.  
 Donatio certi fundi ejus acceptorem non obligat ad sustinendum onus xris alieni, ibid.  
 Donatio favore matrimonii, & donatio propter nuptias quomodo distinguantur? ibid.  
 Donatio in favorem superstitis quae? ibid.  
 Donatio inter virum & uxorem cur non valeat? ibid.  
 Donatio inter vivos an fiat solo consensu? lib. 2. p. 151  
 Donatio inter vivos quae? ibid.  
 Donatio inter vivos semel perfecta, an possit revocari? lib. 2. p. 152  
 Donatio mariti senioris vel ignobilis, collata in uxorem juvenem vel nobilem, lib. 2. p. 154  
 Donatio mortis causâ, ob generalem mortis contemplationem facta, an convalescentia revocetur? lib. 2. p. 151  
 Donatio mortis causâ quae? lib. 2. p. 150  
 Donatio mortis causâ quibus modis revocetur? lib. 2. p. 151  
 Donatio quid? lib. 2. p. 150  
 Donatio sine acceptancee intelligi non potest, ibid.  
 In Donatione inter vivos cur requiratur insinuatio? ibid.  
 Donationes simplices inter virum & uxorem, moribus Romanorum cur prohibita? lib. 2. p. 153  
 Donationum quae fiunt ob causam matrimonii enumeratio, ibid.  
 Donator ex sua liberalitate, an possit in solidam conveniri? lib. 4. p. 509  
 Dos quid? lib. 2. p. 156  
 Dos uxori legatur, re-legatur, & pre-legatur, lib. 2. p. 240  
 Dotalis fundi alienandi prohibitio rei coheret, non personæ, lib. 4. p. 499  
 Dotales res quando repeti possint? lib. 4. p. 500  
 Dotalis fundus quis? lib. 2. p. 156  
 Dotem quam an possit mulier in solidum repetrere? lib. 4. p. 508  
 Dotis causa precipua est, id privilegium

- in quo consistat, & an rei cohæreat vel  
perforat? lib. 4. p. 499
- Dotis exactio quā actione fiat, & an hæc  
actio ad heredes transferat? lib. 4. p. 500
- Dotis privilegia quinque, lib. 4. p. 499...
- Dotis privilegium an habeat locum in  
donatione propter nuptias? lib. 4. p. 500
- Pro Dotis repetitione, uxor quam habeat  
hypothecam? ibid.
- Dotibus privilegia cur tanta concederit  
Justinianus? ibid.
- In Dotis repetitione an uxor præferatur  
creditoribus mariti chyographariis, vel  
hypothecariis? lib. 4. p. 499
- In Dotis repetitione utrūm habeat pri-  
vilegium suum mulier adversus privignum  
suum? lib. 4. p. 500
- Dotis restitutio quomodo fieri debeat so-  
luto matrimonio, ex jure veteri & novo? lib. 2. p. 240
- Duo rei stipulandi & promittendi, qui? lib. 3. p. 366
- Duplicatio quid? ibid.
- Duplum quomodo æstimetur in libero  
homine subrepto? lib. 4. p. 445
- Dupondii qui? Proœm. xx
- Dupondius quid? lib. 2. p. 193
- E**
- A quæ Patroni onerandæ libertatis cau-  
sæ libertis imposuerunt, juris eff. eti-  
carent, lib. 3. p. 328
- Ea quæ personæ cohærent, capitis dimi-  
nutione pereunt, lib. 3. p. 342
- Ea quæ sunt in fructu, an ab usuario per-  
cipi possint? lib. 2. p. 137
- Edicere quid? lib. 1. p. 9
- Edicta Principis quid, & quomodo à de-  
cretis & rescriptis different? ibid.
- Edictales quid? Proœm. xx
- Edictum D. Trajani circa successionem  
liberti latini, lib. 3. p. 331
- Edictum perpetuum à quo conditum, &  
cur sic dictum? Proleg. v
- Educator quis, & quomodo differat à  
Pædagogo? lib. 1. p. 24
- Egnatius Metellus uxorem suam interce-  
mit, quod vinum bibisset, lib. 2. p. 290
- Emancipare filios suos cogitur pater in  
certis casibus, lib. 1. p. 55
- Emancipatio est favor in filiis naturali-  
bus, pœna vero in adoptivis, lib. 1. p. 45
- Emancipatio quid & quotuplex, & unde  
dicta? lib. 1. p. 53
- Emancipatio tacita filiis familias quæ sit?  
lib. 1. p. 54
- In Emancipatione fiducia semper contrac-  
ta hodie intelligitur, lib. 3. p. 312
- Emi potest spes, lib. 3. p. 326
- Emphytensis quarum rerum fiat? lib. 3.  
p. 405
- Emphyteus quid, & quæ illius origo? lib. 3. p. 404
- Emphyteus quomodo differat à locatio-  
ne & venditione? lib. 3. p. 405
- Emphyteuta an ab ullo successore singula-  
ri vel universaliter expelli possit? lib. 3. p. 407
- Emptio an à permutatione differat? lib. 3.  
p. 398
- Emptio an perfecta sit sine traditione rei,  
vel numeratione pretii, vel scripturæ? lib.  
4. p. 400
- Emptio & venditio an sub conditione  
fieri possit? lib. 3. p. 400
- Emptio & venditio quarum rerum fieri  
non possit? lib. 3. p. 401
- Emptio & venditio quid? lib. 3. p. 395
- Ex Emptione & venditione quæ actiones  
nascentur? lib. 3. p. 401
- Emptionis & venditionis similitudo cum  
locatione & conductione, lib. 3. p. 403
- Emptor & vendor ad quid teneantur, si  
contractum nolint implere? lib. 3. p. 397
- Epigraphe quid? Proœm. xviiij
- Episcopatus patriam potestatem solvit,  
lib. 1. p. 52
- Error facti etiam prudentissimos fallit,  
lib. 4. p. 588
- Error in materia cur potius vitiet em-  
ptionem quam stipulationem? lib. 2. p. 287
- Error in nomine non vitiat legatum vel  
institutionem, lib. 2. p. 251
- Error quilibet an infirmet illud quod ges-  
tum est? ibid.
- Erronis & fugitivi servi differentia, lib.  
2. p. 290
- Estate qui? lib. 1. p. 47
- Examen apum quid? lib. 2. p. 108
- Exceptio de dolo quomodo differat ab ac-  
tione de dolo? lib. 4. p. 536
- Exceptio dolii mali quando locum ha-  
beat? ibid.
- Exceptio dolii mali prodest etiam ei, qui  
malâ fide ædificavit in solo alieno, l. 2. p. 117
- Exceptio erroris quare in factum appelle-  
tur? lib. 4. p. 536
- Exceptio jurisjurandi quando competit? lib.  
4. p. 537
- Exceptio meritis cur dicatur in rem scrip-  
ta, & quando locum habeat? lib. 4. p. 536
- Exceptio non numerata pecunia quo modo  
competat? lib. 4. p. 537
- Exceptio pacti quando locem habect? ibid.
- Exceptio pecuniae non numeratae quæ, &  
cur intra certum tempus prescribat? ibid.
- Exceptio procuratoria quæ? lib. 4. p. 540

Exceptio quid sit & unde dicta? lib. 4. p. 535  
 Exceptiones civiles quæ? lib. 4. p. 539  
 Exceptiones impropriæ dictæ, quæ? lib. 4. p. 538  
 Exceptiones perpetuae & peremptorizæ quæ & unde dictæ? lib. 4. p. 539  
 Exceptiones peremptorizæ & dilatorizæ quo tempore proponantur? ibid.  
 Exceptiones personales quæ? ibid.  
 Exceptiones Prætorizæ quæ? lib. 4. p. 539  
 Exceptiones quare etiam præscriptiones appellantur? lib. 4. p. 540  
 Exceptiones quæ prosunt reo principali, an prosint etiam fidejussoribus? lib. 4. p. 542  
 Exceptiones rei cohærentes, quomodo differant à personalibus? ibid.  
 Exceptiones temporales & dilatorizæ quæ? lib. 4. p. 540  
 Exceptiones temporales olim in perpetuum nocebant, ibid.  
 Exceptiones variis modis perpetuae dicuntur, lib. 4. p. 539  
 Exceptiones utrūm opponi debeant? lib. 4. p. 543  
 Exceptionis formula, ibid.  
 Exceptionum exempla, lib. 4. p. 536  
 Exceptionum quædam prosunt reo, quædam auctori, lib. 4. p. 541  
 Excusatio quid & quotuplex? lib. 1. p. 85  
 In Excusatione munerum quæ datur properter liberos, an inspiciantur jus potestatis? lib. 3. p. 299  
 Excusationes plures imperfæctæ non liberant à tutela, licet conjunctæ sint, lib. 1. p. 93  
 Excusationum usus, lib. 1. p. 92  
 Exempla non restringunt, lib. 2. p. 210  
 Exercitor quis? lib. 4. p. 512  
 Per Extraneam personam nihil acquiritur, lib. 2. p. 163  
 Exhaurire hæreditatem legatis quid? lib. 2. p. 259  
 Exhæredari à patre non potest filius ob eam causam quod eum perduellionis accusaverit, lib. 2. p. 189  
 Exhæredari non potest filia major 25. annis, quæ luxuriosam vitam degere maluit, quam nubere juxta voluntatem patris, ibid.  
 Exhæredatio filii posthumi & recens nati, hodie si critesta non potest, l. 2. p. 384  
 Exhæredatio nominatum & inter ceteros, quomodo fiat? lib. 2. p. 183  
 Exhæredatio quid? lib. 2. p. 182  
 Exhæredationis cause 14. propter quas liberi possint à parentibus exhæredari iure Novellaran, lib. 2. p. 189  
 Exhibere & restituere quomodo differant, & quoniam conveniunt? lib. 4. p. 556  
 Expediit quid? lib. 2. p. 173

**F** Abularum nomine jus antiquatum intellegitur, Proæm. xix  
 Facinorosi quomodo solâ suâ conscientiâ puniantur? lib. 4. p. 567  
 Facta rectè legantur, lib. 2. p. 247  
 Facta sunt infinita & incerta, lib. 3. p. 354  
 Facultas solvendi adjecto, solutionis gratiâ, an per ejus capitâ diminutionem tollatur? lib. 4. p. 587  
 In Falcidiaz detractione, cur prius deduci debeant æs alienum defuncti, funeralis impensis, & pretia servorum testamento manumissorum? lib. 2. p. 264  
 Fama & infamia quid? lib. 4. p. 552  
 Familia emptor duplex, pristinus & vetustissimus, lib. 2. p. 170  
 Familia emptor in testamento testis esse numquam potuit, ibid.  
 Famosi libelli pena quæ? lib. 4. p. 464  
 Favi quid? lib. 2. p. 108  
 Feræ à nobis occupatæ, nostræ esse desinunt, si receperint naturalem libertatem, lib. 2. p. 106  
 Feræ bestiæ quæ? ibid.  
 Feræ naturæ an sint pavones & columbae? lib. 2. p. 108  
 Ferruminationis & plumbaturæ differentia, lib. 2. p. 115  
 Fictio brevis manus quid? lib. 2. p. 125  
 Fideicomissa consistunt sine ullo scriptura aut solemnitatis adminiculo, lib. 2. p. 276  
 Fideicomissa differunt ab his que mortis causâ capiuntur, lib. 2. p. 288  
 Per Fideicomissa legibus illudimus, lib. 2. p. 266  
 Fideicommissaria substitutio intra quem gradum fieri possit? lib. 2. p. 275  
 Fideicommissariæ substitutionis & vulgaris disparitas, lib. 2. p. 274  
 Qui Fideicommissariam libertatem praestitit, quatenus habeat jura Patronatus? lib. 2. p. 278  
 Fideicommissarius an possit quartam retinere ex Lege Falcidia? lib. 2. p. 275  
 Fideicommissi in testamento relinquendi formula, lib. 2. p. 265  
 Fideicommissi restituendi forma ante Neronis tempora, lib. 2. p. 267  
 Post Fideicommissi restitutionem, is qui restituit hæreditatem, hæres permanet, ibid.  
 Fideicommissis robur primus dedit Augustus, & quibus ex causis? lib. 2. p. 266  
 In Fideicommissi universalibus, interdum sibi SC. Trebelliano locus fuit, interdum sibi Pegasiano, interdum denique utrique simul, lib. 2. p. 272  
 Fideicommissorum

- Fideicommissorum origo, lib. 2. p. 266  
 Fideicommissum ab herede legitimo relinquiri potest, lib. 2. p. 275  
 Fideicommissum filio suo restituere ante tempus an possit pater sine fraude & lib. 4. p. 577.  
 Fideicommissum quid & quotuplex? lib. 2. p. 265  
 Fideicommissum singulare à quo relinquiri possit? lib. 2. p. 277  
 Per Fideicommissum singulare quānam res relinquiri possint? ibid.  
 Fideicommissum singulare quid? ibid.  
 Fideicommissum universale ex certo tempore, vel ad certum tempus, an relinquiri possit? lib. 2. p. 265  
 Fideicommissum universale quid? ibid.  
 Fidejussionis forma, lib. 3. p. 391  
 Fidejussor an exigi possit à marito dotis nomine? lib. 3. p. 388  
 Fidejussor in quibus obligationibus possit adhiberi? ibid.  
 Fidejussor magis obligari potest quām reus principalis, in majus verò non utique, ibid.  
 Fidejussor potest præcedere & sequi obligationem principalem, ibid.  
 Fidejussor qui in maiorem summam se obligavit quām reus principalis, an remaneat obligatus in debitam à reo quantitatē? lib. 3. p. 390  
 Fidejussor an quis possit esse pro se ipso, in propria causa? lib. 4. p. 529  
 Fidejussor quis, unde dictus, & an distinguatur ab expromissore? lib. 3. p. 387  
 Fidejussore electo, reus liberatur ex jure veteri; & vice versa, lib. 3. p. 414  
 Fidejussore solvente, an reus liberetur? lib. 3. p. 430  
 Fidejussores invenire pauperi difficile est, lib. 1. p. 98  
 Fidejussori cedere suas actiones an creditor possit post solutionem sibi factam? lib. 3. p. 391  
 Fidejussori quæ actio competat adversus reum? lib. 3. p. 390  
 Fidejussoribus quare succurrendū sit? ibid.  
 Fidejussoris obligatio in heredes transmittitur, lib. 3. p. 388  
 Fidejussoris obligatio quæ ab initio valida non fuit, an possit ex postfacto vites accipere? lib. 4. p. 591  
 Fiducia quid? lib. 1. p. 53  
 Fiduciaria tutela duplex, antiqua & nova, lib. 1. p. 68  
 Fiduciaria tutela non est species tutelæ legitimæ, lib. 1. p. 69  
 Filia an possit dissentire à patre, qui ei sponsum elegit? lib. 2. p. 291  
 Filii & nepotes ex filio debent hodie exha-
- redari nominatum, non inter ceteros, lib. 2. p. 188  
 Filii ac nepotes cur appellantur liberi? lib. 1. p. 13  
 Filii differunt ex jure veteri à filiabus & nepotibus ex filio circa præteritionis effectum, & ex habitationis modum, lib. 2. p. 183  
 Filii emancipiati, qui se in adoptionem dederunt, an succedant parenti naturali, lib. 3. p. 299.  
 Filii & filiæ familiæ distinguuntur, lib. 1. p. 48  
 Filii & liberti quā actione uti debeant contra patrem vel patronum? lib. 4. p. 553  
 Filii amicias qui quasi castrense peculium habebant, non poterant de illo omnes testari, & cur? lib. 2. p. 176  
 Filii in adoptionem dati, an succedant patri naturali vel adoptivo? lib. 1. p. 47  
 Filii olim potuerunt exhaeredari inter ceteros, lib. 2. p. 183  
 Filii perduellum quomodo & quare puniantur? lib. 4. p. 560  
 Filii sororum an succedant inter agnatos? lib. 3. p. 309  
 Filii vel liberti qui parentem vel patronum in jus vocaverint, venia à Prætore non impetrata, quare coegerantur? lib. 4. p. 553  
 Filii ex matrimonio legitimo procreatis, an æquiparent legitimi? lib. 3. p. 295  
 Filii in adoptionem dati an competit in officiis quærela contra testamentum patris naturalis? lib. 2. p. 29  
 Filio mortuo qui liberos reliquit, pater non amittit usumfructum peculii adventitiæ acquisitum, lib. 3. p. 340  
 Filiorum & liberorum nomine quinam intelligentur? lib. 2. p. 182  
 Filius an cogi possit à patre ad uxorem ducendam? lib. 2. p. 291  
 Filius emancipatus pro extraneo & pro mortuo habetur, lib. 1. p. 50  
 Filius familiæ donare potest causâ mortis peccantem patrem, non tamen testari; eoque diversitatis ratio, lib. 2. p. 173  
 Filius in testamento patris, testi esse non potest, lib. 1. p. 77  
 Filius vel libertus qui parentem vel patronum sine venia in jus vocatur, quā pœna tenetur? lib. 4. p. 487  
 Filius qui patrem captivum redimere neglexit, privatur bonis paternis, eaque bona applicantur Ecclesiæ, lib. 2. p. 182  
 Filius familiæ testari potest favore pœnae vel liberorum, ex usu fori, lib. 2. p. 179  
 Filius familiæ videtur possideri à patre, lib. 2. p. 178  
 Fisco quid & bona Principis in quotuplici sunt differentia? lib. 1. p. 85  
 Fins de non-precedere, lib. 4. p. 543

- Fins de non-recevoir*, *ibid.*  
*Fins de non-valoir*, *ibid.*  
 Flavii nomen cur Justinianus assumperit? *lib. 2. p. 154*  
*Procem. xv*  
 Flumina petrenia quomodo differant ab aqua profluente? *lib. 2. p. 101*  
 Fœminæ an sint agnati? *lib. 1. p. 62*  
 Fœminæ an jure agnationis succedant? *lib. 3. p. 308*  
 Fœminæ jure veteri sine auctoritate tutoris testari non poterant, *lib. 3. p. 327*  
 Fœminæ non sunt hodie in perpetua tutela, sicut antiquitus, *lib. 1. p. 77*  
 Fœnum habere in cornu quid, & unde dictum? *lib. 4. p. 522*  
 Fortuna superiorem non agnoscit, *l. 2. p. 248*  
 Frater cur sic dictus? *lib. 1. p. 34*  
 Frater matris meæ non est semper avunculus meus, & soror matris meæ non est semper mater altera mea, *lib. 1. p. 36*  
 Fratres consortes & dissortes qui? *lib. 1. p. 38*  
 Fratres ex utroque latere conjuncti, & eorum filii; fratres ex uno dumtaxat latere conjunctos, à successione fratribus defuncti, *lib. 3. p. 340*  
 Post Fratres Fratrumque filios multitudo vincolorum non attenditur, *lib. 3. p. 341*  
 In Fructibus & usuris Fructum quænam sit disparitas inter rei vindicationem & petitionem hæreditatis? *lib. 4. p. 555*  
 Fructarius debet satis dare, se boni viri arbitratu usurum frumentum, *lib. 2. p. 122*  
 Fructarius an possit usumfrumentum suum in alterum transferre? *lib. 2. p. 135*  
 Fructarius & colonus quomodo inter se differant & convenient? *lib. 2. p. 121*  
 Fructarius gregis in locum demortuarum ovium debet alias ex grege submittere, *lib. 2. p. 122*  
 Fructarius gregis vel pecorum plus juris habet quam usuarius, *lib. 2. p. 138*  
 Fructarius potest frui & defrui, *lib. 2. p. 136*  
 Fructarius qui matris & nondum peti-cepit fructibus decedit, an illos transmittat ad hæredes suos? *lib. 2. p. 121*  
 Fructarius quis? *ibid.*  
 Ad Fructarium non pertinet partus animalium, *ibid.*  
 Fructus civiles qui? *lib. 2. p. 120*  
 Fructus etiam non perceptos, malæ fidei possessor restituere cogitur, *ibid.*  
 Fructus industriales qui? *ibid.*  
 Fructus naturales an hant coiustibet bone fidei possessoris? *ibid.*  
 Fructus naturales qui? *ibid.*  
 Fructus quid & quotuplex? *ibid.*  
 Fundi instructi & fundi cum instrumento legati disparitas quæ? *lib. 2. p. 242*  
 Fundum doralem an possit maritus alienare consentiente uxori? *lib. 2. p. 154*  
 Funeris impensæ inter æs alienum defuncti quem ordinem habeant? *lib. 2. p. 264*  
 Fur deprehensus quo sensu dicitur? *lib. 4. p. 441*  
 Furiosi & mente capti disparitas, *lib. 1. p. 81*  
 Furiosus quare stipulari non potest? prodigus autem potest, *lib. 3. p. 377*  
 Furis manifesti poena quænam fuerit ex L. duodecim tabular. Servius Virgilii commentator defendit, *lib. 4. p. 442*  
 Furoris dilucida intervalla quomodo differant à tempore & conspectu inumbratae quietis? *lib. 2. p. 179*  
 Furti actio an competit indistinctè omnibus quorum interest? *lib. 4. p. 448*  
 Furti actio fulloni, sarcinatori & emptori bonæ fidei an detur? *ibid.*  
 Furti actionem an habeat creditor pro subrepto pignore? *ibid.*  
 Furti actionem an habeat depositarius? *lib. 4. p. 450*  
 Furti & rapinæ discrimen, *lib. 4. p. 452*  
 Furti ope, consilio facti, actione quis tenetur? *lib. 4. p. 446*  
 Furtum manifestum quid? *lib. 4. p. 441*  
 Furtum non manifestum quid? *ibid.*  
 Furtum querere per lanceum & lictum, quid? *lib. 4. p. 442*  
 Furtum quid, unde dictum, & quotuplex? *lib. 4. p. 439*  
 Furtum rei propriæ quomodo fieri possit? *lib. 4. p. 445*  
 Furtum usus & possessionis an fiat? *lib. 4. p. 443. & seqq.*

## G

- In **G**allia, an sententia ullæ Judiciorum ipso jure rescindatur? *lib. 4. p. 554*  
 In Gallia cessat præscriptio quinquennii adversus exceptionem non numeratae pecuniae, *lib. 3. p. 393*  
 In Gallia decreta, testamenta & instrumenta omnia Gallico idiomate fieri debent, *lib. 2. p. 286*  
 In Gallia exhæredatio liberorum propter Hæredim Calvinisticam fieri non potest, *lib. 2. p. 189*  
 In Gallia filius major 30. annis, & filia major 25. exhæredari non possunt, si matrimonium contraxerint sine consensu patris: alius juris est, si eam ætatem non excecerint, *ibid.*  
 In Gallia non debentur usuræ ex mutuo, quamvis promissa, nisi à tempore litis motæ, *lib. 3. p. 416*  
 In Gallia non est necessarium testamenta signaculis muniri, *lib. 2. p. 167*

- In Gallia omnes indistinctè hæredes, absque ullo facto & declaratione voluntatis, hæredes existunt, lib. 2. p. 227
- In Gallia pædicatores quomodo puniantur? lib. 4. p. 561
- In Gallia pedanei Judices non possunt absolvere ullos homicidas, lib. 4. p. 455
- In Gallia quisdam sit solus criminum accusator? lib. 4. p. 559
- In Gallia quomodo proponantur actiones rescisoriae? lib. 4. p. 482
- In Gallia restitutio fideicommissi sit sine ullo hæredis facto, lib. 2. p. 273
- Galliarum potentissimus Rex superiorēm in temporalibus non agnoscit, Proleg. ix
- Gemmam in littore si usus prior viderit, alter prior occupaverit, uter dominus fiat? lib. 2. p. 109
- Gener unde dicatur? lib. 1. p. 37
- Glos quæ? ibid.
- Gradus quomodo numerentur ex jure civili? lib. 1. p. 36
- Graduum numeratio ex jure canonico, lib. 1. p. 35
- Guillelmus Philander Castillioneus anagnostes Cardinalis Armeniaci, lib. 2. p. 289
- H**
- Habitatio quid? lib. 2. p. 138
- Habitatio quomodo ab usu & usufructuedium distinguatur? & quomodo cum utroque convenientat? ibid.
- Qui Habitacionem habet, potest eam locare alteri, non gratis concedere, ibid.
- Hendyadis quid? lib. 3. p. 315
- Ab Hærede uno an possit alteri legari? lib. 2. p. 255
- Pro Hærede gerere quid? lib. 2. p. 227
- Hærede instituto domino, an servo ejus legari possit? lib. 2. p. 256
- Hærede instituto servo, an domino ejus recte legetur? ibid.
- Hæredes alii sunt puri ac simplices, alii beneficiarii? lib. 2. p. 226
- Hæredes extranei quibus modis hæredes sunt? ibid.
- Hæredes necessarii ab extraneis quomodo differant circa amissionem hæreditatis? lib. 2. p. 227
- Hæredes necessarii, qui abstinnerunt se hæreditate, an remaneant hæredes jure civili? lib. 4. p. 594
- Hæredes necessarii qui, & unde dicti? lib. 2. p. 221
- Hæredes necessarii sine ullo facto, hæredes existunt, lib. 2. p. 225
- In Hæredibus extraneis requiritur testamenti factio tripli tempore, lib. 2. p. 224
- Cum Hæredibus necessariis semper est testamenti factio, libid.
- Hæredibus extraneis Prætor semper debat ius deliberandi, interdum etiam necessariis, lib. 2. p. 225
- Hæredibus necessariis concedit Prætor beneficium separationis, lib. 2. p. 222
- Hæredibus qui temere damnosam hæreditatem adierint, quibus modis subventione sit? lib. 2. p. 225
- Ante hæredis institutionem in testamento scripta an valeant? lib. 2. p. 256
- Hæredis nomen, cuius manu scribi possit in testamento? lib. 2. p. 167
- Hæredis institutio quid? lib. 2. p. 190
- Hæreditas jacens an sustineat vicem defuncti, vel hæredis futuri? lib. 2. p. 191
- Hæreditas legitima quæ, & ear sic dicta? lib. 2. p. 190
- Hæreditas quid sit & quotuplex? lib. 2. p. 164
- Hæreditas servo relata, cum ejus dominus non acquiratur, nisi domini iussus adiunctionem præcesserit? lib. 2. p. 162
- Hæreditates novæ quæ? & an minimā capitatis diminutione perirent? lib. 3. p. 318
- Hæreditatis acquisitionis est quasi contractus, lib. 3. p. 421
- Hæreditatis partes duodecim, lib. 2. p. 193
- Hæreditatis petitio cur sit bona fidei? lib. 4. p. 498
- Hæres an succedat in vita defuncti? lib. 2. p. 144
- Hæres an obligetur creditoribus hæreditariis ex vero contractu, an ex quasi contractu dumtaxat? lib. 3. p. 425
- Hæres coloni an fructus percipere possit, quos colonus decedens maturos, neendum perceptos reliquit, lib. 2. p. 121
- Hæres cur possit institui sub conditione, non ex certo tempore, lib. 2. p. 191
- Hæres directus, cui certam rem deducere permisum est, quatenus pro legatario habeatur? lib. 2. p. 274
- Hæres ex certo tempore, vel usque ad certum tempus, vel usque ad certam conditionem, cur non possit institui? lib. 2. p. 195
- Hæres extraneus quis? lib. 2. p. 213
- Hæres extraneus, ex parte hæres institutus, an semper cognoscatur ea quæ scripta sunt in testamento? lib. 4. p. 593
- Hæres extraneus quando potuit adire hæreditatem, ex L. Julia & Papia? libid.
- Hæres potuit olim esse testis in testamento, lib. 2. p. 170
- Hæres quis? lib. 2. p. 140
- Hermodorus quis? Proleg. iii
- Historiæ notitia est pernecessaria Juris candidatis, Proleg. j

- Homicidii puniendi diversitas ex L. Aquilia, & ex L. Cornelio, lib. 4. p. 562
- Honor per rerum diminutionem decrevit, lib. 2. p. 161
- Hostes qui? lib. 1. p. 15
- Hostiles quid? lib. 2. p. 109
- Per Hostilitatem an acquirantur res mobiles & immobiles indistincte? ibid.
- Hyperocha quid? lib. 2. p. 233
- Hypobolum quid? lib. 2. p. 153
- Hypothecea fisci & uxoris, utra potior sit? lib. 4. p. 500
- Hypothece & pignoris nomine quid significetur? lib. 4. p. 483
- Hypothece tacite exempla quædam, lib. 4. p. 484
- Hypothecaria actio quomodo differat à pigneratitia actione? ibid.
- I**
- D. Jacobus frater Domini cur nuncupatus? lib. 1. p. 35
- Id quod interest quomodo definitur? lib. 3. p. 365
- Idolatria exordium sumptu à nimio affectu parentum in liberos, lib. 2. p. 291
- Ignorare & incertæ personæ differentia, lib. 2. p. 197
- Imperator quis? Proæm. xv
- Implantatio dominium plantæ transfert, ex quo radices egerit, lib. 2. p. 118
- Impostorum exitus, lib. 2. p. 290
- Improbus & intestabilis quis dicatur ex Lege 12. tabularum? lib. 2. p. 168
- Impuberces quando pœnis sint obnoxii? lib. 4. p. 450
- Impubes adrogatus cur non habeat infamia querelam? lib. 2. p. 215
- In annuis legatis vel obligationibus, initio anni hæres vel debitor obligatur, lib. 3. p. 386
- In contractibus verba non sunt otiosa, lib. 3. p. 399
- In integrum restitutio quæ datur minoribus, an revocet libertates jam datas? lib. 3. p. 347
- In jure cessio quid? lib. 2. p. 139
- In jus vocatum si quis vi exemerit, quâ pœna teneatur? lib. 4. p. 487
- In manum conventio quid, & qui illius effectus? lib. 1. p. 32
- In rem versum quid sit? lib. 3. p. 514
- In rem versum quomodo durat versum? lib. 4. p. 515
- In tabulis patris & filii an unica servetur Falcidia? lib. 2. p. 203
- In testamento militis an locum habeat Falcidia? lib. 4. p. 581
- Incertæ personæ olim legari potuit duobus casibus, lib. 2. p. 249
- Incertæ personæ quare libertas dari olim non potuit? ibid.
- Incertis personis legari quo sensu hodie potest? ibid.
- Incertum an sit legatum vel promissum, si quis legaverit aut promiserit ea quæ sunt in arca vel in horreo, lib. 3. p. 361
- Indebiti solutio est quasi contractus, lib. 3. p. 425
- Ex indebito soluto quæ oritur actio, & quando cessat? lib. 3. p. 354
- Indebite solutum an sit contractus, vel quasi-contractus? ibid.
- Indebite solutum in quibus differat à mutuo, & in quibus cum illo conveniat? ibid.
- Indebitum accipiens, si sciat sibi nihil decberi, furtum committit, lib. 3. p. 426
- Indebitum solvens & accipiens quomodo videantur tacite contrahere? ibid.
- Infamia debitorum, quorum bona ex edicto distrahuntur, lib. 3. p. 348
- Infamia ex quibus actionibus & partionibus irrogatur? lib. 4. p. 552
- Infans quis, & unde dictus? lib. 3. p. 378
- Infantiz proximus quis? ibid.
- Ingenui fontes, ingenuus tophus, l. 1. p. 16
- Ingenuorum ac libertorum diversi sunt mores, lib. 3. p. 328
- Ingenuus quis, & quid eo nomine intelligatur? lib. 1. p. 16
- Injuria an fiat fructuario per servum, cuius habet usumfructum? lib. 4. p. 476
- Injuria an nobis fiat per servos alienos, aut liberos homines, quos bonâ fide possidemus? lib. 4. p. 467
- Injuria illata filiosfamilias an minor sit quam illa quæ infertur patrifamilias, lib. 4. p. 469
- Injurijā occidere quid? lib. 4. p. 455
- Si Injuria per servum communem duabus inferatur, quomodo fiat estimatio injuriæ & condemnatio? lib. 4. p. 465
- Injuria quemadmodum coërcetur ex L. 12. tabular. & ex edito Prætoris? lib. 4. p. 467
- Injuria quemadmodum nobis inferatur in persona alterius? lib. 4. p. 464
- Injuria quibus modis aboleatur? l. 4. p. 471
- Injuria quibus modis irrogetur? l. 4. p. 464
- Injuria quid? lib. 4. p. 463
- Injuria verbis quomodo fiat? lib. 4. p. 464
- Injuria ut nobis in persona servi nostri irrogetur, quæ conditiones requirantur? lib. 4. p. 465
- Injuriæ nomen quibus modis accipitur? lib. 4. p. 463
- Injuriæ estimatio quomodo crescit aut minuitur? lib. 4. p. 468

- Injuriarum actio an morte extinguitur? lib. 4. p. 534  
 Injuriarum actio an per procuratorem moveri possit vel suscipi? lib. 4. p. 470  
 Injuriarum actio civilis an praejudicet criminali, vel vicissim? ibid.  
 Injuriarum actione quis teneatur propter carmen famosum? lib. 4. p. 464  
 Injuriarum actione tenetur qui suscit alteri, ut inferret injuriam? lib. 4. p. 471  
 Circa Injuriarum actionem, quodnam sit privilegium virorum illustrium? lib. 4. p. 470  
 Injuriarum nomine quenam actio hodie locuta habeat? lib. 4. p. 471  
 Inofficiosi querela competit liberis exhaeredatis a patre, & praeteritis a matre vel ab avo materno, lib. 2. p. 214  
 Inofficiosi querela denegatur fratribus & sotoribus, nisi turpes personae fuerint haeredes instituta, lib. 2. p. 215  
 Inofficiosi querela est contra verendum naturam, lib. 2. p. 216  
 Inofficiosi querela est ultimum adjutorium, lib. 2. p. 215  
 Inofficiosi querela non competit fratribus uterini, ibid.  
 Inofficiosi querela parentibus competit, si liberi deficiant; non tamen cum filius de castrensi vel simili peculio testatus est, ibid.  
 Inofficiosi querela quid? lib. 2. p. 214  
 Inofficiosi querelæ quis est effectus? lib. 2. p. 218  
 Inofficiosi querelæ usus jure Novellarum nullus est, nisi duobus casibus, ibid.  
 Inofficiosi querelam mouere non possunt qui alio jure veniunt ad defuncti bona, vel partem eorum, lib. 2. p. 216  
 Per Inofficiosi querelam, ex novissima Justiniani constitutione, sola hæreditis institutiones infirmantur, ejusque juris ratio, lib. 2. p. 218  
 Per Inofficiosi querelam totum omnino testamentum jure veteri infirmabatur, lib. 2. p. 217  
 Inofficiosum testamentum quid? lib. 2. p. 214  
 Inofficiosum testamentum rescinditur, quæsto colore dementia, ibid.  
 Inquisitio quid? lib. 1. p. 58  
 Inscriptio quare sit necessaria in crimibus? lib. 4. p. 559  
 Inscriptio quomodo sit? ibid.  
 Insinuatio quid? lib. 2. p. 152  
 Institutor per mortem exercitoris an ipso jure revocetur? lib. 4. p. 512  
 Institutor quis? ibid.  
 Institutiones an Instituta dici debeant? Proleg. x  
 In Institutionibus hæredum, gradus & locus distinguui debent, lib. 2. p. 197  
 Institutionis & substitutionis differentia, ibid.  
 Insula in flumine nata, quomodo dividatur inter illos qui ex eadem vel diversa fluminis parte prædia possident? lib. 2. p. 112  
 Insula quibus modis fiat? ibid.  
 Insula nomen ambiguum est, ibid.  
 Interdicendi verbum quibus modis accipitur? lib. 4. p. 544  
 Interdicta adipiscendæ possessionis quæ? lib. 4. p. 545  
 Interdicta duplicita quæ? lib. 4. p. 549  
 Interdicta exhibitoria quæ? lib. 4. p. 545  
 Interdicta prohibitoria quæ? ibid.  
 Interdicta quid? lib. 4. p. 544  
 Interdicta recuperandæ possessionis quæ? lib. 4. p. 548  
 Interdicta restitutoria quæ? lib. 4. p. 545  
 Interdicta retinendæ possessionis quæ? lib. 4. p. 547  
 Interdicta simplicia quæ? lib. 4. p. 549  
 Interdicta unde dicta? lib. 4. p. 545  
 Interdicti utrubi natura quenam sit hodie? lib. 4. p. 547  
 De Interdictis an Prætor vel Judex cognosceret? lib. 4. p. 544  
 In Interdictis uti possidetis & utrubi quenam possessio requiratur? lib. 4. p. 547  
 Interdictum Salvianum quod, & quomodo conveniar cum actione Serviana? lib. 4. p. 546  
 Interdictum uti possidetis, lib. 4. p. 547  
 Interdictum utrubi, ibid.  
 Intestatus aliquando decedit, qui duo testamenta jure fecit, lib. 2. p. 208  
 Intestatus quis intelligatur? lib. 1. p. 61  
 Invecta & illata a colono in prædium rusticum an obligentur domino sine excepta conventione? lib. 4. p. 483  
 Invecta & illata ab inquilino, an tacite obligentur pro mercedibus prædii urbani? ibid.  
 Invectæ res & illatae quomodo differunt? ibid.  
 Inventarium quid? lib. 2. p. 226  
 Inventio quid, & quomodo fiat? lib. 2. p. 109  
 Inundatio an adimat proprietatem agri? lib. 2. p. 113  
 Irnerius jurisprudentiam Justinianam restituit, Authenticas Codici inseruit, & pli klaros habuit discipulos, Proleg. ix  
 Irritum testamentum quid? lib. 2. p. 209  
 Iter quid, & an itinere concessio possit aliquis ire eques, & sella etiam ac lectica vehi? lib. 2. p. 129  
 Judex non debet facere acceptacionem personarum; personam tamen unam ab altera distinguere, dum judicat, non prohibetur? lib. 1. p. 12

- Judex potest interdum jubere, caverre, lib. 3. p. 372  
 Judicis qui dicantur? lib. 3. p. 370  
 Judicia capitalia quæ? lib. 4. p. 560  
 Judicia criminalia à civilibus quomodo differant? lib. 4. p. 470  
 Judicia omnia cur dicantur hodie esse extraordinaria? Proleg. iv  
 Judicia omnia sunt absolvitoria, lib. 4. p. 550  
 Judicia ordinaria & extraordinaria quid? lib. 1. p. 75  
 Judicia publica non capitalia quæ? lib. 4. p. 565  
 Judicia publica quæ? lib. 4. p. 559  
 Judicis & arbitrii differentia, lib. 4. p. 498  
 In Judicio & in Jure consistere quomodo distinguuntur? lib. 4. p. 475  
 Judiciorum publicorum & privatorum disparitas, lib. 4. p. 559  
 Judicium publicum quotuplex? lib. 4. p. 560  
 Judicium rescindens & rescissorum quid, & utrum distinguuntur? lib. 4. p. 482  
 Judicium fortis appellationi non est obnoxium, lib. 2. p. 248  
 Jura sunt certa, lib. 3. p. 317  
 Jura, que fuerint sub Regibus Romanis? Proleg. ii  
 Juris Civilis divisio, lib. 1. p. 7  
 Juris Civilis status post Justinianum interitem, Proleg. ix  
 Juris Civilis status in Gallia, ibid.  
 Juris compositi à Justiniano chronologia, ibid.  
 Juris error an pro sit possessori in usucaptionibus? lib. 2. p. 144  
 Juris objecta cur dicantur esse tria, persona, res, actiones? lib. 1. p. 12  
 Juris partes seu volumina, quæ? Proleg. x  
 Juris scripti & non scripti distinctio, lib. 1. p. 11  
 Juris scripti notitia necessaria est in Provinciis Galliæ, quæ moribus reguntur, Proleg. ix  
 Juris status sub Consulibus, Proleg. iij  
 Juris status sub Imperatoribus, Proleg. v  
 Jurisconsulti in dabo medium viam amplectuntur, lib. 2. p. 200  
 Jurisdictio voluntaria & contentiose quomodo differant, & quo loco ac tempore exerceantur? lib. 1. p. 19  
 Jurisdictio Prætoris universa tribus his verbis continebatur, do, dico, addico, lib. 3. p. 346  
 Jurisdictionis nomen aliquando impropriè sumitur pro officio Judicis, lib. 1. p. 72  
 Jurisperiti officium est, jura semper in melius producere, lib. 2. p. 291  
 Jurisprudentia quid? lib. 1. p. 2  
 Jus à Justiniano quo ordine compositum? Proleg. ix  
 Jus accrescendi an locum habeat in agris limitatis? lib. 2. p. 235  
 Jus accrescendi inter legatarios testamenti paterni & pupillares, an locum habeat? lib. 2. p. 103  
 Jus accrescendi locum habet inter conjunctos re tantum, & conjunctos re & verbis simul, sed diverso modo; inter conjunctos autem verbis tantum cessat, lib. 2. p. 234  
 Jus accrescendi locum non habebat antiquitus in legato per damnationem, lib. 2. p. 235  
 Jus accrescendi quid? ibid.  
 Jus accrescendi unde oritur? ibid.  
 Jus Alianum, Proleg. iv  
 Jus an sit à Justitia appellatum, & quo sensu? lib. 1. p. 3  
 Jus civile latè sumptum, quomodo differat à Jure civili strictè sumpto? lib. 1. p. 10  
 Jus civile non scriptum, seu consuetudo, quid? lib. 1. p. 11  
 Jus civile quid, & quomodo differat à jure gentium? lib. 1. p. 6  
 Jus commune sepius factum est, quod ab initio singulare fuit, & proprium in aliquo certo casu, lib. 2. p. 219  
 Jus consensu indectum, quid? lib. 1. p. 7  
 Jus & factum in quo differant? lib. 3. p. 354  
 Jus Flavianum quid? Proleg. iv  
 Jus gentium quid, & quotuplex? lib. 1. p. 6  
 Jus gentium seu naturale, immutabile est;  
 Jus verò civile mutabile, lib. 1. p. 12  
 Jus honorarium quid, & cur sic dictum? lib. 1. p. 10  
 Jus naturale quid, & quot modis id nomen accipitur? lib. 1. p. 5  
 Jus non scriptum Romanorum quo sensu oriatur ex Institutis Lacedæmoniorum? lib. 1. p. 11  
 Jus Papyrianum, Proleg. ii  
 Jus privatum aliquando juris publici nomine designatur, lib. 1. p. 4  
 Jus privatum quid, & quomodo differt à privilegio? ibid.  
 Jus publicum & privatum quid, & in quo utramque consistat? ibid.  
 Jus quid, & quot modis id nomen sumitur? lib. 1. p. 3  
 Jus representationis quos habet effectus, & an locum habeat inter collaterales? lib. 3. p. 297  
 Jus scriptum quid & quotuplex? lib. 1. p. 7  
 Jus vitæ ac necis cur dominis in servos suos jure gentium competit? lib. 1. p. 27  
 Jusjurandum ab adversario delatum, quomodo differat à jurejurando quod Judex detulit? lib. 4. p. 486  
 Jusjurandum in litem quid? lib. 4. p. 556  
 Justa causa seu justus titulus, quid? lib. 2. p. 124  
 Justa ratio errois facit, ut justus titulus

- erroneus proficit in usucapione, lib. 2. p. 147  
 Justiniani nomen an proprium, an vero ex adoptione qualitum? Proem. xv  
 Justiniani ratio an claudicet circa fiduciariam tutelam? lib. 1. p. 69  
 Justinianei novi, qui? Proem. xx  
 Justinianus cur Alemannicus, Anticus dicitur, & aliis nominibus insigniatur? Proem. xvij  
 Justinianus Imperator Theodoram uxorem suam in legibus sanciendis participem consilii sumpsit, lib. 4. p. 499  
 Justitia quid, & quotuplex? lib. 1. p. 2  
 Juvenali jus datur sat. ult. lib. 2. p. 178  
 Juvenalis Martem irridet sat. 14. Proleg. xij & lib. 2. p. 286
- L**
- Atini qui, & cur sic dicti? lib. 1. p. 20  
 Legandi verbum generaliter sumptum, quid significet? lib. 2. p. 164  
 Legare uxori dotem suam, cur possit maritus? lib. 2. p. 240  
 Legari potest dictanti testamentum, non verò scribenti, lib. 2. p. 171  
 Legari quibus personis potest? lib. 2. p. 249  
 Legata à fideicommissis & donationibus causâ mortis, quomodo distinguantur? lib. 4. p. 572  
 Legata fideicommissis, & vicissim fideicommissa legatis, quatenus exequata sunt? lib. 2. p. 231  
 Legata optionis & electionis an differant? lib. 2. p. 248  
 Legata pœnæ causâ relata, quibus casibus hodie infirmantur? lib. 2. p. 258  
 Legata æreæ si domus imposta sit, an totum legatario debeatur? lib. 2. p. 243  
 Si legata fuerint ancillæ cum suis natis, mortuis ancillis, natorum legatum an extinguatur? lib. 2. p. 242  
 Legata rei interitu hæres liberatur, lib. 2. p. 241  
 Legatarii & fideicommissarii singulares an possint cogere hæredem ad adeundam hæreditatem? lib. 2. p. 269  
 Legatarii re & verbis conjuncti, qui? lib. 2. p. 234  
 Legatarii re tantum conjuncti, qui? ibid.  
 Legatarii sibi invicem tripliciter conjunguntur, ibid.  
 Legatarii verbis tantum conjuncti, qui? ibid.  
 Legatario an semper competat actio in rem? lib. 3. p. 425  
 Legatarius partarius quis? lib. 2. p. 269  
 Legati definitio duplex traditur & expōnitur, lib. 2. p. 228  
 Legati dominium quomodo ad hæredem transeat mortuo testatore? lib. 4. p. 573  
 Legati & donationis differentia circa res obligatas, quæ legatae sunt, lib. 2. p. 228  
 Legati in Graciam missi, quot; & cur hæc legatio Decemviris imputetur? Proleg. iij  
 Legatis actionibus, quis sit effectus legati? lib. 2. p. 247  
 In Legatis omnibus, triplex actio competit; non tamen in legato quantitatibus, vel rei alienæ, lib. 2. p. 137  
 In Legati sublata est solemnum verborum necessitas, ibid.  
 Legato chirographo, quid continetur? lib. 2. p. 241  
 Legato generaliter relichto, electio an sit legatarii? lib. 2. p. 247  
 Ex Legato per damnationem, quare competit actio in personam? lib. 2. p. 137  
 Ex Legato per præceptionem competit actio familiæ crescundæ, lib. 2. p. 230  
 Ex Legato per vindicationem oritur non tantum actio in rem, sed etiam in personam, ibid.  
 In Legato rei alienæ, cui probationis onus incumbat? ibid.  
 In Legato rei obligatae, quis probare debeat defunctum id scivisse vel ignorasse? lib. 2. p. 233  
 Ex Legato finendi modo, competit actio in personam, lib. 2. p. 230  
 Legatorum quatuor species differebant olim, formulæ legandi, rerum genere, & actione ex his promanante, ibid.  
 Legatorum singulorum formula, ibid.  
 Legatum alteri seruum, si hæres manumittat, inutilis est manumissio; lib. 2. p. 241  
 Legatum an infirmetur, si testator rem legatam post conditum testamentum alienaverit? lib. 2. p. 238  
 Legatum an sit omnino conditionale, cum legantur fructus nascituri, ibid.  
 Legatum an valeat, si debitor creditori suo quod debet legaverit? lib. 2. p. 240  
 Legatum differt a donatione, lib. 2. p. 228  
 Legatum dotis plenius est quam dote actione, lib. 2. p. 240  
 Legatum dotis uxori relictum valet, quamvis maritus nullam dotem acceperit, ibid.  
 Legatum gregis an perseveret in residuis? lib. 2. p. 243  
 Legatum liberationis an transeat ad hæredes debitoris? lib. 2. p. 239  
 Legatum liberationis in quo consistat, & quis sit ejus effectus? ibid.  
 Legatum liberationis valere hedie, in cuncta iuris est, ibid.  
 Legatum mancipii Christiani, reliquit in Iudeo vel Pagano, cur non valeat? lib. 2. p. 232

- Legatum pœna nomine relictum, cur olim non valebat ? lib. 2. p. 258
- Legatum partitionis quid ? lib. 2. p. 269
- Legatum pœna nomine relictum, quid ? lib. 2. p. 258
- Legitum rei alienæ, an & quomodo valeat ? lib. 2. p. 233
- Legatum rei alienæ an infirmetur, si legatarius ejus dominium postea acquisierit ? ibid.
- Legatum rei propriæ alicui relictum non valeat, quamvis eam postea alienaverit, lib. 2. p. 238
- Legatum rei sui, quam testator creditit alienam, an valeat ? ibid.
- Legatum relatum alicui eâ lege, ut Mæviam uxorem ducat, an amittatur si Mævia noluerit ei nubere ? lib. 2. p. 254
- Legatum relictum cum hæres aut legatarius moreretur, valebat antiquitus, & hodie valet, lib. 2. p. 256
- Legatum relictum post mortem hæredis vel legatarii, vel pridie quam hæres aut legatarius morietur, an valeat ? lib. 2. p. 257
- Legatum semper ab hærede præstatur, lib. 2. p. 228
- Legatum servo relictum domino acquiritur, etiam ignorantia, lib. 2. p. 256
- Legatum valet, ut teneatur hæres legatarium ære alieno liberare, lib. 2. p. 247
- Legatum ususfructus gregis, & legatum gregis quatenus differant ? lib. 2. p. 243
- Si Legatus fuerit servus ordinarius cum vicario suo, mortuo ordinario, vicarius legatum non extinguitur, lib. 2. p. 242
- Si Legatus fundus periret, instructi quoque & instrumenti Legatum extinguitur, ibid.
- Lege Aquiliæ, an teneatur putator qui dejecto ramo, servum alterius prætereuntem occidit ? lib. 4. p. 457
- Lege Aquiliæ an teneatur qui jaculando se exercens, alterum occidit ? lib. 4. p. 456
- Ex Lege Aquilia, omnis causa peremptio corpori cohaerens, estimanda est, lib. 4. p. 459
- In Lege Aquilia, rei nomine designatur corpus occisum, ibid.
- Ex Lege Cornelia, criminaliter agere de injuriis quare permisum sit ? lib. 4. p. 468
- Lege Corneliane falsis, quid caveatur ? lib. 4. p. 564
- Lege Corneliane de injuriis, quid caveatur, & quomodo ex ea agatur civiliter ? lib. 4. p. 468
- Lege Falcidiæ, an quarta reperti possit, vel vindicari ? lib. 2. p. 272
- Lege Hostiliæ quid cantum sit ? lib. 4. p. 525
- Per Legem Aquiliam an fiat præjudicium Legi Cornelii ? lib. 4. p. 460
- Leyes Curiatæ quæ, & cur sic dictæ ? Proleg. iij
- Leyes fugitivæ, Proleg. xij
- Leyes latæ non ratiō fuerunt de solis nominibus, lib. 2. p. 154
- Leyes quæ Africanum habent auctorem, difficiles, lib. 4. p. 585
- Legis Æliæ-Sentiae tertium caput æquum fuit in manumissionibus inter vivos, iniquum in testamentariis, lib. 1. p. 24
- Legis actiones quid ? Proleg. iij
- Legis Aquiliæ actio pœnalis est, lib. 4. p. 459
- Legis Aquiliæ actiones directæ, utiles & in factum, quomodo distinguantur ? lib. 4. p. 463
- Legis Aquiliæ capite primo quid cautum sit ? lib. 4. p. 454
- Legis Aquiliæ capite secundo quid continebatur ? lib. 4. p. 460
- Legis Aquiliæ primum & tertium caput in quo conveniant ? ibid.
- Legis Attiliæ & Legis Julii & Titii defectus duo, desuetudini utriusque Legis occasionem dederunt, lib. 1. p. 72
- Legis duodecim Tabularum origo, à quibus edita, unde accepta, & cur sic dicta ? Proleg. iij
- Legis Falcidiæ detractionem an possit testator prohibere ? lib. 2. p. 262
- Legis Falcidiæ potestas à Legatis extensa est ad alias juris causas, ibid.
- Legis nomen quibus modis accipitur ? lib. 1. p. 8
- Legis pars quælibet, Lex est, lib. 3. p. 305
- Legitima fratribus & sororibus debetur unico casu, lib. 3. p. 316
- Legitima liberis relinqui quo titulo debet ? lib. 3. p. 317
- Legitima parentum quæ, & cor ipsis debetur ? lib. 2. p. 218
- Legitima portio ex jure Novellarum quæ ? lib. 2. p. 219
- Legitimæ obligatio oritur ex jure naturali, quantitas vero definitur jure civili, lib. 2. p. 218
- Legitimæ portionis synopsis secundum jus Novellarum, lib. 2. p. 220
- Legitimæ quantitas quænam sit jure Institutionum, lib. 2. p. 218
- Legitima quid ? ibid.
- Legitimam portionem filii quinque majorum habent, quam filii quatuor, lib. 2. p. 210
- In Legitimam quæ imputentur ? lib. 2. p. 218
- Legitimatio quæ & quotuplex ? lib. 1. p. 40
- Levir quis ? lib. 1. p. 37
- Levis & levissima culpa à quo præfertur ? lib. 3. p. 358
- Lex Aquilia & Lex Cornelia concurrunt quoties

- quoties dolo malo servus alienus occisus est, *lib. 4. p. 460* *Libertas suscipit magis & minus, non servitus, lib. 1. p. 14*
- Lex Aelia-Sentia, capita illius, & qui casus ab ea excepti, lib. 1. p. 21* *Libertæ erant olim in perpetua totela patroni sui, lib. 3. p. 327*
- Lex Cornelia de editio Prætoris, Proleg. v* *Libertatis diminutio apud Romanos per diminutionem famæ fieri credebatur, lib. 1. p. 20*
- Lex Cornelia de captivis, & illius fictio, lib. 1. p. 52* *Libertini an sunt qui capti sunt in bello civili, si postea manumittantur, lib. 1. p. 17*
- Lex Falcidia, lib. 2. p. 262* *Libertini qui, & an à libertis differant? ibid.*
- Lex Furia, lib. 2. p. 261* *Libertinorum differentia, lib. 1. p. 18*
- Lex Fusia-Canicia, lib. 1. p. 25* *Libertus cur sic dictus? ibid.*
- Lex Horatia, Lex Hortensia, & Lex Publilia, Proleg. iv* *Libertus Orcinus sive Charonianus, lib. 2. p. 278*
- Lex imperfecta, lib. 2. p. 227* *Per Liberum hominem bonâ fide servientem, an facilius acquiratur obligatio jacenti hæreditari, quam hæredibus qui ipsam adierint? lib. 4. p. 593*
- Lex Junia Norbana, lib. 3. p. 331* *Libri Basi<sup>ixos</sup> qui? Proleg. ix*
- Lex Mensia, lib. 1. p. 16* *Libri Juris Civilis qui? Proleg. x*
- Lex Papia de successione libertorum, lib. 3. p. 329* *Libri questionum à Jurisconsultis editi, scatent difficultatibus, lib. 4. p. 585*
- Lex quid, quomodo fiat, & quot modis id nomen accipi possit? Proleg. iv* *Linea in arbo cognationis quid, & quadruplex Jure Civili & Canonico? lib. 3. p. 323*
- Lex Voconia de legatis, lib. 2. p. 261* *Litem suam facere quid? lib. 4. p. 472*
- Lex Voconia de successione mulieribus non deferenda, lib. 3. p. 308* *Litis nomine quid significetur? lib. 4. p. 556*
- Lex Régia quid, & quando lata? lib. 1. p. 9* *Litterarum obligatio contraria olim scripturâ tollebatur, lib. 3. p. 429*
- Liberatio quæ sit ipso jure, quomodo differat ab ea quæ sit per exceptionem? lib. 4. p. 535* *Litterarum obligatio cur certo tempore extinguitur? lib. 3. p. 393*
- Liberi an sequantur patrem vel matrem? lib. 1. p. 16* *Litterarum obligatio vetus & nova, ibid.*
- Liberi homines an sibi invicem bonâ fide servire possint? lib. 4. p. 586* *Litterorum Populus Romanus per occupatiōnem dominus factus est, lib. 2. p. 102*
- Liberi homines aut nascuntur, aut sunt, lib. 1. p. 16* *Locatio & conductio quid? lib. 3. p. 402*
- Liberi homines distinguuntur ab illis qui sunt in libertate, lib. 1. p. 17* *In Locatione & conductione, interdum uterque contrahens est locator simul & conductor, ibid.*
- Liberi, quibus non erat relicta tota legitima in testamento parentis, supplementum ejus olim petere tantum poterant duobus casibus, lib. 2. p. 216* *Ex Locatione & conductione quæ nascuntur actiones? lib. 3. p. 403*
- Liberi quinam fiat in potestate patris? lib. 1. p. 28* *In Locatione & conductione quid præstetur? lib. 3. p. 405*
- Liberis quid pro sit necessitas instituendi eos hæredes in portione legitima? lib. 2. p. 218* *Locationis effectus quis? lib. 3. p. 404*
- Liberorum numerus quis a moneribus publicis præstat excusationem? lib. 1. p. 86* *Locator & conductor quomodo differant? lib. 3. p. 402*
- Liberorum species quinque, lib. 1. p. 28* *Locatoris hæres conductorum expellere non potest, lib. 3. p. 405*
- Per Liberos homines qui nobis bonâ fide serviunt, an nobis obligatio acquiratur? lib. 4. p. 594* *Loci adjectio in stipulationibus tacitam continet temporis adjectionem, lib. 3. p. 364*
- Libertas directa & fideicommissaria quomodo differant? lib. 1. p. 59* *Locus sacer an per captivitatem sacer esse definit? lib. 2. p. 103*
- Libertas duplex, major & minor, lib. 1. p. 20* *Longitudo temporis præscriptio & longitudo temporis possessio an distinguantur? lib. 2. p. 141*
- Libertas matris quo tempore exigatur, ut partus sit liber? lib. 1. p. 16* *Longum tempus quid? ibid.*
- Libertas quid? lib. 1. p. 13* *Lucratiæ rei possessori an competit actio de evictione? lib. 2. p. 243*
- Libertas semel data, qua ex causa revocari possit? lib. 4. p. 586*

- Lucrum quid? lib. 3. p. 408  
 Lux datur Virgilio in 9. Aeneid. lib. 3. p. 357  
 Lyta qui? Proœm. xx  
**M** Agis inspicitur regulariter quod in  
veritate est, quam quod in opinione,  
lib. 2. p. 237  
 Magister hodie nullus creatur ad perse-  
quendam distractionem bonorum debitoris,  
lib. 3. p. 348  
 Magister quis? lib. 4. p. 512  
 Magistratum edicta quid? lib. 1. p. 10  
 Mancipatio quid, & an differat ab eman-  
cipatione? lib. 2. p. 139  
 Mancipi nomen quot modis accipiatur?  
lib. 1. p. 14  
 Mancipium Christianum an sit in commer-  
cio omnium? lib. 2. p. 100  
 Mandare & hortari an differant? lib. 3. p. 417  
 Mandati fines excedens an obligationem  
acquirat? ibid.  
 Ex Mandato quod procurator bona fide  
post mortem domini executus est, an detur  
actio? ibid.  
 Ex Mandato quotuplex actio nascatur?  
lib. 3. p. 413  
 Mandatum aliena tantum gratia factum,  
an valeat? lib. 3. p. 415  
 Mandatum an debeat esse gratuitum?  
lib. 3. p. 420  
 Mandatum an inducatur per verbum Com-  
mendo? lib. 3. p. 413  
 Mandatum an obligationem inducat, quod  
mandatarii tantum gratia factum est? lib.  
3. p. 416  
 Mandatum contra bonos mores an valeat?  
lib. 3. p. 417  
 Mandatum quibus modis dissolvatur? lib.  
3. p. 418  
 Mandatum quid & quotuplex? lib. 3. p. 413  
 Mandatum quomodo fieri possit aut de-  
beat? lib. 3. p. 419  
 Mansuetæ animalia quæ? lib. 2. p. 109  
 Manumissio in fraudem creditorum facta,  
quando intelligatur? lib. 1. p. 21  
 Manumissio non tribuit justam libertatem,  
nisi concurrent tria, ætas manumissi legitima,  
dominium manumissionis legitimum, &  
modus manumissionis legitimus, lib. 1. p. 22  
 Manumissio non officit natalibus, lib. 1. p. 16  
 Manumissio quid? lib. 1. p. 17  
 Manumissionis modi qui? lib. 1. p. 18  
 Manumissionis modus legitimus qui? lib.  
1. p. 19  
 Manumissionis ætas quænam esse debuit?  
lib. 1. p. 23  
 Maritus an possit esse curator uxoris? lib.  
2. p. 93
- Maritus non potest liberè disponere de  
fundo dotali, lib. 2. p. 155  
 Mater an succedat filio, & quam varia fuer-  
int circa illam successionem iura? lib. 3. p. 312  
 Mater quæ p̄xterita est in substitutione  
pupillari, an possit movere inofficio que-  
relam? lib. 4. p. 580  
 Matreterta adoptiva nulla est, lib. 1. p. 36  
 De Matre aliquando maligna suspicio est,  
lib. 4. p. 579  
 In Matrimonio filii cur requiratur consen-  
sus patris, id probatur certa & generali ra-  
tione civili, lib. 1. p. 31  
 Matrimonium ad Morganaticam quid?  
lib. 2. p. 154  
 Matrimonium an veram inducat societa-  
tem inter conjuges? lib. 3. p. 408  
 Inter Matrem & filios vulgo quæstos, an  
jus succedendi locum habeat? lib. 3. p. 317  
 Medici an ex imperitia sua teneantur?  
lib. 4. p. 458  
 Medici & Judicis per imperitiam peccan-  
tium differentia, lib. 4. p. 472  
 Medici excusantur à tutela & curatele,  
sed non omnes indistincte, lib. 1. p. 91  
 Medicorum nomine etiam intelliguntur  
Chirurgi & Pharmacopæi, lib. 4. p. 458  
 Melius est intacta iura alicujus servare,  
quam post vulneratam causam remedium  
querere, lib. 1. p. 98  
 Merces Advocatorum quo nomine appelle-  
tur? lib. 2. p. 150  
 Miles qui in ipso prælio moriendi, litteris  
sanguine suo rutilantibus hæredem scripse-  
rit, an recte testatus videatur? lib. 2. p. 173  
 Miles quis? lib. 2. p. 172  
 Militare testamentum valet post missiōnem  
intra annum, lib. 2. p. 175  
 Milites magis arma quam leges fecire in-  
telliguntur, lib. 2. p. 172  
 Milites muti aut ferdi restari possunt,  
etiam si non impetrant remissionem sole-  
nium, lib. 2. p. 174  
 Milites possunt negligere in testamento  
juris solemnia & præcepta, lib. 2. p. 173  
 Militia quadruplex, armata, sciera, to-  
gata, & palatina, lib. 2. p. 160  
 Militis sola voluntas in testando spectatur,  
lib. 2. p. 188  
 Militis testamentum non sit irritum per mi-  
nimam ipsius capitis diminutionem, lib. 2. p. 176  
 Militis testamentum non valet, nisi con-  
tet de seria ipsius voluntate, lib. 2. p. 174  
 Militum pecuniae quædam olim in castris  
servabantur, lib. 2. p. 253  
 Minor an restituatur adversus libertatem  
a se datum? lib. 4. p. 586  
 Minoribus qui in spontanea, sui ipiorum

- venditione & ammissione libertatis, lœhi sunt,  
cur leges non succurrant? lib. 1. p. 15
- Misilia quid? lib. 2. p. 126
- Modi acquirendi dominii per universitatem,  
lib. 2. p. 103
- Modi civiles acquirendi dominii sigillatio-  
nem, oculo, lib. 2. p. 139
- Modi omnes acquirendi dominii jure gen-  
tium constituti, revocantur ad quatuor,  
lib. 2. p. 165 & seqq.
- Modus citandi textus juris civilis, Proleg. x
- Modus quid, & quis sit ejus eff. Etius? lib.  
2. p. 254
- Moneta argentea per certicepit Romæ au-  
no urbis conditæ, 85, & aurea anno 62. p. st  
argenteam, lib. 3. p. 436 & 437
- Moneta quid, unde dicta, & quotuplex?  
ibid.
- Mons sacer cur sic dictus? Proæm. xix
- Mores quid, & cur appellantur jus con-  
fensu receptum? lib. 3. p. 342
- Le mort saist le vif, lib. 2. p. 227
- Mos Romanorum in tradendis pecunia, &  
quæ varie species pecunia apud ipsos,  
lib. 3. p. 435. & 436
- Mulieres jus comitiorum non habebant,  
lib. 2. p. 165
- Mulieribus Romanis maximo dedecori tri-  
buebatur, si vinum bibissent, lib. 2. p. 290
- Muliones vel eorum ductores, qui pro-  
pter imperitiam aut infirmitatem, equum aut  
malum retinere non potuerunt, an eo no-  
mine teneantur? lib. 4. p. 458
- In Munerum excusationibus, filii eman-  
cipati patri prosunt, jure civili, lib. 3. p. 299
- Mutatio in legibus non est reprehensibili-  
lis, lib. 1. p. 12
- Mutui, depositi, commodati, & pignoris  
nomina quo modis sumantur? lib. 3. p. 356
- Ex Mutuo quænam oritur actio? lib. 3. p. 353
- Mutuum & comnodatum in quo conve-  
niunt? ibid.
- Mutuum quid, unde dictum, & in quibus  
rebus consistat? ibid.
- N**Autæ, caupones & stabularii, quorum  
facta præstare debeant? lib. 4. p. 474
- Negotiorum gestio quid? lib. 3. p. 422
- Ex Negotiorum gestione quænam actio  
oritur? ibid.
- Negotiorum gestor quid præstare tene-  
atur? ibid.
- Negotiorum gestor quomodo à procura-  
tore differat? ibid.
- Nemini permittendum est, ut petat quod  
possidet, lib. 2. p. 234
- Nemini creditur suspectus propter solâ pau-  
peratatem, sed propter solos mores, lib. 1. p. 23
- Nepos ex filio an avia sue succedat cum  
filio defuncto, & pro qua parte? lib. 1. p. 36
- Nepos ex filio cur non est in potestate  
ejus, sed avi? lib. 1. p. 30
- Nepos post mortem avi conceptus, an ei  
possit succedere, saltem jure cognationis?  
lib. 3. p. 301
- Nepotes ex filiabus an suis hereditibus ad-  
numerentur? lib. 3. p. 305
- Nepotes patrem mortuum repræsentant  
in avi & aliorum ascendentium successione,  
lib. 3. p. 297
- Nepotibus quomodo succedant hodie avi  
& avie, a iisque ascendentibus paterni vel ma-  
terni? lib. 3. p. 340
- Nescire litteras quid? lib. 1. p. 88
- Nihil agere & otioum esse, quomodo  
differant? lib. 1. p. 21
- Nomen quid, & unde dictum? lib. 2. p. 205
- Nomina secundum usum, non secundum  
viam suam interpretanda sunt, lib. 2. p. 209
- In nomine Domini quid? Proæm. xiv
- Nota quid? Proæm. xxiv
- Notarii an possint donationem inter vivos  
accipere pro absente? lib. 3. p. 376
- Notarios quis? Proæm. xxvi
- Notarum commoda & incommoda, ibid.
- Novatio quid? lib. 3. p. 433
- In Novatione quid exprimendum sit? lib.  
3. p. 434
- Per Novationem pena promissa, usuræ ex  
ea causa debitæ, privilegium prioris actionis,  
pignorum denique & fidejussionum obli-  
gationes tolluntur, ibid.
- Novelle quæ, cur ita dictæ, cur etiam  
dictæ Authentice, & in quo collatione dis-  
vise? Proleg. viij
- Novum dicitur non tantum quod est re-  
cens, sed etiam quod est insigne & nota-  
bile, lib. 1. p. 22
- Noxales actiones an sicut Civiles vel Piz-  
torum? lib. 4. p. 519
- Noxales actiones quid, unde dictæ, & cur  
inductæ? lib. 4. p. 518
- In Noxali actione quando cessat facultas  
Noxæ deditiois? ibid.
- Noxalis actio an detur domino in servum  
suum, saltem post alienationem? lib. 4. p. 520
- Noxalis actio an detur ex filii delicto ad-  
versus patrem? lib. 4. p. 521
- Noxia & Noxa quomodo differant? lib.  
4. p. 518
- Numa Pompilius æs eudi Romæ primus  
jusit, lib. 3. p. 436
- Nummi alieni, si mutui dati fuerint, an  
obligatio consistat? lib. 4. p. 590
- Nummi aurei valor, lib. 3. p. 437
- Nummici centū & aureus un⁹ idem sunt, ibid.

- Nummi unde dicti? lib. 3. p. 435  
 Nuptiæ an impediuntur dissoluta adoptio-  
 ne inter ascendentes & descendentes, vel  
 inter collaterales? lib. 1. p. 35  
 Nuptiæ an possint contrahiri cum filia fra-  
 tris vel sororis naturalis? lib. 1. p. 34  
 Nuptiæ an possint contrahiri inter com-  
 privignos? lib. 1. p. 38  
 Nuptiæ deportatione solvuntur, non ve-  
 rò matrimonium, lib. 1. p. 64  
 Nuptiæ inter consobrinos an sint prohi-  
 bitæ, secundum diversitatem temporum ac  
 locorum exponitur? lib. 1. p. 35  
 Nuptiæ, matrimonium & conjunctio qua-  
 tenus differant? lib. 1. p. 29  
 Nuptiæ permittuntur cum filia sororis  
 adoptivæ, non cum filia fratri adoptivi, &  
 quæ sit ratio diversitatis? lib. 1. p. 23 & 34  
 Nuptiæ prohibentur inter personas qua-  
 parentum vel liberorum locum inter se ob-  
 tinent, lib. 1. p. 46  
 Nuptiæ quid? lib. 1. p. 29  
 Nuptiæ in quo gradu prohibeantur Jure  
 Civili & Canonico? lib. 1. p. 37  
 Nuptiarum impedimenta, lib. 1. p. 31  
 Ad Nuptias ritè contrahendas quæ condi-  
 tiones requirantur? ibid.  
 Nuptiis impedimenta præstant tutela, of-  
 ficium & nobilitas, lib. 1. p. 49  
 In Nuptiis jussus parentum quid significet,  
 & cur in Nuptiis filiorum consensus paren-  
 tum requiratur? lib. 1. p. 31
- O
- O**blatio Curia quid? lib. 3. p. 295  
 Obligatio annua quomodo differat ab  
 illa quæ quis obligatur dare hoc anno? lib.  
 3. p. 386  
 Obligatio antidotalis, lib. 3. p. 350  
 Obligatio naturalis impropriè dicitur  
 Obligatio, ibid.  
 Obligatio naturalis & civilis quomodo  
 distinguantur? ibid.  
 Obligatio per quas personas nobis acqui-  
 situr? lib. 3. p. 428  
 Obligatio quibus modis tollitur? l.3. p. 429  
 Obligatio quid & quotuplex? lib. 3. p. 350  
 Une Obligation doit être causée, lib. 3. p. 385  
 Obligationes quænam dicantur re con-  
 trahi? lib. 3. p. 352  
 Obligationes sunt matres actionum, lib.  
 3. p. 349  
 In Obligationibus ex causa adventitia à  
 filiofamilias acquisitis, cuinam actio com-  
 petat? lib. 3. p. 427  
 Obligationum divisio duplex, lib. 3. p. 350  
 Obligationum substantia in quo consistat?  
 lib. 3. p. 427  
 Octava pars singulorum legatorum distin-
- guenda est ab octava omniam bonorum,  
 lib. 2. p. 264  
 Occupatio quæ & quotuplex? lib. 2. p. 106  
 De Officio Judicis circa actiones mere per-  
 sonales, cur speciale præceptum nullum à  
 Justiniano traditum est? lib. 4. p. 554  
 De Officio Judicis præceptum generale,  
 lib. 4. p. 553  
 Officio Judicis quomodo fructus debeantur  
 in petitione hæreditatis, & in rei vin-  
 dicatione? lib. 4. p. 555  
 Officio Judicis quomodo puniatur qui me-  
 tiri agros passus non est? lib. 4. p. 558  
 Officium Judicis circa actionem ad exhibi-  
 bundum, lib. 4. p. 556  
 Officium Judicis circa actiones communi  
 dividendo, familiæ erescundæ, & finium  
 regundorum, lib. 4. p. 557  
 Officium Judicis circa actionem noxalem,  
 lib. 4. p. 554  
 Officium Judicis circa rei vindicationem,  
 lib. 4. p. 555  
 Officium Judicis mercenarium quid? lib.  
 4. p. 553  
 Officium Judicis nobile quid? ibid.  
 Officium Judicis quid, unde dictum, &  
 quotuplex? ibid.  
 Omissio quid? lib. 2. p. 227  
 Onerare hæreditatem legatis quid? lib.  
 2. p. 262  
 Onus probandi an incumbat hæredi vel  
 legatario, quoties ambigitur de mutata tes-  
 tatoris voluntate? lib. 2. p. 238  
 Operæ artificiales & officiales libertorum  
 quomodo differant? lib. 3. p. 343  
 Operæ libertorum quid, & an capitis di-  
 minutione pereant? lib. 3. p. 342  
 Operæ officiales an debeantur patrono ci-  
 viliter vel naturaliter? lib. 3. p. 343  
 Operæ quandonam debeantur? ibid.  
 Operæ servi legatæ, & operæ libertorum  
 patronis debitæ, quomodo distinguantur?  
 ibid.
- Operæ servi legatæ cum usu vel ususfructu  
 servi legato, quatenus convenienter, &  
 quatenus ab utroque discrepant? lib. 2. p. 137  
 Operæ servi legatæ magis in facto quam  
 in jure consistunt, ibid.  
 Operarum legatum an morte legatarii  
 extingnatur? lib. 2. p. 138  
 Optione servi vel electione legatæ, utrum  
 optimus eligi possit? lib. 2. p. 248  
 Optionis legatum erat olim conditionale,  
 hodie perum est, ibid.  
 Oratio D. Pertinacis quatuor habent ca-  
 pita, lib. 2. p. 211  
 Oratio Justiniani præfixa Institutioni-  
 bus, an debet appellari Procœnum vel

- confirmatio Institutionum? Proem. xiiij  
 Oratores duo, Octavius & Hypsæus, necabant singuli clientibus suis propter suam Juris ignorantiam, lib. 4. p. 506  
 Ordo mortalitatis turbatur, si parentes liberis suis superstites sint, lib. 2. p. 291
- P
- P**æsto Honorii Imperatoris cum Vandalis, lib. 4. p. 532  
 Pactum ita justum putatur, ut iuri præstatre dicatur, lib. 2. p. 263  
 Pactum nudum quid? lib. 3. p. 351  
 Padum quid? ibid.  
 Pactum vulgare in pignore, lib. 2. p. 156  
 Pædagogus quis? lib. 1. p. 24  
 Papinianistæ qui? Proem. xx  
 Parapherna quid? lib. 2. p. 156  
 Parentes & patroni quam cautionem præstant filio vel liberto? lib. 4. p. 528  
 Paricidii & Paricidi differentia, lib. 4. p. 563  
 Paricidii poena quæ? ibid.  
 Paricidii poena vetus quare appelleretur nova, & quare Legi Pompeiæ tribuatur? ibid.  
 Paricidium quid? ibid.  
 Pars vacans in hereditate cui acquiratur? lib. 2. p. 194  
 Pars virilis, lib. 3. p. 369  
 Particula tamquam & particula velutina quam vim habeant, ex fide historiæ demonstrator, lib. 4. p. 583  
 Particulae tam & quam sappissime vices mutant, lib. 2. p. 247  
 Partus abortivus non rumpit testamentum, lib. 2. p. 185  
 Partus est portio viscerum matris, lib. 1. p. 15  
 Pater an filio succedat, & quo iure? lib. 3. p. 312  
 Pater an nepotem ex filio possit emancipare, vel in adoptionem alteri dare, vel adoptare in locum nepotis invito filio? lib. 1. p. 54  
 Pater an recte adhibeatur testis in testamento filii? lib. 4. p. 581  
 Pater & filius recte in alieno testamento simul testes adhibentur, ibid.  
 Pater & mater in quibus convenienter aut differant? lib. 4. p. 579  
 Pater filium an possit vindicare? lib. 2. p. 178  
 Pater jure novo non habet usum fratribus in bonis filiorum adventitiis, quæ ex fratri vel sororis successione consequuntur, lib. 3. p. 340  
 Paterfamilias quis, & unde dictus? lib. 1. p. 26  
 Patri in filios antiquitus jus vitæ & necis competit, lib. 1. p. 30  
 Patria potestas an morte patris vel avi extinguitur? lib. 1. p. 50  
 Patria potestas an per matrimonium dissolvatur? lib. 4. p. 465  
 Patria potestas an sit juris civilis? lib. 1. p. 28
- Patria potestas civilis ex quo iure oritur? lib. 1. p. 29  
 Patria potestas eui Patriciatu dissolvatur? lib. 1. p. 52  
 Patria potestas duplex, naturalis & civilis, lib. 1. p. 28  
 Patria potestas quibus modis solvatur? lib. 1. p. 29  
 Patria potestas quid? ibid.  
 Patriæ potestaris constituendæ modi tres, nuptiæ, legitimatio, & adoptio, lib. 1. p. 28  
 Patriæ potestatis effectus quinam sint? lib. 4. p. 579  
 Patrici multi simul fuere, lib. 1. p. 51  
 Patrici quot modis dicantur? ibid.  
 Ex Patrimonio nostro quænam res abesse dicantur? lib. 4. p. 490  
 Patroni melior fuit conditio in successione libertæ quam liberti, & cur? lib. 3. p. 327  
 Patroni cur melior fuit conditio quam Patronæ in successione liberti? ibid.  
 Patronus an filio naturali vel adoptivo liberti in ejus successione præferatur? ibid.  
 Pauci admodum sunt qui philosophentur, lib. 1. p. 91  
 Pauperies quid sit? lib. 4. p. 522  
 Pecudum numero quænam esse dicantur? lib. 4. p. 455  
 Peculatus crimen à crimine repetundarum differt, lib. 4. p. 565  
 Peculatus crimen quo tempore finiatur? lib. 4. p. 568  
 Peculatus quid, & quæ ejus poena? lib. 4. p. 565  
 Peculia omnia filiorum familias, florente Republicâ Româna, patri acquirebantur indistinctè, lib. 2. p. 160  
 Peculia omnia filiorum familias paganica acquiruntur patri indistinctè jure Pandectarum, ibid.  
 Peculiares merces quæ? lib. 4. p. 513  
 Peculi legati accessiones ad quem pertinent? lib. 2. p. 142  
 Peculii legatum extinguitur, si mortuus sit servus, qui cum peculio legatus est, lib. 2. p. 142  
 Peculii nomine quid continetur? lib. 4. p. 514  
 De Peculio servi ordinarii en deducendum sit quod debet vicario suo? ibid.  
 Peculum adventitium filiorum familias quid sit, & ad quem pertinet? lib. 2. p. 160  
 Peculum an debeatur servo qui testamento manumissus est sine villa mentione peculii? lib. 2. p. 245  
 Peculum castrense aut quasi-castrense ad quem pertinet mortuo filio? lib. 2. p. 178  
 Peculum quasi-castrense habere, & de eo testari, quibus concessum est? lib. 2. p. 376

- Peculum filiisfamilias profectitum cuius  
sit? lib. 2. p. 160
- Peculum intelligitur legatum servo ma-  
numissi, si dominus iussicerit, ut ex Peculio  
suo reliqua inferret, lib. 2. p. 245
- Peculum non ademptum servo inter vivos  
manumissi, an ipsi debeatur? lib. 2. p. 161
- Peculum paganum quid, & quotuplex?  
lib. 2. p. 160
- Peculum profectitum quid? ibid.
- Peculum quid? ibid.
- Si Peculum servo suo dominus legaverit,  
an possit servus pecuniam repetrere, quam in  
rationes dominicas impedit? lib. 2. p. 245
- Peculum triplex, paganum, castrense,  
& quasi-castrense, lib. 2. p. 160
- Peculum unus generis est in servis, sed  
multiplex in filiisfamilias, ibid.
- Pecunia cur sic dicta? lib. 3. p. 435
- Pecunia nomine quid continetur? ibid.
- Pecunias quo anni tempore solebant Anti-  
quifexori collocare vel exigere? lib. 4. p. 386
- Pensio an remittatur colonis propter ste-  
silitatem? lib. 3. p. 405
- Pensio quid sit, & unde dicta? lib. 4. p. 585
- Perendinus dies quis? lib. 4. p. 489
- Periculum evictionis semper ad vendito-  
rem pertinet, lib. 3. p. 400
- Periculum publicationis an ad emptorem  
vel ad venditorem pertineat? ibid.
- Periculum quotuplex? lib. 3. p. 399
- Periculum rei venditæ ad quem pertineat in  
venditione pura vel conditionaliter? lib. 3. p. 398
- Periculum vini venditi ad quem perti-  
neat? lib. 3. p. 401
- Perjurii necessitas quomodo imponatur te-  
merario litiganti? lib. 4. p. 551
- Permutatio quid? lib. 4. p. 498
- Perpetui nomen variis modis accipitur,  
lib. 4. p. 569
- Personam caput vocatur, lib. 1. p. 63
- Personarum divisio duplex, lib. 1. p. 13
- Personarum enumeratio per quas domi-  
nium acquirimus, lib. 2. p. 159
- Philosophari quid? lib. 1. p. 91
- Phœnices inventores litterarum, Proleg. xj
- Pictura an cedat tabulæ, vel contrâ? lib.  
2. p. 119
- Pignoratitiae actionis nomen pro hypothe-  
caria interdum sumitur, lib. 4. p. 484
- Ex Pignoris contractu quænam actio oria-  
tur? lib. 3. p. 357
- Pignoris obligatio interdum pro aliena-  
tione habetur, lib. 2. p. 232
- Pignus naturale quid? lib. 2. p. 289
- Pignus olim vendebatur creditori con-  
tractâ fiduciâ, lib. 2. p. 156
- Pignus Prætorijum quid? lib. 1. p. 64
- Pignus quid, unde dictum, & in quo dif-  
ferat ab hypotheca? lib. 3. p. 357
- Pileum est insigne libertatis, lib. 2. p. 289
- Placere quid? lib. 1. p. 8
- Plagii pena quæ? lib. 4. p. 565
- Plagiam quid, & quomodo à furo dif-  
ferat? ibid.
- Plebis nomine quid significetur? Proleg. iv
- Plebisita quid, & quare interdum appelle-  
lentur Leges? lib. 1. p. 8
- Plus causâ petere quid? lib. 4. p. 506
- Plus petere loco, ibid.
- Plus petere re, quid? ibid.
- Plus petere tempore, ibid.
- Plus petitionis pena quæ sit, antiqua &  
nova? ibid.
- Plus petitur multis modis, ibid.
- Pœna capitalis an sit quæ solam adimit  
civitatem? lib. 4. p. 442
- Pœna conventionalis an possit duplum ex-  
cedere? lib. 3. p. 383
- Pœna ejus qui vi dejecti alterum, lib. 4.  
p. 548
- Pœna pecuniaria quænam sit temerè liti-  
gantis? lib. 4. p. 551
- Pœna temerè litigantium quotuplex? ibid.
- Pœna tripli in quibus causis imponitur  
temerario litiganti? lib. 4. p. 552
- Pœna illicitarum nuptiarum, lib. 1. p. 40
- Populi & plebis differentia, lib. 1. p. 8
- Portæ civitatis an sint sanctæ? lib. 2. p. 105
- Portus quid? lib. 2. p. 101
- Positum vel suspensum quid? lib. 4. p. 473
- Possessio an continuetur inter defunctum  
bonâ fide possidentem, & ejus hæredem qui  
malam fidem habet? lib. 2. p. 148
- Quæ possessio in usucacione requiriatur?  
lib. 2. p. 139
- Possessio quomodo acquiratur & amitta-  
tur? lib. 4. p. 547 & 548
- Possessor an possit agere actione in rem?  
ibid.
- Postliminium quid? lib. 1. p. 52
- Posthumus sui & alieni quid sunt, & quo-  
modo differant? lib. 2. p. 185
- Quasi Posthumus Velleianus, ibid.
- Ad Posthumos alienos an pertineat regula  
vulgaris, Qui sunt in utero? lib. 2. p. 251
- Posthumos exhæredandi formula, lib. 2. p. 184
- Quasi-Posthumos Velleianos exhæredan-  
di formula, ibid.
- Posthumus alienus hæres institui olim po-  
terat, & nunc potest, lib. 2. p. 251
- Posthumus nihil est aliud quæni posterior  
& postremus, lib. 2. p. 184
- Posthumus quis? ibid.
- Potestas quotuplex? lib. 1. p. 26
- Potestatis dominice effectus, & quibus

- Legibus restricta? lib. 1. p. 27  
 PP. quid significent? Proæm. xxij  
 Pæceptores, parentum loco sunt, lib.  
 2. p. 287  
 Prædia minorum & mancipia sine decreto  
 alienari non possunt, lib. 2. p. 158  
 Prædium quid, unde dictum, & quo-  
 plex? lib. 2. p. 128  
 Prædium rusticum quid? lib. 2. p. 129  
 Prædium urbanum quid? lib. 2. p. 130  
 Prajudiciales actiones an sint civites vel  
 Pætoria? lib. 4. p. 487  
 Prajudiciales actiones an sint in perso-  
 nam vel in rem? ibid.  
 Prajudicialis actio an sola moveri possit,  
 quid sit, & quoquplex? ibid.  
 Prajudicium quid sit, & unde dictum? ibid.  
 Prædictio longi temporis, lib. 2. p. 140  
 Præscriptio quid sit ex vi vocabuli? ibid.  
 Præscriptio vigilati annorum in criminibus,  
 Amplissimi Ordinis decretis confir-  
 mata, lib. 4. p. 569  
 Qui Præscriptionem acquirit, non ideo  
 sit dominus, lib. 2. p. 149  
 Præstare promiscuè accipitur promittuum  
 dare & commodare, lib. 4. p. 571  
 Præstare quid sit? ibid.  
 Præsumptiones non excludunt probatio-  
 nem, lib. 3. p. 382  
 Præteritio filiorum testamentum patris ipso  
 jure infirmat, non vero testamentum ma-  
 tris, jure Institutionum, lib. 2. p. 214  
 Præteritio liberorum in testamento mil-  
 lis pro exhæredatione nominatum facta ha-  
 betur, si modò sciverit se habere liberos,  
 lib. 2. p. 188  
 Præteritio matris & avi materni tantum fa-  
 cit quantum exhæredatio patris, sive scive-  
 rint, sive ignoraverint se liberos habere, ibid.  
 Præteritio quid? lib. 2. p. 182  
 Præteritus an dicatur ille, cui legatum  
 relictum est? ibid.  
 Prætextati & Prætextata, qui quæve  
 olim fuerint? lib. 4. p. 485  
 Prætor fideicommissarius quis? lib. 2. p. 266  
 Prætoris edictum de successione liberto-  
 rum, lib. 3. p. 329  
 Prætoris nomen omnibus Magistratis  
 commune est, lib. 1. p. 10  
 Prætoris urbani & Prætoris peregrini Ju-  
 risfictio, ibid.  
 Precarium quid? lib. 3. p. 355  
 Præter le reliqua, quid? lib. 2. p. 246  
 Pretia servorum testamento manumissionum  
 cur deducantur ex bonis in ponenda ratio-  
 ne Legis Falcidiæ? lib. 2. p. 264  
 In Pretio rei, res ipsa non continetur,  
 lib. 2. p. 234
- Princeps ex nuda voce hereditatem aut  
 legatum non vult accipere, lib. 2. p. 213  
 Princeps licet Deo praestante possit omnia,  
 sola tamen sibi siccere credit laudanda, ibid.  
 Princeps recusat hereditatem quæ ei de-  
 fuit lite perplexa, lib. 2. p. 212  
 Princeps placitum quid? lib. 1. p. 8  
 Privilegium eorum qui emerunt à fisco,  
 inducum à D. Marco, auctum à Zenone, &  
 à Justiniano extensum, in quibus rebus lo-  
 cum habeat? lib. 2. p. 149  
 Privilegium substituendi dictis verbis fi-  
 lio, post pubertatem, quod militi competit,  
 in quo consistat? lib. 4. p. 582  
 Proculus, quis dicatur? lib. 2. p. 197  
 Procurator, a quo constitutus? lib. 1. p. 82  
 Procurator, quam cautionem hodie pre-  
 tet, & quibus verbis possit constitui? lib. 4.  
 p. 525 & 527  
 Procurator, quid præstat teneatur? lib. 3. p. 414  
 Procurator quis? lib. 3. p. 413  
 Procurator universorum bonorum dispen-  
 sator esse debet, non dissipator, lib. 2. p. 124  
 Procuratore item movente, quid dominus  
 litis pro ipso promittere teneatur? lib. 4. p. 527  
 Prodigi furiosi equiparantur, lib. 1. p. 80  
 Prodigus, cui bonis interdictum est, cur  
 testari non possit? lib. 2. p. 179  
 Prodigus non modo censetur, nisi ab eo tempo-  
 re quo bonis ei interdictum est, lib. 1. p. 80  
 Prolytæ qui? Proæm. xx  
 Promissor facti alieni quando obligetur  
 stipulanti? lib. 3. p. 375  
 Procœmia an legib. convenient? Proæm. xxij  
 Procœmum quid? ibid.  
 Proprietes an alicui legari possint? lib. 2. p. 237  
 Provinciæ Imperii Romani, duplicitis ge-  
 nericis erant, lib. 2. p. 123  
 Provinciæ juris scripti & non scripti, quæ  
 sint in Gallia? Proleg. ix  
 Proximus an possit aliquis dici, cum non  
 extant remotores? lib. 3. p. 310  
 Puberis nomen commune est utriusque sexu,  
 lib. 1. p. 76  
 Pubertas duplex, prima & plena, lib. 3. p. 378  
 Puberatti proximi, qui? ibid.  
 Pubes masculus dicitur vesticeps, & quare?  
 lib. 1. p. 77  
 Publicatio quid, cùm agitur de periculo  
 rei venditæ? lib. 3. p. 400  
 Publicatio quid, cùm agitur de solutione  
 societatis? lib. 3. p. 411  
 Publicæ honestatis contemplatio inter quas  
 personas impedit matrimonium? lib. 1. p. 38  
 Publicæ res, quæ? lib. 2. p. 101  
 Publicana in rem ægio, quæ? lib. 4. p. 479  
 Publicanus resellitoria quæ, & quibus de-  
 tur? lib. 4. p. 480

- Publicum aliquid potest dici multis modis, lib. 1. p. 86  
 Pulsare & verberare quomodo differant? lib. 4. p. 468  
 Pupillaris aetas in tres gradus distinguitur, lib. 3. p. 378  
 Pupilli ab imponeribus filiis familiis maxime distinguendi sunt, ibid.  
 Papilli & furiosi an sint propriè intestati? lib. 3. p. 294  
 Papillum arrogare cui licet? lib. 1. p. 44  
 Pupillus an ex mutuo obligetur sine auctoritate tutoris? lib. 3. p. 353  
 Pupillus cum tutoris auctoritate potest contrahere, non vero testari, lib. 2. p. 179  
 Pupillus nummos, quos dedit mutuos, cur potest petere per actionem ad exhibendum, si mala fide consumpti sint? lib. 2. p. 158  
 Pupillus nummos, quos mutuos dedit, potest viadicare, si extant, ibid.  
 Pupillus quod debet an recte solvat? ibid.  
 Purpura intelligitur extincta, si alieno vestimento intexta sit, lib. 2. p. 115
- Q**ualans quid? lib. 2. p. 193  
**Q**uae sunt eadem unitertio, sunt eadem inter se, lib. 1. p. 38  
 Questio Domitiana quæ, & unde dicta? lib. 3. p. 391  
 Questio falsi incidentis in actione civili an tollatur prescritione viginti annorum? lib. 4. p. 569  
 Quantitas aliquando legatur quasi certum corpus, lib. 2. p. 252  
 Quantitas patrimonii, ex quo legata erogari oportet, tempore mortis spectanda est, lib. 2. p. 263  
 Quarta D. Pii sen Antoniniana, quæ, & in quibus casibus cessat? lib. 1. p. 44  
 Quarta ex Lege Faecidia heredi aliquando debetur ex pacto, quam alioquin jure detrahente non posset, lib. 2. p. 263  
 Quarta ex SC. Sabiniano quæ? l. 3. p. 303  
 Quarta Trebellianica dicitur ex SC. Pegasiano, & cur ita sit dicta? lib. 2. p. 273  
 Quasi-contractus additionis hereditatis, cui contractus similis sit? lib. 3. p. 425  
 Quasi-contractus quid, & quotuplex? lib. 3. p. 421  
 Ex Quasi delictis filiorum familias an patres teneantur? lib. 4. p. 473  
 Quasi-delictum quid, & quotuplex? l. 4. p. 472  
 Ad Querela in officiis testamenti excluendam, an sufficiat qualiscumque approbatio voluntatis testatoris? lib. 2. p. 217  
 Qui bonis cessit, an possit solidam conveneri? lib. 4. p. 508
- Qui minus petit quam sibi debeat, an periculum sustineat? lib. 4. p. 507  
 Qui occidit alterum causa fortuito, an possit econome conveniri? lib. 4. p. 456  
 Qui praesens patitur se in instrumento scribi tamquam fidejusorem, fidejussisse inteligitur, lib. 3. p. 392  
 In Quibus causis incidiendo lis crescit in duplum, ex his indebet solutum repeti non potest: ejusque juris ratio, lib. 3. p. 416  
 Quincunx, lib. 2. p. 193
- R** Apina quid? lib. 4. p. 452  
 Raptor an levius puniatur quam fur? ibid.  
 Rationes in jure nonnumquam adducuntur ad tollendam tacitam objectionem, non ad probandam decisionem, lib. 2. p. 108  
 In Rebus mobilibus frequens est furtivitium, lib. 2. p. 143  
 In Rebus mobilibus superveniens mala fiducia furtivitium inducebat antiquitus, & impedicabat usucaptionem, lib. 2. p. 144  
 Recasatio quid? lib. 2. p. 227  
 Regula Catoniana, lib. 2. p. 255  
 Rei ambitus qui? lib. 4. p. 565  
 Rei furtivæ vitium quomodo purgetur? lib. 2. p. 146  
 Rei nomen interdum factum significat, lib. 3. p. 417  
 Rei repetundarum qui, quomodo puniantur, & quomodo differant a reis peculatus? lib. 4. p. 565  
 Relagatio quid, & quomodo differat a deportatione? lib. 1. p. 50  
 Religiosa loca quomodo sicut Jure Civili & Canonico? lib. 2. p. 104  
 Reliqua quid? Reliquatores qui? l. 2. p. 246  
 Renuntiatio societatis debet fieri legitimè non fraudulententer, lib. 3. p. 410  
 Renunciator fraudulentus quomodo puniatur? lib. 3. p. 411  
 Replicatio quid? lib. 4. p. 541  
 Repudiatio quid? lib. 2. p. 227  
 Rerum denominaciones desumuntur potissimum ex his, quæ ut plurimum evinentur, lib. 2. p. 131  
 Rerum immobilium furtum non fit, carumque ideo facilius est usucatio, lib. 2. p. 144  
 Rerum mancipi & non mancipi differentia antiqua, & quomodo sublata? lib. 2. p. 142  
 Rerum mobilium difficilis est usucatio, non tamen impossibilis, lib. 2. p. 144  
 Rerum, quarum vitium obstat usucacioni, enumeratio, lib. 2. p. 142 & 145  
 Res corporales & incorporales quid sint, & quomodo res corporales subdividuntur? lib. 2. p. 127.

- Res divini & humani juris , lib. 2. p. 100.  
 Res extra patrimonium nostrum quæ , &  
 quomodo distinguantur à rebus alienis? ibid.  
 Res in patrimonio nostro quæ , & quomodo  
 distinguantur à rebus propriis? ibid.  
 Res integra , lib. 3. p. 418. & 434.  
 Res judicata ex falsis instrumentis an sit  
 retractationi obnoxia ? lib. 1. p. 53.  
 Res mobiles , quæ venduntur à non domi-  
 no , s̄p̄e sunt immunes à vitio furtivo , lib.  
 2. p. 144.  
 Res nullius dupli modo dicuntur, lib. 2. p. 103.  
 Res obligatæ , sunt quodammodo alienæ ,  
 lib. 2. p. 233.  
 Res pro derelicto habitæ , an possiat usu-  
 capi ? lib. 2. p. 126.  
 Res quædam sunt in patrimonio nostro ,  
 quæ interdum non sunt in commercio quo-  
 sumdam hominam , lib. 2. p. 100.  
 Res sacræ & prophaneæ quid sint ? l. 2. p. 103.  
 Res sanctæ quæ ? lib. 2. p. 104.  
 Res vitiosa quæ , in usucaptionibus ? l. 2. p. 142.  
 Rescribere est reddere debitum , l. 3. p. 430.  
 Rescriptum Principis in Gallia necessarium  
 est in omnibus rescissionibus , lib. 1. p. 94.  
 Responsa prudentum an sint jus scriptum ,  
 vel non scriptum ? Proleg. vij.  
 Responsa prudentum quid ? lib. 1. p. 10.  
 Retentio quartæ & retentio rei certæ in qua  
 continetur quartæ , valde differunt , l. 2. p. 274.  
 Reus quis ? lib. 3. p. 366.  
 Rhetorica apud Romanos ab initio prohi-  
 bita fuit , lib. 2. p. 287.  
 Ripa quid , cuius sit , & an estimetur ex  
 maxima aquarum extensione , sicut littora ,  
 lib. 2. p. 102.  
 Roma communis omnia patria , l. 1. p. 91.  
 Rubrice quid , & unde dicta ? Proleg. xi.  
 Ex Rubricis , quando argumentum deduci  
 potest ? Proleg. xij.
- S
- S**apientes Ethnici unicum tantum crede-  
 bant Deum , & invocabant , lib. 2. p. 186.  
 Per Sationem dominiam transfertur eorum  
 quæ sata sunt , lib. 2. p. 118.  
 Satisfatio de rato , quid ? lib. 4. p. 527.  
 Satisfatio judicatum solvi , ibid.  
 Satisfatio quid , & quomodo differat à nu-  
 da cautione ? lib. 1. p. 83.  
 Satisfationum modus quis olim fuerit in  
 reo & procuratore ejus , in actione in rem ?  
 lib. 4. p. 526.  
 Satisfationum , quæ in iudicio præstantur ,  
 modus quotplex ? ibid.  
 Scribere est mutuum sumere , lib. 3. p. 430.  
 Scriptura an chartæ fedat ? lib. 2. p. 119.  
 Semis quid ? lib. 2. p. 193.  
 Senator an possit uxorem ducere liberi-
- nam ? lib. 1. p. 39.  
 Senatusconsulta quid , & unde dicta ? l. 1. p. 8.  
 Senatusconsulti Pegasiani capite primo &  
 secundo quid cautum sit ? lib. 2. p. 269.  
 Senatusconsulti Silianiani accusatio quibus  
 casibus intra quinquennium fuiatur ? l. 4. p. 567.  
 Senatusconsulti Trebelliani tria hodie sent  
 capita , lib. 2. p. 272.  
 Senatusconsulto Damusiano quid cautum  
 sit ? lib. 2. p. 278.  
 Senatusconsulto Macedoniano quid statu-  
 tum fuerit ? lib. 4. p. 517.  
 Ex Senatusconsulto Trebelliano quodam-  
 modo effectum est , ut actiones utiles fidei-  
 commissario & adversus fideicommissarium  
 competant , lib. 2. p. 268.  
 Ex Senatusconsulto Trebelliano , hæres di-  
 rectus securus factus est : fideicommissarius  
 verò loco hæredis fuit , ibid.  
 Ex Senatusconsulto Velleiano , mulier pro  
 alio intercedere non potest , lib. 3. p. 389.  
 Ad Senatusconsultum faciendum , quor  
 Senatores requirentur ? lib. 1. p. 8.  
 Senatusconsultum Largianum , l. 3. p. 331.  
 Senatusconsultum Libonianum , l. 4. p. 564.  
 Senatusconsultum Macedonianum an lo-  
 cum habeat in eo , qui paterfamilias ab om-  
 nibus creditur ? lib. 4. p. 588.  
 Senatusconsultum Macedonianum quibus  
 præcipue casibus cessat ? lib. 4. p. 517.  
 Senatusconsultum Macedonianum unde  
 dictum ? ibid.  
 Senatusconsultum Ophytianum & Tertyl-  
 lianum in quibus differant & conveniant ?  
 lib. 3. p. 317.  
 Senatusconsultum Pegasianum in Trebel-  
 lianum à Justiniano transpositum est , l. 2. p. 272.  
 Senatusconsultum Tertillianum , qui il-  
 lius casus , & quomodo à Justiniano amplia-  
 tum est ? lib. 3. p. 313.  
 Senatusconsultum Trebellianum habet lo-  
 cum non solum in toto hæreditate , sed etiam  
 in fideicommissio partis hæreditariæ , l. 2. p. 273.  
 Senatusconsultum Trebellianum quid ?  
 lib. 2. p. 268.  
 Senes cur maximè diligent eos juvenes qui  
 eodem cum ipsis utuntur nomine ? l. 2. p. 287.  
 Sententia Procilianorum & Sabiniano-  
 rum in concordiam adducuntur , l. 2. p. 114.  
 Separatio quid & quotplex ? l. 2. p. 116.  
 Separationi beneficiū non datur servo post-  
 quam attigit bona hæreditaria , l. 2. p. 222.  
 Septunx quid ? lib. 2. p. 193.  
 Servi à liberis hominibus interdum distin-  
 gui non possunt , lib. 2. p. 206.  
 Servi aut nascuntur a t. sunt , & quibus  
 modis ? lib. 1. p. 15.  
 Servi cur hæredes esse non possint ? l. 1. p. 22.

- Servi fugitivi plerumque fures, *l. 2. p. 290*  
 Servi in pistrinis aut lapidicinis pœnas  
luebant, *ibid.*  
 Servi pœnae qui, & unde dicti? *lib. 1. p. 64*  
 Servi possunt esse procuratores ad negotia,  
non ad lites, *lib. 1. p. 24*  
 Servi possunt meliorem domini ignorantis  
conditionem efficere, non verò deteriorem,  
nisi ipse consentiat, *lib. 3. p. 345*  
 Servi qui sunt cubicularii Principis, statim  
liberi & ingenui sunt, *lib. 2. p. 181*  
 Servi qui volebant videri liberi, duplice  
nomine utebantur, *lib. 3. p. 343*  
 Servi sunt animata dominorum suorum  
instrumenta, *lib. 2. p. 136*  
 Servi unde dicti? *lib. 1. p. 15*  
 Servii Sulpitii discipuli sententia præva-  
luit contra sententiam Magistri Qa. Mutii  
Scævolæ, *lib. 3. p. 410*  
 Servilis cognatio impedit contubernium  
inter patrem & filiam servos, *lib. 1. p. 39*  
 Servilis cognatio non impedit nuptias inter  
servos, sed tantum inter libertinos, *lib. 1. p. 38*  
 Servis propriis an legari possit sine liber-  
tate? *lib. 2. p. 289*  
 Servitus altius non tollendi, à servitute  
ne luminibus officiatur quomodo differat?  
*lib. 2. p. 130*  
 Servitus pactionibus constituta non statim  
acquiritur, sed tantum debetur, *lib. 2. p. 131*  
 Servitus personalis quid & quotuplex? *ibid.*  
 Servitus personarum quomodo differat à  
servitute prædiorum? *lib. 2. p. 128*  
 Servitus Prædiorum quotuplex *l. 2. p. 129*  
 Servitus quid? *lib. 1. p. 14*  
 Servitus rustica quid? *lib. 2. p. 128*  
 Servitus stolidiæ aut fluminis recipien-  
di, *lib. 2. p. 130*  
 Servitus testamento constituta, acquiritur  
statim à morte testatoris, *lib. 2. p. 131*  
 Servitus tigni immittendi & oneris ferendi  
quomodo distinguantur? *lib. 2. p. 130*  
 Servitus urbana quid? *ibid.*  
 Servitutes cur vindicari possint? *lib. 4. p. 476*  
 Servitutes quædam communes sunt prædictis  
& personis, *lib. 2. p. 131*  
 Servitutes quomodo constituuntur? *ibid.*  
 Servitutes sunt in bon's, *lib. 2. p. 134*  
 Servitutis nomen æquivocum est, *l. 2. p. 128*  
 Servitutum rusticarum species præcipuæ,  
*ibid.*  
 Servitutum urbanarum variæ species, *lib.*  
*2. p. 129*  
 Servius Commentator Virgilius defenditur,  
*lib. 4. p. 442*  
 Servo alieno via ad fundum domini frustra  
legatur, *lib. 3. p. 368*  
 Servo proprio legari potest hodie sine li-
- bertate, ex nova Justiniani constitutione ,  
 Servi in pistrinis aut lapidicinis pœnas  
*lib. 2. p. 289*  
 Servo tutori dato in testamento sine liber-  
tate, an debeatur directa libertas vel fidei-  
commissaria? *lib. 1. p. 59*  
 Inter Servos quænam sit differentia? *lib.*  
*4. p. 408*  
 Servus actor quis? *ibid.*  
 Servus adulterii cum domina commissi ac-  
censatus, fræstra ab illa hæres instituitur,  
*lib. 2. p. 190*  
 Servus alienus quis? *ibid.*  
 Servus an possit dari tutor in testamento?  
*lib. 1. p. 59*  
 Servus communis ab uno ex dominis hæres  
scriptus, fit illi hæres necessarius, *l. 2. p. 192*  
 Servus communis ab extraneo hæres scrip-  
tus, cui ex dominis acquirat hæreditatem ,  
& pro qua parte? *ibid.*  
 Servus communis, qui jussu unius Domini  
& alterius nomine stipulatur, utri acquirat?  
*lib. 3. p. 369 & 428*  
 Servus compeditus quis? *lib. 4. p. 468*  
 Servus fugitivus an sit verè furtivus? *lib.*  
*2. p. 289*  
 Servus in quo usumfructum habemus vel  
quem bona fide possidemas, quibus ex cau-  
sis nobis acquirat? *lib. 2. p. 162*  
 Servus mediatisinus quis? *lib. 4. p. 468*  
 Servus noxæ deditus, an invito utroque  
domino liber fieri possit? *lib. 4. p. 519*  
 Servus ordinarius & vicarius quis? *l. 2. p. 242*  
 Servus post domini mortem potest hæres  
institui, *lib. 2. p. 191*  
 Servus proprius à domino hæres scriptus, an  
semper sit ei hæres necessarius? *lib. 2. p. 190*  
 Servus proprius quis? *ibid.*  
 Servus publicus de dimidia parte peculii  
testari potuit, *lib. 2. p. 183*  
 Servus qui liber & hæres testamento fac-  
tus est, an tenetur cohæredibus familiae  
erescundæ, vel negotiorum gestorum & filio-  
ne, propter negotia hæreditaria quæ gesti sunt?  
*lib. 4. p. 589*  
 Servum ab aliquo legare aut relinquere ,  
quid? *lib. 2. p. 241*  
 Servum esse & esse in servitute, an diffe-  
rant? *lib. 1. p. 17*  
 Per Servum , in quo nudum usum habe-  
mus, quomodo dominium acquirimus? *lib.*  
*2. p. 163*  
 Sestertia sex & sex millia sestertiiorum ,  
sunt unum & idem, *lib. 3. p. 436*  
 Sestertius & sestertium quomodo diffe-  
rant? *lib. 3. p. 437*  
 Severitas Charundæ Turii, *lib. 2. p. 239*  
 Sextans quid? *lib. 2. p. 193*  
 Sica & Sicarius , qui? *lib. 4. p. 562*

- Sigla quid, & quomodo à notis differant? *ibid.*  
*Proem. xxiv*
- Siglis cur leges scribi non debeant? *ibid.*  
 Signacula & subscriptiones differunt, *lib.*  
 2. p. 166  
 Ad Singularia confugere in exponendis le-  
 gibus, an debeamus? *lib. 4. p. 592*  
 Societas Leonina, quæ? *lib. 3. p. 408*  
 Societas quibus modis dissolvatur? *lib. 3.*  
 p. 410  
 Societas quid & quotuplex? *lib. 3. p. 408*  
 Ex Societate quænam oritur actio? *ibid.*  
 Societatis instituenda finis quis sit? *ibid.*  
 Societatis regulæ, *lib. 3. p. 409*  
 Socius Socio quam culpam præstare de-  
 beat? *lib. 3. p. 412*  
 Solvendo esse quis dicatur? *lib. 1. p. 23*  
 Solum aliquando cedit superficie, *lib. 2.*  
 p. 101  
 Solario non rectè fit pupillo sine tutoris  
 auctoritate, & sine judiciali sententia, *lib.*  
 3. p. 310  
 Solvito quid? *lib. 3. p. 430*  
 Solvito ut jure fiat, quid exigatur ex jure  
 civili? *lib. 3. p. 350*  
 Solutionis nomine quid intelligatur? *lib.*  
 3. p. 430  
 Sotor mea potest aliquando nubere fratri  
 meo, *lib. 1. p. 38*  
 Sorte dirimitur jurgium, si optionis lega-  
 tum relinquatur pluribus, qui non possunt  
 convenire de corpore eligendo, *lib. 2. p. 248*  
 Spadones qui? *lib. 1. p. 47*  
 Species conficiendi methodus, & quantum  
 juri intelligendo sit necessaria? *lib. 2. p. 106*  
 Species elegans circa posthumi & posthumæ  
 institutionem, *lib. 3. p. 184 & 385*  
 Species quam quis fecit partim ex sua,  
 partim ex aliena materia, non est semper  
 ejus qui fecerit, *lib. 2. p. 114*  
 Specificatio quid? *ibid.*  
 Sponsa patris mei non est neverca mea, &  
 sponsa filii non est aurus mea, *lib. 1. p. 36 & 37*  
 Sponsalia quid? *lib. 1. p. 37*  
 Sponsalia a munera, sive sponsalia quid? *lib.*  
 2. p. 153<sup>9</sup>  
 Spiritus cur sic dicit? *lib. 1. p. 40*  
 Stilicidii non recipiendi jus interdum est  
 libertas, interdum vero servitus, *l. 2. p. 130*  
 Inter Stilicidium & flumen quid interce-  
 dat discriminis? *ibid.*  
 Stipendiaria & tributaria prædia, quæ? *l. 2.*  
 p. 128  
 Stipes quid? *lib. 3. p. 323*  
 Stipulandi & promittendi rei, qui? *l. 3. p. 366*  
 Stipulati an possint pupillus, furiosus,  
 prodigus, mitus, surdus, & infans? *lib.*  
 3. p. 377 & 378
- Stipulari an possit servus, & an stipulando  
 illud quod in facto consistit, acquirat domi-  
 no obligationem? *lib. 3. p. 368*  
 Stipulari impersonaliter quid? *l. 3. p. 375*  
 Stipulari pro absentibus possunt Notarii,  
*lib. 3. p. 376*  
 Stipulatio aliquando utilis est illi qui non  
 habet animum stipulandi sibi, sed alteri,  
*lib. 4. p. 592*  
 Stipulatio alteri facta, quando valeat? *lib.*  
 3. p. 384  
 Stipulatio an possit fieri purè in diem,  
 vel sub conditione? *lib. 3. p. 362*  
 Stipulatio Aquiliana, *lib. 3. p. 431*  
 Stipulatio an valeat, quæ sub ea condi-  
 tione sit, sub qua res eadem alterius testa-  
 mento legata est? *lib. 3. p. 386*  
 Stipulatio an valere possit, si non sit con-  
 grua interrogatori responsio? *lib. 3. p. 376*  
 Stipulatio de rato, *lib. 3. p. 372*  
 Stipulatio est juris gentium quantum ad  
 usum, & juris civilis quantum ad originem  
 & formam, *lib. 3. p. 388 & 392*  
 Stipulatio est Itardænæ, *lib. 3. p. 372*  
 Stipulatio ex causa ales facta, an valeat?  
*lib. 3. p. 385*  
 Stipulatio inutilis ratione cause, *l. 3. p. 382*  
 Stipulatio inutilis ratione formæ, *l. 3. p. 383*  
 Stipulatio pœnalis, ejusque vis ac potestas,  
*lib. 3. p. 365*  
 Stipulatio præpostera quæ, & an valeat?  
*lib. 3. p. 381*  
 Stipulatio quid, & unde dicatur? *lib. 3. p. 360*  
 Stipulatio rei propriæ quando valeat? *lib.*  
 3. p. 373  
 Stipulatio rei quæ non est in rerum natu-  
 ra, an aliquando sit utilis? *ibid.*  
 Stipulatio rem pupilli vel adolescentis sal-  
 vam fore, *lib. 3. p. 372*  
 Stipulatio servi per quam stipulatur do-  
 mino suo dari, an differat ab illa per quam  
 stipulatur sibi dari? *lib. 4. p. 591*  
 Stipulatio, ut detur post mortem stipulan-  
 tis, vel promittentis, vel extranei, an va-  
 leat? *lib. 3. p. 382*  
 Stipulatio ut ire, agere licet, non est sem-  
 per stipulatio realis servitutis, *lib. 3. p. 368*  
 In Stipulatione an requiratur hodie certa  
 verborum formula? *lib. 3. p. 361*  
 Ex Stipulatione quotuplex actio oriatur?  
*lib. 3. p. 360*  
 Stipulationem committi quid? *l. 3. p. 363*  
 Stipulationes ædilitæ, *lib. 3. p. 371*  
 Stipulationes cautionales, *ibid.*  
 Stipulationes communæ duplicitis gencris,  
*lib. 3. p. 372*  
 Stipulationes judiciales, quædam à judice,  
 quædam à judicio nomen accipiunt, *l. 3. p. 370*

- Stipulationes emptæ & venditæ hereditatis quæ, qui earum effectus, & quomodo maltis casibus erant captio[n]e? lib. 3. p. 372
- Stipulationes partis & pro parte quæ fuerint inter h[er]edem & legatarium partiarium, & inter h[er]edem & fideicommissarium universalem? lib. 2. p. 269
- Stipulationis inutilitas an ex quotuplici capite oriatur? lib. 3. p. 373
- Scipulationum materia quæ? lib. 3. p. 370
- Stipulationum divisio, ibid.
- Stipulationum Prætoriarum subdivisio, lib. 3. p. 371
- In Studii neglectu quantum sit periculum, Proæm. xvij.
- Studiorum juris ordo quis & quo nomine Studioſi cujusque anni appellantur? Proæm. xx
- Stuprum quid? lib. 4. p. 561
- Subscriptio proœmii contra Baronii emanationem defenditur, Proæm. xxij
- Substituere pupillariter singulis suis filiis impuberibus pater potest, vel novissimo eorum qui impubes morietur, lib. 2. p. 204
- Substitui potest pupillariter filio ex h[er]edato jure Institutionum; vix autem id fieri potest jure novissimo, lib. 2. p. 202
- Substitutionis à milite facta verbis directis, an per fideicommissum facta intelligatur? lib. 2. p. 206 & lib. 4. p. 578
- Substitutionis à pagano facta verbis directis, an trahatur ad fideicommissum ex jure civili? lib. 2. p. 206. & lib. 4. p. 583
- Substitutionis compendiosa à milite facta, an sit directa post filii pubertatem? ibid.
- Substitutionis compendiosa à milite facta, an vim habeat vulgaris & pupillaris substitutionis? ibid.
- Substitutionis compendiosa valet in paganis ex jure Pontificio, ibid.
- Substitutionis exemplaris quid? lib. 2. p. 202
- Substitutionis fideicommissaria, lib. 2. p. 206
- Substitutionis pupillaris dicitur secundum testamentum & secundæ tabulæ, lib. 2. p. 203
- Substitutionis pupillaris est testamentum ipsius pupilli, lib. 2. p. 201
- Substitutionis pupillaris per adrogationem extinguitur, lib. 1. p. 43
- Substitutionis pupillaris pubertate extinguitur, lib. 2. p. 206
- Substitutionis pupillaris quid, & quæ ejus formula? lib. 2. p. 201
- Substitutionis pupillaris quomodo differat à vulgaris? ibid.
- Substitutionis quid sit, & quomodo differat à fideicommisso? lib. 2. p. 198
- Substitutionis reciproca & breviloqua, quæ? ibid.
- Substitutionis ultra quartum gradum, quæ prohibita? lib. 2. p. 197 & 198
- Substitutionis vulgaris non sit semper in causam delatæ h[er]editatis, ibid.
- In Substitutione vulgari expressa à milite facta, utrum continetur tacita pupillaris? lib. 4. p. 518
- Substitutionis directæ & fideicommissariæ diversitas, lib. 4. p. 583
- Substitutionis pupillaris & exemplaris dis crimina, lib. 2. p. 202
- Substitutionis pupillaris his verbis factæ, Quisquis mihi heres erit, idem filio mio heres esto, triplex effectus, lib. 2. p. 205
- Substitutionis pupillaris occultandæ methodus, propter securitatem pupilli adhibenda, lib. 2. p. 203
- Substitutionis spes an ad h[er]edes transmittatur, si conditio ejus nondum impleta fuerit? lib. 3. p. 319
- Substitutionum usus frequentior factus est, propter Leges Caducarias, lib. 2. p. 198
- Substitutus substituto intelligitur etiam substitutus instituto, lib. 2. p. 199
- Succedunt agnati post minimum capitum diminutionem, tamquam cognati, l. 3. p. 335
- Successio cognatorum quibus deferatur? lib. 3. p. 323
- Successio collateralium an intra decimum gradum restringenda sit? lib. 3. p. 322
- Successio ex Senatusconsulto Claudio quæ, & quare sublata? lib. 3. p. 349
- Successio in stirpes & in capita quomodo differant? lib. 3. p. 297
- Successio per solemnies venditiones, quæ? quis fuerit mos antiquus distrahendi res debitoris? & quare h[er]c successio sublata sit? lib. 3. p. 348
- A Successione filiorum repellitur mater, quæ eis tutoris dari non petiit, si impuberis decesserint, lib. 3. p. 314
- In Successione liberti, Civis Romani, quantu[m] diversa jura inservienda sunt, & totidem in Successione Latini, lib. 3. p. 327 & seq.
- Ad Successionem vocantur cognati, iure tantum Prætorio, lib. 3. p. 319
- In Successionibus parentum, filii quocummodo legitimi, an idem jus habeant ac filii ex justis nuptiis procreati? lib. 3. p. 295
- Successionis ab intestato quis est ordo, secundum jus novissimum? lib. 3. p. 339 & seq.
- Successionis nomen quot modis sumi potest? lib. 3. p. 311
- Successorium editum, ibid. & 319
- Sues pecudibus adnumerantur, l. 4 p. 455
- Sui & necessarii h[er]edes qui, & cur sic dicti? lib. 3. p. 326
- Sui h[er]edes qui? lib. 2. p. 182

- Suis etiam hæredibus competit jus delibera-  
randi, propter beneficium abstentionis quod  
eis concedit Prætor, lib. 2. p. 223
- Suorum hæredum præteritione, quare testa-  
mentum infirmetur? lib. 2. p. 182
- Inter Suos hæredes & filios emancipatos  
discrimen nullum est, jure Novellarum,  
lib. 2. p. 188
- Suus hæres agnoscitur quinque modis,  
lib. 2. p. 207
- Suus hæres an esse designat aliquo casu  
post mortem patris, qui suos hæres patri  
fuit tempore mortis? lib. 3. p. 296
- Suus hæres an fiat jure postlimini, qui ab  
hostibus rediit post mortem patris? ibid.
- Suus hæres & hæres suus an differant? lib.  
2. p. 223
- Suus interdum dicitur ille qui suis juris  
est, lib. 2. p. 224
- Supellex quid, & unde dicta? lib. 2. p. 286
- Supereffe quid sit? lib. 1. p. 81
- Surdus & mutus an curatores dandi sint?  
ibid.
- Surdus & mutus testamentum facere an  
possit jure veteri & novo? lib. 2. p. 180
- Syndicus quis? lib. 4. p. 524
- T**A de iudiciis, quid sit apud Theophi-  
lum? lib. 4. p. 493
- Talio quid? lib. 4. p. 467
- Telum quid? lib. 4. p. 562
- Tempora inter emptorem & vendito-  
rem, an continentur in usucacionibus?  
lib. 2. p. 148
- Temporales cause non sufficiunt ad trans-  
ferendum dominium, sed perpetuum tam  
sat, lib. 2. p. 156
- Tempus legitimum ad proponendas excus-  
tationes, lib. 1. p. 92
- Tempus legitimum in usucacione quoniam  
sit? lib. 2. p. 142
- Terram impetu aquarum translatam do-  
minus auferre non potest, nisi tollat omnia,  
lib. 2. p. 111
- Testamenta patris & matris non differant  
jure Novellarum, circa præteritionem &  
hæredationem liberorum, lib. 2. p. 189
- Testamenti etymologia quomodo intelli-  
genda? lib. 2. p. 164
- Testamenti factio activa & passiva quo-  
modo differant? lib. 2. p. 224
- Testamenti factionem habentes, quinam  
prohibentur esse testes in testamento? lib.  
2. p. 168
- Testamenti quo hodie utimur, species duæ,  
scriptum & nuncupativum, lib. 2. p. 166
- Cum Testamentis duobus validis nemo  
potest decedere, lib. 2. p. 172
- Testamento posteriori ritè perfecto, prins  
rumpitur, lib. 2. p. 208
- In Testamento principia est causa hæredis:  
de causa vero legatarii agi non intelligitur,  
lib. 2. p. 217
- Testamentorum exempla, quæ colore in-  
sanæ rescissa sunt, lib. 2. p. 214
- Testamentum à pagano non jure factum  
valet, si in militia confirmetur, lib. 2. p. 175  
& seq.
- Testamentum ante captivitatem factum,  
valet jure postlimini, vel fixione Legis  
Cornelia, lib. 2. p. 181
- Testamentum aut aliud negotium re &c. ges-  
tum, furor interveniens non perimit, lib.  
2. p. 210
- Testamentum calatis comitiis, lib. 2. p. 165
- Testamentum clausum, lib. 2. p. 167
- Testamentum desertum seu destitutum,  
quid? lib. 2. p. 209
- Testamentum est juris gentium quoad ori-  
ginem, juris vero civilis quoad formam,  
lib. 2. p. 181
- Testamentum facere non potest captivus,  
ibid.
- Testamentum imperfectum in favorem li-  
berorum factum, derogat priori Testamento  
ritè perfecto, lib. 2. p. 211
- Testamentum imperfectum quid? ibid.
- Testamentum in opistographo scribi po-  
test, lib. 2. p. 171
- Testamentum in procinctu quid, & unde  
dictum? lib. 2. p. 165
- Testamentum in quo pater filio pupillari-  
ter substituit, an sit unicum vel multiplex?  
lib. 2. p. 201
- Testamentum jure Prætorio non valet, nisi  
septem testium signaculis munitum sit, lib.  
2. p. 210
- Testamentum injustum & non jure fac-  
tum, quid? lib. 2. p. 164 & 211
- Testamentum interdum validum est, quam-  
vis servus testis in eo adhibitus fuerit, lib.  
2. p. 168
- Testamentum cur judicij nomine sepiissime  
appellatur? lib. 2. p. 164
- Testamentum L. Cuspidii, lib. 2. p. 283
- Testamentum militare quid? lib. 2. p. 172
- Testamentum non infirmatur propter omis-  
sionem legati quinque acium, lib. 2. p. 225
- Testamentum non semper infirmatur per  
capitis diminutionem testatoris, lib. 2. p. 221
- Testamentum nuncupativum quid? lib. 2.  
p. 172
- Testamentum per æs & libram, ejusque  
solemnia, lib. 2. p. 165
- Testamentum Prætorium quid? lib. 2.  
p. 166

- Testamentum privilegiatum posterius derogat priori quanto vis perfecto, *l. 2. p. 211*
- Testamentum quocumque annulo signari potest, *lib. 2. p. 167*
- Testamentum quomodo infirmatur ipso jure? *lib. 2. p. 207*
- Testamentum quomodo à legatis, codicilis & donationibus causâ mortis distinguatur? *lib. 2. p. 165*
- Testamentum quotuplex? *lib. 2. p. 164*
- Testamentum ruptum quid? *lib. 2. p. 207*
- Testamentum scriptum, solenne & mixtum, synonyma sunt, *lib. 2. p. 166*
- Qui Testamentum vult facere filio impuberi, debet prius sibi ipsi facere Testamentum, *lib. 2. p. 203*
- Testari non possunt deportati & peregrini, *lib. 2. p. 181*
- Testator qui pluribus heredibus institutis rogat ultimum moritorum, ut hereditatem alteri restituat, reciprocum inter illos fideicommissum fecisse videtur, *lib. 2. p. 204*
- Testator qui post Testamentum iure factum vult decedere intestatus, potest id affectui, nullo novo confecto Testamento, *lib. 2. p. 212*
- Si Testator supremas tabulas inciderit, an priores valeant, saltem iure Prætorio? *lib. 2. p. 211*
- Testatoris voluntas qualibet an sequenda sit? *lib. 2. p. 288*
- Testes idonei non sunt in Testamento, cum quibus non est Testamenti factio, *lib. 2. p. 167*
- Testes esse non prohibentur in Testamento legatarii & fideicommissarii, *lib. 2. p. 170*
- Theoretrum quid? *lib. 2. p. 154*
- Thesaurus quid, & ad quem pertineat? *lib. 2. p. 122*
- Thlaix & Thlibix qui? *lib. 1. p. 47*
- Tituli Novellarum auctoritatem non habent, *Proleg. xij*
- Titulus quid, & unde dictus? *Proleg. xij*
- Titulus *ff. de exceptionibus*, & titulus *quarum verum atio non detur*, quomodo differant? *lib. 4. p. 538*
- Tot sunt stipulationes, quot sunt res in stipulationem deductæ, & quomodo id intellegendum? *lib. 3. p. 382*
- Traditio quid? Tradere & dare quomodo differant? *lib. 2. p. 123*
- Traditio, vel manumissio in fraudem creditorum facta, an valeat ipso jure? *l. 4. p. 481*
- Traditione dominium non acquiritur, nisi conditiones quatuor concurrant, *lib. 2. p. 123*
- Translatio legatorum quid, & quibus modis fiat? *lib. 2. p. 260*
- Translatio legati, & secundi collegarii constitutio in eadem re legata, quomodo distinguantur? *ibid.*
- Transmissio hæreditatis & fideicommissi quid, & quando fiat? *lib. 3. p. 318*
- Tribuni Plebis Romæ decem fuerunt tempore Legis Attilix, *lib. 1. p. 70*
- Tribunorum Plebis persona apud Romanos sacra habebatur, *Procœm. xix*
- Triens quid? *lib. 2. p. 193*
- Triplacatio quid? *lib. 4. p. 542*
- Tripondius quid? *lib. 2. p. 193*
- Turpes personæ quæ? *lib. 2. p. 215*
- Turpium personarum prælatio in Testamento, fratri & sorori contumeliosa videtur, *ibid.*
- Tutela affectata, quæ? *lib. 1. p. 87*
- Pro Tutela agere, quid? *lib. 1. p. 73*
- Tutela dativa, quæ? *lib. 1. p. 70*
- A Tutela excusatus ex falsis allegationibus, an liberatus sit onere illios? *lib. 1. p. 98*
- Tutela fiduciaria duplex, antiqua, & nova, *lib. 1. p. 68*
- Tutela seminarum non est hodie perpetua, sicut olim, *lib. 1. p. 77*
- Tutela legitima quæ & quotuplex? *lib. 1. p. 61*
- In Tutela olim erat successio, non in hereditate agnitorum, *lib. 1. p. 66*
- Tutela parentum olim dicebatur fiducia, & quare? *lib. 1. p. 67*
- Tutela patronorum cur legitima dicatur? *lib. 1. p. 66*
- Tutela patronorum legitima an minimâ capitis diminutione tollatur? *lib. 1. p. 78*
- Tutela quibus modis finitur? *lib. 1. p. 79*
- Tutela quid & quotuplex? *lib. 1. p. 70*
- Tutela quo sensu dicitur munus publicum? *lib. 1. p. 86*
- Tutelæ actio subsidiaria adversùs quos magistratus datur, *lib. 1. p. 84*
- Tutelæ definitionis explicatio, *lib. 1. p. 56*
- Tutelæ divisio quatripartita, *lib. 1. p. 57*
- Tutelæ & curationis excusationes communica, *lib. 1. p. 85*
- Ex Tutelæ gestione, quæ actio oriatur? *lib. 3. p. 423*
- Tutelæ omnes in Gallia sunt dative, *lib. 1. p. 69*
- Ex Tutelæ vel curæ gestione, an inducatur tacita hypotheca in bonis tutoris vel curatoris? *lib. 3. p. 423*
- Tutor à Magistratu datur in quatuor calibus adjectis per Senatus consulta specialia ad Legem Attiliam, *lib. 1. p. 70*
- Tutor à patre suo exhereditatus, qui legatum ex eo testamento petit nomine pupilli sui, non excluditur ab inofficio querela, *lib. 2. p. 216*

- Tutor à quibus Magistratibus datus fuit, & cur tam varie? lib. 1. p. 70
- Tutor an detur certæ cause? lib. 1. p. 60
- Tutor an possit dari in diem vel sub conditione? ibid.
- Tutor excusare se potest ne ultra centesimum lapidem tutelam gerat, nisi in eadem Provincia pupilli patrimonium sit, lib. 1. p. 92
- Tutor honorarius quotuplex? lib. 1. p. 83
- Tutor in rem suam auctor esse non potest; & ideo nec litigare potest adversus pupillum, nisi alterum tutorem vel curatorem habeat, lib. 1. p. 75
- Tutor incertus dari non potest, ignotus potest, lib. 1. p. 89
- Tutor mutus esse non potest, lib. 1. p. 75
- Tutor non potest procuratorem constitucere pupillo, quia id dominus tantum potest facere, lib. 1. p. 82
- Tutor potest alienare res pupilli mobiles sine decreto, lib. 2. p. 157
- Tutor quam culpam praestare debeat? lib. 3. p. 423
- Tutor qui pupilli sui nomine querelam inofficiosa testamenti movit, nec obtinuit, potest legarum petere quod sibi in eo testamento relictum est, lib. 2. p. 217
- Tutor rectè datur posthumis, lib. 1. p. 57
- Tutor, si datus fuerit filii emancipatis, confirmatur sine inquisitione, lib. 1. p. 58
- Tutor suspectus quis? an suspecti accusatio sit publicum judicium? quis de ea cogoscat? quis accusare & accusari potest? & quis sit effectus illius accusationis? lib. 1. p. 94
- Tutores habenti cur tutor non datur? lib. 1. p. 81
- Tutores an possint dari plures pupillis? ibid.
- Tutores an satisfare teneantur, & qui? lib. 1. p. 83
- Tutores dare poterant jure suo Magistratus municipales, sed eo jure uti non audebant, nisi præcederet ius latus Præsidis, lib. 1. p. 72
- Tutores dabant liberis clarissimarum personarum Præfectus urbi, Prætor veio cætaxis, ibid.
- Tutores & curatores quibus modis minorum negotia gerant? lib. 4. p. 525
- Tutores & curatores quomodo differant? lib. 1. p. 79
- Tutores omnes, etiam legitimi possunt à tutela excusari, lib. 1. p. 92
- Tutores honorarii an & quando tutelæ nomine teneantur? lib. 1. p. 83
- Tutores testamentarii & dati ex inquisi-
- tione, aliquando satisfiant, ibid.
- Tutores unde dicti? lib. 1. p. 57
- Tutori pauperi, qui se aliter exhibere non potest, salarium statui debet, lib. 1. p. 88
- Tutoris auctoritas an necessaria sit pupillis ad acquirendam hereditatem paternam? lib. 3. p. 296
- Tutoris auctoritas debet esse pura, licet contractus in quo adhibetur, sit conditionalis, lib. 1. p. 75
- Tutoris auctoritas quandonam sit necessaria, & quando reprobetur? ibid.
- Tutoris auctoritas quid, & unde dicta? lib. 1. p. 74
- Tutoris datio, neque est imperii, neque jurisdictionis, lib. 1. p. 70
- Tutoris & Advocati discriben, lib. 2. p. 216
- Tutoris officium, & effectus tutelæ tres, lib. 1. p. 83
- Tutoris vice aliquando auctor constituitur, lib. 1. p. 82
- Tutrices hodie possunt esse mater & avia, lib. 1. p. 67

## V

**V**Enditio hæc, si intra certum diem Stichus tibi placuerit, erit tibi emptus aures tot; quomodo differat ab illa quæ sit his verbis, nisi tibi displicerit intracentum dies?

lib. 3. p. 400 & 401

Venditio sub hac conditione, si intra certum diem tibi placuerit, an valeat?

ibid.

Vendoris & emptoris non eadem intellegitur esse persona, sicut defuncti & heredis,

lib. 2. p. 148

Verba hæc, rogavit Titius, spopendit Mævius, aliquando nudum pactum continent,

lib. 3. p. 382

Verba precaria quæ?

lib. 2. p. 279

Verba testatoris an liceat interpretari ultra veram & propriam eorum significacionem?

lib. 2. p. 286

Verba textus otiosa estimari non debent,

lib. 2. p. 213

Verborum obligatio quid, & quomodo differat à stipulatione?

lib. 3. p. 360

Verbum commendo, an fideicommissum inducat?

lib. 2. p. 279

Verbum sed & si, dubitationis majoris signum continet,

lib. 3. p. 391

Vergente deorsum conditione corpore, fervor spiritus ad sublimiora sœpe consendit,

Proleg. v

Verna quid?

lib. 2. p. 252

Via & actus quomodo differant?

lib. 2. p. 129

- Via publica & vicinalis quomodo differant? lib. 4. p. 457  
 Via quid? lib. 2. p. 129  
 Vindicatio adversus quem detur? lib. 4. p. 489  
 Vindicatione rerum corporalium & incorporalium in quibus differant? ibid.  
 Vindiciae quid? ibid.  
 Vindicta quid, & cur sic dicta? lib. 1. p. 19  
 Vir & uxor sibi invicem succedunt, deficienibus cognatis, lib. 3. p. 341  
 Virilis partis nomine an totum aliquando continetur? lib. 3. p. 369  
 Vis privata & publica quid sint? lib. 4. p. 564  
 Vis publice & privatæ pœna, quæ? ibid.  
 Vis quando fieri dicatur? ibid.  
 Vis quotidiana, vis festucaria, & vis solidæ, quid sint? lib. 4. p. 489  
 Uncia quid, ejusque divisiones variae? lib. 2. p. 193  
 Universitatis res, Universitas & quot homines eam constituant? lib. 2. p. 102 & 103  
 Usuarius an acquirat ex operis servi? lib. 3. p. 428  
 Qui Usucapere non potest, interdum transfert in alterum usucapiendi facultatem, lib. 2. p. 144  
 Usucapere partum ancillæ non potest fructuarius, ibid.  
 Usucapio & longi temporis possessio locum habent hodie in fundis provincialibus, lib. 2. p. 145  
 Usucapio non perficitur sine concurso multarum conditionum, lib. 2. p. 141  
 Usucapio quid, & unde dicta? lib. 2. p. 139  
 Usucapio quomodo differat à longi temporis præscriptione post transformationem Justiniani? lib. 2. p. 140  
 Qui Usum ædium habet, certas tantum personas recipere potest, lib. 2. p. 136
- Qui Usum fundi habet, lignis tantum & aliis sibi necessariis uti potest, ibid.  
 Usura quid? lib. 3. p. 414  
 Usus est & opus est synonima sunt, lib. 2. p. 135  
 Usus & Ususfructus in quo convenient & differant? ibid.  
 Usus quid? ibid.  
 Usus vis ac potestas pro diversa natura rerum in quibus consistit, diversa est, lib. 2. p. 137  
 Ususfructus causalis quid, & an sit servitus? lib. 2. p. 132  
 Si Ususfructus duobus legatus est, uno deficiente, pars ejus alteri accrescit, lib. 2. p. 135  
 Ususfructus duplex, causalis & formalis, lib. 2. p. 132  
 Ususfructus formalis quid? ibid.  
 Ususfructus gregis, & Ususfructus singulorum gregis capitum, quomodo differunt? lib. 2. p. 122  
 Ususfructus quomodo alteri cedi potest? lib. 2. p. 134  
 Ususfructus quomodo finiatur? ibid.  
 Quasi-Ususfructus rerum quæ in abuso constiunt, constitui potest remedio cautions, lib. 2. p. 133  
 Ususfructus solo in usu non perit, nisi dominus proprietatis usuciperit rei suæ libertatem, lib. 2. p. 134  
 Ususfructus testamento & pactionibus constituitur, sicut ceteræ, lib. 2. p. 133  
 Uxor quæ in manum convenerat, fiebat marito sua hæres, & filii suis consanguinea seu soror, lib. 3. p. 312
- X
- X** Erolophus quid, & unde dictus? lib. 4. p. 562  
 Ex Xenophonte de prompta verba inscripta fuerant in Xerolophi epigrammati, ibid.

F I N I S.

